Universidad de Deusto
Biblioteca

GRAMMONT



Universidad de Deusto
Biblioteca

Liber Emptionis me fuit
[illegible] libris [illegible]
libris
14 Augusti Ao 1726.

D'N.

CORNELII IANSENII EPISCOPI GANDAVENSIS COMMENTARIORVM IN SVAM CONCORDIAM, AC TOTAM HISTORIAM EVANGELICAM EPITOME.

Opera, & industria F. Matthæi à Castro Insulensis, in Cœnobio Falempinensi Canonici.

17732

Additis tribus indicibus quicquid toto opere tractatur exactissimè demonstrantibus.

Prov. Germ.



Bibliotheca
ult. Philosophiae
c. Cast. Orient. S.I.

ANTVERPIAE.
In Ædibus Petri Belleri, sub scuto Burgundiæ. A. 1593.
Cum Gratia & Privilegio.

PROV. GERM. BIBL. SCRIPT. SOC. JESU

Universidad de Deusto
Biblioteca

Priuilegij Sententia.

REgiæ Maiestatis priuilegio cautum est, ne quis proximo sexennio citra Petri Belleri Typographi Antuerpiensis voluntatem imprimat, vel alibi impressum importet, venalemue habeat, in toto Regiæ Maiestatis Dominio, Epitomen Commentariorum in Concordiam, ac totam historiam Euangelicam D. Cornelij Iansenij Episcopi Gandauensis, opera & industria Frat. Matthæi à Castro Insuleñ, sub pœnis in diplomate Regio contentis, quarta Maij conces. 1593. & subsignatis.

I. de Buschere.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ac Domino D. Ludouico de Batlaymont, Archiepiscopo, & Duci Cameracensi, Comiti Cameracesij Sacri Romani Imperij Principi, Administratori Episcopatus Tornacensis, &c. Domino suo colendissimo.

QVOTSI hæretici nostri tẽporis Illustrissime, & Reuerendissime in Christo Pater, ac Domine, inter cætera mẽdacia, quæ quotidie confingũt, & enomunt, illud etiã nõ minus falso, quã impudẽter affirment, nẽpe scripturas sacras ipsas per se certissimas, facillimas, & apertissimas esse sui interpretes: tamẽ & ex ipsis scripturis, et ex omniũ veterũ Patrũ consensu, earum difficultas, & obscuritas maxima facilè demõstrari potest. Quid enim aliud sibi volunt loca illa Da uidis, Da mihi intellectũ et scrutabor legẽ tuã; Reuela oculos meos, et cõsiderabo mirabilia de lege tua; Faciem tuam illumina super seruum tuũ, & doce me iustificationes tuas, & alia huiusmodi prope infinita; nisi quod D. Hieronymo teste, tãtus Propheta tenebras ignorãtiæ suæ in legis diuinæ intelligentia profitetur? Iam vero Patres nihil frequentius inculcant, quam ad scripturas sacras intelligendas summo labore, ac studio, et maximo otio opus esse. Mare est (inquit D. Ambrosius) scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinẽ Propheticorum enigmatũ. D. Hieronymus in Epistola ad Paulinũ, de studio scripturæ, ex instituto docet, nõ posse scripturas disci sine magistro, & percurrẽs breuiter nomina singulorũ librorũ, ostẽdit in omnibus magnas et multas inesse difficultates. Quid vero noster Augustinus? Mira est (exclamat) profunditas eloquiorum tuorũ, quorũ ecce ante nos superficies blandiẽs paruulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intẽdere in eã, &c. Ex quibus verbis & authoritatibus illud efficitur, Scripturas sacras, cõtra quam hæretici volunt esse difficiles

Psalm. 118

In Epist. ad Paulinum de instituto monach.

Lib. 12. Confess. cap. 14.

& obscuras. Quod quidem certè & alia ratione cõfirmari
potest. Videmus enim iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ
Sanctissimos, & præstantissimos viros in earundẽ scriptu-
rarum interpretatione, omne suum studium, operam, ac dili
Ephes. 4. gẽtiam cõtulisse. Hinc est etiã quod Christus dedit quosdã,
quidem Apostolos, alios verò Euangelistas, alios autẽ Pasto
res, & Doctores ad cõsummationẽ Sanctorum, in opus mini
sterij, in ædificationẽ corporis Christi. Inter quos certe nõ po
stremum locũ obtinet D. Cornelius Ianseníus primus Gan-
densium Episcopus, qui inter varia doctrinæ, & eruditionis
suæ monumenta, in Cõcordiam suam, & vniuersam Histo
riam Euangelicã Cõmentarios cõscripsit omnibus numeris
absolutissimos. A quorũ tamen vtilissima lectione cum alij
prolixitate, alij inopia retardarentur; D. Ioannes Vendil-
lius Episcopus Tornacensis (cuius memoria in benedictione
est) obnixè à me nõ semel petijt, vt aliquã eius laudatissimi
operis Epitomen cõcinnarem. Intelligebat enim vir ille san
ctissimus, ac sapientissimus & ad alios quosuis Theologiæ
studiosos, & ad Pastores omnes (quod ille in primis specta
bat) ab einsmodi Epitome fructus vberrimos manare posse.
Itaque cũ pro industria, & ingenij mei tennitate hoc cõfeci
sem, iamq; operi nostro patronus aliquis quærẽdus esset, sub
cuius nomine & in lucẽ prodire, & quamplurimis prodesse
posset: nullus alius occurrit, cui iustius deberi à grauissimis
et dignitatis tuæ amantissmis viris diceretur, quã Illustriss.
& Reuerendiss. D. T. Nam præterquã quod annis superiori
bus, in Prouinciali Synodo Cameracẽsi. Mõtibus Hãoniæ
habita, & insignẽ tuam in Deũ pietatẽ, & propẽsum de Ec
clesia Dei benemerẽdi studiũ, & in rebus agẽdis prudentiã
singularẽ cũctis patefecisti: fama præterea, & auditione nõ
leui accepimus illa in te vnũ mirabili cõnexione cõcurrere,
quæ in perfecto Antistite requirũtur. Aiunt enim qui te pro-
prius nouerunt Pontificẽ te esse, & authoritate grauẽ, &
amplitudine summũ, ab omni tamen factu lõgissimè remo
tũ: conspicienda quadam Maiestate Principem, sed omni-
bus

bus appellandis, comem, & humanũ: denique animi integri
tate rectũ, ac simplicẽ, attamen pro cuiusque rei, & personæ
natura expromptũ, atque mirabilẽ; postremo omnino talẽ,
qualẽ et D. Paulus, & D. Ioannes Chrys. eũ, qui cum lau- 1. Tim. 3.
de & fructu præesse debeat, nobis describit hæc natura & in- & 4. li. 6.
genij dotes, hæc tam varia, & illustria virtutũ ornamẽta, de sacrif.
quæ ad natalium tuorum splendorẽ, ac decus auitum mag- cap. 3.
nas accessiones faciunt; Regiam proculdubio Maiestatem
impulerũt, vt te nuper post defuncti D. Venduilli mortem,
ad Episcopatus Tornacensis administrationẽ sua nomina-
tione admouendũ esse iudicaret. Consultissimũ proinde mi
hi visum est hanc Cõmentariorum D. Cornelij Ianseníj in
vniuersam historiam Euangelicã Epitomẽ tuo nomini in-
scribere, ac dedicare: vt et nouæ huius dignitatis accessionẽ
hoc oblato munusculo tibi gratularer, & omniũ nostrum
nomine (qui clientelæ tuæ, & sacratioris gregis tui nonnul
la pars sumus) multos annos, omniaque tũ huic diœcesi, tũ
vniuersæ Dei Ecclesiæ fœlicia, ac fausta precarer. Itaque Il-
lustrissimã, & Reuerendissimam D. T. suppliciter rogo, vt
hanc nostrã Epitomen sub amplissimæ dominationis, &
authoritatis suæ vmbra in hominũ manibus versari æquo
animo patiatur, & hanc summæ deuotionis, & obseruan-
tiæ meæ erga Reuerendiss. D. T. significationem benigne
accipere, meq́ue solita sua bonitate, & clementia cõplecti
dignetur D. noster Iesus Christus omnia Illustrissimæ, ac
Reuerendiss. D. T. cõsilia, & actiones fortunet, atque ip-
sam nobis, totique Christianæ Reipublicæ, & afflictæ Ec-
clesiæ suæ quamdiutissime incolumem conseruet.

Illustrissimæ, & Reuerendissimæ D. T.
addictissimus, & humillimus cliens.

F. Matthæus à Castro in cœnobio Falempi-
nensi ordinis D. Aug. Canonicus regularis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD LECTOREM PRÆFATIO.

HABES in hac epitome candide lector breuem quidem, sed integrum, solidum, germanum & omnibus numeris absolutissimum D. Cornelij Iansenij in suam Concordiã Euangelicam commentarium. In qua illud in primis studiose & diligenter curauimus, vt amputatis omnibus quæ vel ad ipsius Concordiæ rationem, vel ad varias diuersorum authorum interpretationes & sententias, vel denique ad dogmata, & quæstiones multas his temporibus calamitosissimis controuersas pertinent, haberes vbique literalem, & proprium, hoc est illum Scripturæ sensum, quẽ author Spiritus sanctus principaliter, & maximè propositum habuit. Et si enim negari non potest, quod Dom. Iansenius ait, nihil vsquequaque pulchrius, neque iucundius fieri posse, quam selectissimorum, probatissimorumque authorum sententias in vniuersum Christi Euangelij, velut in quodam Concilio audire omnes propositas: tamen quoniam plerisque gratissimarum occupationum mole impeditis non vacat, quibusdam breuitatis amantissimis non libet, multis etiam propter tuopiam rei familiaris nõ licet tã magna volumina vel emere, vel euoluere: omissa illa scholastica, ac methodica tũ docẽdi, tũ scribẽdi ratione quod in illa præcipuum, maximeque necessarium fuit diligenter, & accurate vbique persecuti sumus. Non enim tantum quod iam diximus, ad singulos Euangelij locos germanum, ac genuinum sensum propriis Iansenij verbis adscripsimus: sed eorundem etiam locorum pulcherrimam inter se connexionem, & consecutionem ex eadem ostendimus, præcipuèque in sermonibus Christi ad Iudæos, vel alios, quibuscum prolixius interdum agit. Huius rei exempla videre est in Cap. 39. & 40. & in nouissimo Christi ad Apostolos suos sermone. Quoniam autem varij sunt interdum vnius, eiusdemque loci sensus literales etiam à Spiritu sancto intenti: proposito illo, quem Iansenius omnibus summo studio perpensis, maximè proprium iudicabat: reliquos prætermisimus: vel certè vtrumque simul complexi, eiusdem loci commentarium pleniorem, ac solidiorem tibi exhibuimus. Mysticos, ac morales sensus parcè admodum, & raro attigimus: non quod illos in Iansenio quidem conatos vel procul petitos, aut etiam ad mortum, vitaque totius informationem minimè necessarios existimemus: sed partim quod instituta breuitatis non conuenirent, partim quod eum à literali & primario sensu dependeant: hoc probe constituto, non adeo difficile fuerit pijs, & humilibus, addam etiam mediocriter eruditis, & assiduis lectoribus tum ex Dei dono, tum ex suo quemque ingenio eiusmodi sensus spirituales seu mysticos, & observationes morales non minus vtiles & iucundas, quam necessarias colligere. Non deerunt tamen (sat scio) qui grauissimè querantur meliorem Iansenij partem, nempe doctrinam moralem à nobis sibi ereptam esse. Sed scire debent profectò, qui ita sentient, nos

In præfatione ad Lectorẽ.

nos in hac epitome cõcinnanda non tam copiosam segetem, & materiã concionum (eiusmodi enim librorum magnum prouentum hæc ætas attulit) quam propriam, & solidam totius Euangelicæ doctrinæ explicationem (quod hoc tempore præcipuè desideratur) suppeditare voluisse. Etsi enim hæretici nostri temporis sacras scripturas adeo peruias, ac faciles esse contendunt, vt ab omnibus nullo negotio intelligi possint: *Epist. 3. ad Volusianum* tamen illud pro certo habendum est, quod D. Aug. in ijs (si quæ alia) mirificè exercitatus sanctissimè confirmat, tantam videlicet esse earum profunditatem, vt in eis quotidie proficeremus, si eas solas ab incunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio addiscere conaremur. Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti (ait) tanta in eis perueniatur difficultate: sed enim quisque ibi fidem tenuerit, siue qua pie, relegue non vniuersitur, tam multa, tamque multiplicibus vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista dicta sunt, verumetiam in rebus quæ intelligenda sunt, latet altitudo Sapientiæ: vt nimosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem sacra scriptura testatur: Cum consummauerit homo, tũc incipiet. *Eccl. 18.* Proinde Christus compellans Iudæos, qui de Scripturarum intelligentia *Ioan. 5.* sibi vehementer placebant, Scrutamini Scripturas, ait, hoc scrutandi verbo significans (vt ad illum locum annotauit noster Iansenius) non simplici lectione, sed assidua, sed diligenti, & accurata singulorum verborum perscrutatione, & perquisitione ad eorum intelligentiam opus esse. Neque id tantum, sed prætera singularem humilitatem, animiq; puritatem & pietatem non vulgarem requiri, ex eisdem ipsis literis certissimum est. Quæ omnia verissima esse vel noster Iansenius in his suis Commentarijs locupletissimus testis est, qui cum omnibus illis præsidijs, atque ornamentis instructissimus, & multo præterea alio, magnaque optimorum librorum supellectile abundans (quod ipse de se testatur) ad eos conscribendos accessisset: est tamen, licet raro, vbi Academicum agit, suamque retinet assensionem, imo vero hæret, cunctatur, suum que iudicium, & sententiam suspendens, varias diuersorum authorum sententias alijs examinandas, & diiudicandas relinquit: interdum etiam vnius, eiusdemque loci multiplices interpretationes proponit, nec in quam potissimum partem se det, satis ostendit. Ex quo consequitur non esse tam faciles Scripturas sacras, quam quidam videri volunt. Sed vt ad propositum reuertamur: in Parabolis paulo plus operæ, & laboris nobis ponendum fuit, quæ vt non sunt omnes eiusdem generis, ita non eandem semper viam ingressi sumus. In ijs enim, quæ nuda sunt parabolæ & comparationes, aliquando quidem ipsius exempli, sub quo parabola proposita est, sensum literalem vel παραφρασιν, vel διδαγμα, à Iansenio explicatũ, quam fieri potuit, breuissimè adscripsimus: aliquando vero omisso sensu literali, vbi videbatur vel nihil, vel parum esse difficultatis, parabolam ipsam ad intentum à Domino

Cap. 10. 14. 16. 18 19

stogum mox renocauimus, atque applicauimus. Alia vero, quæ non tã sunt nuda parabolæ seu comparationes quam æniginata, & obscura allegoria (cuiusmodi plera[que] habet Lucas) aliter, & nunc quidem breuius, nunc latius tractanda fuerũt. Deinde qua erãt huiusmodi, vt vel à Typographo non imprimi, vel abs te præteriri posse sine vllo tuo detrimento iudicauimus, his notis [ ] inclusimus: adeo nos vbique & vtilitatis, & otij tui maximam rationem habuimus. Præterea textũ integrum omnium capitum totius historiæ Euangelicæ, cum omnibus literis, & notis, quæ in concordia Iansenij extant, tam intra ipsum textum quam ad eius marginem, singulis quibusq; commentarij huius capitibus præposuimus. Qui labor & si & voluminis ipsi nonnihil magnitudinis, & Typographo plurimum certe tadij, ac difficultatis attulisse videatur: quoniam tamen omnino necessarius tibi futurus erat, emitti non debuit: vt nec Canon ille ad intelligendas literas & notas, quibus in texenda concordia sua Iansenius vsus est, nec illæ tres Indices ab eodẽ excogitati, summiq; vtiles, et necessarij: Comedita igitur amici, & inebriamini charissimi: vtriq; enim vsum & cibi, & potus præstabit hic panis Scripturæ sacræ: quia in spiritualibus hæc nõ sunt distincta. Vtimini, ac fruimini hac cõmoda, & breui, & absoluta Iansenij interpretatione in vniuersam historiã, & doctrinã Euãgelicã, pissq; manibus D. Ioãnis Vẽdusilij Episcopi Tornacẽsis, cui nobis huius Epitomen cõficiẽda primus author, & perpetuus impulsor fuit, bene precemini valete.

Cant. 5.

Iansen. ad c. 6. Ioan.

Canon ad intelligendas literas, & notas quibus in texenda Concordia sua Iansenius vsus est.

Singuli { A. Matthæus, B. Marcus, C. Lucas, D. Ioannes } Bini { E. Matthæus, F. Matthæus, G Matthæus, H. Marcus, I. Marcus, K. Lucas } & { Marcus, Lucas, Ioannes, Lucas, Ioannes, Ioannes }

Terni { L. Matthæus, Marcus, & Lucas; M. Matthæus, Marcus, & Ioannes; N. Matthæus, Lucas, & Ioannes; O Marcus, Lucas, & Ioannes. } tacẽte { Ioanne, Luca, Marco, Matthæo. }

Quaterni [P] *Matthæus, Marcus, Lucas, & Ioannes.*

Iã vero cũ plures Euãgelistę eandẽ sentẽtiã diuersis verbis prosequũtur, quæ in cõtextũ relata narrationis cõsequentiã impediuissent: verbis aptioribus in cõtextu collocaris, alia in margine sunt posita aliquo horũ signorũ † ‡ §, vt vbiq; appositio quo agnoscatur quibus verbis in cõtextu positis respondeãt dictiones marginales. Quod si in Græcis codicibus nõ sit ea quę in nostris dictionũ varietas, hoc tibi cassa (o) significabit. Dictiunculæ his signis [ ] cõclusæ adiectæ sunt ab ipso Iãsenio ob narrationis coherentiã, vt cum alias interdum omisit ob eandem causam asterisci * signo notauit.

In

In Commentariorum D. Cornelij Iansenij, dum viueret Episcopi Gandauensis Epitomen F. Matthæi à Castro, Carmen Franciſci Moſchi Niuigellatis I.C. ad Lectorem.

Hæc propera, cura cui pagina sacra, libellum
Hunc eme delitijs fœtum, & prædiuite Gaza.
Thesaurum grandi, vastoq; volumine clausum
Antistes Gandæ Cornelius obtulit orbi.
Territus es pratio, quem res augusta premebat!
Hoc te fasce leuat, docto, vigiliq; labore,
Dum prolixa prius grata in compendia cogit,
Matthæus myſtes (quem septa monastica claudunt
Kuræ Falempino) nactus cognomina Castri.
Matthæus Græce, latiæq; peritus, & acri
Ingenio, mellita cui facundia vocis,
Quodq; caput, pietatis amans, & cultor honesti.
Cœnobij decus egregium, speculumq; Monaçῶν.
Nocturna librum lector, pariterq; diurna
Volue manu, puramq; bibe his e fontibus vndam.
Displiceat limosa palus, putresq; lacunæ
Diuinis anima eloquijs imbutaniteſcat.
Accipe, Matthæus tibi quod pro nomine donat
Non paleas, sed verba Dei, insuperabile castrum,
Verba Dei, quibus æterna mens pascitur aura.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN HVIVS OPERIS COMMENDATIONEM CARMEN.

In quo præmissa quadam Euangelicæ Historiæ breui Periochæ, & tanquam scopo: Finis etiam tum Commentariorum D. Iansenij, tum Epitomes F. Matthæi à Castro breuiter explicantur.

MAgna Dei soboles per quam primordia mundi
Facta, cui cælum, totaque terra patet:
Ille Patri similis parque, & cum flamine sacro
Vnus ab æterno perpetuusque Deus:
Humani tandem generis miseratus acerbam
Cladem de sacra est virgine natus homo.
Induit exiguos artus, abiectaque membra
Et quicquid miserum vita caduca tegit.
Deme tamen culpam, nec enim diuina potestas
Omnia quæ reperat labier ipsa potest.
Quin potius licet illa Dei natura perennis
Sanctaque, cum fragili corpore iuncta foret:
Nil tulit indignum sese, sed salua remansit
Sub natura hominis vis quoque summa Dei.
Quid manifesta probent? Cælestes undique tumc
Nascenti Christo Numen inesse probant.
Quid noua de summo radians super æthera cælo
Stella? quid ad cunas Regia thura docent?
Quid Symeon Iustus? quid verba Prophetidis Annæ
Plenaque secretis Carmina dicta piis?
Nonne Deum clamant humili sub veste latentem.
Humanis tandem condoluisse malis?
Quid memorem dotes pueri quem turba sophorum
Expauit? quid iam splendida facta viri?
Vt dederit Cæcis visum, Claudisque repente
Iusserit ingressu liberiore frui?
Vt quoque distinctos lepra mundauerit vtque
Reddiderit mutilis integra membra viris?
Vt multos Sathanæ frendente Tyrannide pressos
Fecerit è sæuo fortis, abire iugo?
Et quod ab obscuri reuocarit faucibus Orci
Defunctos, sola voce sepulchra mouens?
Non fuit vlla lues hominum diffusa per artus,
Quam non syderea pelleret arte Deus.
Quid vesecam iussis fuerit quam subdita tellus
Illius? & cælum, potius, & aura simul?

Equoreas siccis calcauit gressibus vndas
Et rapidi ad nutum conticuere Noti.
Auricomum Phœbo moribundus lumen ademit
Diffidit & rupes, terruit atque solum.
Plura canam, victor superata morte reuixit,
Et subijt cælum regna paterna petens.
Non satis hæc monstrant Christum sub carne caduca
Vim quoque Cælestis continuisse Dei?
Vt tamen in Christo deitas immensa latebat,
Sic quoque fulgebat verus, & vnus homo.
Hoc sitis atque fames centumque pericula vitæ
Denique quam subijt mors violenta probant.
Omnia quæ vates bis bini Lumine sacro
Afflati scriptis explicuere suis.
Matthæus contemptor opum, Marcusque fidelis,
Nobilis, & Lucas arte Machaoniâm.
Quartus Ioannes Christo dilectus, amantit
Virginis, & flammas pectore virgo fouens.
Quatuor hi Christum concordi voce canentes
Testanturque hominem concelebrantque Deum.
Dum tamen humana hudet hic miracula forma,
Ille cupit summi pandere facta Dei:
Non eadem semper narrant, vel dicta, vel acta,
Tempus idem raro, vel loca certa tenent.
Hinc potuit causas aliquis captasse verendi,
Ne dubiam gererent mystica scripta fidem.
Quæ fuit Insandi blasphemia Cæsaris, & qua
Porphyrij quondam tela fuêre senis.
Vnde suos Athei veteresque, nouique tuentur
Errores, aut quo crimina fonte petunt?
Nonne quod in sacris libris diuersa putarent
Scripta, sibi veram subripuisse fidem?
Falso equidem: sed quis malesanæ mentis habenas
Flectere, quo ratio vult bene sana queat?
Ast ne tanta lues per totum serperet orbem
Latius, & Christi perderet omne pecus:
Multi quos pietas, fidei quos alma mouebat
Mundities, medicas applicuêre manus.
Nam quæ bis geminis vates scripsere libellis,
Vnâ, sed variam mente sequente scopum:
Coniunxere simul, certoque sub ordine iuncta
Complexi, dubijs restituêre fidem.
Quos inter fuit ille pius Iansenius olim
Gandensis populi nauta, duxque sacer.

Hic etenim quicquid bis bina volumina vatum
Et quæ Euangelij pagina sancta canit.
Condidit eximia forma, certisq; reuinxit:
Legibus, vt nulli noxa subesse queat.
Ancipites sensus, & non bene iuncta remouit
Verba, locis posuit cunctaque facta suis.
Denique cæruariis si quis de fontibus vnum
Fontem quadrato fecerit esse solo:
Sic bonus ille gregis Christi pecorumque Magister
Vnum è quadruplici carmine fecit opus.
Addidit & lucem præclaraq; lumina rebus
Ne qua foret scriptis pars tenebrosa suis.
Lumina quæ summo studio, vigiliisq; labore
Duxerat è tota nobilitate Patrum.
His quoque coniunxit longo quæ temporis vsu
De tantis rebus dicere doctus erat.
Quantum iudicio, quantum molimine mentis
Assiduo quisquam peruigilare potest:
Difficiles nodos, & vincula cuncta resoluit
Sacra quibus poterant scripta patere dolis.
Magnum opus, & dignum quod sæcula longa per orbem
Latinagum celebrent, & sine fine canant.
Sed tamen his tantum quibus otia multa supersunt
Hic labor, hæc proles vtilis esse potest.
Nam quibus est ratio paucis adhibenda diebus
Horamq; modum clepsydra parca tenet:
Quos vigiles cura exercent, quos grandia rerum
Pondera sollicitis nexibus vsque premunt:
His tua lanseni doctissima scripta profectò
Non faciles fruges, aut sata læta ferent.
Quis non indoleat tam raros arbore magna
Sperari fructus, parcáque poma legi?
Viderat hoc nostro sensu Matthæus acuto
Iuditij tantis indoluit q; malis.
Attamen artis erat non parua demere morbum
Quem nullus merito diceret esse malis.
Repperit hanc artem Matthæus, & ardua quæq;
Vi mentis superans hoc sibi fecit iter.
Omnia quæ fuerant Patrum de fonte petita,
Sustulit, inq; locum tussit abire procul.
Quicquid ad implexas veterum spectare querelas
Vidit, & ad voces, hæc quoque præterijt:
Illa sibi tantum retinens quæ Præsulis arte
Perspicuis fuerant lucida facta notis.

Sic

Sic velut è magno decerpens optima prato
Sat breue, sed magnum pondere fecit opus.
Quo quicunque volet geminam cognoscere Christi
Naturam, & veræ nosce salutis iter;
Vtatur tuò non vlla pericula nexa
Incurret, nullo concidet ipse loco.
Aura leuis nauem sustollet, & æquora læta
Sulcabit nulla rupe vetante viam.
Nam procul hinc absunt Syrtes, diraq; Charibdis
Latrantes spuma, terrificumq; caput.
Ac velut in placido si quis decurrere ponto
Pergat quâ spirant grata Orientis opes: Mare Pacificum
Ille leues campos, & strata virentibus herbis
Æquora se molli scindere puppe putet:
Sic quibus hunc animo campum lustrare libebit
Labetur facili pulsa labore ratis.
Quodq; caput rerum, non tempora multa requirit
Hic labor, exiguas sed petit ille moras.
Nunc igitur partis sudoribus vtere lector
Atq; sacris mentem prolue delicijs.
Carpe manu fruges, & frugibus addito flores
Quas tibi Matthæi dat bene cultus ager.
Dum tamen hos fructus, & diuite colligis agro
Delitias, gratis mixtaque mella fauis:
Fac memor extollas quidquid Lansenius alto
Iudicio insignis protulit ipse tibi.
Et tamen eximijs istas quoque laudibus effer
Quas tibi Matthæus conciliauit opes.
Denique sollicitis precibus cumulabis vtrumque
Et pius ad superos fernida vota feres.
Illum vt iam fato functum cælestibus astris
Inserat, vtque istum sospitet vsque Deus.

Frater. Carolus à Tilia
Tornacensis.

Falempini Canonicus Regularis.

EIVSDEM

Universidad de Deusto
Biblioteca

EIVSDEM AD PASTORES.

Pastores, quicunque gregem quem Christus amauit
Ducitis ad summi pascua sancta Dei.
Huc agedum læti cuneos conuertite vestros
Exigui merces magna laboris erit.
Hic herbæ, salices, Cythisus, & quicquid amarum.
Dulce ve lanigerum pellicit omne pecus.
Non desunt flores quos pandit hymettia tellus
Nec fontis nitidæ luxuriantis aqua.
Aspera (si nescis) sunt & patientia Christi
Et mors, & legum semita stricta nimis.
Dulcia sunt, preclarus amor, promissaque certa
Dictantis leges, magnaque facta Dei.
Quid limphæ nitidæ? sunt Christi sanguis, & ille
Spiritus in flamma purificante Deus.
His teneris plantis, his herbis nulla pericli
Noxa subest, scopulus nullus in amne latet.
Hoc cauit, studioue pio Matthæus abegit
A castro, vt libris, sic pietate cluens.
Pastor, & ipse, pias ductus ducture Phalanges.
Arua per, & castos irrequietus agros:
Has vobis vestroque gregi pia prata coëgit
Exiguum in campum ne qua periret ouis
Ne qua periret ouis, longe dum pabula quærens
Inciditin dumos, tabificasque vepres.
Dicite pro meritis Pastores, det tibi Princeps,
Pastorum post hæc Pastor adire polum.

IN

IN ILLVSTRISSIMVM, ET Reuerendissimum Dominum D. Ludouicum de Barlaymont Archiepiscopum, & ducem Cameracensem, comitem Cameracesij, Sacri Imperij Principem, Administratorem Episcopatus Tornacensis. Anagramma.

Ludouicus de Barlaymont.
ANAGRAMMA.
Ad lumen oculos tibi dura.

Aërias inter volucres, turbasq; volantum
Magnus vt est Aquilis nobilitatis honos:
Sic veteres inter Belgas mihi creda relucet
Barlaimontiadum nobilis illa domus.
Vtq; probat pullos aquila Phœbea lampas,
Congeneresq; animos feruida flamma notat.
Sic belli, pacisq; decus, tum fulgor honorum,
Barlaimontanum comprobat omne genus.
Non vos tergimini fratres quos splendida martis
Munera tam fœlix asseruere manus:
Sed te maiorum decus ô Ludouice tuorum
Illustre, ad cælos carmina nostra ferent.
Tu siquidem sacro iamdudum culmine clarus
Nulla renitenti lumina fronte times.
Non Cameracensis te sol perterruit vnquam,
Vlla nec erutilo sydere flamma micans.
Et nunc exoriens Tornaci gloria luxij
Pontificis, num te territat attonitum?
Nequaquam nec mille locis se clarius Apollo
Immittat radios, vis tua, mentis cadet.
O, res naturam superans diuinaq; virtus
Cui nihil insoliti luminis esse potest.
Quisquis es ad summos quem nobilis ardor honores
Ducit, & ad cælum mens generosa rapit.
Si sapis AD LVMEN *teretes* OCVLOS TIBI DVRA,
Ne inbar immensum te procul abijciat.
Hoc te non frustra secreto nomine Præsul
Barlaimontiadum gloria magna docet.

F. Carolus à Tilia Tornacens. Falempini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

μην ἀπὸ τοῦ ματθαῖ ἀ καστρῶ
ἐξηργαβμένην.

Βόσκε μᾶλλα λόγῳ ματθαῖε μελίῤῥυτε κήρυξ,
Ὡδε βότον παρέχεις, βούβοτε, μηλοβόταις.
Η᾽ματι ἀσχολέων καὶ ἐγρήσσων νυκτὸς ἀμολγῷ
Εἰ δ᾽ἕταρος μοναχοις, βὸσπελάταισι χλέος.
Οὕτως εὐσεβίη, καὶ φυχὴ σου πολύϊδρις
Ἀμφαίνουσι καλῶς δῶμα φαλεμπίνιον.

Εἰς αὐτὸν

Ἄλλος ἔη εὐγύβινος, ἐπεὶ βίος ἀμροτέροισιν
Ὧυτὸς, ἐπισήμη οὐκ ἀνομοία ἐνι.
Θωμοῦ ὕλλυ ἄγγλυ.

IN EPITOMEN IANSENII A Fratre Matthæo à Castro elaboratam.

Bino pascis oues verbo Matthæe diserte,
Regibus hic onium pabula grata paras.
Luce vacans sacris, obscura nocte camœnis,
Pastores decorans es monachis socius.
Sit pietate tua, sic mentis acumine raro
Illustras pulchrè claustra Falempinij.

In eundem.

Astur es Eugubinus, eodem tramite vita
Itis, & æquales vos pia musa facit.

Thomæ Hylli Angli.

Quæ in singulis partibus huiusce Epit. Concordiæ habentur.

Primo, præter pueritiam Christi, continet acta eius à Baptismo, vsque ad secundum Pascha. Acta scilicet vnius anni & aliquot mensium.
Secunda, Acta Christi à secundo Paschate, vsque ad tertium, hoc est, Acta secundi anni prædicationis eius.
Tertia autem complectitur. Acta tertij anni prædicationis Christi, vsque ad resuscitationem Lazari.
Quarta vero & vltima pars continet à resuscitatione Lazari, ea quæ ad Passionem, Resurrectionem & Ascensionem Christi pertinent.

PROOEMIVM EX LVCA.

QVONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa sunt, rerum. sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assequuto omnia, à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, vt cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem.

Quoniã quidẽ multi conati sunt. Conati aliquid vel tẽtare, & aggredi dicuntur, & qui præsumptuosè aliquid moliuntur, id tentantes quod præstare non valent, & qui honestè & bene aliquid pertractant. Euangelista autem hoc verbum in malam accepisse partem, voluisseque notare eos, qui in scribendo Euangelio non præstiterunt quod promiserunt, ex eo apparet quod dicit, *multi conati sint*; Deinde quod hanc dicat causam scribendi à se Euangelij, quod ante ipsum multi id tentassent.

Ordinare, hoc est, in ordinem dispònere. Græcè ἀνατάξασθαι id est contexere. *Quæ in nobis completa sunt.* Græcè est περὶ τῶν πεπληροφορημένων πραγμάτων, id est, rerum certissimæ fidei. Vnde completæ exponi debet, pro eo quòd est, plænè & perfectè creditæ, vel cognitæ sunt à nobis.

Sicut tradiderunt. Videtur hæc pars non referenda ad illud conati sunt ordinare, sed potius ad id, quod mox præcedit; quæ in nobis completæ sunt, vt hac parte ostendat vnde fuerit in ipso rerum à Christo gestarum tam certa fide, ex traditione Apostolorum scilicet, & fide dignorum testium. Porro quòd dicit; *Qui ab initio ipsi viderunt*, videtur intelligendum de initio prædicationis, & miraculorum Christi; nisi intelligamus eum hic notare non tantum Apostolos, sed etiam Christi matrem Mariam.

Ministri fuerunt sermonis. Apud Græcos genitiuus λόγου, id est, sermonis, vel verbi referendus videtur non solum ad nomen ministri, sed etiam ad nomen, pro quo nos legimus verbum videtur. Græca enim sic habent ad verbum: qui ab initio ipsi met inspectores, & ministri fuerunt sermonis; vt sermo vel verbum

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipiatur hic Hebraica phrasi, secundum Erasmum, pro re à Christo, vel circa Christum gesta. Huius enim verbi Apostoli fuerunt, & inspectores. Et ministri, quia cooperatores in multis à Christo facti. *Assecuto omnia a principio diligenter* παρακολουθήσαντι unde est παρακολουθητικὸς significat magis assertari aliquid, & alicui semper adhærere, & adesse. Proinde assecuto hic accipi debet pro suo frequentativo assectato. Illæ autem dictiones, *à principio, diligenter*, non possunt sequentibus coniungi, vt communitet nostri libri distinguût, sed, vt patet ex Græcis coniungi debent cum participio, assecuto. Sensus enim est, visum est mihi, vt postquam omnia à principio sum perquisitigatus, deinde tibi scriberem.

Ex ordine tibi scribere. Græcè est καθεξῆς, quod potius significat deinceps, quam ex ordine. Vnde & in nostra lectione ex ordine, accipi posset pro deinceps, vt nomine ordinis, non intelligatur hic significari ordo narrandorum, sed ordo ille ab Historiographis seruandus, vt prius rerum gestarum diligentem, exactamque inquisitionem faciant, ac deinde ad scribendum animum accommodent.

Optime Theophile. Colligit Theophylactus hunc Theophylum primatem aliquem fuisse, quod magnis viris tribui solet, quemadmodum. *Festo dixit Paulus*, Optime Feste. *Actor. 26.*

Vt cognoscas. Apparet Lucam hoc voluisse vt quoniam diuersa, sibique contraria falsorum Euangelistarum narratio incertitudinem generaret rerum verarum: per hanc scripturam Theophilus agnosceret rerum à Christo gestarum certitudinem.

VERBVM

VERBVM DEI ÆTERNVM, VITA & lux caro factum. *Ioan. 1.*

CAPVT I.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium: vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est: & habitauit in nobis. (Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre) plenum gratia & veritatis.

In principio erat verbum. Cum rerum diuinarum nomenclatura desumatur à nominatione earum rerum quæ sub nostra cadunt cognitione, & ob id appellatio verbi in diuinis desumpta sit à verbo humano, duplex autem sit humanum verbum, mentale scilicet & vocale: Filius Dei non à similitudine verbi vocalis, sed à similitudine verbi mentalis dicitur verbum. Primùm quod sicut verbum mentale, id est, cogitatio mentis, qua sibiipsi mens loquitur, insensibiliter, atque sine passione, & corruptione à mente procedit, estque mentis, atque intelligentiæ à qua procedit perfectissima imago & similitudo: ita & filius Dei imperceptibilem, & ab omni passione liberam à Patre trahit originem, expressissimam ipsius gerens imaginem, & figuram. Deinde quemadmodum mens sibiipsi loquitur per verbum & cogitationem suam, atq; in ea seipsam, & omnia quę sit videt, & agnoscit: ita & in filio sibiipsi Pater loquitur, inque eo, tanquam speculo limpidissimo, & imagine verissima, se omnesque creaturas contemplatur. Præterea quia (vt dicit Theophylactus) sicut mens nequit aliquando esse sine verbo, & cogitatione, & verbum esse non potest nisi à mente: ita & Pater filio semper coæternus fuit, & Filius Patri. Differt autem verbum istud diuinum à verbo mentali humano præter alia etiam in eo, quod verbum mentale hominis ad operandum sit inefficax, verbum autem diuinum efficax, & vt vetbis Trismegisti vtar, natura est generatrix, & opifex & Λογόεργος, *Filius Dei quatenus dicitur verbum. In quo differat istud diuinum à verbo mentali humano.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

δημιουργος, id est, verbum opifex. Proinde etiam ob id Dei filius verbum dicitur quod per ipsum omnia Pater sine omni negotio, quæ vult, quæque in filio facienda videt, facit: quemadmodum si quis Rex omnipotens quidvis suo solo iussu faceret. [Atque hinc Augustinus libr. 83. quæstionum asserit in nomine verbi significari non solum respectum ad Patrem, sed etiam ad illa, quem per Verbum facta sunt operatiua potentia]. Quemadmodum autem verbum mentale fit vocale, dum assumit, & (vt sic dicamus) induit sibi vocem & sonum, ac tum mentem hominis etiam aliis notam facit: ita & verbum hoc diuinum ab æterna mente ab æterno procedens per assumptionem carnis sensibile factum est, Patremque ipsum, & ea quę Patris sunt mundo manifestare cœpit, vt iam etiam verbum dici possit à similitudine verbi vocalis. Notandum autem non simpliciter eum dixisse, *In principio erat* λόγος, sed cum articulo, qui hic emphasi non caret ὁ λόγος, id est, illud verbum: quo intelligatur eum notasse verbum illud vnicum, & singulare, diuinum scilicet, de quo in veteris Testamenti scripturis omnia dicuntur à Deo facta, & de quo pleraque Philosophi ante scripsissent. Rectius autem, erat, dictum est *In principio erat*, quàm fuit. Præteritum enim perfectum ita significat tempus præteritum, vt non simul significet rem quæ dicitur fuisse, adhuc permanere in illa duratione, de qua est sermo. Præteritum verò imperfectum, fic significat tempus præteritum, vt & simul significet rei perseuerantiam, & existentiam. Proinde dum dicitur verbum erat in principio: significatur verbum præcessisse principium illud, & tamen cũ ipso principio perseuerasse. Itaque hic significatur etiam ipsius verbi eternitas, non quidem per illam orationem solam *In principio*; cum & de cælo, & terra dictum sit. In principio creauit Deus cælum, & terram; Neque per solum verbum erat: sed quia verbum erat, coniungitur illi, *In principio*: idque siue in principio exponatur secundum Augustinum pro, ante omnia (nam si ante omnia, quæ facta & creata sunt erat verbum, nunquam verbum factum est, ac proinde æternum est) siue, *In principio* exponatur, in primordio mundi, & omnium rerum conditarum. Ex eo enim quod in hoc principio erat verbum, recte infertur nunquam incepisse eius durationem & esse. Si enim incæpisset, ergo esse ipsius non præcessisset principium durationis, & omnium rerum conditarum: quod tamen, vt dictum est, verbum (erat) significat.

In principio.

[Subtiliter autem Ioannes inde auspicatus est Euãgelium suum vnde Moyses Genesin, dicens: In principio erat verbũ, sicut ille In principio creauit Deus, &c. volẽs significare quod in eo principio quo Moyses creatũ dicit cælum & terram verbũ hoc non sic inter alia creatum, sed illis per creationem incipientibus ipsum iam ve raciter erat, & inuariabiliter persistebat.]

Et

Et verbum erat apud Deum. Præcedenti parte ostendit quando erat verbum, hac vero parte vbi erat. Quoniam enim dicere quis poterat, Si in principio & ante, omnia erat verbum ab æterno: vbi ergo erat cũ adhuc nihil esset, cunque nullus esset locus? Propter ea subiecit, & verbum erat apud Deum: significans illud loco nõ circunscriptum fuisse, sicut Deus incircunscriptibilis est. Occurrit autem hac oratione & alteri dubitationi, qua opinari quis posset verbum illud, quod in principio fuisse dixit, esse quoddam accidens non per se subsistens, quale est verbum nostrum siue mentale siue vocale. Propter hoc ergo non dixit; Verbum erat in Deo, sed apud Deum; vt subsistentiam verbi significaret. Quod enim per se non existit, propriè apud aliud esse non dicitur, sed in eo. [Præterquam autem quod Euangelista per præpositionem, Apud, duabus his satisfacit dubitationibus, eadem præpositio adhuc tria hic designat; primum distinctionem personalem verbi à Deo Patre, deinde socialis & amica coniunctio verbi cum Deo Patre significatur, tertio quædam in Patre erga filium auctoritas, verbumque hoc Dei Patris tanquam proloquentis esse verbum.] Itaq; his paucissimis verbis significatur verbum hoc habere Deum Patrẽ auctorem, atque ab eo procedere sic, vt per se subsistat, atque ab eo secundum personam distinguatur, nunquam tamen ab eo diuulsum sit, & separatum; cumq; eo ante mundi principium nullo loco circunscriptum exiterit. Notãdum autem hoc loco rursum addi articulum non solum dictioni verbum, sed etiam dictioni Deus: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν. Et verbo quidem additur, vt illud vnicum verbum intelligamus, de quo prius dixerat: Deo vero, vt verè Deum, & non aliquem qui vel nomine solo, vel participatione Deus dicitur, accipiamus, siue vt certam in diuinitate personam nempe Patrem intelligeremus.

Cyrillus Chrysost. Hilarius libr. 2. de Trinit.

Et Deus erat Verbum. Cum prius & quando, & vbi erat Verbum explicauerit: nunc quidditatem eius explicat & essentiam. Cumque prima parte æternitatem Verbi secunda personalem eius à Patre distinctionem significauerit: hac tertia parte necessariò identitatem naturæ ipsius cum Patre significauit; ne ex secunda parte ita à Deo Patre distinctum intelligeretur verbum, quasi & natura illi sit diuersa, & Deus esse non crederetur: cum & vnus sit Deus, & apud Deum Verbum fuisse dictum sit. Debet autem in hac oratione præconstrui dictio Verbum, vt sit hic sensus: & Verbum illud, quod dixi, erat Deus: qui sensus in Græco manifestius deprehenditur, vbi nomine Deus iam non apponitur articulus, sed tantum nomini Verbum καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, id est, Et Deus erat illud Verbum. Quod autem hoc loco articulum nõ apposuerit, coactus fecit. Si enim vtrobique addidisset articulum dicens καὶ ὁ θεὸς ἦν ὁ λόγος iam cõfudisset personarũ proprietates. Sensus enim fuisset,

Et ille Deus apud quem dixi esse Verbum, erat illud ipsum Verbum, vel ipsum verbum, erat ille ipse Deus Pater, apud quem dixi esse Verbum. Quod si autem nomini Deus addidisset articulum, & non Verbo, duo significasset verba, ac sensus fuisset, & ipse Deus, nempe Pater, erat & ipse verbum quoddam. & si non idem quod filius. Nunc quoniam Verbo addidit articulū, & non Deo, Christianam expressit sententiam: sic vt alio detorqueri nequeat, nimirum hanc. Et verbum illud, quod modo dixi, erat Deus, i. particeps diuinæ naturæ. [Sicut enim dum significare volo hominem esse speciem animalis, dicere non possum ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ τὸ ζῶον. i. ipse homo est ipsum animal: sed ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ ζῶον. i. ipse homo est animal: ita dum Euangelista significare voluit Verbum istud cum Patre in diuinitate communicare, necessario omittere debuit articulum.]

Hoc erat in principio apud Deum. Ne intelligeremus tria hæc ante dicta sigillatim esse vera, & non simul eidem competere Verbo; ad excludendum omnes cauillationes istud subiecit: per Epilogum superiora omnia recolligendo, & demonstrando ea simul esse vera, & est sensus: Hoc nempe Verbum, quod dico esse Deum, hoc inquam & non aliud erat in principio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt. Postquam superius de Verbo loquutus est contidetato in seipso, & per comparationē ad Deum Patrem, explicans ipsius æternitatem, distinctionem personalem à Patre, & diuinitatem cum eodem communem: nunc ostendit quomodo se idem Verbum habeat respectu creaturarū. Et prius quidem ostendit quomodo se habeat ad omnes creaturas, deinde vero quomodo se habeat ad eos, qui inter creaturas præcipui sunt, homines scilicet. Itaque per ipsum Verbū facta dixit esse omnia, quæ scilicet creata sunt, vel facta. Sic enim distributione vt vocāt, accommoda necesse est istud intelligere, ne & ipse Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus per Verbum factus intelligatur. Intelligendum autem omnia per Verbum facta esse à Patre: tum quia omnia Pater fecit per suam sapientiam & potentiam (quæ duo
1. Cor. 1. Verbo Dei appropriantur. Christum enim Paulus vocat Dei virtutem, & Dei sapientiam) tum quia omnia sic Pater cum filio, cōmuniter fecit, vt tamen virtutem operandi sicut & essentiam Filius à Patre acceperit [Postremo etiam ideo per Verbum omnia facta dicuntur: quod ipsum quatenus Verbum & Sapientia dicitur; causa est exemplaris rerum factarum, non quidem ex parte operantis Patris, sed tantum ex parte rerum factarum.]

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat. Verba hæc duplicem habent distinctionem. Quidam enim sic distinguunt; Et sine ipso factum est nihil. vt deinde noua sequatur sententia; quod factum est in ipso vita erat. Atque hanc distinctionē

ferè Latini sequuntur Interpretes, & cum eis Cyrillus Græcus. Sed longè simplicior & facilior est distinctio Chrysostomi, & omniū pene Græcorum, qua quod factum est, præcedenti, illud vero, in ipso sequenti iungitur hoc modo; Et sine ipso factum est nihil quod factum est, vt puncto hic interposito deinde sequatur. In ipso vita erat. Constat necessario hæc sic debere accipi negatiue, vt sit sensus; nullam omnino esse rem quæ sine Verbo facta sit. Huic autem sensui id vnum obstare videtur, quod hæc pars superflua videbitur, cum id quod ea significatur satis præcedenti oratione explicatum sit, qua dictum est, omnia per ipsum facta sunt. Dicendum itaque adiunctam esse hanc partem primum, vt quod prius dictum est fortius confirmaret, ne omnino aliquid putaretur non esse complexus dicendo omnia. Siquidē intelligere aliqui potuissent tantum visibilia illa, quæ Moyses facta scribit ipsum complexum fuisse; aut res noxias non esse complexum, quas quidam non à vero Deo, sed à diabolo factas asseruerunt. Deinde & ideo hanc adiecit partem, vt explicaret illud quod dixit per ipsum. Ne enim ex ea locutione quis Filium Patre minorem intelligeret & à Patre per Filium tanquam seruum omnia esse facta, subiunxit præpositionem denotantem societatem Filij cum Patre in creando mundum: vt vel sic occurreret prauæ intelligentiæ, quæ ex prioribus nasci poterat verbis. Dicendo enim sine ipso nihil esse factum: significat cum ipso à Patre omnia esse facta. [Iam & ipsa Græca, quæ non habent ὑπὸ sed διὰ ut magis expostulant. vt illud, quod factum est, cum præcedentibus iungatur, quemadmodum hodie Græci codices distinguunt & Theophil. & Chrysostomus. Secundum quam distinctionem hæc pars, & sine ipso. &c. præter dictas rationes ideo apposita est, vt ostenderet per illud (omnia) creata solum accipi debere, ne quis Patrem, vel Spiritum sanctum, vt dixerunt Macedoniani, intelligeret per Verbum factum esse. Sic & Paulus explicans pro quibus distribuat (omnia) 1. Cor. 15.
cum dicitur de Filio: Omnia subiecit sub pedibus eius, sine dubio, inquit, præter eum qui sibi subiecit omnia.] Indicat autem Ioannes, per hoc quod adiecit (quod factum est) esse aliquid præter Patrem & Verbum, quod non sit factum, nempe Spiritum sanctum. Nam ad excludendum Patrem, aut Filiū ab illo vniuersali (omnia) non omnino opus erat addere, quod factum est. Quis enim audiens per Filium à Patre omnia esse facta: non intelligeret ab omnibus excludi Patrem, & Filium facientem. Proinde hoc loco refellitur non tantum Manicheorum error, sed & Macedemonorum.

In ipso (Verbo) Vita erat, hoc est verbum ex sua natura viram habebat, eratque vita ipsa ex sua natura, ac proinde non nisi ex hac fontali vita acceperunt suam vitam quæcunque viuunt, aut vn-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam vixerunt. Proinde cum dicitur in verbo fuisse vitam: non debet intelligi vita à verbo diuersa, aut vitam illi infuisse sicut accidens in suo subiecto, quomodo in nobis dicitur esse vita: cum in Deo non sit aliud essentia eius, & accidens quoduis. Neque rursum simpliciter intelligendum. In verbo fuisse vitam, quia ei competit vita: sed quod ex sua natura sit vita. Quomodo postea dicturus est; Sicut Pater habet vitam in se manentem; sic dedit & Filio habere vitam in se manentem.

Et Vita erat lux hominum. Vitam, quæ est verbum, dicit esse lucem hominum: vt ostenderet se loqui de luce non sensibili; quæ non homiuum solum est, sed & brutorum; verum spirituali, quæ propriè hominum, quatenus homo est, hoc est, secundum partem intellectiuam conuenit. Hominum autem potius dicit lucem quam Angelorum, vt per ea quę nobis sunt nota, lucem illam nobis manifestaret. Dicens tamen esse Lucem hominum, indicat multo magis esse Lucem Angelorum. Si enim homo infimus inter creaturas rationales à verbo illuminatur, & suprema lux est infimi intellectus lux: multo magis est lux intellectum superiorum mediorum. Et non dixit lux Iudeorum, aut lux Iustorum, sed lux hominum, omnium scilicet: vt intelligeremus vitam vocari lucem, non quia per legem à Moyse datam, aut per gratię suę inspirationem quosdam illuminauit: sed ratione luminis naturalis, quod omnibus hominibus insudit. Lux enim aliquorum dicitur id, quod eos illuminat. Ita lux hominũ verbum dicitur, quod eos illuminet. Illuminat autem, quia rationem & intellectum omnibus dat, quo honestum ab inhonesto, verumque à falso discernere valeant. Cum enim in corporalibus rebus id lumen dicamus, in quo aliquid videmus: recte per translationem à corporalibus ad spiritualia lumen dicitur mens ipsa, & ratio, visque illa discernendi verum, & falsum sicut & ipsum videre ad intellectum trasfert.

Cur lux hominum potius, quàm Angelorum.

Cur non lux Iudaeorum, aut Iustorum

Et lux in tenebris lucet, tum quia lumine naturali etiam peccatoribus ipse ipso dat eis ex rebus visibilibus inuisibilia Dei cognoscere, quemadmodum testatur Paulus, tum quia occultis gratiæ suæ inspirationibus, iustorumque prædicationibus, & aliis mediis plerósque semper peccatores in cognitione Dei, quantum in se est, illuminare voluit. Verum *tenebræ*, hoc est tenebrosæ mentes lucem hanc *non comprehenderunt* intellectu suo, hoc est, non intellexerunt eamque vel ob id quod in rebus vanis & perituris huius mundi bonis oculos mentis semper haberent intentos & affectũ affixum, oculos suos ad lucem illuminantem eos claudentes, vel quod ingenij sui acumine confusi, ad veritatis diuinæ cognitionem peruenire contenderent. Quia enim, inquit Paulus, cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt,

Roman. 1.

Roman 1.

egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, &c. Secundũ prædictam autem expositionem quod hic dicitur de illuminatione luceis, intelligitur non solum de illuminatione, quæ fit per infusum lumen naturale, sed etiam de ea, quæ fit per inspirationem Dei gratuitam: quod quidem aptè conuenit sequentibus, in quibus de ea cognitione lucis huius agitur, quæ sine inspiratione Dei gratuita accipi non potest. Iam quod dicitur Tenebræ eam non comprehenderunt, de tenebris accipi debet quãdiu tenebræ fuerunt. Aut sic accipienda oratio, vt significetur pleraſque tenebras lucem non comprehendisse, non autem omnino nullas, sicut intelligitur, quod postea dicitur: Mundus eum non cognouit, & sui eum non receperunt. Cum autem semper alioqui verbis vtatur præteritis, per præsens dicit lux lucet in tenebris, vt significaret perpetuò & indesinenter lucem hanc lucere à principio mundi vsque in hunc diem.

Fuit homo missus à Deo; Posteaquam superius dictum est de iis, quæ ad diuinitatem verbi spectant, Euangelista iam de verbi incarnatione dicturus sermonem de præcursore interserit. Quoniam enim verbum in sua diuinitate solum consistens quamuis in tenebris luceret, à tenebris tamen non est comprehensum, neque cognitum: ob id carnem induit, in qua luceret, & mundo manifestius innotesceret. Vt autem etiam in carne veniens agnosceretur, premissus est Ioannes Baptista, qui parta sibi apud omnes summa per eminentissimam vitæ sanctimoniam auctoritate testimonium ferret de hoc lumine incognito, & carne velato. Ex quibus constat quàm conuenienter hic sermo de Ioanne, & Christi incarnatione superioribus subiunctus sit. [Aduertendum autem admonet Cyrillus quam idonea vtatur Euangelista oratione cum de Ioanne loqui incipit. Nam cum de verbo loqueretur vsus est verbo (erat) vt æternitatem eius ostenderet, & vltra omne temporis principiũ esse significaret. De beato autem Baptista congruè nimium, vt de mortali homine, atque creato fuit, exclamat.]

Neque contentus Euangelista horum verborum diuersitate, nempe fuit, & erat separare verbum Dei à Ioanne tutissimè adiecit, *homo*, idque sine articulo: tum vt hac nomenclatura, & nota distingueret ipsum à Filio Dei, quem Verbum, Deum, Vitam, & Lucem appellauit, quique homo est cum articulo, hoc est insignis, & omnes excellens, tum vt temeritatem nonnullorum euerteret teste etiam Cyrillo. Iam enim rumores fuerant non natura hominem, sed de numero sanctorum Angelorum Baptistam fuisse, ac humano corpore vsum prædicasse. Quod inde affirmabant, quia dictum est Malach. 3. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciẽ tuam, qui præparabit viam tuam ante te, ignorantes nomen Angeli ministerium magis, quam substantiam significare. Angelus enim

Baptistã à nonnullis Angelum existimatum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim Ioannes dictus est, non quia natura Angelus esset, sed quia ad nunciandum venit. Atque ob id etiam rectè subiecit, *missus à Deo*, tum vt ostenderet eum ratione officij sui Angelum dictum, tum ne alicui leue videretur testimonium eius, quem prius solum hominem vocauit, idque sine articulo, & à pseudoprophetis eum separaret, qui à Deo missi non fuerunt. Quando autem missus sit scribit Lucas, scilicet anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris. Sed modus quo missus est incertus est, an scilicet visibili apparitione, an sola interna instructione, & destinatione. Cæterum, vt explicaret quis sit homo, de quo loquitur, adiecit; *cui nomen erat Ioannes*, vel, vt habent Græca, nomen illi Ioannes. Nomen certè non vulgare, nec casu impositum, sed diuinitus inditum. Atque ob id missum hunc à Deo hominem nomine hoc suo notum facere voluit Euangelista secundum Cyrillum, vt ipso nomine, quod ex luce narratione constat esse diuinum hominis huius auctoritatem magis attolleret. Quoniam autem varijs de causis vel homines, vel Angeli à Deo mittuntur: speciale missionis eius officium explicat, dicens: *Hic venit in testimonium*, hoc est, vt testaretur, aut vt esset testis; quasi dicat; non venit vt esset lux mundi, neque vt mundum hunc redimeret: sed tantum & esset testis. Et quoniam diuersarum rerum sunt testimonia diuersa, explicat in cuius rei testimonium missus fuerit; Vt inquit, *testimonium perhiberet de Lumine*. Hoc est vt testaretur Christum solum esse vnde omnes lumen, & notitiam veri Dei accipiant. [Hoc autem dicens significat & Ioannem habuisse certam, claramque notitiam huius lucis (alioquin enim non venisset idoneus testis, nam quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur) & alijs ignotam fuisse lucem illam, alioqui enim non opus fuisset eius testimonio]. Ne autem quis existimaret Lucem hanc testimonio ipsius eguisse, qua si aliqua ex parte deficientem, adiecit; *Vt omnes crederent per illum*, indicans ob incredulitatem, & cæcitatem aliorum testimonium ipsius fuisse necessarium [Et bene quidem crederent dicit, & nō dicit, vt omnes cognoscerent, vel scirent hanc lucem per ipsum. Aptè enim testimonio respondet fides, neque aliud quam fidem rei, testimonium facere potest. Nam scientia, & euidens rei cognitio, non testimonio, sed demonstrationi, & euidentiæ innititur. Deinde quia non potest a nobis Lux ista in hac vita sciri, aut clarè videri, sed sola fide percipi]. Porro quod dicitur per ipsum: Caietanus ad lumen, reliqui omnes doctores ad Ioannem referunt, & melius quidem; quod huic Euangelistæ sit familiare dicere fideles credere in Christum, non per Christum, quem sensum & hic voluisse significare satis ipsa verborum consequentia docet. Quod autem dicit, vt omnes crederent, intelligi potest accommoda distributione, de omnibus testimonium eius audientibus, nempe

Quando missus Ioannes.

Modus quo missus.

Non n.

Causa missionis.

nempe Iudæis. Tamen cum per eos qui ex Iudæis testimonio Ioānis credidissent fides ad Gentes propaganda erat, vt iam propagata est, simpliciter de omnibus accipi potest. Venit enim Ioannes, vt suo testimonio primùm quidem crederent omnes Iudæi, ac deinde per Iudæos crederent etiam omnes Gentes, ac proinde venit vt per ipsum omnes crederent. Iam quod non omnes crediderint, non culpa est testificantis Ioannis; sed per auditorum duritiam id factum est: quemadmodum soli non est imputandum, quod eos non illuminat, qui oculos suos volentes claudunt. Quemadmodum enim sol in hoc lucet, vt quantum in se est omnes illuminet: ita ad hoc missus est Ioannes, & testificatus est, vt quantum in ipso erat, omnes per ipsum crederent. Itaque dicendo vt omnes crederent, non vult significare fructum ex Ioannis testificatione consequendum: sed finem à Deo intentum voluntate antecedente (sicut dicit Apostolus: Deus vult omnes homines saluos fieri) & sufficientiam testificationis Ioannis, vt per eam omnes crederent si vellent. *1. Timot. 2*

Non erat ille lux. Istud adiecit Euangelista, vt ostendat quanta sit inter verbum Dei, & Ioannem differentia: & eorum refutaret opinionem, qui Ioannem putauerunt esse Messiam. Non contrariatur autem huic, quod Dominus Apostolis, dixit: vos estis lux mūdi, & de Ioanne; Ille erat lucerna ardens, & lucens. Non enim negatur simpliciter Ioannem fuisse lucem: sed dicitur non fuisse lux cū articulo, hoc est, summa, & prima Lux, quæque per naturā, & nō per participationem lux est, quemadmodū annotarunt Chrysost. & Theophil. Nam apud Græcos est ἦν ὁ ἄνθρωπος τὸ φῶς. [Deinde etiam neglecto articulo propriè dictum est de Ioanne. Non erat ille lux. Nam, vt etiam annotauit Cyrilius, sicut creatura quæ doctiorem, sapientioremque alium reddit, non est ipsa Sapientia: sic creatura, quæ alios illuminat, non est ipsa propriè lux, sed lucem habens, luciſque quæ in ea est ministra. Deus verò cum simplicissimus sit, omnique compositione carens, sicut est ipsamet sua Sapientia, ita est & ipsamet lux. Lucis tamen nomen etiā creaturis ratione participationis impropriè tribuitur Dei dignatione sicut & nomen Dei, & filij Dei]. Ad excludendum autem omnem dubitationem, & explicandum apertius quomodo Ioannem dixerit non fuisse lucem, subiicit; *Erat lux vera*, significās Ioannem lucem veram dici non posse, etiam si quadam ratione lux dici possit. Notandum autem hic apud Græcos duplicem poni articulum ὁ τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν vt ostendat per τὸ ἀληθινὸν quid intellexerit per τὸ φῶς, & quare nomini φῶς articulum addiderit. Itaque sensus est, Is erat lux illa de qua loquor, nempe lux vera, qui illuminat, &c. Cum autem hic dicit veram lucem quamuis accipi posset verū vt opponatur falso, & figurali. [Ad distinguēdum

hanc

hanc lucem de qua loquitur, tum à luce, quam se habere Philosophi iactabant, quæ erat lux falsa, tum à luce quàm se Iudæi habere per legem gloriabantur. quæ erat lux figuralis: tamen ex intētione Euangelistæ magis est, vt verum opponatur ei, quod tantum participans est, & lux vera sit lux naturalis: sicut filius verus, filius non per adoptionem, sed naturalis. Pergit autem explicare Euangelista quæ lux sit cum articulo, & lux illa vera dum dicit; *Qua illuminat omnem hominem, &c.* Sicut enim id solum verè est, à quo omnia suum esse participant: ita id solum est vera lux, à quo omnes creaturę rationales illuminantur, neque potest id ab alio illuminari, quod omnia illuminat: ac proinde per naturam suam, & non per participationem debet esse lux, quæ omnia illuminat. Iā quod cum his verbis pugnare videtur quod multi in tenebris maneant, ac proinde non omnes ab hac luce illuminentur: variè solvitur secundum diuersorum diuersas interpretationes. Cyrillus enim lucem hanc intelligit illuminare omnem hominem ratione luminis naturalis hoc est, rationis & intellectus, quem simul cum Anima infundit omnibus hominibus. Illuminat itaque (vt ipse ait) creatiuè, non docendo, vt homines, & Angeli, sed potius creādo, vt Deus, & vnicuique semen Sapientiæ, & intelligendi radices inserendo. Secundum quàm intelligentiam iam manifestum est quare addatur venientem in mundum, nimirum vt per ea verba indicet, quando lux hæc hominem illuminet, dum scilicet nascitur in mundo. Quod si autem intelligere quis velit de illuminatione gratuita superaddita lumine naturali: iam intelligendum est, vel sicut interpretatur Chrysostomus; Illuminat omnem hominem quantum in se est, vel sicut intelligit Rupertus. Illuminat omnem hominem, quia nullus est, qui sine eo illuminatur, sicut in Psalmo dicitur Dominus erigere omnes elisos, & alleuare omnes qui corruunt, quia scilicet nemo erigitur nisi ab ipso. Secundum has autem expositiones adiunctum est, venientem in hunc mundum, tum ad maiorem commēdationem Lucis huius, vt quæ non homines solum quosdam in vno mundi angulo consistentes illuminet, vt Ioannes Baptista, sed omnem omnino hominem in quacunque totius mundi parte degentem, tum ad ostendendū (vt indicat Augustinus) quare homo indiget ab hac Luce illuminare, nimirum quia venit in hunc mundum tenebrosum scilicet, & caliginosum. [Ex quibus verbis patet Augustinū vim facere in eo quod dicitur hunc mundum intelligereque mundū hūc inferiorem à paradiso, & cælo distinctum. Verum notandū Græca non habere pronomen hunc, sed τὸν κόσμον, id est, in mundum cum articulo, loco cuius frequenter vertit interpres, pronomen demonstratiuum quod proinde accipitur, non vt distinguat vnum mundum ab alio, sed simpliciter demonstret vniuersam hanc

Quomodo lux ista illuminet omnem hominem cum multi in tenebris maneant.

hanc mundi machinam. Proinde venire in mundū non est aliud quàm nasci in mundo. Dictum est autem secundum Thomā potius venientem in mundum, quam nascentem in mundo, ad indicandum quod Anima secundum quam homo illuminatur, venit ab intrinseco, hoc est, non ab eductione de potentia materię, sicut animæ reliquorum animalium, sed à simplici emanatione Dei, qui creando eam corpori infundit.]

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Ostendit modo quare necesse fuerit vt Ioannes testimonium ferret de Lumine, simulque occurrit tacitę obiectioni, qua dicere quis posset: Si Vera lux illud Lux est, & illuminat omnem hominē: quid opus erat Luci, rei scilicet per sese clarissimè testimonio; quare etiam tā lon gis temporum spatiis Lux ista ignorata est? Sequitur enim potius quoniam ignorata est, nec ab ipsa mundum illuminari nec ipsam Lucem esse. Hoc itaque ne quis obiiciat ostendit non imputandū Verbo ignorantiam sui, sed cæcitati, & peruersitati hominum, atque ob id etiam opus fuisse testimonio cuiusdam autoritate insignis, & à Deo ad hoc missi. Erat enim (inquit) ab initio semper in mundo præsens vbique secundum diuinitatem suam, & propterea mundus etiam per ipsum factus est, vnde ex creaturis agnosci debuisset: & tamen mundus eum non cognouit. Quoniam ergo vbique existens per diuinitatem, & per creaturas suas sese insinuans non est agnitus: venit per assumptam humanitatem in propria, & nec sic etiā proprij eum receperunt per fidem. Vides itaq; non ipsum culpandum esse quod incognitus fuerit, sed hominum tantum tarditatem & obtenebrationem; vides & quare illi opus fuerit Ioannis testimonio. Vt autem efficacissimè coarguat mundi cæcitatem, postquam dixit Lucem hanc illuminare omnem hominem, deinde illa duo subijcit, in mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Quoniam enim illuminat omnem hominem, dicere nemo potest Lucem hanc ob id incognitam fuisse, quod vel radios suos ab hominibus subtraxerit, vel per imbecillitatem ad homines vsque pertingere non valuerit. Quia vero in mundo semper fuisse dicitur; dici non potest quod propter Lucis absentiam ignorata sit. Cum autem etiam per ipsum mundum factum esse adiicit: ostendit non posse imputari inuisibilitati & occultationi Lucis huius ignorationem illius. A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterat creator eorum videri; &, Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Cognosci ergo debebat; tum quia illuminat omnes, tum quia in mūdo vbique præsens erat, tum quia per ipsum mundus factus est: & tamen mundus eum non cognouit. Porro quod dicit in mundo Verbum fuisse, non est intelligendum in mundo fuisse quasi in mundo cō clusum, aut quasi mundi pars: sed tum quia per diuinitatem suam

Ioannes testimonium illud Lux est, & illuminat omnem hominē: quid opus erat Luci, rei scilicet per sese clarissimè testimonio; quare etiam tā lon gis temporum spatiis Lux ista ignorata est?

Sapien. 13

Rom. 1.

In mundo erat, & mundus eum non cognouit. Porro quod dicit in mundo Verbum fuisse, non est intelligendum in mundo fuisse quasi in mundo cō clusum, aut quasi mundi pars: sed tum quia per diuinitatem suam verbum.

vbi-

vbique erat, tum propter prouidentiam, & conseruatiuam eius vim, qua omnia facta conseruat. Accipitur autem dictio mundus hic æquiuoce: prioribus enim duobus locis accipitur pro tota hac machina visibili, tertio vero loco pro hominibus deditis mundo. id est, rebus huius seculi Relatiuum autem (eum) masculini generis, non habet ad quod secundum vocem referatur (neque enim ad verbum, neque ad lumen, vel lucem referri potest secundum vocem) proinde oportet intelligere relationem secundum rem; ni si velimus referre ad nomen Deus, dum dictum est, & Deus erat verbum. Quoniam enim Interpres inuenit relatiuum masculinum, ὃν τρόπον, vertit etiam masculinum: non aduertens illud ad præcedentia nomina non posse apud nos referri sicut apud Græcos, apud quos refertur ad nomen λογὸς masculinum. Quod autem sequitur.

Mundus æquinoce accipitur.

In propria Venit, &c. ex eo quod mox subiicitur; quotquot autē receperunt eum, &c. colligimus non posse vniuersaliter accipi, sed indefinitè, quodque per suos, & per propria potius totam hanc mundi machinam, & vniuersos homines ab eo conditos quā Iudæos intelligere debeamus.

Quotquot autem receperunt eum, &c. Ostendit incredulorū suam maiā impietatem dum dixit, sui eum non receperunt: modo ostē dit credentium, & recipientium vtilitatem, & dignitatem, quam credendo consecuti sunt. Et primùm quidem dicens quotquot, significat in fidei gratia nullam esse vel sexus, vel ætatis, vel conditionis, vel nationis discretionem, sed siue pueri, siue senes, siue fœmina, siue liberi, siue Iudæi, siue Græci sint, qui eum receperint, eundem ex sua fide consequi fructum.

Dedit eis potestatem Filios Dei fieri: Magnam difficultatem ingerunt hæc verba, proinde annotanda diligenter Græca, quæ habent ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα θεοῦ γενέσθαι. Porro dictio ἐξουσία nō significat solum potestatem, vel facultatem alicuius rei faciendæ vel acquirendæ: sed etiam autoritatem, dignitatem, & ius. Deinde verbum γίνεσθαι non tantum per fieri, sed & per esse verti potest. vt iam hic sit sensus: dedit eis eam auctoritatem, ius, & dignitatē, vt sint Dei filij. Proinde nomen potestatis hic accipitur quemadmodum frequenter pro dignitate, & præeminentia, vt omnis anima potestatibus subdita sit, &c. Non est potestas nisi à Deo. Et est sensus nostræ literæ, dedit eis hanc excellentiam, & dignitatem, vt fiant filij Dei, non quidem posteaquam eum receperunt, sed eo ipso, quo eum recipiunt. Vt autem explicaret qui sint, qui eum recipiant, adiecit.

ἐξουσία quid.

Rom. 13.

Et is qui credunt in nomine eius, vel vt habent Græca, in nomen eius. Hoc est ergo recipere eum, non quidem recipere eum in domum suam, sed credere in nomen eius, hoc est in ipsum credere.

Post-

Postquam autem exposuit qui sint qui eum receperunt: exponit iam etiam quod dixit recipientibus eum datam eam dignitatem, vt fiant, & sint filij Dei comparationemque facit carnalis, & diuinæ generationis: non absurde nobis in memoriā reducens carnales partus, vt agnita vilitate & humilitate carnalis generationis, é contrario diuinæ generationis dignitatem cognosceremus. Dicit. ergo.

Qui non ex sanguinibus. Per tres istas partes ex sanguinibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri designate carnalem hominis generationem satis conuenit inter omnes Interpretes: & sensus erit, fidelium regenerationem non esse talem, qualis est omnium hominum generatio, cuius si materiam attendas sanguis est vnde generantur, si causam impellentem deprehendetur esse concupiscētia mulieris & viri. [Ideo autem secundum Theophyl. Dicit neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; & non; neque voluntate carnis, & viri: siue quia aliquando filius nascitur ex desiderio mulieris, sicut Samuel ex Anna, aliquando vero ex desiderio viri principaliter: siue quod aliquando ad libidinem mulier sit procliuior, aliquando vero vir]. Cōsiderari autem potest & hoc, quod cum Scriptura carnale aliquid vult significare, per sanguinem & carnem id solet significare, vt patet in illis, Caro & sanguis non reuelauit tibi. Caro, & sanguis regnum dei non possidebunt, Non acquieui carni & sanguini, & sic de aliis: [Ita & hic accipi potest sanguini iunxisse carnem, vt significaret generationem hominum communem plane carnalem esse siue materiā species, siue causam impellentem, addidisse autem neque ex voluntate viri, vt ostenderet quod vt omittamus eam esse carnalem tamen humana sit. Quorundam enim hominum generatio videtur neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri neque ex sanguinibus fuisse, vt generatio Isaac. Siquidem desierant Satræ fieri muliebria]. Sanguini ergo, carni; & viro Deum opponit, indicans ex contrario regenerationem credentium spiritualem esse, & diuinam. Ex his patet hoc loco præpositionem ex non eodem semper accipi modo. Nam primo loco denotat causam materialem, alijs vero locis causam efficientem.

Matth. 16. 1. Cor. 15. Galat. 1.

[Perpendenda autem hic maxima Filij Dei erga credentes in ipsum benignitas. Cum enim vnicus esset Dei filius, & proprium sibi esset esse per naturam filium Dei, dedit etiam recipientibus ipsum per fidem eam præeminētiam vt sint per adoptionem & ipsi Filij Dei, & Fratres sui, eiusdem cum ipso hæreditatis compartices. Quod si forte quis dixerit, quid maius Christi fideles quam Israelitæ cōsecuti sunt, nam & illi Filij Dei in scripturis dicti sunt: aduertere is debet magnum sane esse inter credentes & ipsos discrimen. Illi siquidem solùm ob id Dei filij dicti sunt, quod patet nā

Israelitæ quamuis Filij Dei dicti sunt & qua re differāt à credentibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta eos cura prosequeretur, multisque eos beneficiis præ aliis gentibus donaret, & terram illam suam illis in hæreditatem dedisset. Credẽtes vero filij Dei dicũtur, & sunt eo quod per fidẽ & baptisma spiritum libertatis, & vnigeniti filij Dei acceperint, per quem diuinæ participes facti sunt naturæ clamantes in illo Abba Pater. Itaque hi ex Deo nati dicuntur, cum illi simpliciter filij Dei dicantur, nõ autẽ ex eo geniti. Nec dicti sunt illi filij Dei quod secũdum veritatem tales essent, cum non acceperint spiritum seruitutis in timore, sed vt annotarunt Cyrillus & post eum Theophylhanc quæstionẽ pertractantes, filij Dei dicti sunt in typo, & figura credentium, quemadmodũ omnia alia illis in figura contigerũt.]

Et verbum caro factum est. Quoniam dixit superius verbum in propria venisse & datam credentibus potestatem filios Dei fieri: aperit nunc & modum, quo venit in propria, nempe per assumptam humanitatem, & simul declarat non debere esse incredibile homines fieri filios Dei, eo quod & ipse filius Dei homo factus sit, cuius assumpta humanitas adoptionis nobis in Filios Dei causa est. Certissimum est autem Carnem hic accipi synecdochice pro toto homine, quemadmodum aliquoties alibi in scripturis, vt cũ dicitur: Effundam de spiritu meo super omnẽ carnem. Hic enim nisi ex parte vna totus homo intelligatur: ridiculæ nimis inanimatæ & brutę carni spiritus dari dicitur. [Rursum cum dicitur: Videbit omnis caro salutare Dei, caro pro toto homine ponitur, &, Ad te omnis caro veniet, &, Ex operibus legis nõ iustificabitur omnis caro coram illo. Ita & Anima frequenter pro toto homine accipitur. Vt in Actis, Eramus vniuersæ Animæ in naui ducentæ septuaginta sex, id est, vniuersi homines). Sic autem hic debere accipi carnem pater. Nam si proprie quis accipiat, sensus consequetur absurdissimus, quem nec Apollinaris, nec Eutyces recepisset. Id enim quod dicitur fieri aliquid, vel in illud conuertitur, & desiuit esse, vt cum aër dicitur fieri aqua; & dum postea dicitur Aqua vinũ facta vel manẽs quod erat, post factionẽ est illud quod dicebatur fieri; vt cum aliquid dicitur fieri album. Proinde si Caro proprie accipiatur aut significabitur verbum in carnem esse commutatum, & verbo desinente nihil aliud fuisse, quam carnẽ aut post factionem, de verbo vere dici posse; verbum est caro: quorum neutrum nec Apollinaris nec Eutyces admisisset, quandoquidem vterque dixit carnem esse alteram partem personæ Christi. Superest igitur vt intelligatur verbum factum caro, quia factum est homo sic, vt post factionem, & assumptionem humanæ naturę vere iam de verbo dicatur, verbum est homo.

Ioel. 2.
Psalm. 64
Roman. 3.
Actor. 27

Et habitauit in nobis. Secundum aliquos inter quos Erasmus, intelligitur simplicius, & verisimilius in nobis, vt sit idẽ, quod inter nos: & habitasse dicatur inter nos, quia inter nos sit conuersatus, quod

quod ob id adiunctum iã intelligetur, ne quis putet verbũ suscepisse corpus fantasticum. Si enim tale habuisset, non tandiu inter nos fuisset conuersatus, sitiendo, algendo, reliquasque calamitates humanæ vitæ subeundo, quo plenioren vere susceptę carnis fidem faceret. Secundum hunc autem intellectum recte accipitur verbum Græcum ἐσκήνωσεν (quod proprie est tabernaculum fecit, significare temporariam Christi apud nos conuersationem.

Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi &c. Euangelista illud superiori adiecit, tum vt secundum Cyrillum ostenderet verbum, cum se ad carnis humilitatem submisisset conseruasse integram Deitatis dignitatem, nec eandem etsi carne velatam omnino celatam fuisse, tum vt oculorum testimonio comprobaret verum esse quod dixerat verbum carnem factum, quemadmodum idipsum moxprobat testimonio auditus percepto à Ioãne. Existimare enim quis potuisset verbum indutum nube carnis nostræ non illuxisse, quemadmodum obductus sol nubibus radios suos ad nos vsque demittere non potest. Deinde quęrere quis poterat vnde sciret, & probaret verbum carnem factum. Itaque rum vt prauam illam existimationem eximeret, & tacitæ responderet simul quęstioni, vidimus, inquit, gloriam eius. Nos inquã, Apostoli vidimus, aut vt magis sonant Græca, spectauimus & conspeximus. Est enim ἐθεασάμεθα quod non simpliciter videre significat, sed speculare, hoc est diligenter, & fixe intueri aliquid ceu nouum, & admirandum spectaculũ. Viderunt autem gloriam eius maximẽ quidem in monte Thabor cum transfiguraretur, & in ipsius resurrectione, & Ascensione, non tamen in his tantum, sed & in omnibus quæ dicebat, & faciebat. Ex cælesti enim doctrina ipsius, miraculisque crebris ab eo editis, viderunt & cognouerunt eximiam illius maiestatem, atque præstantiam, quin & ex his, quæ in morte ipsius contigerunt preter naturam mirabiliter. Nam ex his motus Centurio, vere (inquit) filius Dei erat iste. Quoniam autem in magna gloria etiam Moyses visus est Israëlitis, & reliqui Prophetæ & Angeli glorioſi apparuerunt: vt ostenderet quam singularis fuerit gloria conspecta verbi, quantoque interuallo distet ab eorum gloria, subdit:

Gloriam quasi Vnigeniti. Vbi aduerbium quasi non denotat assimulationem, sed id quod rei conueniens est, & decens. Cum enim dicitur, hic incedit quasi, vel tanquam Rex, sensus esse potest, hunc cum rex non sit regio tamen more incedere, regemque suo incessu imitari: aut, hunc cum Rex sit, incedere sicut decet ipsius personam regiam. Hoc itaque secundo modo accipitur vt sit sensus: gloriam talem, qualis decebat vnigenitum. Talem sane gloriam in eo spectauerũt, cũ audiuerũt de eo dictũ à Patre, hic est filius meus dilectus in quo mihi cõplacui ipsum audite. Et cũ propria virtute

Universidad de Deusto
Biblioteca

resurgentem, & in cælum ascendentem viderunt, dumque docet quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ, & miracula propria & non aliena, vt reliqui, operaretur potestate. Non dicit autē, vidimus gloriam vnigeniti, nam hæc videri non potest, quamuis bene gloria, & claritas digna vnigenito. Porro vnigeniti dicit, & non filij Dei, ad distinctionem eorum quos prius dixit Filios Dei: inter quos hic est primogenitus, & vnigenitus. Cæterum illud, à patre, cohærere potest vel cum accusatiuo gloriam, vt sit sensus, vidimus gloriam eius exhibitam illi à Patre, vel cum genitiuo vnigeniti, qui cum nomen sit, & non participium, oportebit commodum subintelligere participium, vnigeniti procedentis à Patre.

Plenum gratiæ & veritatis. Ex Græcis constat plenum non esse accusatiui casus, sed nominatiui. Sic enim habent πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. referuntur autem πλήρης ad λόγος etiam masculinum. Vnde & apud nos hæc verba non sunt superioribus iungenda, vt sit sensus: Vidimus eum plenum, &c. sed cum eo quod præcessit, Verbum habitauit in nobis &c. Dicitur autem verbum plenū gratia, tum quod in ipso esset omnium donorum, & gratiarum plenitudo, cum in aliis sanctis tantum sint donorum Dei participationes, tum quod in omnibus verbis, & factis suis gratiam summam præse ferret. Sic & veritate plenum dicitur, non solū quod ab omni esset falsitate & errore alienissimū, sed & quod detectis veteris legis vmbris verā salutis rationē doctrina sua aperiret, & reipsa præstaret quidquid Lex & Prophetæ adumbrarunt. [Proinde quāuis & sanctos legamus dici plenos gratia, vt legitur de Stephano in Actis: lōge tamē aliter verbū incarnatū plenū fuit gratia. Illi siquidē solū dicūtur gratia pleni propter gratiæ, quæ est in illis, abūdantiā, cū alioqui nemo sit, qui non habeat cā in mensura. Neq; enim quisquā sanctorū maximā habuit gratiā, quæ in natura humana esse potest, neque quisquā omnia simul habet charismata, sed vnus quidē sic, alius vero sic. Iā nec illud prætereundū quàm cōgrue verbum dixerit plenum gratia & veritate. Ad perfectam enim commendationem verbi humani facit si & gratia sit plenum, & simul etiam veritate: ita & commendaturus verbum diuinum plenum illud dicit non solum gratia, sed & veritate.

Annunciatur Ioannis conceptio Zachariæ, & concipitur ab Elizabeth.

Luc. I. Cap. II.

Fuit in diebus Herodis regis Iudea sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, & non erat illis filius: eo quod

esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factū est autē cum sacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exiit vt incensum poneret ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritusancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: & multos filiorū Israel conuertet ad dominū Deū ipsorū, & ipse præcedet ante illū in spiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrū in filios & incredulos ad prudentiā iustorū, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelū: Vnde hoc sciam ego enim sum senex: & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos: & cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis: & permansit mutus. Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque dicens: Quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Fuit in diebus Herodis Regis Iudea. Incipit Lucas à natiuitate Ioannis: quod huius mirabilis natiuitas magnam addat authoritatem testimonio Ioannis de Christo exhibito, & quæ ab Angelo Zachariæ exhibita erant manifeste ostendant Ioannem à Deo missum fuisse in testimonium Christi deinde quia noua. Natiuitas Ioannis admirandæ natiuitatis Christi fidem confirmauit. Quoniā enim virgo paritura erat, præordinauit Deus vt & vetula præter naturam pareret: vt absconditus virginis partus per manifestum vetulæ partum credibilior fieret. Facit autem mentionem Regni Herodis, tum vt historiographorum morem seruando certius faceret Euangelium quod scripturus est, dum ostendit tempus, quo quæ scripturus est gesta sunt, tum vt indicaret iam tempus fuisse aduentus Christi, cum iam Iudæis alienigena præesset, iuxta Prophetiam Iacob, qui non prius sceptrum defecturum à Iuda prædixit, quam veniret Messias. Id autem regnante Herode primum factum est. Porro cum tres fuerint dicti Herodes, adiecit Euangelista Regis Iudeæ. Per nomen enim Regis

Universidad de Deusto
Biblioteca

distinguit enim de quo loquitur ab Herode Tetrarcha filio huius Herodis, & germano Philippi ex Cleopatra Hierosolymitane per Iudeæ vero distinguit eum ab Herode Agrippa qui in Actis Iacobum occidisse dicitur filius Aristobuli filij Herodis istius maioris. Patet vero Agrippe Iunioris, qui in fine Actorum cum Paulo loquitur scribitur, hic enim Herodes Agrippa sicut & filius eius Rex fuit, non tamen Iudeæ, sed Traconitidis & Ituræ & Galileæ regionum, hic tamen per Iudeam non intelligitur solum ea pars, quam tribus Iuda inhabitauit: sed tota ea terra, quæ inhabitabatur ab omnibus tribubus, & quæ subserat Iudeis.

De vice Abia. Dauid considerans Sacerdotum multitudinem ad quotidianum ministerium non necessariam, diuisit omnes Sacerdotes in vingiti quatuor familias, constituitque vt vicissim familiæ vna deseruiret hebomada. Singulis enim Sabbatis ad ministeriū accesserūt noui Sacerdotes, vt patet ex his quæ scribūtur in libris Regum & Paralipomenon. Misit autem sortem super familias vt quis esse ordo inter eas sorte terminaretur, exiuitque sors octaua Abia hoc est ergo quod hic dicitur Zacharias fuisse de vice Abia, nempe quia de illius fuerit familia. Notandum tamen quod dictio Græca ἐφημερεία euidentior est, & amplius quid significat quā vicē. Indicat enim certos dies fuisse prescriptos in quibus cesset sacerdotes ministrarēt. Proinde Theophi interpretatur hebdomadā.

1. Par. 24.
4. Reg. 11.
2. Par. 23.

Et Vxor eius de filiabus Aaron. Commendatur Ioannes primum à parentum nobilitate, & generis sanctitate cum vterque de genere esse dicatur sacerdotali, & celebrium personarum nomen referant. Deinde vero à sanctitate conuersationis parentum cum subditur.

Erant autem ambo Iusti ante Deum, vt ne Iusti coram hominibus per simulationem fuisse putentur.

Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Accipi hic debet sine quæ tela pro eo quod est, vt de eo nemo conqueri potuerit: cum proprietate querela is esse dicitur qui non conqueritur. Additur autem hoc, vt ostenderetur (quod maxime laudis est) sic eos mores, & vitam temperasse, vt & hominum iudicio satisfacerent. Porro sanctitatem parentum non tantum describit ad commendationem Ioānis, sed etiam ne quoniam dicturus est illis non fuisse filium, intelligeretur vitio illorū, & maledictione diuinā sterilitatē illis obuenisse. *Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret.* Græca habent ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι, hoc est, sortitus est vt adoleret incensum, vel suffitum. Itaque quod hic dicitur sorte Zacharias exisse, non intelligendum quod ex aliquo loco, aut congregatione aliqua exierit, sed simpliciter quod sorte illi obuenerit. Inte-

Intelligendum enim inter plures sacerdotes eiusdem vicis eadem hebdomada ministrantes sortem mitti solitam, quo scireturquod ex variis sacerdotum officiis quisque obiret, hoc est, quis offerret, in altari holocaustorum, quis in altari incensi, &c.

Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Istud est additum ad indicandum Angelum Zachariæ apparuisse cum solus esset in templo, atque ob id maiorem turbationis causam ipsum habuisse.

Apparuit autem illi. Græca non habent ἐφάνη, qua dictione Matthæus vtitur dum Angelum Ioseph apparuisse dicit, sed ὤφθη, host est, visus est: ne intelligatur imaginaria & phantastica apparitio, sed corporalis visio.

Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Nō quod quicquā formidabile præse ferret Angelus, sed tū præter inopinatā præsentiam alicuius in eo loco vbi neminem adesse sciuit, tum propter angelicam maiestatem, quam humana infirmitas sine turbatione in primo aspectu non admittit.

Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia. Quasi dicat: Nō est cur timeas, sed potius cur gaudeas ob precem tuam à Deo exauditam. Intelligendum autem est istud de oratione, qua precatus est quemadmodum exigebat sacerdotale officium, pro salute populi, & peccatis populi, aut specialius pro aduētu Messiæ, & remittēdis peccatis populi per eiusdē aduentū. Quod enim Messiæ aduentū precatus sit, ipsius gratiatū actio testari satis videtur qua nato iā filio suo Deū laudat pro nascituri mox imo iā nati Messiæ salutifero aduētu. Id enim precatus eū modo esset, si nihil: pro quo tā celebres Deo laudes postea decātat, Iā quod sequitur. *Et vxor tua, &c.* recte intelligitur secundum Aug. & Theophyl. Post quā *Dixit exaudita est deprecatio tua*, adiunxisse promissionem eius qui digito monstraturus esset illum, qui peccata, pro quibus Zacharias orabat, tolleret, quique viam pararet illi pro cuius aduentu orauerat. Dicit autem pariet tibi, quia scilicet ex te concipiet, & non ex alio.

Cuiusmodi fuerit Oratio Zachariæ.

Et vocabis nomen eius Ioannem: In impositione nominis Ioannes videtur respectus habitus ad hoc quod dixit exaudita est deprecatio tua. Nomen enim Ioannes omnium rectissimè significare intelligitur idem quod Dominus misertus est: quod optime conuenit cum eo quod dixit exaudita est deprecatio tua. Sciendum enim est nomen illud quod apud Hebreos significat deprecationem scilicet. Tehinna deriuari ab ea radice, quæ ponitur in nomine Ioannis, aut à qua deriuatur nomē, quod in nomine Ioannis gratiā significat. Ex his autē melius intelligitur coheretia promissionis filij, qui nominādus erat Ioannes eū eo quod dixit, exaudita est deprecatio tua. Deinde & illud constat nomē Ioannes debere scribi

Ioannes quid proprie significet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum aspiratione in medio, si velimus Hebraicam, & veram sequi etymologiam: quamuis Græci eam aspirationem notare non potuerunt quod aspirationis nota non superscribatur vocali, nisi in principio dictionis.

Et erit tibi gaudium & exultatio. Tibi qui ob orbitatem & sterilitatem vxoris hactenus doluisti, iam erit gaudium: non solum quod filius tibi natus sit, idque præter spem & naturæ ordinem ex testi miraculo: sed etiam quod in illo desideratum à te Messiã adesse cognosces, cuius hic futurus est præco, & veluti ante ambulo. *Et multi in natiuitate eius gaudebunt*, non solum quia vicini, & cognati congratulabuntur nouo partui, sed quod & hi, & alij Iusti audientes nouum hunc partum intelligent aduentum Messiæ in foribus esse.

Erit enim magnus coram Domino. Redditur ratio eius quod mox præcessit, nempe gaudij. Ideo enim & Pater, & multi cum eo gauisuri erant, quod ex nouitate partus intelligerent eum magnum fore. Additum est autem coram domino secundum Ambrosium quidem vt declararet Euãgelista se loqui non de magnitudine corporis, neque de magnitudine potentiæ secularis, sed de magnitudine Animæ, quæ in donis Spiritus, & sanctimonia vitæ consistit: secundum Theoph. vero additum est ad distinctionẽ Ioannis ab hypocritis, qui coram hominibus magni, & sancti videntur.

Sicera. *Vinum & sicerã non bibet.* Non est sicera idem quod apud nos cerusia, neq; per c scribendum est in principio, cum non sit à cicere leguminis genere, neque à cerere: sed est vox hebraica deriuata à verbo Sacar, quod inebriari significat, & sicera sæpe in scripturis etiam pro vino ponitur, & omnem potum inebriatiuum significat. Post nomen enim speciale generale nomen posuit, vt sit sensus: vinum, & quidquid inebriare potest non bibet. Hæc autem Ioannes non bibit: non solum vt per austeritatem vitæ credibilius fieret ipsius de Christo testimonium, alioqui suo exemplo à delitijs huius seculi auocaret, & ad pœnitentiã inuitaret: sed etiam vt ostẽderetur secundum morẽ veteris Legis esse penitus ipsum Domino consecratũ omnibus diebus vitæ suæ, Propriũ enim Nazareorũ in Lege erat à vino, & sicera abstinere tempore consecrationis: vnde Ioãnes vt semper Nazareus. i. cõsecratus Domino maneret, semper his abstinuit. Rectè autem postquam vini vsum Ioanni ademit, subiungit. *Et spiritu sancto replebitur*, vt cui vini ebrietas tollitur, Spiritus sancti gratia mentem inebrians, cumuletur. Porro Interpres ad verbum quidẽ reddidit *adhuc ex vtero* Matris suæ ἔτι ἐκ κοιλίας cum Latinius, & explicatius dicendum esset. Iam inde ab vtero: sic enim significamus longe repetitũ initium. Dum tamen dicitur replebitur Spiritu sancto iam inde ab vtero, non sic intelligendum est, quasi tum primum replendus sit Spiritu sancto cum vterum matris

Ioannes cur abstinuit. Numer. 6

matris egressus esset; sed quod Spiritum acceptum in vtero seruaturus esset vsque in finem. Perinde enim est ac si dixisset: Spiritu sancto replebitur in vtero, & deinceps semper. *Et multos Filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Postquam dixit eum replendum Spiritu sancto, iam etiam prædicit, quid per acceptum Spiritum sit operaturus. Conuertit autem ad Dominum Israelitas multos Ioannes, tum quia vitæ suæ austeritate, & prædicatione pœnitentiæ regnique cælorũ, atque baptismo suo multos à Deo alienatos ad vitæ melioris frugem perduxit, tum quia testimonij perhibẽdo de Christo, cũque digito cõmonstrando multos in Christũ credere fecit. Cũ autẽ sequitur. *Et ipse præcedet ante illũ &c.* manifestè significatur Messiã ante quẽ præibat Ioannes, esse dominũ Deũ Israelitarũ. Non enim alio referri potest relatiuũ illũ quã ad dominum Deũ ipsorũ. Proinde hic inter alios vnus locus est, vbi aperte Messias Deus dicitur, contra eos omnes qui Christi negãt diuinitatẽ. Notandũ aute quod non dicit præibit in Anima, aut in persona Eliæ: sed in Spiritu & virtute Eliæ. i. cũ spiritu & fortitudine Eliæ; vt non intelligamus eũ futurũ verum Eliã, sed eundẽ habiturum spiritũ, eandemq; virtutẽ. Accipitur autẽ hic Spiritus pro dono Spiritus sancti, cuius cum in diuersis varia sint dona, promittitur hic simili gratia spiritus & fortitudine Ioannẽ præcessurũ Dominum qualis erit in Elia. Magis enim videtur Ioannes ab Angelo comparari Eliæ venturo, quã præterito, tum quia dicens. *Ipse præibit in spiritu Eliæ*, significat etiam Eliam in eode spiritu præcessurũ Dominũ, tum quia subiungit vt cõuertat corda Patrũ in filios, quibus verbis alludit ad vaticinium Malachiæ, quo ante secundum Messiæ aduentũ Elias vẽturus promittitur, Ecce ego mittã vobis Eliã Prophetam antequã veniat dies Domini magnus & horribilis & conuertet cor Patrum ad Filios, & cor filiorum ad Patres eorum. Itaque illis verbis vt conuertat &c. Explicat Angelus quare eum dixerit præiturum in spiritu Eliæ, nempe quod eadem iste in primo, quæ ille in secundo aduentu sit operaturus. Deinde & exverbis illis, quibus Ioannem Eliæ comparat, aut Eliam esse dicit, satis patet Ioannem Eliæ venturo magis comparari, quam præterito. Proinde & hoc loco sic rectius intelligitur, quamuis simul etiam rectè intelligatur comparari Eliæ præterito. [Præiuit autem Ioannes ante Dominum varijs modis. Nam sua natiuitate præcessit Christi natiuitatẽ, sua prædicatione, suoque Baptismo Christi passionem & Baptismum, sua passione Christi occisionẽ, suo ad Lymbum descẽsum Christi ad Inferos descensum] Quamuis autem sic varijs modis Ioannes Dominũ præuierit: potissimũ tamen intelligendũ est eum hic dici præcessurum ratione prædicationis & Baptismi, quibus cõuertit corda Patrũ in filios, & parauit Domino plebẽ, quẽadmodũ & Zacharias postea dicit. Præibis ante faciẽ domini

Malach. vlt.

Imprimi possunt.

Matth 11. & 17. Marci. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

parare vias eius. *Vt conuertat corda Patrum in filios.* Sensus est secundum Dionysium Carthusianum, vt faciat ipsos Patriarchas & Prophetas bene affici filijs suis Iudeis, eosque pro germanis suis filijs agnoscant, & recipiant. Hoc enim fecit Ioannes inducendo Iudæos ad fidem, & pietatem maiorum suorum. Atque hic sensus videtur esse verior. Proprie enim cor Patrum conuerti in filios, vel vt habent Hebræa & Græca ad filios non est filios accipere idem cor, quod habuerunt Patres. Ad reddendum namque hunc sensum potuis dicendū fuerat, vt conuertat cor filiorum ad Patres. Sed illius proprie cor dicitur conuerti ad aliquem qui illi incipit benè affici, vt patet cum dicit Deus: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Fuerunt autem corda Patriarcharum ob vitæ dissimilitudinem à filijs suis carnalibus alienata: proinde studuit Ioannes per resipiscentiam filiorum Patrum corda ad filios conuertere, quemadmodum idem faciet Elias circa mundi finem pro concordandis Iudæis cū fide Patriarcharum. Atque hoc est quod dicit Dominus eum restituturum omnia, sicut Christus venit instaurare omnia, & quæ in cœlis, & quæ in terra. Illud autem aperte egit Ioannes, cum venientes ad baptisma suum vocauit genimina viperarum, notans eos non esse germanos sanctorum maiorū filios, ac deinde adiecit, nolite dicere intra vos Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus, &c. Quibus sanè verbis studuit eos reddere germanos Patriarcharum filios, & sic cōuertere corda Patrum in filios. Iam autem quod adiecit Angelus. *Et incredulos ad prudentiā Iustorum:* videtur positum pro eo quod est apud Malach. Et cor filiorum ad Patres eorum: vt explicaret Angelus tum se, tum Prophetam loqui de filiis incredulis, de Patribus autem iustis. Declaratur autem etiam hac parte quomodo conuertenda erāt corda patrum, in, vel ad filios, nēpe si incredduli conuerterentur ad prudentiam Iustorum. Porro Iustorum prudentia erat, & est præfluxis huius seculi bonis sectari magis, & expectare cœlestia. Deinde non in carnalibus legis vmbris, neque in propriis operibus confidere, sed in benignitate Dei, & Iustitia Christi. Pro incredulis autem Græce est ἀπειθῶν quod nomen etiam significat inobedientes, quomodo magis hic verti conueniebat, tum quod mentionem faciat Patrum & filiorum, tum quod non dicat ad fidem, sed ad prudentiam. Inobedientes itaque dicit Iudæos, quod equissimis maiorum suorum præceptis, & doctrinæ non paterent: qua eadem ratione & incredulos eos dici recte intellexerimus, si quidem qui inobediens est, is se parum credulum declarat.

Prudentia Iustorum.

Parare Domino plebem perfectam. Vertendum erat, vt paret domino plebem κατεσκευασμένην præparatam & instructā. Non enim Ioannes perfectam plebem Domino parauit. Si enim eam parauit Domino, ergo imperfecta erat, & perficiendam domino tradidit. Conformius ergo cum originali intelligemus plebem perfectā, hoc est, benè, & perfectè adornatam, & instructam ad suscipiendum scilicet fidem Christi, & sublimiorem eius doctrinam & baptismum. Ad hoc autem plebem parauit Ioannes per pœnitentiam quam verbo, & exemplo docebat, perque baptismum pœnitentiæ & demonstrationem aduenientis Messiæ. Itaque hac parte parare domino &c. describitur finis prioris operationis. Ad hoc enim conuertit corda Patrum vt pararet Domino plebem.

Et dixit Zacharias ad Angelum: vnde hoc sciam. Iudeorum more signum petit, quem morem Iudæi videntur desumpsisse ab Abraham, qui promissionis sibi factæ de terra Canaā signum petit dicens, vnde scire possum quod possessurus sim eam. Non peccauit autem Abraham signum petens quemadmodum peccauit Zacharias. Non enim ex incredulitate aut diffidentia signum postulauit cum mox antea scriptum sit: Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad Iustitiam, sed ex familiaritate quadam cum Deo, & in confirmationem promissionis apud posteros suos, ad quos promissio magis pertinebat. Non enim Abraham in sua persona, sed tantū in filijs suis promissam terra possessurus erat. At Zacharias nō petijt signū certificās personæ promittentis qualitatē sicut Gedeo fecit, nihil dubitās Angelū domini esse, tū quia præter ipsum illo tempore nullus hominum esset in templo (propter quod significandum prius dictum est: Erat autē omnis populus foris) tum propter loci sanctitatem, angelicamque maiestatem, & consolationem eiusdem, atque verborum sanctorum sublimitatem. Petijt ergo signum certificans promissionis veritatem, idq; ex diffidentia, quemadmodum ex ipsius subiunctis patet verbis, quibus argumēta suæ incredulitatis contraria promissis diuinis protert.

Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, Quōniam Zacharias & de promissione diffidebat, & ex diffidentia signum postulauit, ob id Angelus primùm quidem personæ suæ qualitatem aperit, ac deinde dat & signum, sed tale, quale dignum erat incredulitate eius, & quod congrua diffidentiæ eius pœna erat. Et qualitatem quidem personæ suæ aperit, partim vt diffidentem in fide confirmaret, partim vt incredulitatem eius condemnaret, & iniustam esse comprobaret. Explicat autem proprium suum nomen dicens: Ego sum Gabriel: tum vt ipsa sui nominis significatione declararet possibilia esse ea, quæ promittebat, quamuis supra naturæ essent vires (significat enim Gabriel idem quod fortitudo Dei, vel potius fortitudo mea Deus) tum quia nomen hoc notum erat Zachariæ ex Libro Danielis, in quo aliquoties Danieli apparuisse scribitur, & potissimum in mysterio de aduentu Messiæ tempore explicatione. Deinde vero ad agendam magis suæ per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sonæ autoritatem adiecit, *qui asto ante Deum*, significans se non esse vnum ex Angelis, qui electi sunt à facie Dei, sed ex his qui Deo semper sunt præsentes. Autoritati deinceps propriæ adiungit autoritatem diuinam, dum dicit: *Et missus sum tibi*. Hæc bona, & læta annunciare, significans se in hoc negotio non venisse à seipso, sed Dei agere negotium. Quamuis autem tunc missus esset à Deo, & astaret Zachariæ in templo: astare &c, se dicit ante Deum, quia cum vbique præsens sit Deus, nullus locus impedit visionem & fruitionem Dei: ratione cuius astare Deo Angeli dicuntur.

Angeli. astant. Deo, etiã ad nos missi.

Et ecce eris tacẽs. Aduerbium, Ecce, demõstrat aliquid nouum & insolitum, signum scilicet, quod petijt, quo & petitioni eius in confirmationem promissionis satisfiat, & digna diffidentiæ pœna infligatur. Quasi dicat: Quoniam petisti signum, ecce signum, quod ita sit præstandi in posterum promissi argumentum, vt & præsentis sit diffidentiæ pœna. [Porro notandum non solum Zachariam mutum videri effectum, sed etiam surdum, vt colligere satis licet ex eo, quod postea dicitur. Innuebant autem Patri eius, quem vellet vocari eum. Circa quæ verba Amb. Incredulitas ei affatum eripuerat, & auditum. Vnde postea vbi habemus permansitque mutus Græcis est dictio κωφὸς quæ non solum mutum, sed & surdum significat, imo propriæ surdum, ac ex consequenti mutum: quod qui natura sint surdi, necessario etiam sint muti] Temperat autem commeritam pœnam misericordia diuina, atque ob id sequitur, vsque in diem, quo hæc fiant, quasi dicat: Cum per euentus rerum, quod dico, ostendero, & noueris te iure punitum: tunc te de pœna eripiam. Et demonstrat pronomen hęc non omnia quidem de Ioanne prędicta, sed natiuitatem eius cum impositione nominis, quæ facta est in die Circumcisionis. Circa natiuitatem enim pueri erat Zachariæ dubitatio, non circa alia. Postquam autem causam inflictæ pœnæ reddidisset dicens: *Eo quod nõ credidisti &c.* adiecit, *quæ implebuntur in tempore suo*, vt ostenderet verborum certitudinem, & Zachariæ diffidentiam fidem Dei non euacuaturã, nec impediturã promissionis adimplerionem.

Cognouerunt quod visionem vidisset. Istud cognouerunt & collegerunt partim ex insolita mora in templo, partim ex alteratione vultus ex colloquio Angeli, partim etiam ex loquelæ amissione. Innuebat autem populo: siue quod rogarent silentij causam, siue volens eis benedicere & data benedictione dimittere.

Post hos autem dies concepit. Annotandus hic imprimis Euangelistæ pudor, & honestas, cum tacito congressus Zachariæ, cum vxore sua, Elizabeth concepisse dicit: Docens suo nos exemplo quam verecunde de his rebus sermo habendus sit, quando nec illum congressum conjugalem solo prolis desyderio factum, imo secundum diuinam promissionem necessarium, exprimere voluit. Deinde &

anno-

annotandus pudor sanctæ matronæ Elizabeth, quæ cum ex marito secundum Dei iussionem tam illustrem concepisset prolem: tamen se occultabat mensibus quinq;. Ideo enim *se occultabat*: tum quia verebatur ne à vulgo diuini mysterij inscio parum honesta re putaretur, vt quæ in aliena ætate vici vacasset amplexibus, tum ne plerisque ridicula haberetur si ante noui conceptus certa indicia se grauidã exhiberet, & prædicaret. Atque ob id non se diutius occultabat, quam visitante ipsam virgine certis argumentis diuinum donum luciđè manifestaretur per exultationem infantis in vtero. Porro quamuis partim ex pudore, partim ex humiliate, & prudentia sese occultaret ad tẽpus, læta tamen de conceptu diuino, & opprobrio sterilitatis sublato, gratias egit Deo. Atque ob id significandum adiecit, dicens: *Quia sic, &c*. Non enim cum adiecit: *dicens quia sic fecit, &c*. significare voluit causam quare se occultauerit: sed insinuare lætam etiam fuisse, & gratam Deo & si ob certas se occultaret causas. Proinde sensus est, *occultabat se, dicens tamen quia sic fecit &c*. Sic inquit, hoc est tam præclare, & magnifice mecum egit Dominus, vt scilicet & supra naturam concipere, & tam illustrem concipere filium daret, tũc quando placuit ei auferre opprobrium sterilitatis à me, quasi dicat: Cum visum est ei, non solũ me liberauit ab opprobrio sterilitatis, sed ex conceptu tam nouo, & illustri gaudium simul meum, & gloriam auxit apud homines. Dicit autem *opprobrium inter homines*, & non dicit maledictionem Dei, quod bene sibi conscia esset sterilitatem non ex maledictione Dei se incurrisse: quamuis opprobrium hominum ob eam effugere non potuisset.

Nunciatur Mariæ Christi incarnatio.

Lucæ. 1. CAP III.

IN mense autem sexto missus est angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen Virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit illi dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus san-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rituſſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcitur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filiũ in ſenectute ſua, & hic mẽſis eſt ſextus illi quæ vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud Deũ omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſceſſit ab illa angelus.

In menſe autem ſexto, &c. Propter certitudinem hiſtoriæ adſtruẽdam diſtincte omnia Lucas deſcribit, Tempus, locum, perſonam miſſam, perſonam ad quam miſſio facta eſt. Aptè autem Mariam, & virginem nominat, & deſponſatam viro, quia vtrumque eſſe debebat futura mater domini. Virgo quidem quoniam ſine viri commercio naſci debuit dominus, ne duos haberet Patres, & ne in peccato naſceretur: quod & diuinitate ipſius indignum fuiſſet, & noſtram redemptionem impediuiſſet. Deſponſata autem viro eſſe debuit, ne impudicitiæ adureretur infamia, & Chriſtus tanquam illegitimus à Iudæis reiceretur, ne virginibus ſiniſtra viuentibus opinione velamen excuſationis relinqueretur, ſed docerentur omnes etiam infamiam vitare debere, ne etiam virginis verba ſuſpicione mendacij eſſent obnoxia, vtque Ioſeph virginitatis eius teſtis eſſet, & cuſtos virgineſque & pueri curator, & nutritor, atque per eiuſdem genealogiam Maria cum filio ex familia Dauideſſe cognoſceretur, vt diuinus partus diabolo celaretur, typumque præſe ferret Eccleſiæ, quæ virgo ſimul eſſet, & deſponſata Deo. Notandum autem deſponſatam dici, & eam quæ promiſſa tãtum eſt, & necdum tradita viro, & eam quæ iam tradita eſt viro, ſed nondum ab eo cognita, atque hoc ſecundo modo intelligendum videtur quod dicitur virgo deſponſata viro, eo quod apud Mat-
Matth. 1. thæum deſponſata hæc virgo vxor Ioſeph dicitur, & Lucas dicit
cap. 2. Ioſeph profectum in Bethlehem cum deſponſata ſibi vxore.

Ingreſſus Angelus ad eam dixit. Dum ingreſſus Angelus dicitur, ſignificatur & corporali ſpecie apparuiſſe & in conclaui, ac ſecreto loco cum ſola locutum virgine. *Ave gratia plena.* Pro Aue Græcis eſt χαῖρε quæ dictio ſignificat gaude, ſalue, vale, & dubium eſt per quod horum ſit reddenda hoc loco. Veriſimilius tamen eſt Angelum vſum forma ſalutandi Hebræis familiari, vt dixerit, שָׁלוֹם לָךְ id eſt, pax tibi; quemadmodum & Iudam, cum oſculatus, dominum dixit: Aue Rabbi, & cum ſcribitur Chriſtus poſt reſurrectionem dixiſſe mulieribus: Auete vbi Græcis eſt χαίρετε & αὐγετε. Porro quod nos habemus *Gratia plena*. Græce eſt κεχαριτωμένη quod ad verbum ſonat gratificata, hoc eſt, quã Deus ſingulari, & gratuito ſuo fauore ſibi gratiam fecit, & gratam habet, pro gratificata tamen mollius eſt ſi dicatur, & vertatur gratioſa: quamuis ea dictio Græcè vocis ſignificationem non adæquet. Quod ſi autem dum dicitur virgo plena gratia, nomen gratiæ accipiatur

tipiatur & quatenus ſignificat Dei donum, & ſimul quatenus ſignificat fauorem, & acceptationem alicuius, quæ duo ſunt inſepta habita coram Deo: iam Græcæ dictionis ſignificatio pene tota exprimitur, vt gratia plena idem ſit, quod per plenitudinem donorum gratiæ Dei multam conſecuta gratiam apud Deum, hoc eſt, multum accepta Deo. Non explicat autem Angelus apud quem ſit reddita gratioſa, & plena gratia: tum quia ſecundum veritatem abſolutè erat gratioſa, & gratia plena, tum quia hoc explicandum ſequentibus verbis ſeruabatur.

Dominus tecum ſ. eſt, non imprecatiuè ſed affirmatiuè, ſecundum communiorem ſenſum iſtud accipiendo, vt triplex gaudij cauſa exprimatur: Gaude, & Aue, quia gratia plena, quia dominus tecum, quia benedicta tu, &c. Dicit itaque dominum cum ea eſſe, quod ei faueret, eamque inhabitaret.

Benedicta tu in mulieribus. Secundum veteres intelligitur Mariã hic prædicari & dici eſſe benedictam non quidem apud homines, ſed apud Deum & à Deo quomodo ipſi Iudith dictum eſt, benedi- *Iudith. 1*
cta es tu filia à domino Deo excelſo præ omnibus mulieribus ſuper terram. Sic enim debere etiã hoc loco accipi manifeſtè patet ex pronomine, Tu. Pronomina enim vſurpant Hebræi loco verbi ſubſtantiui præſentis temporis, proinde perinde fere eſt ac ſi dictum fuiſſet, benedicta es inter, &c. Et expendenda diligenter emphaſis quæ eſt in pronomine tu, & in præpoſitione In, vel inter. Non enim dicitur quẽadmodum Iudith, benedicta præ mulieribus, hoc eſt, magis quã reliquæ mulieres, ſed benedicta (inquit) tu inter mulieres, quaſi dicat. Tu ſola inter omnes mulieres maledictionis expers, reliquæ omnes maledictioni obnoxiæ.

Quæ cum audiſſet. Græcè non eſt audiſſet, ſed ἰδοῦσα, id eſt, illa autem cum vidiſſet. Et veriſimile eſt non Interpretis ſed ſcriptorum vitio in noſtris libris irrepſiſſe audiſſet pro vidiſſet, quod offenderet quoſdam ſermonis in ſpeciem abſurditas. Ergo ſi legatur vidiſſet, veriſimilior erit ſenſus, vt intelligatur Maria etiam ex viſo Angelo nonnihil turbata fuiſſe, ſed magis tamen ex audito eius ſermone, qui inchoatam turbationem ex viſione Angeli magis auxit, Incertum eſt enim an Angelorum viſionibus aſſueta fuerit Virgo (vt volunt ij qui dicunt illam non turbatam eius viſione, ſed ſermone tantùm) deinde quod virginum ſit ad omnem vitij pauere inopinatum ingreſſum. Turbabatur autem in ſermone Angeli virgo, quia inſolita erat ſalutationis forma: ob quam nouitatem metuebat libidinoſa ne eſſet ſalutatio, an diuina; rurſus ſermo ne fallax eſſet an verus. Quoniam enim pudica erat ſuæ pudicitiæ metuebat, quia ſalutatio blandum quid & amatorium præferebat, quia gratioſa ſalutabatur. Quoniam autem humilis erat, & nihil de ſe magnificè ſentiebat ſibi conuenire

putabat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

putabat, vt benedicta inter mulieres salutaretur. Verum quamuis turbatur, non tamen turbatio mentis iudicium ademit & vsum, vnde de ea non dicit quemadmodum de Zacharia, & timor irruit super eam: sed vt constantiam animi eius, & turbationis moderationem insinuaret, subiecit:

Et cogitabat qualis esset ista salutatio: Per quod etiam prudentiam Virginis notauit. Prudentię enim summæ erat nouam, & insolitam, tamque magnificam salutationem secum expendere, & examinare, neque statim ei obsistere per incredulitatem, neque statim ei parere ex leuitate: vt sic & Euæ leuitatem euitaret, & Zachariæ duritiam. Itaque perpendens Angelus iustam eius turbationem, & meticulosam cogitationem, non passus est eam diutius animo fluctuare, sed & pauorem blando ademit alloquio, familiariter eam proprio nomine compellans, & salutationis nouæ causam exposuit, dicens: *Ne timeas Maria*, quasi dicat, ne metuas quasi à me blanda, atque magnifica salutatione hac sollicitéris, vt aut a virginitatis, aut ab humilitatis tuæ statum excidas. Ideo enim noua hac, & magnifica te compello salutatione, *Inuenisti enim gratiam apud Deum*. Dicitur autem inuenisse gratiam apud Deum, non ob id quod perdictam gratiam & à se quæsitam inuenerit, sed quoniam obtinuit Dei fauorem, & consecuta est, vt illi placeret. Cum autem commune Virgini sit cum multis aliis obtinuisse Dei erga se fauorem: exponit Angelus in sequentibus quam singulatem, & proprium Dei fauorem sit consecuta, simulque declarat quare dixerit eam benedictam inter mulieres, dum dicit: *Ecce concipies*, quibus verbis alludere videtur ad prophetiam Esaiæ cap. 7. Ecce virgo concipiet, &c. Nam & illo loco pro eo quod nos habemus vocabitur nomen eius, Hebræa habent, vocabit nomen eius, ipsa scilicet virgo. Itaque dum dicit Angelus, concipies, paries, & vocabis: significat in ea vaticinium Esaiæ complendum. Per aduerbium ergo (Ecce) demonstrat nouum quid & admirandum in Virgine adimplendum quod ipsum Esaias demonstrate voluit, & pro nouo signo dedit domui Dauid. Adiecit autem *in vtero*, siue vt ostendat ipsum dominum ex virginali vtero incarnatum substantialiter, siue quia dominum iam in corde virgo conceperat, quem præterea etiam in vtero concepturā prænunciatur.

Hic erit magnus. Magnus dictus est, tum propter diuinitatis summæ vnionem, tum propter potentiam eius maximam, qua in assumpta humanitate magna erat operaturus, docendo, miracula faciendo, & diabolum superando.

Et filius altissimi vocabitur. Non falso, sed quia talis verè erit. Vocandus autem erat filius altissimi primum quidē à Patre, qui primum in baptismate, deinde in transfiguratione, hic (inquit) est filius

lius meus dilectus: deinde & ab hominibus diuinitatem eius ex doctrina eius cælesti, & miraculis propria potestate æditis colligentibus, & credentibus.

Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid. Cum esse magnum & vocari filium Dei, etiam aliis quadam ratione conuenire possit, & in scripturis quibusdam tribuatur: explicat iam aliam filij conditionem, qua ab omnibus manifestè, separetur, ostenditque eum futurum Messiam illum iamdiu expectatum, atque in eo adimplēdas eas scripturas, quæ de perpetuo regno Dauidis Messię tradendo loquuntur. Dicitur autem regnum Messiæ, sedes, & regnum Dauid, non quod temporale esset, sensibile, & terrenum, sed quod in regno Dauidis, adumbratum fuit, & Dauidi in proprio semine promissum sub typo regni sui. Ita & domus Iacob hic non potest accipi pro familia Iacob carnali, sed pro spirituali, quæ est omnium fidelium congregatio. Dicit autem: *dabit illi dominus*, vt significet hunc filium regnum Dauidis non vi occupaturum, sed à Deo acceptutum postquam per tyrānide terrenum regnum in carnali familia Iacob Herodes, sibi vendicauerat. Porro sedem hanc Deus Messiæ dedit post resurrectionem, & Ascensionem, cum dixit ei: Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quod regnum Messiæ quatenus sedes, & regnum Dauid dicatur.

Dixit autem Maria ad Angelum, Quomodo fiet istud? Non quasi diffidens dicit, quomodo fiet illud? sed vt prudens, & intelligēs, vt discat, modum inquirit. Non enim de effectu dubitauit: sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus. Liquet enim quia faciendum credidit, quæ quomodo fieret interrogauit. Itaque non fidem renuit, non se dubitare de facto significauit vt Zacharias, non officium refutauit, sed accommodauit affectum, spopondit obsequium: tantum de virginitatis adamato thesauro sollicita modum rei gerendæ necessarium sibi cognitu verecundè simul, & prudēter quærit edoceri. *Et respondens Angelus dixit ei*. Docet modū Angelus, & de seruanda virginitate securam reddit. Quod autem dicitur *superueniet*, hoc est cælitus illabetur in te, quemadmodum Apostolis dictū est, Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos: propque lucę vltimo dicitur, donec induamini virtute ex alto. Sicut autem etsi Apostoli iam à Christo prius per insufflationē accepissent Spiritum sanctum, rursus tamen in eos venire dicitur: ita etiā virgo & habuit Spiritum sanctum, & promittitur in eā venturus Spiritus, nimirum quod secundum alios effectus iam esset in ea vēturus, quam hactenus in ea operatus erat. Quod autem sequitur.

Et virtus altissimi obūbrabit tibi. Simplicissimū fuerit ita interpretari quomodo exponit Theoph. vt sit sensus, cōteget te, & cōplexabitur, & vndiq; te circūdabit sicut auis obūbrat pullos suos, & sicut dicitur in Psalmis: Scapulis suis obūbrabit tibi, vbi in Hebræo

positum

positum verbum simpliciter significat tegere, & operire, quo & hic vsum fuisse angelum verisimile est, quandoquidem illo loco Psalmi est apud Græcos sicut hoc loco ἐπισκιάσει σοι. Pro intelligendo enim vero huius loci intellectu, sciendum quod cum in generatione hominis ex patte viri duo requirantur, nempe fortitudo viri generantis, & amplexantis mulierem, & semen in mulierem immissum: pro semine virili Spiritus sanctus promittitur, pro virtute autem viri, & complexu eius, fortitudo Dei, illiusque complexus sanctissimus. Non enim in hac admiranda Christi conceptione Spiritum sanctum intelligere debemus tanquam generantis Patris supplere locum, ne Christus filius Spiritus sancti asseratur, quamuis alioqui indiuisa sint opera Trinitatis: sed Deum Patrem obtinere locum generantis, Spiritum sanctum autem à Patre procedentem locum seminis, quatenus in semine nõ substantia corporalis, quę in conceptione transmutatur, sed virtus actiua intelligitur. Iam virtus altissimi non ipse filius, nec Spiritus sanctus, sed simpliciter potentia Dei patris intelligitur, quæ virginem totam circundedit, & sanctè complexata est: id per Spiritum sanctum suum in virgine operans, quod solet maritus per corporale semen.

Ideoque & quod nascetur ex te sanctum. Dictio sanctum, cũ præcedenti verbo nascetur iungenda est, non cum sequenti vocabitur. Dicit ergo nascetur sanctum, ad differentiam eius ab aliis hominibus omnibus, qui quoniam ex immundo nascuntur semine, immundi nascuntur. Ex duobus autem præcedentibus duo hic inferuntur. Ex eo enim quod dixit Spiritus sanctus superueniet, infertur hic quod nascendum erat fore sanctum. Ex eo quod dixit virtus altissimi, nempe Dei Patris obumbrabit, & complexabitur te, infertur quod nascendum erat vocandum filium Dei Christus autem, eo quod ex Spiritu sancto, & virtute Patris, nasciturus erat, vocandus erat filius Dei, primum, quia ratione temporalis suæ generationis filius Dei dicendus erat, vt qui naturam suam humanã non ex vito sed ex Deo Patre suo accepit, qui viri locum in virgine suppleuit. Deinde quia temporalis hæc generatio arguit & eternam eius generationem, qua per naturam diuinam filius est Dei. Non enim hæc Natiuitas alteri conueniebat quam ei, qui verè esset Dei filius, & rursum filium Dei aliter in tempore nasci nõ fuisset congruum. Notandum autem Græca non habere futurum nascetur, sed præsens tempus γεννάται quod nascitur, per quod significatur in proximo esse vt nascatur, vt rectè per futurum verterit noster Interpres.

Christus quatenus filius Dei.

Et ecce Elizabeth cognata tua. Quoniam supernaturalis est modus concipiendi, quem dixit Angelus, eundem comprobat, & cõfirmat testimonio alterius modi etiã supernaturalis, licet minus. Nec

Nec hoc facit, vt aliquid ambiguitatis in virgine tolleret, sed vt integram eiusdem fidem magis confirmaret humano more per sensibile exemplum. Aptissimum autem exemplum ab Angelo affertur quo confirmet virginis fidem, qua oppugnari in ea potuit, partim ab eius summa humilitate, partim a rei nouitate cum natura pugnante. Proinde exemplum affertur quo vtrique occurrat. Quoniam enim natura simul & ætate sterilis concepit contra naturam: confirmatur virginis contra naturam conceptio. Quoniã verò cognata virginis fuit, sterilis illa, quæ contra naturam concepit: merito credere debuit virgo simile beneficium Dei etiam sibi conferri posse. Nihil autem obstat cognationi Virginis & Elizabeth, quod illa de tribu Iuda, hæc vero fuerit de filiabus Aaron. Creditur enim Elizabeth nata ex patre Aaronita, matre vero de fa *Maria* milia Dauid. Traditur enim Emerentianam cum Solone de tribu *quomodo* Iuda duas genuisse filias, primam Annam, secundam Ismeriam. *Elizabeth* Annam ex Ioachim de domo Dauid genuisse. Mariam, Ismeriam *cognata.* vero sacerdoti iunctam genuisse Elizabeth. Porro Angelus ipsius Elizabeth conceptum duabus rationibus admirandum ostendit, primum cum dicit: *concepit in senectute*, deinde cum dicit eam vocari sterilem. Est autem emphasis in eo, quod dicit eam vocari sterilem: quasi diceret eius sterilitatem ita omnibus esse notam, vt ob eam cum opprobrio vocetur vulgo sterilis. Tempus vero conceptus aperit, dicens:

Hic mensis sextus est illi. Vt ostendat conceptum huius sterilis iam certo cognosci posse, tum ex tumente vtero, tum ex motu viuentis in vtero infantis. Adiungit autem & communem fidei confirmandæ rationem, dicens: *Quia non erit impossibile.* Quæ causalis sic superioribus videtur coniungendæ: Ideo exemplum illud de Elizabeth tibi affero, ideoque in ea istud Deus operatus est, vt certius cognoscas, & tecum omnes intelligant, quod non erit impossibile apud Deum omne verbum. Porro sententia hæc dupliciter intelligi potest, primum vt sit iste sensus. Omne verbum Dei, hoc est quidquid Deus loquitur, prædicit, & promittit, non est ei impossibile vt illud præstet. Alij tamen secundum phrasim Hebraicam verbum hic accipiunt pro re, itaque sensus esset nulla res impossibilis, vel nihil impossibile est apud Deum. Cum autem dicitur nihil esse impossibile Deo, intelligi debet nihil eorũ, quæ vult Deus impossibile esse ei vt præstet.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini. Edocta Virgo modum quem quæsierat, exemploque confirmata nihil vlterius interrogat: sed fide plena, atque ad obediendum promptissima humillimè, & modestissime paucis verbis respondit dicens: Ecce ancilla domini, quæ verba dupliciter explicari possunt. Primum hoc modo; Ecce agnosco me esse ancillam Domini, cuius me obsequio

Universidad de Deusto
Biblioteca

totam dicam, cuius proinde voluntati repugnare impium fuerit, quare fiat mihi sicut tu locutus es. Secundo sic: Ecce offero me in ancillam domini paratam ad omne obsequium eius, itaque placet, imò opto vt fiat mihi, &c. Illud enim fiat, non tantum consentientis est, sed simul etiam optantis, & deprecantis, vt tantum donum consequatur. Testatur itaque hæc virginis responsio in primis quidem synceram animi eius fidem, deinde virgineam quandam modestiam in verborum paucitate demonstratam. Tertio summam obedientiæ promptitudinem, postremo profundissimã, & constantissimam virginis humilitatem.

Visitatur à Maria Elizabeth.

Lucæ 1. CAP. IIII.

EXurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius, & repleta est spiritu sancto Elizabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. & beata quæ credidisti quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatum me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius. Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes implenit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montanea cum festinatione in ciuitatem Iuda, &c. Attendenda diligenter verba, quibus Mariæ actionem Euangelista describit, commendant enim ea nobis plurimas virginis virtutes, ac dotes Spiritus sancti. Et primum quidem rursum ipsius humilitatem commendant. Quæ enim meruerat visitari ab Angelo, ac tam magnificè ab eo salutari, quæ se matrem Domini, & Messiæ factam esse cognouit, non dedignatur præcursoris sui matrem visitare, eamque prior salutare, memor scilicet officij sui, quo decebat vt iunior seniori deferret obsequium: idem certè humilitatis exemplũ relinquens, quod postea filius suus veniens ad baptisma Ioãnis, & ab eo baptisatus: Deinde ea verba, eiusdem sedulum studium congratulandi & obiequendi cognatæ insinuant: quod vtriq; studium ex pietate, & charitate magna proficiscebatur. Itaque hanc sedulitatem, & eiusdem charitatem tria illa insinuant quod abisse dicitur in montana, quod cum festinatione, quod in ciuitatem Iuda, quæ à Nazareth multis distabat miliaribus. Rursum eiusdem lætitia de bono cognatæ commendatur, in eo quod cum festinatione profecta scribitur. In quo eodem etiam virgineus pudor ipsius indicatur, ac postremum quod festinasse dicitur efficacem, quę in ea erat Spiritus sancti gratiam, eiusdemq; gratię conditionem designat. (Nam vt inquit Ambrosius) nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Plerique autem ciuitatem Iuda existimant Ierusalem, quæ etsi alias quando fuerit computata in tribu Beniamin: tamen postquã Dauid illinc Iebuseum expulit, & in ea sedem suam regiam cõstituit, cæpit annumerari tribui Iudæ, cui etiam tribus Beniamin semper coniuncta mansit. Existimant etiam ad hanc ciuitatem Mariam non sine Ioseph iam facto coniuge eius accessisse: quod eo potest videri verisimilius, quod hæc Mariæ profectio circa tẽpus solẽnitatis paschalis facta sit, ad quã omnes viri ascendere præcipiebãtur.

Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ, &c. Ostendit Mariæ salutationem nõ fuisse vulgarem, sed admodum efficacem. Ad eã enim duplex effectus subsequutus est admodum mirabilis. Nam audita salutatione ab Elizabeth & Ioannes in vtero gestiens exiliit, & Elizabeth repleta est Spiritu sancto. Proinde necesse est sentiamus per virginis vocem Deum, quem in vtero gestabat incarnatum operarum fuisse potentia suæ diuinitatis. Porro cũ dicitur: *exultauit infans*, non est pro exultauit, idẽ verbũ apud Græcos quod postea cum dicit Maria, exultauit Spiritus meus. Ibi enim est ἠγαλλίασε hic vero ἐσκίρτησεν quod non significat lætatus est, sed saliit, aut, exiliit, & pro in gaudio, Græce non est ἐν χάρᾳ sed ἐν ἀγαλλιάσει quod gesticulationem magis significat, qua gaudium. Itaq; sensus esse potest exiliit cum gesticulatione, hoc est, gestiẽdo, sicut in psalmis, bene psallite in vociferatione. i. cum vociferatione, & vociferando. Iam gesticulatio hæc intelligi potest in Ioanne fuisse etiã sine gaudio mentis, & cognitione præsentiæ Dei sicut intelligit Aug. de exultatione. Et quanquam alia sententia, qua dicitur Ioannem cognouisse dominum, & matrẽ domini esse præsentes, communior sit, vt quæ etiam in Ecclesiastico officio decantetur: tamen hac in parte sententia Augustini verisimilior videtur, etsi *Ioannes* *an cognouerit* recipienda non videtur in ea parte, qua putat Ioannem non esse *matrẽ* & sanctificatum à Spiritu sancto in vtero, nec illius exultationem *Matrẽ Do* factam à Spiritu sancto inhabitante, & sanctificante Ioannem, *mini esse* sed *præsentes.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed tantum à Spiritu sancto operante in Ioanne, qui Spiritus etiam miracula potentiæ suæ in peccatoribus, & brutis operatur. Nam cum hic locus, quo exultasse Ioannes dicitur coniungitur cum eo, quo promissum fuit replendum eum Spiritu sancto adhuc ex vtero Matris: satis patet Ioannem Spiritum sanctum accepisse ad salutationem Virginis: qui insensibiliter eum sanctificans sensibiliter etiam in eo per exilitionem operatus est.

Et exclamauit voce magna & dixit. Benedicta tu, &c. Quæ prius tacita latitauerat conceptum pudore dissimulans, mox vt repleta est Spiritu sancto edocente eam quid protenderet Filij exilitio; non iam diutius continuit animi sui gaudia: sed ex subita inflammatione Spiritus, & insigni affectus lætitia, ac admiratione exclamauit, ea promens afflatu spiritus, quæ nec ab homine didicerat, nec ex vteri tumore suspicari poterat. Mirabiliter autem factum est, vt Elizabeth perinde quasi Angelum audisset cum Maria loquentem, ita verbis angelicis auspicaretur suam gratulationem. Adieit autem ad verba Angeli Elizabeth. *Et benedictus fructus ventris tui.* Quod secundum Theophyl. intelligi potest dupliciter superiori esse adiectum. Primum quidem quod multæ sanctæ mulieres pepererunt improbos, vt Rebecca Esau; ideo non solum ipsa benedicta dicitur, sed etiam fructus eius. Secundo intelligi potest adiecta hæc pars, vt per eam explicaretur causa benedictionis Mariæ, sicut & Angelus causam benedictionis explicauit, dicens: Ecce concipies. Ideo enim ipsa inter mulieres benedicta, quia fructus eius benedictus: ita vt coniunctio, &, accipi hic possit, sicut frequenter, pro quia, notanda autem differentia. Maria enim benedicta dicitur, sed cum limitatione, scilicet inter mulieres. Fructus autem ventris eius benedictus dicitur absque limitatione, & bene quidem: Solus enim Deus absolute benedictus. Solus etiam hic fructus ventris benedictus, quia reliqui omnes ex concupiscentia nati sub maledictione nascuntur natura scilicet filij iræ. Itaque benedictus dicitur hic fructus: non solum tanquam Deus, sed etiam quatenus homo: eo quod expers omnis maledictionis apud Deū, plenus esset omnium diuinorum charismatum benedictionibus, ita vt de eius plenitudine omnes essent accepturi. *Et vnde hoc mihi vt veniat*, quasi dicat, quibus meis meritis, quaue iustitia facilitas hæc mihi contigit. Agnosco sanè maiorem hanc facilitatem esse, quàm vt vllis meritis, factisque meis ascribi possit. Matrem autem Domini vocat etiam ante quam peperit. Alias enim (inquit Theophyl.) non solemus matres vocare prius, quam pariant, propter metum abortiendi: in Virgine autem nihil tale suspicari oportebat. Deinde aliarum conceptus non statim est animatus: virginis vero fœtus mox vt conceptus fuit, animatus fuit. Ideo a conceptione mox mater dici vere potuit. Dicens autem

matrem Domini mei, ostendit a Spiritu sancto edoctam se vtramque fœtus naturam, Dei scilicet & hominis, Propter naturam enim humanam dixit: Fructus ventris tui, propter diuinam, domini mei. Affert autem deinde Elizabeth causam, quare eam benedictam dixerit inter mulieres, & matrem Domini sui, nempe quod hoc ita esse indubitato argumento didicerit ex gesticulatione filij sui, Spiritu sancto scilicet edocente quid ea portenderet gesticulatio: simulque intelligi potest causam reddere quare fœlicem se reputauerit ob aduentum Mariæ, quod scilicet illius aduentum, & salutationem tam senserit efficacem. Ecce enim inquit, vt facta est, &c.

Iam quod sequitur: *Et beata quæ credidisti*, Græca modo habent per tertiam personam ad verbum tic: beata quæ credidit, quoniā erit perfectio dictis ipsi a Domino. Porro Interpres noster pro ἔσται legisse videtur cum aspiratione ἅυται, & sic potest totum per secundam verti personam, viderique potest ea lectio esse verisimilior. Quod si autem per tertiam legatur personam, intelligi debet Elizabeth hic prophetante prophetico more mutasse personam. Aut alias personas in hoc colloquio fuisse præsentes, ad quas conuersa Elisabeth beatam prædicauerit virginem quod credidérat. Illud autem à domino si referatur ad participium, dicta, exponi debet pro ex autoritate & nomine domini, alioqui referri posset ad verbum perficiētur, vt sit sensus, quæ dicta sunt tibi, perficientur à domino.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Rursum in Virgine hic admiranda offertur summa mentis illius humilitas animi gratitudo, atque deuotio in Deum. Magnificare autem hic accipi debet pro extollere laudibus, magnitudinemque Dei agnoscere, admirari, & prædicare. Dicit autem: *Anima mea*, vt insinuaret se non lingua tantū, sed magis anima, & ex præcordiis se dominum laudare, & glorificare. Porro cum exultare potius ad corpus pertineat (significat enim quandam lætantis gesticulationem) hic tamē ad Animam & Spiritum transfertur: ad significandam lætitiæ magnitudinem, & spirituale quoddam mentis tripudium, quo Anima extra se rapta in Deum fertur. Exultare autem & lætari in Deo, est de Deo gaudere, eumque gaudij nostri esse obiectum & materiam. Bene autem prius dixit: Magnificat, deinde exultauit, Cum enim magnificare pertineat ad intellectiuam vim, exultare vero ad voluntatem, & affectum: istud ex illo nascitur. Dixit autem prius Animam, postea Spiritum Hebræorum more, quibus solenne est idem, in Canticis maximè, sub aliis repetere verbis. Aut animam simul dixit & Spiritum, significans totum Animam quanta, quanta erat in Deum ferri, quatenus scilicet & humana, & diuina respicit. Iam in his duobus versibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

dominum & Deum, simpliciter intelligimus vtrumque significare Deum communiter, hoc est, vt totam includat Trinitatem. Pro salutari autem Græcis est σωτῆρι. i. saluatori. Sed frequẽter in Scrip
Psalm. 24 & 135. turis saluaris, vel salutare accipitur pro Saluatore, vt ipse Deus meus, & salutaris meus.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Dictio humilitas hoc loco significat exiguitatem, & abiectionem, hæc enim est eius vera & propria significatio. Nec est Græcis respexit humilitatem, sed ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν, id est, respexit ad humilitatẽ, quamuis ad sensum parum faciat. Itaque sensus est, Respexit exiguitatem ancillæ suæ, hoc est, me exiguam, & infimam, ancillam suam. Secundum quem sensum magis his verbis Virginis modestia, & humilitas animi nobis commendatur, quam si nomen humilitatis hic pro virtute acciperetur. Non enim solum Deum respexisse dicit, ad ancillam suam, imò, quod magis aliquid est, ad exiguitatem ancillæ suæ, quod intelligendum potissimum de exiguitate quoad merita. Existimabat enim se nullius meriti, nullius que virtutis, nec id quidem ficte, aut falso: quoniam considerabat se ipsam ex parte sui, non ex parte donorum. Ostendit autem quãtum dominus se respexerit, dum addit.

Ecce enimex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quasi dicat, Tanto ille me prosequutus est fauore, vt ob eum non a te solum ô Elizabeth beata sim prædicanda, aut ab huius ætatis Iudæis: sed felicem etiam prædicaturæ sint omnes generationes, quæ seculis omnibus sibi succedentibus vniuersum orbem inhabitabunt. Porro dum se beatam dicendam asserit: rursum significat se nullum suorum meritorum habere respectum. Siquidem ab eo fœlices verè dicimur, quod nobis non nostris meritis, sed gratuito Dei munere concessum est. Proinde rationem subdens quare beatam eam sint omnes prædicaturi.

Quia, inquit, *fecit mihi magna*, vel vt potius significẽt dictio Græca μεγαλεῖα magnalia aut magnifica, quasi dicat. Non propter meam virtutem existimo me ab omnibus prædicandam fœlicem, sed quia fecit mecum magnalia qui potens est. Adiecit autẽ *qui potens est* (pro quo Græcis est vna dictio ὁ δυνατὸς potens) vt ne quis minus credat his, quæ ab ea dicuntur, & incredibilem nouæ conceptionis modum per considerationem omnipotentiæ diuinæ astruat.

Et sanctum nomen eius. Hæc pars sic intelligitur. Et sanctum est
Psal. 110. nomen eius, quemadmodum in Psal. Sanctum, & terribile nomẽ eius, supple est. Proinde Maria postquam de Dei in se declarata bonitate, & potentia cecinit: hic iam in generali de excellentia Dei canere incipit, ex plenitudine deuoti cordis prorumpens in celebrationem sanctitatis misericordiæ potentiæ, & Iustitiæ diuinæ.

Benè

Benè autem postquam prædicauit Dei in se declaratam potentiã, prædicat etiam eius sanctitatem: quoniã & Angelus per Spiritum sanctum, & virtutem Patris, conceptum hlij Dei in ea perficiendum prædixit. Sanctum itaq; Deum dixit merito, quia in summa puritate per illius sanctitatem tam sanctum concepit filium.

Et misericordia eius à progenie in progenies. Post prædicatam Dei sanctitatem, commendat etiam communem eius misericordiam. Communem, inquam, & omnibus seculis, & omnibus sine distetione personis, quæ timent illum. Quamuis autem misericordia Dei diffusa sit super omnia opera eius, & secundum aliquos effectus communis timẽtibus, & non timentibus eum: perfecta, tamẽ Dei misericordia solis timentibus eum conuenit, quæ consistit in fubleuatione à veta miseria, hoc est, à miseria æternæ damnationis, & in eo, quod in presenti vita omnia eis in bonum Deus cooperari facit, & post hanc vitam æterna fœlicitate gaudere donat. Aptè autem potius dicit timentibus eum, quam sperantibus in eum, aut diligentibus eũ: quia prius de Dei potẽtia, & sanctitate cecinit quibus respondet in nobis timor, & reuerentia Dei: Nomine enim timentiũ significat piè reuerẽtes Deũ, quod sanctitati Dei debetur.

Fecit potentiam in brachio suo, &c. His versibus non solum intelligendum est cani ea, quæ tum erant præterita, sed sub intellectu litterali, qui est de rebus temporalibus & sensibilibus simul etiam conuenit, quemadmodum frequenter in Psalmis, & in Annæcantico (cuius argumentum ex magna parte imitata est Maria) intelligere mysticè spiritualia Dei opera, quæ præfigurata per facta sensibilia prioribus temporibus à Deo facta, iamiam per Christum erant perficienda: vt ita intelligamus hic cani præterita vt simul etiam futura, prophetice canantur. Itaque fecit potentiam in brachio suo, hoc est, per virtutem & fortitudinem suã frequenter potenter operatus est, & mirabilia designauit. Brachium enim conuenienter hic accipitur pro Dei virtute sicut alias sæpe. Potentia vero hic accipi debet pro effectibus mirabilibus Dei potẽtia perpetratis

Dispersit superbos mente cordis sui. Relatiuum sui, non debet referri ad Deũ, sed ad superbos patet ex Græcis, quæ habẽt ὑπερηφάνους cordis ipsorum. Porro ablatiuus iste mente, vel cogitatione iungi potest vel cum superbis, vel cum dispersit. Si priori modo sensus erit, Dispersit eos qui superbierunt in cogitatione cordis sui, quique apud seipsos de se magnifice senserũt. Si vero coniũgatur verbo dispersit, sensus erit, dispersit superbos per cogitationem ipsorum: vt significetur superbos suis ipsorum consiliis dissipari. Dispergere autem dicitur Deus superbos, non solum quia eos secundum locum dispergit aliquando, quẽadmodum nunc fecit Iudæis, sed quoniã eos perdit, conatus frustratur, viresq; aufert. Itaque *deposuit potentes de sedibus suis*, dũ potẽtes frequẽter Reges pote

Itate exuit, dum & dæmones è sedibus regni cælorũ deiecit ac demum dominium super fideles eis abstulit, dũ & Iudæos in populo Dei primũ obtinentes locum iã inferiores fecit, trãslato ab eis regno ad populum Gentilem. *Et exaltauit humiles*, id est, abiectos, & viles. (Nam cum humiles hic opponantur potentibus, videntur humiles potius debere intelligi viles, & ignobiles, quam humules corde, quanquam Græca dictio vtrumque significet, sed magis viles) quia frequenter viles ad regale solium euexit, vt patet in Saule, Dauide, & aliis, deinde quia homines ad regni cælestis gloriam prouexit, eisque dæmonibus imperandi potestatem dedit, postremũ quia Gentes in populo Dei primum iam dedit obtinere locum. Ita & *esurientes*, hoc est indigentes *impleuit omnibus bonis*. Nam frequenter pauperes temporaliter diuites fecit, & facit, & gentes omni gratia Spiritus olim destitutas, omnibus bonis spiritualibus per Christum impleuit, & omnes qui esuriunt iustitiam, & virtutem & hic, & postea saturat. Deinde vero contra *dimisit* vel vt habent significantius Græca ἐξαπέστειλε, hoc est, emisit, scilicet à se *inanes* & vacuos, quia frequenter omnibus bonis abundantes ad inopiam redegit, & Iudæos, qui per cognitionem legis, & Iustitiam, quæ in lege est nullo se indigere putabant apud Deum reiecit à se omnibus bonis vacuos. Et quotquot abundare se existimant diuitiis ingenij sapientiæ & potentiæ humanæ, indignos reputat quod suis spiritualibus bonis ditet.

Suscepit Israël puerum suum memorari misericordiæ suæ. Per Israëlem ad literam intelligit veterem populum Israëliticum, cui primùm natus, & missus est Saluator, & ex quo plerique credentes saluati sunt: quamuis populo illo magna ex parte Christum reijciente Gentilis populus in illius locum successit, factus per spiritum Israël, & semen Abrahæ, de quo proinde mystice istud intelligi debeat Israëlem autem puerum suum vocat, hoc est, seruitutem suum ad distinctionem Gentium idolis seruientium. Hunc itaque suscepisse Deum dicit, quia more succurrentis, ac manum porrigentis, eum saluandũ ab hostibus suis, & omni malo recepit. Porro in eo quod sequitur *memorari misericordiæ suæ*. Interprete vertisse Infinitiuũ, memorari & non participiũ recordatus vt cãtatur in Ecclesiastico officio, patet & ex Latinis codicibus emendatis, & Græcis quæ habent Infinitiuum μνησθῆναι, quem in Cantico Zachariæ vertit pro memorari. Debet autẽ Infinitiuus ille vtrobiq; exponi pro vt memor esset, & hoc rursum sic, vt memorẽ se declararet. Tum enim dicitur nobis Deus alicuius memor: dũ qui ad rẽpus visus est oblitus esse, memorẽ se ipso opere & effectu declarat. Iã postquam dixit ad *Patres nostros*, explicat quos Patres intelligat, nempe Abrahã, & semen eius Isaac, Iacob, & Dauid. Illud autẽ *in seculũ*, vel vt habent Græci in seculũ, potest cõiungi cũ semine eius, vt significetur semen

semen Abrahæ duraturũ in perpetuũ. Aut cum misericordiæ, & Infinitiuo memorari, vt sit sensus, vt recordaretur misericordiæ suæ in perpetuum exhibendo, aut vt recordaretur in perpetuum misericordiæ suæ.

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus. Videtur Lucas istud addidisse, vt indicaret ante partum abijsse virginem: quæ cum in mense sexto venerit ad visitandum Elizabet, & apud eam non integris tribus permanserit mensibus, significatur ante nonum mensem abiisse. Abiens autem non diuertit alio, sed reuersa est in domum suam.

Nascitur Ioannes, & Zacharias recepta loquela, benedicit Deum. Lucæ. 1. CAP. V.

Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & cõgratulabantur ei. Et factum est: in die octauo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes. Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebi suæ. Et erexit cornu saluatis nobis, in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum qui à seculo sunt prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiã cũ patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti, Iusiurandũ quod iurauit ad Abraham patrẽ nostrum daturum se nobis, Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. In sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum, Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

Elizabeth autem impletum est tempus pariendi. Quemadmodum in scripturis de solis Iustis dicitur quod impletis diebus vitæ suæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ambros. & Theophyl.

plenique dierum mortui sunt : ita plenitudo dierum non ponitur in scripturis nisi in generatione Iustorum. Plenitudinem enim habet Iusti vitá, dies autem impiorum inanes sunt ; & imperfecti, nec completi sunt peccatorú partus, meliusque illis fuisset, si nati non fuissent.

Et peperit filium. Istud adiectum, vt ostenderetur re ipsâ promissionem Angeli iam adimpletam, qui dixerat vxor tua pariet tibi filium.

Magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa. Hoc est, non solum fecit cum ea misericordiam, sed fecit misericordiam suam erga illam esse magnam: quod scilicet non solum à sterilitatis opprobrio eam liberauerit, sed id etiam in senectute eius fecerit, prolemque insuper dederit non fœminină sed masculam. Ob quam insignem Dei misericordiam *congratulabantur ei*, aut potius vt habent Græca συνέχαιρον αὐτῇ congaudebant ei. In quo ostenditur iam impletum quod dictum fuit ab angelo multi in natiuitate eius gaudebunt.

Vocabant eum nomine Patris sui Zachariam. Hoc est, vocare cœperunt, & voluerunt. Quoniam enim Pater elinguis erat, qui solet esse autor imponendi nominis: cognati suspicantes id Patrem velle, quod vulgo solet esse gratissimum, appellare cœperunt eum nomine Patris sui. Mater contra contendit eum vocandum non Zachariam, sed Ioannem.

Et postulans pugillarem. Hoc est, postquam postulasset non quidem per vocem, sed similiter per nutum, tabellam scriptoriam. Quod autem sequitur, *scripsit dicens*, dixisse intelligendus est, quia loquutus sit non ore, sed per scripturam loquentem. Non scripsit autem, Ioannes vocabitur nomen eius, sed *Ioannes est nomen eius*, quasi dicat, Quid de nomine imponendo solliciti estis, cum iam nomen sit ei impositum à Deo.

Et mirati sunt vniuersi. Tum quod in nomine tam nouo ambo inter se conuenirent parentes, tum quod significaret Zacharias nomen illi iam prius esse impositum. Admirationem auxit miraculum solutionis linguæ, de quo sequitur: *Et factus est* timor præ admiratione scilicet.

Et super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba, id est, facta hæc, nempe quod anus peperierat ex sene, quod in nouo nomine inter se parentes conuenerant, quod filius hic ab Angelo promissus esset, quod Pater prius ex loquente mutus factus, rursum ex muto facundus in laudem Dei prorupisset, quod vterque parens spiritu diuino afflatus esset. Quæ omnia hi, qui audierant, *posuerunt in corde suo*, hoc est, prestius apud se de his rebus cogitauerunt, ex his præludijs colligentes natum puerum magna, & inaudita patraturum, cuius natiuitas, & conceptio iam tum prodigijs insinua-

insinuaretur, iatque ob hæc dixerũt apud sese, & adinuicem. *Quis putas puer iste erit*, quasi dicerent, Cum nemo Prophetarum tã prodigiose natus sit, omnino apparet ad res summas delectum esse & unus quid quã in reliquis retro Prophetis in hoc perficiendum.

Etenim manus Domini erat cum illo. Græca habent tantum καί, id est, &. Tamen cũ hæc particula videatur ab Euãgelista apposita veluti ratione volente reddere quare de puero sic magnifice sentirent homines, videtur coniunctio &, debere etiam hic accipi pro quia: vt bene verterit Interpres. Etenim.

Et Zacharias Pater eius repletus est spiritu sancto & Prophetauit. Tum quia futura prædixit prius quidem de Messia, deinde vero de Ioanne, tum quia præcedentium oracula prophetarum prædicta de felicitate, ac salute per Messiam Israeli obuentura iamiam adimplendà canit spiritu prophetico intelligens, & explicans huiusmodi Prophetarum vaticinia spiritualiter esse accipienda de salute vera quæ in peccatorum remissione consistit. Dicit ergo. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Pro benedictus Græcis est εὐλογητὸς quod proprie est laudandus, vel benedicendus, vnde nostra littera sic accipi debet, benedictus sit Dominus, vel benedictus. i. Laudatus esse debet Dominus. Dicit autem Dominum Deum Israël, quamuis omnium esset Gentium Deus: quod ab Israelitico populo singulariter agnoscereturr, & coleretur, idque in typum populi qui ex Gentibus omnibus Deũ per Christũ erat agniturus, qui iam verior Israel dicitur, cuius peculiariter Dominus est Deus. *Quia visitauit, &c* Deum visitare hominem cum in bonam partem accipitur (vt hic accipi significatur dum sequitur. *Quia fecit redemptionem, &c.*) est eorum qui neglecti visi sunt ab eo habiti se memorem declarare, eosque beneficijs afficere, & à malis liberare. At vero etsi & alias in bonum Deus populum suum visitauerit, nunc singulari ratione visitauit, quia per filium suum in hunc mundum ad nos liberandos venit.

Et erexit cornu salutis nobis. Cornu salutis Hebraico tropo positũ est pro cornu salutari vel salutifero. Erexit autẽ Deus in familia Dauid cornu salutare: quia gloriam regni, & potestatem superandi hostes populi Dei iam admoxtam è familia Dauid, rursus nouo modo resuscitauerit in Christo iam nato ex familia Dauid. *Cornu salutis.*

Sicut loquutus est per os Sanctorum. Ostẽdit hæc nõ casu cõtigisse, sed id nũc præstitisse, quod olim promiserat per omniũ ora Prophetarũ. Dicit autem *Sanctorum*, vt ostendat se de his loqui, qui sancto afflari spiritu loquuti sunt.

Et qui à seculo sunt, qui fuerũt ab antiquis temporibus *Salutẽ ex Inimicis nostris.* Coniũgendus est accusatiuus Salutẽ cũ verbo loquutus est, vt sit sensus, Sicut locutus est salutẽ per Prophetas, ita iã fecit redemptionem, & erexit cornu salutare. Porro accusatiuus

Salutem

Universidad de Deusto
Biblioteca

Salutem hic accipi debet pro Saluatione, alioqui enim dure cohæ-
ret quod sequitur ex. i. *de Inimicis nostris*. Sunt autē Inimici nostri
de quibus loquitur Sathanas cum impiorum spirituum copijs, affec-
tus praui sollicitātes ad ea quæ Deo sunt inuisa postremo homi-
nes Impijamantes magis quæ sunt huius mundi, quam quæ Dei
sunt, per quos velut organa vim suam exerit diabolus. Ab his au-
rem omnibus saluamur per Christum in præsenti quidem seculo
secundum spiritum, in futuro autem etiam secundum corpus, &
perfectius secundum spiritum.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris & memorari, &c. Pro eo quod nos habemus ad faciendam & memorari, vtrobi-
que Græcis est Infinitiuus ποιῆσαι & μνησθῆναι vnde rectius vtrun-
que similiter vertisset, vt faceret misericordiam, & recordaretur,
hoc est memorem se declararet. Referenda sunt autem hæc ad ea
quæ præcedunt verba visitauit, fecit redemptionem, & erexit cor-
nu, explicat enim finem ob quem hęc Deus fecit. Itaque sensus est,
vt recordaretur Testamenti sui, & recordaretur Iusiurandū, quod
iurauit ad Abraham Accipitur autē hic Testamentum simplicitēr
Dei pro promissione, & pacto, quod proinde rectē ponitur ante ius-
iurandum. Nam prius Deus pactum cum Abraham inijt sine iura-
mento, postea vero etiam iuramento pactum & promissiones cō-
firmauit. Iam quod sequitur, *daturum se nobis*, quanquam hoc grā-
matica latina non bene admittat: tamen vt habeatur aptus sensus, *Genesi. 17 & 22.*
& sensus Euangelistæ, præstat vt ab his verbis daturum se nobis
noua incipiatur sententia, & exponatur pro eo quod est, vt ipse da-
ret nobis: sicut memorari exponi debet pro vt memoraretur. Quid
autem daret nobis. Nimirum *Vt sine timore de manu Inimicorum
nostrorum liberati seruiamus ei*, vel, vt potius verendum erat, ser-
uiremus ei. In hoc autem versu illud *sine timore* potius coniungen-
dum cum verbo seruiamus, quam cum participio liberati, vt sit
sensus, vt nos liberati de manu, i. De potestate hostium nostrorum
deinceps ei seruiamus liberè, & sine timore omni. Deinde vero ex-
plicatur qua in re Deo seruire debeamus, nempe quod non in sola
corporali adoratione, & externo cultu, neque in ceremonijs le-
galibus, sed potissimum in *sanctitate & Iustitia*. Ad excludendam
autem omnem fictionem in seruiendo Deo adiecit *coram ipso*, quo
simul significatur debita in seruiendo Deo reuerentia, quasi scilicet
illo semper presente. Et quoniam non sufficit ad tempus Deo ser-
uire, adiecit, *omnibus diebus nostris*. Porro pro sanctitate, non est hic
ὁσιότης, sed ὁσιότης, quod potius significat pietatē, virtutem qua
debita reuerentia Deo, parentibusque defertur. Itaque inter sanc-
tatem, & Iustitiam hoc loco hoc interest, quod sanctitas dicitur er-
ga Deum, Iustitia vero erga homines, dum vnicuique quod iustum
est defertur.

Et tu puer Propheta altissimi Vocaberis. Zacharias puerum etiam
non intelligentem alloquitur more Prophetarum, qui etiam irra-
tionabilia, & futuros quasi iam præsentes alloquuntur: idque ad
instructionē audientium & legentium. Reddit autem Zacharias ra
tionem ob quam vocandus sit Ioannes Propheta Dei, *præibis* enim
inquit ante *faciem* quę quidem ratio apta est, & conueniens. Nam
parando vias Domini dicere debebat iam appropinquasse regnum
cælorum, & mox post se venturū fortiorem se, qui baptizaturus
esset in Spiritu sancto, deinde parando vias Domini digito com-
monstrare debebat eum, quem à solo Spiritu sancto didicerat esse
filium Dei, qui tolleret peccata mundi, quę omnia manifestē osten-
dunt eum Prophetico spiritu afflatum fuisse. Porro parare vias Do
mini per tropium sic accipere debemus, vt quid tota Oratio signi-
ficet explicetur, non autem pro quo singulæ dictiones accipiantur
vt sit idem, quod abijcere quidquid aduenienti Domino possit esse
offendiculo, & efficere vt ab hominibus facilē recipi possit: quem
admodum vulgo serui ante suos Dominos gradientes lapides li-
gna, & quidquid eiusmodi viam Domini remorari, aut inexpedi-
tam reddere possit, remouent. Proinde explicaturus quomodo Io-
annes pararurus esset vias Domini, adiecit.

Ad dandam scientiam salutis plebi eius. Sensus enim est, præibis
ante Dominum vt pates vias eius, hoc est, vt des scientiam salutis
plebi eius. Per salutē autē intelligimus saluationē per Christū con
ferendam, & illud *in remissionem* coniungimus cum genitiuo salu-
tis: vt significetur salus hęc cuius cognitionem illaturus erat Ioan-
nes consistere in remissionem peccatorum, si legatur in remissio-
ne vt habent Græci; Aut eā salutem parari per remissionē peccato
rum. Sic enim & nostra litera intelligi potest, & Græcorum. Dein
de vt ne remissio peccatorum ex circumcisione, lege, propitjsque
operum meritis parari posse putetur, mox adiecit.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, significans remissionem pec-
catorū contingere per Dei misericordiā, eamq; non simplicem, sed
profundā, intimā, ac præmia charitate nobis cōmiserentē rursum
vt explicaret per qualē misericordiā consequamur remissionē pec-
catorū, adiecit, *in quibus*, hoc est per quę viscera *oriēs nos visitauit ex
alto* cælorū habitaculo: significans per solā eā misericordiā nos cō-
sequi remissionem, per quā Pater filium suū misit in mundū. Por-
ro dictio Oriens non potest hic accipi, vt sit participium, sed vt sit
nomen substantiuum, est enim Græcis ἀνατολή. Accipitur autem
pro Messia, & omnino respexisse videtur ad illud Zachariæ. Ecce
vir, Oriens nomen eius. Nam ex sequentibus dum dicitur Illumi- *Cap. 6.*
nare, &c. satis patet eum vocare Messiam Orientem, quod ad si-
militudinem Solis venerit illuminare hunc mundum. Cum au-
tem, vt iam dictum est, Oriens sit nomen substantiuum, illud ex

alto,

alto, non cum Oriens: sed cum verbo visitauit, construendum est.

Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent. Sensus litere noster est, Oriens visitauit nos, illuminare, hoc est, vt illucesceret his, qui sedent in tenebris. Debet enim actiuũ. Illuminare, accipi pro neutro Illucesco, alioqui enim accusatiuũ exegisset. Videtur autem hoc loco Zacharias ad locum illum Esaiæ (habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam) respexisse, ac proinde per tenebras, & umbram mortis intelligere eraßam hominum ignorantiam in qua detinebãtur ante Christum. Quia enim præcedit visitauit nos illuminare, &c. & sequitur, *ad dirigẽdos pedes nostros*: satis patet ad illuminationem hanc potius referendam ad viuentes quam ad defunctos patres in Limbo. Rectè autẽ etiã viuentes dicuntur in tenebris sedisse, ad significandũ quod nõ potuerunt propter ignorãtiarũ tenebras recte ambulare: sed coacti fuerint à conuersatione iusta superisedere, & quiescere. Ad quid autẽ venerit illuminare sedẽtes in tenebris explicat cum subijcit *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*. Ad hoc enim illuxit obtenebratis, vt qui propter tenebras sedebant, viamque pacis in qua ambularent, non cognoscebant, iam illuminati dirigerent pedes animi, id est, affectus, & actiones ad viam pacis, hoc est ad viam Iustitiæ, & conuersationem iustam. Hæc enim via pacis dicitur, quia per eam & in præsenti vita pax cum Deo, hominibus, atque eum ipsis nobis paratur, & in futura vita securissima ab omni malorum metu tranquillitas.

Puer autem crescebat, &c. iuxta staturã corporalẽ & cũ augmento corporis etiam magis ac magis *confortabatur*, secundum spiritum, & mentem, vel confortabatur à Spiritu diuino. Iamque augmentũ aliquod corporis consecutus & spiritu cõfortatus relictis paternis ædibus ab omni hominum frequentia se subducens secessit in desertum, vt ne minimum labis cõtraheret ex vulgi commercio, qui fuerat in vtero sanctificatus, & vt neminem reueritus liberè quemuis reprehenderet. Nec prius ad prædicandũ accessit, quàm iã venisset tempus quo visum fuit Deo ostendere illum populo Israelitico, vnde subiecit, *vsque in diem ostensionis sui ad Israël.* i. in diẽ quo demonstrandus erat Israelitis. Hic autem fuit annus vitæ eius vicesimus nonus, vt patet ex eo quod sequitur, Anno decimo quinto Tiberij Cæsaris, &c.

Texitur à Matthæo genealogia Christi:

Matth. 1. CAP. VI.

Liber

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esrom autẽ genuit Aram. Aram autẽ genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmõ. Salmon autem genuit Booz de Rachab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechiæ autem genuit Manassem. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim. Et a Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim. Et à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim.

Liber generationis. Non tanquam Titulum, & inscriptionem huius libri Euãgelista istud præmisit, cum sit libri ipsius pars aliqua, sed potius tanquam præmium: non totum quidem respiciens librũ, sed libri principium, vult enim hoc præmium tantum significare, quid in principio iam dicturus sit: quod deinde reliqua de Christo dicenda ordine congruo sequantur. Sicut ergo nomen liber hic impropriè accipitur pro scriptura, descriptione enarratione, aut vt vertit quidam, enumeratione, ita & nome Generationis impropriè accipitur pro genere, aut genealogia, hoc est, maiorum serie: cum propiè significet gignendi actionem, sicut & Græca dictio γενεσις quæ significatio proposito non conuenit. In eo autem quod dicit *Iesu Christi*, nomen Iesus, nomen est personæ, Christus vero nomen est dignitatis, & accipitur hic pro singulari illo Christo, quem omnes Iudæi tunc expectabant. Quod autem adiecit, *filij Dauid filij Abraham*, nonnihil habet ambiguitatis, potest, tamẽ hic esse sensus, filij Dauid, qui Dauid filius fuit Abrahæ, qui sensus verisimilior videtur. Dicit autem Dauidẽ esse filium Abrahæ, vt iam deinceps apte subiungeret Christi genealogiam,

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam ab Abraham auſpicari decreuerat.

Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Non dixit prius, Abraham genuit Iſaac & fratres eius, nec rurſum Iſaac genuit Iacob, & Eſau, hic autem adiecit, *& fratres* eius, idque in gratiam Iudæorum, quibus ſcribebat: quia ſcilicet à duodecim filiis Iacob Hebrei deſcenderunt, fueruntque vnus populus, ex quo Chriſtus naſciturus expectabatur.

Iudas autem genuit Pharez & Zaram de Thamar. Zaræ mentionem facit, quod vno partu cum Pharez genitus eſſet, cum myſterio magno ad Chriſtum pertinente. Thamar autem & Raehab, & Ruth & eius quę fuit Vriæ coniunx meminit, quarum duæ illicito concubitu vitiis coniunctæ ſunt, duæ ex gentilitate aſſumptæ & conuerſæ: tum vt manifeſtum faceret Chriſtum non dedignatum ex talibus naſci parentibus quod veniſſet peccatores ſaluos facere, & gentiles idololatria relicta populo Dei aſcribere, ſuæque gratiæ participes facere, tum quia mulieres illæ vitiis ſuis coniunctæ erant nouo quodam accidenti, in ſacris ſcripturis diligenter explicato propter myſterium ad Chriſtum pertinens.

Salmon autem genuit Booz, Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Putat Nicolaus Lyra Booz Patrem Obeth non fuiſſe filium Salmon immediatum, ſed fuiſſe duos intermedios eodem nomine appellatos, & ſub illo nomine ſimul comprehenſos. Quod etſi non poſſit conuinci eo argumento, quo ipſe vtitur: videtur tamen idem probari poſſe alio argumento, quod vide in Concordia. *Ieſſe autem genuit Dauid Regem.* Quod Pater Dauid hic dicitur Ieſſe cum alibi dicatur Iai, non eſt intelligendum eum fuiſſe binominem apud Hebræos: vnum eſt enim apud eos nomen quod ſecundum ſuas puncta legitur Iſai & quod paululum variando puncta Septuaginta, Interpretes Græci ſemper verterũt *Ieſſai*. Porro Dauid hic Rex vocatur, quod primus ipſe eſſet Rex in progenie Chriſti, quodque primus eſſet Rex in populo Iſraëlitico, in cuius ſemine regnum diu permanſit & vult huiuſmodi appellatione non ſolum notare dignitatem proſapiæ Chriſti, ſed etiam quod ſub Dauide cæperit eſſe nouus ſtatus in populo Iſraëlitico, ſicut in Abraham cepit originem Circumciſio. Volens autem ſignificare Bethſabee matrem Salomonis: non proprio eam appellauit nomine, ſed circum locutione eam deſignauit dicens, *ex ea quæ fuit Vriæ*: vt hac ratione in memoriam reuocaret & homicidium, & adulterium Dauidis: idq; non ſolum propter generales illas cauſas ob quas prius dictum eſt quatuor mulieres hic expreſſas: ſed etiam vt oſtenderet ſummam Dei clementiam, quod non ſolum propter crimina illa Dauidis nõ reſciderit promiſſionem factam illi de Chriſto, ſed etiam Chriſtũ ex Dauide per eam mulierem naſci voluerit, cum qua adulteratus erat, & propter quam homicidium perpetrauerat.

Ioram autem genuit Oziam. Ex 4. Reg. & 2. Paralip. conſtat Ioram non genuiſſe Oziam immediatè, ſed alios tres interceſſiſſe, quos Matthæus non per errorem omiſit, ſed quia teſte Hieronymo propoſitum eius erat tres teſſaradecades in diuerſo temporum ſtatu ponere, & Ioram generi ſe miſcuerat impiiſſimę Iezabel, idcirco vſque ad tertiam generationem memoria eius tollitur, ne in ſanctæ natiuitatis ordine poneretur.

Ioſias autem genuit Iechoniam. Iechonias hic non eſt idem cum eo, qui poſtea dicitur genuiſſe Salathiel: ſed primus iſte Iechonias ſecundum Hieronymum debet intelligi Eliacim, qui mutato nomine à Rege Ægypti dictus eſt Ioacim Pater alterius Iechoniæ, qui genuit Salathiel *& fratres eius.* Mentionem facit fratrum eius quoniam ſcilicet deſcribit hic eos, qui ex ſemine Dauid Reges fuerunt; inter quos etiam fuerunt duo fratres Iechoniæ, *in tranſmigratione.* Cum certum ſit Ioſiam genuiſſe Iechoniam, & fratres eius ante trãſmigrationem (mortuus enim erat ante primam trãſmigrationem pluſquam vndecim annis) patet illud in tranſmigratione debere exponi pro eo quod eſt circa tranſmigrationem, & ipſa iam imminente. Tranſmigratio autem Babylonis nouè poſitum eſt pro tranſmigratione Babylonica, vel in Babylonem.

Et poſt tranſmigrationẽ Babylonis Iechonias genuit Salathiel. Quomodo Zorobabel hic dicatur filius Salathiel, dicemus infra circa genealogiam Lucæ cap. 14.

Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. Ioſeph dicit virum Mariæ, vt inſinuaret ſe ob id genealogiam hanc ad Ioſeph vſque deduxiſſe: vt ex genere Ioſeph genus etiam virginis cognoſceretur. Porro cum additur *qui vocatur Chriſtus*, vocari non diſtinguitur contra eſſe, ſed cognomen Ieſu de quo loquitur inſinuare voluit, quo diſtingueret eum ab alijs, qui vel prioribus temporibus, vel illis temporibus appellarentur nomine Ieſus.

Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad Dauid, generationes quatuordecim. Dicit quatuordecim eſſe generationes ab Abraham vſque ad Dauid: quia quatuordecim ſunt perſonæ generantes, & genitæ. Porro præpoſitio, Ad, cum dicitur vſque ad Dauid, vſque ad tranſmigrationem, vſque ad Chriſtum, ſemper debet accipi vt ſignificet debere includi eum vſque ad quem generatio protenditur. Sic & præpoſitio, à, cum dicitur ab Abraham, & à tranſmigratione incluſiuè accipi debet, cum verò dicitur à Dauid, excluſiuè: cum Dauid ad primam, & nõ ad ſecundam pertineat teſſaradecadem.

Angelus Ioſeph nunciat ſacrum Virginis conceptum. Matthæi 1. CAP. VII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CHRISTI autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata mater Iesu Maria, Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum.

Christi autem generatio sic erat: Dictio Generatio, quæ hic iam tertio ponitur in hoc primo Matthæi capite, non eo modo hoc loco accipitur, quo prius, sicut & Græcis non est eadem dictio. Hic enim est γένεσις, quod est Natiuitas à γενέα genero. Sensus itaque est, Christi natiuitas sic se habebat, vt hic dicturus sum, quasi dicat. Ipsius Natiuitas non se habuit, vt reliquorum de quibus dixi, sed nouo quodam, & inaudito modo, quem iam explicabo.

Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph. Chrysostomus & alij asserunt Mariam iam fuisse traditam Ioseph in vxorem, & ita in domo Ioseph habitasse. Despõsata enim dicitur non solum quæ promissa est, sed & quæ iam tradita est viro. Nam & postea dicitur Ioseph iuisse in Bethleem cum desponsata sibi vxore. Illud autem, *antequam conuenirent*, etiam secundum Hieronymum intelligi debet de concubitu coniugali, quem hoc modo honestè & verecundè significat Euangelista. Neque tamen secundum hunc sensum hinc consequitur postea conuenisse inter se Ioseph & Mariam, quemadmodum ex hoc loco collegit Heluidius. Quod autem dicit *inuenta est*, hoc est, reperta est, intelligendum indubiè significari eam repertam grauidam à Ioseph marito qui (inquit Hieronymus) sponsæ vterum tumentem iam pene licentia maritali, & curiosis oculis deprehendit. Porro quod nos habemus in *vtero habens*, seu habere perinde est quod grauidam esse, & concepisse. Ne vero quispiam turbetur eo quod dixerit. Reperta est esse grauida, si hoc solum audiat, ideo adiecit *à Spiritu sancto*. Quæ tamen oratio non potest coniungi cum toto illo præcedenti, inuenta est habens in vtero, cum Ioseph qui reperit eam esse grauidam, non intellexerit eam esse grauidam ex Spiritu sancto: sed coniungi tantum debet cum participio habens, vt sit sen-

sus, Inuenta est habens in vtero, habens inquam, non ex viro quidem, sed de Spiritu sancto.

Ioseph autem vir eius cum esset Iustus, & nollet eam traducere. Iustum vocat Ioseph, non ob vnam illam virtutem, quæ auaritiæ contraria est, & reddit vnicuique quod suum est: sed ob absolutam numetis omnibus probitatem. Cum autem dicitur Ioseph cum esset Iustus, & nollet eam traducere, &c. intelligendũ explicati causam, quare traducere eam noluerit, nempe quia Iustus erat, vt sit sensus: Cum esset Iustus, hoc est bonus, & ob id nollet eam παραδειγματίσαι traducere, hoc est infamare, & in publicum proferre. Ex eo enim quod Ioseph postea ab Angelo edoctus est conceptum virginis non fuisse ex viro, sed ex Spiritu, satis patet ipsum Ioseph id prius non cognouisse, sed contrarium suspicatum fuisse, hoc est adulteram eredidisse, quemadmodum non verentur fateri Chrysostomus & Augustinus. Significatur ergo hic tanta fuisse Iustitia Ioseph (vt Iustitia generalis est virtutus) vt duo vellet, nempe & consulere sibi, ne cohabitando adulteræ videretur fauere crimini, & consulere coniugi, ne vituperaret eam, & pœnæ legis obnoxiam faceret, atque ideo medium elegisse vt scilicet occultè dimitteret eam. Porro modus dimittendi occultè fuisset per libellum repudij ei secretò datum. *Ex 54. ad Macedonium.*

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini, &c. Per hoc quod dicitur Angelus apparuisse hæc illo cogitante, non debet intelligi, quod inter cogitandum Angelus illi apparuerit: sed postquam interdiu vigil hæc cogitasset, tum deinde in somnis ei apparuit. Est enim Græcis tempus præteritum Ἰωσὴφ δὲ ἐνθυμηθέντος, hoc est, hæc autem cum ille cogitasset. Iam ex eo quod dicitur Angelus apparuisse Iosepho, & locutus illi in somnis, vel vt habent Græci κατ' ὄναρ, hoc est, per somnium: intelligendum Angelum non apparuisse in propria sua persona, neque in assumpta visibili forma, nec locutum sensibili aliqua voce: sed visum & locutum illi per species in fantasia formatas, quæ Angelum præsentem, & colloquentem repræsentarent. Non tamen ob hoc Deus, vel Angelus, qui huiusmodi nouas species formauit fefellit Ioseph, eo quod huiusmodi species formatæ non essent ad hoc, vt crederet Angelum in ea forma, in qua repræsentabatur esse præsentem, aut loquentem eis verbis, quæ species illæ præ se ferebant: sed tantum ad hoc, vt crederet vera esse, quæ apparentibus illis verbis significabantur, & vere illa ab Angelo Dei denunciari.

Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariã coniugẽ tuã. Blãdè illũ Angelus compellat proprio eũ nomine vocans, & Filium Dauid, vt magis persuadeat: nec increpat de suspitione falsa, eo quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationabilis esset Filium etiam Dauid appellat, vt sic in memoriam illi reuocaret promissionem Dauidi factam de Christo ex semine eius nascituro. Cum autem dicit, *noli timere*, significat iam timuisse ne offenderet Deum quasi adulteram fouens. Porro noli, inquit, *timere accipere* non quod eã nondum acceperat, sed quod eam iam mẽte abalienauerat à se. Itaque accipere hic est idẽ quod intus retinere, & sibi in consuetudinem vitæ adiungere, quam dimittere statuerat. Iam enim fuisse acceptam illud satis ostendit, quod eam coniugem eius vocat: sicut prius Euangelista eundem Ioseph virum Mariæ bis appellat. Reddit autem rationẽ quare metuere non debeat.

Quod enim, inquit, *in ea natum est, de spiritu sancto est*, q. d. Tu quidem metuis tibi eam adiungere quod eum concepisse eam, & tamen non ex te, scias ex alio viro per adulterium conceptum se putes: verum ego tibi affirmo eius conceptum sicut non ex te, ita nec ex alio esse viro, sed de Spiritu sanẽto, qui vt vxoris castitatem non temerauit, ita longe sanctiorem reddidit: vt meritò ob tantam vxoris tuæ sanctitatem gaudere debeas.

Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Aperuit Angelus Ioseph vnde erat, quod in virgine iam conceptum erat, deinceps vero qualis sit futurus conceptus fœtus, nempe quod filius, & talis filius, qui saluator esset populi Dei: insinuans simul & humanam, & diuinam eius naturam. Humanam quidem cum dicit: *Quod natum est in ea, & pariet Filium*, diuinam vero cum dicit, *Saluum faciet à peccatis*. Solius enim Dei est a peccatis redimere, & saluum facere. Cum autem dicit: *Et vocabis nomen eius Iesum*, significat eum etsi pueri pater non esset, Patris tamen officium & curam erga puerum subire debere: nec existimare debere virginem a se dimittendam, quasi eius consortio indignus esset, sed potius illi in omnibus subministrare. Cæterum cum dicat Angelus eum vocandum Iesum, *quia saluum faciet &c.* ostendit manifestè eum vocandum a salute. In scripturis enim quandocunque nominis alicuius impositi ratio explicatur, semper inuenitur radix vnde nomen deductum est. Et noui Testamenti Scripturæ frequenter Iesum saluatorem vocant, coniungitque Paulus aliquoties nomen Saluator cũ nomine Iesus, veluti nominis Christi significationem explicans, vt omittamus quod ab initio Ecclesiæ semper omnes senserunt à salute Christum dictum Iesum.

Iesus à salute dictus.

Hoc autẽ totum factum est, vt adimpleretur, &c. Nihil istius rei (vt Euangelista) fortuitò, aut casu factum est, neque nunc tantum hæc Deo placere cœperunt, sed longè ante à Deo præordinata fuerunt. Non dixit autem, quod dictum est ab Isaia, sed *quod dictum est à Domino per Prophetã*, vt ostenderet Dei magis quã Prophetæ esse sermonem. Verum calumniantur Iudæi quod legamus *Ecce virgo concipiet*, volentes legendum. Ecce puella vel adolescentula, eo quod Hebraicè non sit בתולה quod propriè significet virginem, sed עלמה quod propriè puellam significat. Contra quos dicendum dictionem Alma propriè quidem non significare virginem, nunquam tamen in scripturis dici nisi de ea, quæ virgo sit. Sic enim & Rebecca ante nuptias alma dicitur, & lingua Punica, quæ de Hebreorum fontibus ducitur, proprie virgo Alma dicitur. Sed & Septuaginta hoc loco verterunt παρθένος, id est, Virgo, Isaias autem potius posuit Alma, quam Bethula, tum vt cælaret impiis mysterii tum quod Alma plus quid significet, quam Bethula. Potest enim esse Bethula, hoc est virgo, quæ non sit Alma, sed non è contra. Farendum tamen ex istis his Isaiæ verbis nõ necessario conuinci posse Virginem in virginitate permanentem concepturam, sed ita intelligendum esse constare ex eo, quod pro signo nouo domui Dauid dicitur, Ecce alma, vel virgo cõcipiet: non enim nouum est Virginem per nuptias concipere. Iam istiusmodi est, quod ad Christum nostrum hanc Prophetiam non pertinere arguunt Iudæi, ex eo quod sequitur, *& vocabũt nomẽ eius Emmanuel*, eo quod Christus non Emmanuel, sed Iesus dictus sit. Scripturę enim mos est dicere aliquem vocandum tali, vel tali nomine dum vult significare eum talem & futurum, & ab hominibus agnoscendum, qualis nomine illo significatur. Emmanuel autẽ vel Immanuel quod interpretatur nobiscum Deus, rectè à nobis Saluator dicitur: tũ quia in eo diuina natura nostræ humanæ naturæ cõiuncta est, & Verbum Dei caro factum, atque apud nos aliquãdiu conuersatum, tum quia in eo Deus suam erga nos benignitatẽ eximiam declarare cœpit, per ipsum reconcilians sibi mundũ. Scripturæ enim phrasi Deus cũ aliquo esse dicitur, dum in illum fauorem suum declarat. *Exurgens autem Ioseph à somno fecit, &c.* His verbis magna nobis virtus obedientiæ & fidei Ioseph cõmendatur, qui Angelo tantum per somnium admoneuti, & rem tam incredibilem, & nouam affirmanti tam cito credidit, & obedijt. Deinde & probitas Virginis satis insinuatur nempe quod ea tanta fuerit, vt ob eam facilè, quod in ea à Spiritu sancto factum dicebatur Ioseph crederet. Dicit ergo Ioseph fecisse sicut precepit ei Angelus, quod declarat cum subdit, *Et accepit coniugem suam*, in diuulsam scilicet vitæ consuetudinem. Nam alioqui eam prius acceperat. Ne autem ex eo quod dixit: Accepit vxorem suam, intelligatur carnaliter eam cognouisse, sed vt intelligeretur Mariam sicut virgo concepit, ita etiam & virginem peperisse, subiungit, *Et non cognoscebat eam* (verbo autem cognoscendi Hebraico more indubiè significat coitum) *donec peperit, &c.* Diuus Hieronymus prolixè, & efficaciter docet dictionem donec, non

Emmanuel Christus.

Ifs. 9. vocabitur nomen eius, admirabilis cõsiliarius Deus &c.

Contra Helui diã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

semper significare certum tempus, quo completo fiat id, quod vsque ad præscriptum tempus non fiebat: sed tantum quod nunquã factum est, vsque ad certum tempus dici non factum, quo videri poterat illud factum, & quo necesse erat sciri illud non esse factum. Vt enim intelligeretur Mariam virginem peperisse, quod omnino scire fideles necessarium erat, dicitur: *Non cognoscebat eam Ioseph*, donec peperit. Cæterum quod attinet ad dictionem primogenitum, ostendit primogenitum in scripturis dici, non tantũ post quem alij, sed omnem eum ante quem nullus, vt patet ex lege quæ præcipit primogenita Deo offerenda.

Natus in Bethleem Christus pastoribus nunciatur, & circunciditur. Lucæ 2. CAP. VIII.

FACTVM est autem in diebus illis exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima: facta est à præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autẽ & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudeam, in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethleem: eò quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere, ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes

Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos. Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur.

Factum est autem in diebus illis exijt edictum à Cæsare Augusto. Hoc decretũ promulgatũ est Anno 42 vel circiter imperij Octauij Cæsaris, qui Augusti nomen primus accepit à populo Romano, cum occiso Antonio, & Ægypto subacta triumphans domum rediisset. Descriptionem autem hanc peractam sine appretiatione bonorum (quomodo aliquando fiebat) vt cognosceretur numerus hominum, qui imperio, vel regno subessent, apparet partim ex Orosio, partim ex his, quæ dicit Lucas. Si enim singulorũ bona in hac descriptione apprætiabantur, non conueniebat vnũquemque ascendere in eam ciuitatem vnde erat oriundus, sed potius ibi describi vbi habitabat, & domum, possessionesq; habebat. Verum quoniam capita eorum, qui nomẽ darent Cæsari annumeranda erant: necesse erat Iudæis in vnam conuenire ciuitatem vnde erant oriundi. Nã Iudæorum mos erat, vt si quando numerarentur, describerentur in sua tribu, & familia. Certum tamen est in hac descriptione à singulis, dum nomen suum darent, etiã numum aliquem in subiectionis professionem datum, sed qui videri potest; omnibus fuisse idem, qui etiam census dictus est, & census ille, qui in hac descriptione actus est, deinceps, vt apparet, singulis annis exolui debebat. Iam quod dicit Euangelista *vniuersus orbis*, hyperbolyca locutio est, quę per synecdochen intelligi debet, Vrbs intelligatur maxima orbis pars, aut subintelligi debet, orbis Romanus, vel Romano imperio subiectus.

Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino, &c. Intelligendum est, vt patet ex Orosio, hanc descriptionem absolutè dici primam, quod etsi ante eam particulares aliquorum locorum, aut regionum præcesserint, nunquam tamen tam generalis fuerit descriptio etiam ab orbe condito, neque similis contigit aut in imperio Babylonico, aut Macedonico. Proinde sic locutus ille distinguendus est. Hæc prima descriptio vniuersi orbis, ac deinde distinctiuncula interposita subiungendum, facta est Præside Syrię, hoc est, cum esset præses Syriæ Cyrinus, aut, vt habet nostra litera, facta est præside. Ideo enim facit Lucas mentionem præsidis Syriæ, vt significaret descriptionem hanc factam in Iudæa ab illo Romanum nomine.

Et ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatẽ. Pro profiterentur, Græcè idem est verbum nẽpe ἀπογράφεσθαι quod prius vertit describeretur: proinde & hic verti potuisset, vt describerentur, & prius, vt profiterẽtur. Dictio enim Græca vtrũq; significat, sicut etiam apud nos in idem concidunt profiteri, & describi: cũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quicunque profitebatur, etiam describeretur. Describebatur enim à censoribus qui nomen suum dabat principi, & ei subiectionem profitebatur, proinde professio dicitur respectu eorum qui censebantur, descriptio respectu eorū, qui censebant. Porro quod dicit, *in suā ciuitatē*, oportet per ciuitatē vniuscuiusq; intelligere non ciuitatē in qua quisq; natus erat aut habitabat, sed eam vnde quisque erat oriundus. Ioseph enim in ciuitatē Bethleem ascendit tanquam in suam ciuitatem, cum tamē non in ea non habitaret, & fortasse nec natus esset.

Ascendit autem & Ioseph à Galilea, &c. Euangelista sicut describens locum vnde Ioseph ascenderit, prius regionem nominat dicens, de Galilæa, ac deinde regionis ciuitatem dicens, de ciuitate Nazareth: ita descripturus locum quò ascendebat, prius regionem nominat, dicens in Iudæam, ac deinde regionis ciuitatem dicens, in ciuitatem Dauid. Non enim legendum in Iudæam ciuitatē Dauid: sed cum duplici præpositione, in Iudæam, in ciuitatē Dauid. Porro necessario adiecit, *quæ vocatur Bethleem*, ad distinctionem alterius ciuitatis, quæ etiam ciuitas Dauid dicitur in scripturis. Apparet autem in hac descriptione etiam præceptum fuisse, vt & mulieres profiterentur, quia hic dicitur: *Vt profiteretur cum desponsata sibi vxore*. Nam quamuis illud cum desponsata, referri possit ad verbum, ascendit, vt significetur Ioseph ascendisse cum vxore sua: tamen non videtur verisimile Ioseph eum vxore sua tam vicina partui ascensurum, nisi & mulieres describi necesse fuisset. Dicitur autem Maria adhuc desponsata Ioseph cum iam aliquot mensibus eū eo vixisset, cum significandum eam adhuc incognitā fuisse viro ac virginem peperisse, sicut virgo conceperat.

Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. Recte impletos esse dies partus dicit, quo declararetur magis verum esse hominem, qui nascebatur. Sicut autem per hoc quod dicitur virgo peperisse, significatur eam tanquam vera illius Mater ædidisse in hunc mundum per genitalia membra: ita cum dicitur *pannis involuisse & reclinasse in præsepi*, significatur satis sine dolore omni, & languore peperisse, vt quæ sine libidine conceperat, nec aliquam ibi adfuisse obstetricum, quæ genitum paruulum exciperet, quemadmodum Apocryphi quidam libri mentiuntur. Quod autem non erat *eis locus in diuersorio*, magis videtur fuisse propter multitudinem hospitum tunc occasione descriptionis aduentantium, quam propter paupertatem. Nam postea Magi inuenerunt puerum cum matre in domo: verum tempore partus non erat in diuersorio aptus locus patienti, quæ solitudinē requirit. Paupertas tamen virginis etiam his verbis satis insinuatur: vt quæ in ea ciuitate vnde erat oriūda nullam haberet domum propriam, nullos amicos ad quos diuerteret, nec tā diues, vt in illa hominū frequen-

tia secretum aliquod in domo cubiculum consequi posset. Porro pro eo quod habemus pannis inuoluit, Græce est ἐσπαργάνωσεν quod est infasciauit, aut fasciis inuoluit, ne quis imaginetur laceros pannos. Verisimile enim est Marię paupertatē fuisse mundam.

Et Pastores erant in regione eadem vigilantes. Pro dictione vigilantes, Græcis est ἀγραυλοῦντες, quod est, in agro pernoctantes, aut agentes, & stabulantes. Iam quod sequitur *custodientia vigilias noctis* vel vt habent Græca φυλάσσοντες φυλακὰς, hoc est, custodientes custodias, intelligendum est ipsum loqui de quatuor illis vigiliis & custodiis, in quibus olim nox distributa erat, & de quibus Euangelia sæpe meminerunt. Itaque significantur Pastores hi vicissim vigilias has obseruasse propter incursum luporum, aliarumque ferarum.

Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos. Græcè est ἐπέστη αὐτοῖς quod propter ambiguitatem præpositionis ἐπὶ potest etiam verti superemineba illis: vt intelligatur Angelus nō astitisse illis in terra, sed inhæsisse ex alto capitibus eorum: qui sensus videri potest magis conuenire ex eo quod sequitur, *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis.* Hæc enim multitudo videtur in aere potius substitisse. *Et claritas Dei.* Græce est δόξα κυρίου, hoc est, gloria domini. Non enim δόξα significat splendorem, & claritatem, quomodo dicimus splendorem solis, lunę, & ignis, sed maiestatem, & gloriam, quæ & ipsa nobis dicitur claritas. Proinde non potest claritas Dei hic exponi vt sit lumen diuinum: & tamen in lumine & splendore Angelum apparuisse, patet ex verbo *circumfulsit*: Verum Maiestas quædam diuina præferebatur per lumen illud, in quo apparuit Angelus, atq; ob id dicitur Maiestas & gloria Dei circumfulsisse eis: per quod significat non circumfulsisse eis lumē sydereum aut igneum, sed lumen à specie quadam gloriæ Dei profectum. Quamuis autem claritas hæc in qua apparuit Angelus læti esset ominis: tamen ob insolitum ac subitum prodigium magno timore correpti sunt Pastores. Verum Angelus solito suo more mox illum timorē excurit, iubetque potius gaudere dicens: *Nolite timere. Ecce enim euangelizo.* Hoc est annuncio vobis *gaudium*, non quale cunque sed magnum, hoc est, gaudij magni materiam. Dicit autem *vobis* cum emphasi, significans illos præ Phariseis, Scribisque & aliis ad hoc nouum nuncium audiendum esse singulariter delectos. Sed addit *quod erit omni populo*. q. d. vobis quidem annuncio, sed tamen non erit vobis proprium verum, commune omni populo. Quod intelligi potest vel de omni populo Israelitico, vel potius de omni populo mundi. Multi enim sunt ex vniuerso populo mundi, qui de natiuitate Messiæ gaudent. Explicat autem deinceps, quæ sit gaudij istius magni materia. *Quia natus est vobis hodie saluator.* Bene quidem dicit,

δόξα quid

dicit, Natus est vobis, hoc est, humano generi, ad insinuandum quod non Angelis, sed nobis iam natus erat, cum illi Saluatore opus non haberent. Absolutè autem vocat eum Saluatorem: quod non ab hoc, vel illo malo saluaturus esset, sed ab omni malo: vt patebit in resurrectione Iustorum. Iam sicut Saluatoris huius humanitatem Angelus aperte significat, dum dicit, natus est vobis, ita eiusdem diuinitatem ostendit, dum dominum eum vocat, dicens: *Qui est Christus Dominus*. Adiecit autem *in ciuitate Dauid*: vt sic ad credendū, quod annunciabatur faciliores redderentur. Adiecit autem & signum dicēs: *Et hoc vobis signum*. Signum hic non accipitur pro miraculo aliquo & re supra naturam adhibita ad confirmationem alicuius dicti, neque sensus est, & hoc est vobis signum, quo cognoscere potestis verum esse quod dico natum esse saluatorem vestrum. Nam pro signo huius dicti confirmatiuo postea accessit multitudo militiæ cælestis laudantium Deum. Sed Signum hic accipitur pro distinctiuo signo, quo scilicet natus iam infans internosci posset ab alijs, estque sensus: Hoc sit vobis signū, quo adeūres ciuitatem Bethleem dignosci possit a vobis Infans, quem natū vobis hodie annuncio. Porro ex eo quod absolute hic dicitur,

Inuenietis infantem positum in præsepio: apparet præsepium illud fuisse aliquod præsepe notorium, & comune omnibus quodque comuniter sic diceretur: alioquin enim particulare aliquā cōditionē Angelus addidisset dicēs. In præsepio huius, vel illius diuersorij.

Et subito facta est cū Angelo multitudo militiæ cælestis, &c. Per militiam cælestē intelligit exercitū Angelorū qui frequenter in Scripturis dicitur apud hebræos יְהוָה vnde est Dominus sabaoth, hoc est exercitus & militia, ad significandum Angelorum multitudinem, eosque omnes certo quodam inter se ordine vni Deo subesse, & paratos esse ac fortes ad exequendum ipsius in omnibus voluntatem, atque ad debellandum aëreas potestates humano generi, & diuinæ voluntati aduersas. Hi itaque Angeli annunciationem nō solum approbantes, sed etiam ob rem hanc nouam & Deum laudantes, & nobis congratulantes dixerunt.

Gloria in altissimis Deo, &c. Primum notandum Græca non habere hominibus bonæ voluntatis, sed, in hominibus bona voluntas. Et pro bona voluntas non est ἀγαθοβουλημα, sed vna dictio εὐδοκία, quæ proprie idem est quod beneplacitum, & non tribuitur vnquam hominibus respectu Dei, sed frequenter Deo respectu hominum: cum Scriptura gratuitam Dei erga homines benenolentiam vult designare. Cū autem apud Græcos non intercedat cōiunctio, & inter duas has partes, *in terra pax, in hominibus bona voluntas*, vel beneplacitum, sicut intercedit inter illas, Gloria in altissimus Deo, & in terra pax: apparet cōuenientissimè duos illos nominatiuos pax, & bona voluntas, coniungi per appositionem, vt

εὐδοκία. quid.

vt sit iste sensus, & in terra pax, hoc est bona voluntas Dei erga homines. Nihil enim aliud est pax Dei cum hominibus, quam beneplacitum illius erga eos, quibus prius offensus erat. Itaque nostra litera non potest intelligi vt significetur pax promitti hominibus habentibus bonam voluntatem, hoc est, benè viuendi propositum bonum: sed vt habeat nostra litera sensum Græcæ lectionis, genitiuus bonæ voluntatis construi debet cum nominatiuo pax, & accipi pro bona Dei erga nos volūtate, vt sit sensus, Et in terra sit hominibus pax bonæ volūtatis Dei, hoc est, pax, & reconciliatio prouenies non ex hominum meritis, sed ex gratuita, & propensa Dei erga eos benignitate, aut intransitiue pax, quæ est bona voluntas Dei erga eos, quemadmodū Psal. 5. Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Scutū bonæ voluntatis, exponi debet pro scuto, quod est bona volūtas. Intelligendū est ergo Angelos loqui de pace Dei cum hominibus, quam tamen sequitur & alia duplex pax, pax scilicet mētis & concordia dissidentiū interesse populorū. Cum autē his verbis dicat Euangelista Angelos Deū laudare (laudantiū enim, inquit, Deū & dicentiū) manifestū est vtranque partē hymni huius accipiēdā optatiuè per subintellectionē verbi sit, nō pure tamē optatiuè accepti (nō enim purè optasse hęc intelligi possunt, quæ iā saltē ex parte adimpleta erāt, prędicta) sed intelligēdo Angelos, quęiā fieri videbāt optasse vt amplius fierēt, in signū lęti tię eorū, & congratulationis ob beneficia humano generi impēsa.

Et factū est vt discesserunt ab eis Angeli in cælū. Quod dicit Angelos in cælū discessisse declarat fuisse Angelos bonos. His itaque recedentibus Pastores ad mitationē pleni propter ea, quæ audierant, & viderant sine mora relictis ouibus suis in Bethleē cōmuni cōsilio properant, vt inuento per signum illis datū puero certiores denuntio, & miraculo redderentur. Quod autem dicunt videamus, *hoc verbū* non est Græcè hoc loco λογος, sed ῥῆμα. Proinde Hebraica phrasi verbū accipi debet pro re gesta quemadmodū &. 2. Regni vbi dicit Dauid quod est verbū quod factū est, indica mihi. Postea tamen cum sequitur, *cognouerunt de verbo, quod dictū erat illis*, verbum conuenientius accipitur propriè pro sermone. Vbi notandum pro verbo cognouerunt Græce esse διεγνώρισαν quæ dictio significat cognoscere, & diuulgare, quorum secundum huic loco potius quadrare ex eo satis patet, quod sequitur, *Et omnes, qui audierunt mirati sunt*. Pastores enim posteaquā oculis testibus comperetūt nō esse vana quę Angelus nunciasset, nihil offensi nati pueri paupertate, non solū credidērunt, sed etiā Mariæ, Ioseph, & alijs nota fecerūt, quę ab Angelo audierāt de puero hoc: nimirū quod hic ipse puer quāuis in summa humilitate & paupertate reclinatus in præsep. dictus sit ab Angelo Saluator, Christus Dñs. Nec ineficax erat Pastorū prędicatio etsi personarū humiliū, & suspicium

Sequi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sequitur enim: *Et omnes qui audierunt mirati sunt*. In horum enim simplicitatem nulla cadebat vanitatis, aut fuci suspicio.

Maria autem conseruabat omnia verba. Hæc rursum verba secundum Theophyl. rectius accipiuntur pro rebus gestis, vt sit sensus, conseruabat omnia hæc, quæ gesta esse dico. Non enim dicitur omnia verba Angelorũ & Pastorũ, sed *omnia verba hæc*, cum ante hæc verba, nullius personæ verba ponantur: & potest pronomen hæc referri vel ad ea tantum quę mox præcedunt, vel potius ad omnia præcedentia. Conseruabat autem hæc apud se virgo, & adinuicem conferebat relatura Apostolis post glorificationem Iesu. Contulit autem in corde suo hæc adinuicem, primum quidem quia quę Angelus ei dixerat, comparauit cum his, quæ dicta erant ab Angelo Pastoribus; inueniens in vtriusque eandem sententiam, nẽpe quod Filius eius Dominus esset, & Messias expectatus. Deinde quia vilitatem præsepij contulit cum celsitudine Angelorum, & verborum, quæ illi de hoc pueto dixissent: admirans vbique summam humilitatem cum summa misceri sublimitate, & sic in omnibus declarari humanæ infirmitatẽ naturæ, vt simul & diuinitatis eius celsitudo non occultetur. Iam sicut Pastores in fide, pietate, & cuã gelizandi officio prius commendati sunt, ita nunc etiam in ipsorum gratiarum actione commendantur cum subditur; *Et reuersi sunt Pastores glorificantes & laudantes Deum, &c.* Itaque dicuntur laudasse Deum de omnibus, quæ prius audierant ab Angelis, & postea viderant in Bethleem, *sicut dictum est ad illos*. Quæ vltima pars tantum referenda est ad verbum viderant: vt significetur eos vidisse rem se habere, quemadmodum eis dictum erat, & ob id glorificasse Deum, quod non aliud venientes inuenerant, quã dictum erat ad illos.

Et postquam consummati sunt dies octo, &c. [Cum dicit consummatos fuisse dies octo, non est intelligendum dies octo iam fuisse prætelapsos, sic enim nono à partu die significaretur Christus circunciſus fuisse]: sed consummatos dicit octo dies, quod iam octauus dies aduenisset, quo puer secundum Legem circuncidendus erat. Vnde adiungit: *Vt circumcideretur puer*, vt sic consummatos octo dies significaret, quomodo requiruntur ad circuncisionem, quod non est aliud quam aduenisse diem octauum. Deinde annotandum apud Græcos esse coniunctionem, &, quæ deest in nostris libris. Sic enim habent Græca. Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, & vocatum est nomen eius Iesus. Itaque sensus erit, post quam consummati sunt dies vt circuncideretur, etiam vocatu est nomen eius Iesus; hoc est, prætereà quod secundum Legem circuncisus est, etiam pro more nomen ei inditum est. Et ne forte ito, aut casu puer iste Iesus vocatus putetur, ita vt significatio nominis ei verè non competat quemadmodu aliis,

qui eodem nomine vocati sunt, additur.

Quod vocatum est ab Angelo priusquam conciperetur, videlicet vt intelligeretur nomen illud non ab homine primũ impositũ, sed à Deo, ac proinde nominis significationẽ in puerum verè quadrare.

Magi stella duce inuentum Christum adorant. Matthæi 2. CAP. IX.

CVm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymã, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudeorum? vidimus enim stellam eius in Oriente & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, & mittens eos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cùm audissent regem, abierunt: & ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum thus & myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodẽ, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Cum ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, in diebus Herodis regis. Locum simul & tempus, quo Christus natus est nominat Euãgelista: non solum propter historiæ certitudinẽ, sed locum quidem etiam propter Prophetiam Michææ, tempus verò Herodis regis alieniginæ propter Prophetiam Iacob Patriarchæ; vt nimirum ostenderet tempus tum fuisse, vt secundum illius Prophetiam Christus expectatus nasceretur. Locum autem nominatum adiecit *Iudæ*, ad distinctionem alterius Bethleem, quæ fuit in Galilæa, in sorte Zabulon, vt patet Iosuæ 19. Iam sicut Iudæ vel Iudeæ (vt habent Græca) additum est ad distinctionem alterius Bethleem: ita cum dicit, *in diebus Herodis Regis*, additum est nomen Regis ad distinctionem huius Herodis ab alio Herode, qui sub eodem nomine apud Iudæos præfuit Galileæ sine Regis nomine.

Ecce Magi ab oriente, &c. Quoniam rem nouam est narraturus, præmonet Lectorem Aduerbio Ecce, Et notanda quidem locutionis continuatio, Cum natus esset Iesus, ecce Magi venerunt, vt intelligas statim post Christi natiuitatem Magos venisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Magi. Non parua autem quæstio est quales fuerint hi Magi. Quidã enim maleficos fuisse antuniãt, alij Sapientes, plerique etiam reges Simi lis quæstio est à quo Orientis loco venerint, & qualis fuerit Stella ea, quę Christum eis natum demonstrauit. Proinde notandum nõ solum genus quoddam Sapientum quod apud Persas erat quasi proprio eis nomine, etat vocatum Magos, sed etiã Sapientes Chaldeorum [quos Ciceronem & Chrysostomum sub nomine Persarum etiam comprehendisse verisimile est] quod aliquando vnum fuisset Persarum & Chaldeorum Regnum. Chrysostomus enim dicit Iudeos paulo ante fuisse liberatos captiuitate Persica, vbi [proculdubio per captiuitatem Persicam intelligit captiuitatem Babylonicam] Chaldeos autem, August. Steuchus, & veteris Theologię principes merito facit, & prius Magos fuisse dictos quam Sapientes Persarum testatur, in quorum numero Balaam, & Sibillã Erythream quæ fertur Chaldæa fuisse, reponit. Ex his igitur constat Magos istos fuisse Sapientes Chaldæorum, & ex Chaldæa locisque vicinis in Hierusalem venisse. Sic autem simul constat etiam quomodo ex Oriente dicantur venisse, & quomodo fieri potuerit, vt ante Purificationem virginis, imo decima tertia die in Bethleem peruenirent. Non enim quoniam ex Oriente venisse dicuntur, necesse est intelligere venisse eos ex vltimis terræ finibus, aut ex Persia. Nam & Balaam ab Oriente se dicit venisse, De Aram inquit, adduxit me Balac Rex Moabitarũ, de montibus Oriẽtis, quo fit perspicuum eũ fuisse Aramænũ siue Chaldæum. Itaque cum Magia, si proprie accipiatur, sit naturalis philosophiæ apex, & diuinorum scientia atque in hac primum locum obtinuerint Sapientes Chaldæorum, atque Persarum, factum est, vt illi proprio nomine dicerentur à Græcis Magi (quę tamen appellatio) etiam aliarũ Gentium sapientibus legitur attributa, vt cum Plinius dicit Pythagoram & Democritum de naturis herbarum scripsisse peragratis prius Persidis Arabiæ. Aethyopiæ, Ægyptique magis. Ex quo etiam satis constare videtur, nomen Magi non esse nomen Persicum, vt quidam putant, sed nomen Græcum tributum Sapientibus maxime Chaldæorum, & Persarum, quemadmodum Indorum Sapientibus nomen Gymnosophistarum]. Verum quoniam (vt fieri solet) magi huiusmodi dum nimis essent curiosi, ad vanitates, & superstitiones declinauerunt, & illicitis se dæmonũ pactis immiscentes, noua quædam nouis rationibus facere sunt aggressi, factum videtur, vt Magorum nomen pro male ficis in vsu veniret: quomodo Astrologia, quæ Magiæ pars est, cum prius non esset quod Astronomia, per abusum eius venit in vituperium, quomodo & nomen Sophista abiit in inuidiã apud Græcos. & nomen item Tyrannus. In vtraque hac significatione inuenitur nomen Magus in sacris literis. Verum autem Magi isti, de quibus loquitur Matthæus, Reges fuerint, & an tres numero: non planè cõstat. Rectè tamen Reges dicuntur: quoniam scilicet potentes erãt, & quoniã propter suam Sapientiam solebant semper Regibus Persarum astare, sine quorum consilio nihil in regno gerebatur, nec statuebatur: imo ex quorum numero semper esset Persarum Rex. Tres autem fuisse in suis sermonibus semper affirmat Leo primus.

Lib. 1. de diuinat.

Lib. de pueris philosophia.

Num. 23.

Lib. 25. cap. 2.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Græci articuli vim non conuenit dissimulare κοῦ ἐστι ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς ἰουδαίων. Vbi est ille natus Rex Iudæorum? Quæ verba dupliciter intelligi possunt. Primum simpliciter, vt sit sensus. Vbi est ille Rex Iudeorum, qui iam natus est? Secundo vt significetur Rex iste quem quærunt, esse natus Rex, hoc est, qui non ab hominibus in Regem eligendus esset & vngendus in legitima ætate, sed qui in sua Natiuitate Rex esset Iudeorum, ad distinctionem aliorum Regum Iudæorum.

Lib. 2. in Actis Daniel. 2.

Vidimus enim stellam eius, &c. Stellam eius, vocant Stellam nouam declaratiuam natiuitatis eius. Sicut autem his verbis satis significatur. Magos ex ortu nouæ stellæ intellexisse ortum Christi: ita quoque colligere hinc licet non his Magis primum reuelatum fuisse Stellam hanc portendere Christi natiuitatem, sed antiquam fuisse reuelationem hanc, arq; à Patribus magos accepisse exorituram nouam stellam, quæ Regis Iudeorum maximi ortum monstraret. Non enim dicunt vidimus quandam stellam nouam in cœlo, & fuit nobis reuelatum quod demonstraret Regem Iudeorum natum, sed solum vidimus Stellam eius, & cum articulo τὸν ἀστέρα satis significantes se vidisse eam stellam, quam ex antiqua traditione non dubitauerunt esse ipsius. Non enim id noui sibi contigisse significant, vt docerentur quid apparés eis stella portenderet, sed id tantum, vt viderent stellam iamdiu scilicet expectatam, & obseruatam. Porro stellam hanc non fuisse veram stellam, vnamque de numero astrorum cælestium patet primum quidem ex motu à Septentrione versus meridiem, secundo, ex splendore eius diurno, tertio ex eo quod non certo, statutoque tempore reliquorum astrorum more sese conspiciendam exibuit. Quarto, quod non in cœlo sistam, sed terræ proximam fuisse constat, Postremo & ex quiete eius, cum omnes cælestes stellæ continuo motu moueantur.

De Stella.

Sequitur, *Et venimus adorare eũ.* Vbi venimus esse præteriti tẽporis ex Greco ἤλθομεν certissime docemur his autem verbis Magi & excludũt falsam suspicionẽ qua videri poterãt venisse ad perdendũ Regẽ, & certitudinem suã & persuasionem insinuant, nẽpe quod tam persuasi essent natum esse hunc Regem, vt non dubitarent eius adorandi gratia venire: Quamuis autem esse possit, imo verisimile, secundum prædicta sit Magos agnouisse nati huius Regis diuinitatem: id tamen non consequitur ex verbo Adorare, quemadmodum plerique colligunt. Nam in scripturis frequenter homo-

Ieuit. 19.

in Actis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adorare quid. hominem veneratus adorasse illum dicitur. Hebraica enim dictio correspondens semper verbo nostro Adorandi simpliciter significat prosternere se coram aliquo humi reuerentiæ causa.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Turbatio nō solum est ex timore, sed etiam ex admiratione, & nouæ rei & si gratissimæ nuntio. Proinde intelligi potest Herodem quidem turbatum præ timore, ciuitatis vero ciues quosdam quidem præ timore, alios vero propter rei nouitatem solam fuisse turbatos. Aut potius *omnis Hierosolyma*, accipiebet pro maiori parte ciuium Hierosolymitanorū. Atque huic sensui magis cō uenit illud additum ab Euangelista *cum illo*, quasi per eam partem voluerit significare similem ciuium fuisse perturbationem.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas, &c. Cum vnus tantum esset apud Iudeos, qui proprie erat Princeps Sacerdotum, in Euangelijs dum Principum plurium fit mentio, oportet intelligere eos, qui sibi mutuo in Pontificatu succedebant, & aliquando Pontifices fuissent. Nam sub Herode cœpit Pontificatus esse venalis, & ante mortem ab vno ad alterum transferebatur. Aut potius ij intelligendi sunt vocari Principes Sacerdotum, qui principes erant illarum 24 familiarum sacerdotalium de quibus 1 Paralip. 24. Porro Scribæ dicuntur, non qui simpliciter scribebant, sed erat hominum genus, quos Hebræi suo quodam nomine vocabant: quorum erat professio, vt quemadmodum olim apud Romanos in rebus dubijs ex Sibyllæ libris per aruspices, aut interpretes responsa petebantur, ita & isti consulti ex Propheratum libris responderet. Proinde quos Matthæus & huius imitator Marcus Scribas vocat, Lucas appellat legisperitos.

Principes Sacerdotū

Scribæ.

At illi dixerunt, in Bethleem Iuda. Non apparet Scribas, & Pontifices ob eorum responsionem ad Herodis quæstionem esse culpandos, siue quod alienigenæ & impio Regi prodiderint mysterium Propheratum, siue quod in Prophetiæ testimonio id omiserunt. Et egressus eius a diebus æternitatis, per quod ab impia cogitatione sua Herodes reuocati potuisset: cum Regi suo, cui subiecti erāt, eidemque proselyto, & pietatem simulanti non potuerint non pro suo officio respondere, illud in testimonio iure omittentes quod propositæ quæstioni non seruiebat.

Et tu Bethleem terra Iuda &c. Septuaginta Interpretes Hebraicam veritatem paulo rectius, quam Hieronymus reddiderunt. Sic enim verterunt, καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος τοῦ Ἐφραθᾶ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ. Hoc est, Et tu Bethleem domus Euphrata, minima es vt sis in milibus Iuda, ex te mihi exibit vt sit in principem Israëlis. Consentit huic versioni, & sensui Chaldeus Interpres, qui vertit in hunc modum: Et tu Bethleē Ephrata, quodāmodo minor fuisti, quam vt numerari

numerari potueris inter Chiliades domus Iudæ, &c. Quæ versiones cum testimonio hic adducto saltem secundum sensum conueniunt. Nam Michææ loci hic est sensus; Tu Bethleē paruulus quidem nunc es vicus in milibus Iuda, sed ex te egredietur dux, &c. Ac proinde significatur à Propheta futuram Bethleem non minimam, sed maximam. Itaque cum id intelligerent Scribæ, & Euangelista significatum a Propheta, potius quod sensit explicare voluerūt, quam ad literam obscurum eius testimonium reddere. Est igitur hic sensus; Tu Bethleem etsi minima, vilis, & contēpta habearis comparata reliquis ciuitatibus Iudæ, nequaquam tamen ve rè minima es inter principes vrbes Iuda. Nam quemadmodum olim ex te mihi prodiit in typo Dauid, vt esset Pastor totius Israëlis: ita rursum ex te mihi proditurus est & alter Dauid, qui nō more Regum sequentium Dauid, & Salomonem tantum præsit tribui Iudæ, sed regat, & pascat vniuersum populum meū Israël, hoc est, vniuersos ex omnibus Gentibus collectos, quorum primitiæ & typus fuerunt duodecim tribus Israël.

Tunc Herodes clam vocatis Magis. Clam vocat Magos quod suspectos haberet Iudæos, metuens ne ex curiosa, & diligenti inuestigatione temporis apparitionis stellæ putaretur insidiari velle nato Regi, quem illi iamdiu desideranter expectauerant. Nec tantum didicit tempus apparentis Stellæ, sed *diligenter didicit ab eis tempus Stellæ*, omnibus scilicet neruis in hoc incumbens, vt exactum tempus sciret, nec tamen proderetur illius impium molumen. Ad hæc quo facilioris negotio puerum, quem perditum optabat, inueniret, mittens in Bethleem Magos mandat de puero sibi renunciari, atque vt id ab eis impetraret malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat; deuotionem, Magorumque mutationem dolosè promittens. Nec dicit solum *Ite, & interrogate de puero*, sed interrogate diligenter aut vt habent Græca ἐξετάσατε, id est, examinate. Nec dicit: *renunciate nobis*, sed *mihi*. Sibi enim primum volebat innotescere puerum: vt eum prius tolleret è medio, quam populus Iudaicus eum planè resciisset natum esse. Notandum autem & illud in verbis Herodis non dixisse eum interrogate de Rege hoc, sed de puero hoc. Neque enim Regis nomen ferre poterat: satis insinuans quantum contra illum insaniret.

Qui cum audissent Regem abierunt, Et ecce Stella, &c. Ex his apparet Stellam non fuisse reliqui itineris ducem, quemadmodum communiter putatur. Alioqui enim non tam vehementer gauisi fuissent hac visa, nec dixisset Euangelista solum, Et ecce stella, quam viderant in Oriente, &c. sed, & quæ comitata eos fuerat. Et iidem ipsi Magi fatentur se in Oriente quidem vidisse illam, sed non addunt se eam ducem itineris habuisse: quod vt maius fuisset miraculum, ita in primis fuerat commemorandum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque eadem illa stella quę tempus Natiuitatis indicauerat, locum quoque demonstrat. Quam cum vidissent Magi merito *gauisi sunt gaudio magno valde*. Nam sideris quidem spectaculo gaudii erant Magi in Oriente, sed multo magis nunc: nimirum quod intelligerent spem suam non esse frustratam, nec frustra tanti itineris se suscepisse laborem, idque post apparentem negotij desperationem. Deinde quod experirentur stellam ad eundem perducere locum, quem Scriptura demonstrauerat, quodque ducem iam nacti essent nequaquam fallacem.

Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria, &c. Verisimile est iam Mariam cum puero fuisse in diuersorio, digressa scilicet iam hospitum multitudine, ob quam non erat ei, dum pareret, locus in diuersorio: nisi per domum hic speluncam illam, & stabulum quis putet intelligendum. Cum autem Magi quærerent Regem Iudæorum inuenerunt puerum, aut vt habent Græci, παιδίον, i. puerulum, nihil scilicet specie à cæteris differentem, & in quo nihil quod admirandum esset, aut adorandum apparebat. Comperisse cum puero solam Matrem dicuntur. Diuino enim cõsilio factum est, vt ne multi adessent, quo Herodi puer magis celaretur, & Magorum fides declararetur, qui puerulum omni satellitio destitutum tanquam Regem adorauerunt. Nec hac pietate cõtenti deprompunt è repositoriis suis munera, eaque optima. Quod quamuis pro more patriæ suæ facerent (nam Orientalibus mos est cum muneribus Reges suos adorare) easque res offerrent, quarum prouentu regio Persarum aut Chaldæorum præcipuè diues erat; fortasse non intelligentes quid his donis speciatim portenderetur: tamen dubitandum non est, quin his donis mysteria quædam Spiritus sanctus etiam ipsis ignorantibus significare voluerit. Horum autem munerum sacramenta, vt & Hieronymus annotauit, pulcherrimè Iuuencus vno versiculo complexus est, Aurum, Thus, Myrrham, Regique, hominique, Deoque dona ferunt.

Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem. Eo quod dicitur responso accepto, satis significatur Magos iam secum agitasse, num redeundum esset ad Herodem, imo quoniam subdubitare inceperunt, desiderasse aliquod signum diuinæ voluntatis. [Nam quod quidam dictionem Græcam χρηματισθέντες vertendam putant potius oraculo acceptorinec sic, quod diximus significari minus significatur. Nam χρήματα dicuntur quidem oracula, quæ redduntur à numine aliquo, sed petentibus & consulẽtibus.] Iussi autem sunt non redire ad Herodem, non solum ne Herodis impietati subseruirent sua simplicitate, & puer tueretur ab impij Regis crudelitate: sed etiam vt frustra se insidiari intelligeret, & ab inceptо desisteret. Non peccauerunt autem Magi rescindentes promissionem Herodi factam, tum quod Deo iubente id fecerunt,

runt, à quo tanquam superiori domino fuerant à promissionis vinculo absoluti, tum quod etiam sine Dei speciali iussione promissio seruanda non sit, quam intelligimus in fraudem, aut pernicium alicuius extortam.

Oblatus in templo Christus, à Simeone & Anna agnoscitur. Lucæ 2. CAP. X.

ET vt cum recessissent, & postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, & vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeõ, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentiũ, & gloriam plebis tuæ Israel. Et erat pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur. [Et tuam ipsius animam pertransibit gladius] vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israël.

Qui cum recessissent, & postquam impleti sunt dies purgationis eius: hoc est, cum impleti essent a partu dies quadraginta. Hi enim præscripti erant à Moyse, cum masculum mulier peperisset, octoginta vero dies cum peperat fœmellam. Itaque addit *secundum legem Moysi*, quod hi dies non essent ad purgationem necessarij ex natura partus, sed tantum ex lege Moysi. Porro purgationem hic vocat cæremonias quibus & mulieres, & fœtus secundum legem lustrabantur, hoc est, rursum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum admittebantur ad ingressum templi, à quo prius propter immunditiam corporalem, quæ est in partu, prohibebantur. Vt autem rectè intelligantur quæ hic dicuntur deinceps, sciendum Lucam hic mentionem facere duorum veteris legis præceptorum, quæ ambo partum quidem respiciunt, sed tamen à se omnino sunt diuersa. Vna enim erat lex, quæ omnem partum siue maris, siue fœminæ respiciebat, quæ traditur Leuit. 12. De illa intelligendum quod dicit Lucas, impletos dies purgationis secundum legem Moysi, & rursum cum dicit, & vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege par turturum, &c. Est & alia lex, quæ pertinebat solum ad partum primogeniti cuiuscunque speciei, quæ ponitur Exod. 13. vbi præcipitur vt pro primogenitis Ægyptiorum occisi Domino offerantur omnia primogenita masculini sexus, tam in hominibus, quàm in iumentis. De hac lege loquitur Lucas cum dicit: Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne, &c. Et rursum cum dicit: Cum inducerent puerum Iesum vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Itaque quod attinebat ad legem, quæ præscribit purificandæ mulieris modum, impertinēs erat quod puerum Iesum parentes tulerunt in Ierusalem, vt sisterent eum Domino: quamuis verisimile sit eodem die, quo mulier purificabatur etiam masculum si primogenitus erat, Domino offerri solitum, vt eadem opera vtriq; legi satisfieret. Rursum quod dedisse dicuntur hostiam par turturum, &c. Impertinens erat ad eam legem, qua præceptum fuit vt mas primogenitus Domino consecraretur: cum hæc hostia pro quouis partu esset offerenda. [Quomodo autem duæ illæ leges, quarum hic fit mentio, sese habeant ad Christum, & Mariam, & an sub eis Christus & Maria comprehenderentur: quod ad eam, quæ erat de primogenito offerendo attinet, quidam dicunt eam legem ad Christum non pertinuisse, eo quod non adaperuerit vuluā Matris suæ, sed clauso Matris vtero prodierit in mundum, sicut clauso sepulchro resurrexit. Alij contra hanc legem propriè ad Christum pertinuisse asserunt, eo quod ipse solus aperuit vuluam matris suæ cum aliis aperiat vterum. Porro inter duas has sententias inter se in speciem cōtrarias medium eligendum videtur: nimirum vt non negemus Christum aperuisse vterum matris suæ. Nam omnino videtur Lucas hanc legem sic adduxisse, quasi etiam ad Christum pertinentem: & tamen etiam asseramus clauso Matris vtero natum esse: quia scilicet sic per naturalia generationis membra natus est, vt virginalis pudicitiæ claustra nascendo non conuelleret, nec dolorem parienti adferret, quē necesse est esse in huiusmodi vteri aperione, quali nascuntur reliqui. Itaque neque negandum quin hæc lex ad Christum pertinuerit: quāuis quatenus Deus nulli fuerit legi subiectus

iectus, neque dicendum propriè ad ipsum pertinuisse, cum reliqua primogenita magis adaperiant vterum matris suæ, quam fecit Christus. Quod vero attinet ad aliam legem quæ est de purificāda muliere, etiam communiter dicetur eam legem ad matrem domini non pertinuisse, sed ab ea per ipsa legis verba fuisse exceptam: tum quod proprie mulier dici non debeat, tum quod non suscepto vitili semine pepererit, cum lex dicat; Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus. Alioquin enim frustra videtur additum suscepto semine, nisi significare voluisset Spiritus sanctus mulierem quandam futuram, quę nō suscepto semine vitili paritura esset. Sed cum Hebræum verbum זיפל significet seminificare, aut semen facere, si semen accipiatur non pro principio generationis, sed pro prole, vt suscepisse semen sit prolem accepisse in vtero: quod attinet ad verba huius legis, non fuit ab ea virgo immunis; quod & Lucas ipse satis significare videtur dum dicit: Impletos dies purgationis Mariæ secundū Legem Moysi. Si enim Moses his verbis à sua lege eam excepit: quomodo secundum eius legem dies purgationis impleti sunt? Alijs tamen rationibus ab eadem fuisse immunem facile probari potest: verum quemadmodum Christus sponte legi subiectus est, ita & hæc sanctissima virgo: ne quem suo facto scandalizaret, sed humilitatis, & obedientiæ omnibus exēplum præberet]. Porro cū lege cautum esset vt purganda mulier deferret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato, duos autem turtures aut duos pullos columbarum, si præ paupertate agnum offerre nequiret: Lucas absolutè refert legem pauperibus præscriptam, significare scilicet volens paupertatem Mariæ, & Ioseph. Nō enim dubium est, quin vberius munus allaturi fuissent, si non tenuitas obstitisset. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon*, Hunc Simeonem quidam putant fuisse Sacerdotem sed nullo argumento idoneo. Nam si Sacerdos fuisset, vtique manifestasset id Lucas tanquam magnam viri dignitatem: cum alias eius conditiones tam distinctè exprimat. Itaque prima conditio personam viri commendans est, quod iustus fuerit, secunda quod timoratus, aut vt habent Græca εὐλαβὴς, hoc est, pius, ac religiosus. Videtur autem eum dicere iustum respectu hominum, cū quibus iuste conuersabatur, timoratū vero, & pium respectu Dei, quem piè ac religiosè venerans offendere metuebat. Tertia viri cōditio est quod *expectabat consolationem Israël*, tanquam iam scilicet imminentem: quo notatur quanta in eo publicæ salutis fuerit auiditas. Expectabat autem non temporalem potissimum consolationem Israēlis: sed intelligebat ex hebdomadibus Danielis, Prophetia Iacob, aliisque Prophetis, tum & ex temporali illa oppressione, qua præmebatur tunc populus Israēliticus adesse tempus Messię, qui

Simeō an Sacerdos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui ab ea seruitute liberaturus esset Israëlem, quæ temporali illa significabatur, nempe à dura seruitute peccati, & diaboli, à qua tamen quicunque liberantur simul etiam & consolationem accipiunt à malis temporalibus, quæ hic premunt. Quarta conditio viri est, quod *fuerit in eo Spiritus sanctus*, quod omnino intelligendum videtur de Spiritu Prophetiæ dictum. Alioqui enim quid opus erat dicere Spiritum sanctum fuisse in eo, cum prius eum dixerit Iustũ, & timoratum: si de inhabitatione Spiritus sancti omnibus iustis communi loquitur. Cum autem iste Simeon expectaret, desideratetque omnibus votis consolationẽ Israëlis, & spiritus haberet Prophetiæ: factum est, vt per oraculum ei fuerit promissum, idque non ab Angelo aliquo, sed ab inhabitante ipsum Spiritu sancto (vnde pater per interiorem inspirationẽ id didicisse) nõ morituru sẽ antequam vidisset oculis corporalibus, quem expectabat Christũ, hoc est, vnctum Domini Dei. Atque hæc est quinta conditio personã viri huius commendãs. Est autem phrasi Hebraïca videre mortẽ idem quod gustare mortem, & mori: Porro etsi alij etiã Reges Israelis dicãtur Christi, & vncti Dei proprie tamen Saluator noster Christus Domini dicitur: eo quod non ab homine vnctus esset in Regem, & Sacerdotem, sed à solo Patre per Spiritum sanctum.

Et venit in spiritu in templum. Hoc est, actus a Spiritu sancto, non excitatus, aut admonitus ab homine. Idem autem Spiritus, qui inspirauit, vt templum aditet, signum quoque dedit, quo puerũ agnosceret. Itaque & ipse: *accepit eum in vlnas suas*, complexans eum summo pietatis, & amoris affectu, quo impellente continere se nõ potuit, quin eum amplecteretur, cuius alioqui contactu se indignũ non dubitauit. In hac autem Oratione *& ipse accepit*, rursum videtur Lucas suo, Hebræorumque more coniunctione, &, posuisse, ita vt nihil copulet, neque ad sensum faciat, nisi volumus significari. Simeonem hoc ipsum etiam fecisse, quod prius fecisset Sacerdos, vt sit sensus: Ipse quoque sicut Sacerdos, accepit eum in vlnas suas. *Benedixit* autem *Deum*, id est, laudauit, & gratias egit, quod promissionem suam adimpleuisset, & compotem voti fecisset.

Et ait, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, hoc est. Nunc Domine si quando me ex hac vita dimittis, dimittis certe non cum dolore, sed cum pace, hoc est, animo omnino quieto, tranquillo, & tartaro suis votis. Est enim Hebraïca phrasis in eo quod dicit, dimittis in pace, quemadmodum in Psalmo, in pace dormiam, & requiescam, hoc est, tranquillo animo, nec passionibus aliquibus, aut desideriis distracto. Proinde Simeon dum dicit se dimitti in pace significat se lubenter morituru, quemadmodum Iacob viso Ioseph filio suo. Iam, inquit, lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo: Dicit autem *secundum verbum tuũ*, propter oraculum quod acceperat, quod scilicet non esset moriturus, nisi

nisi prius vidisset Christũ. Itaque sensus est. Sicut domine promisisti te satisfacturum votis meis priusquam morerer: ita certe iam cum voles me hinc tranquillo dimittis animo.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Emphasis est in eo quod dicit. Oculi mei, quasi dicat, Non iam fide solum & mente vidi salutare tuum, quemadmodum Patres mei, sed hisce etiam corporalibus oculis. Alloquitur autem Deum Patrem, & *Salutare Dei* vocat ipsum Christum saluatorem, à Deo destinatum hominibus.

Quod parasti ante faciem omnium populorum. Dupliciter istud accipi potest, videlicet aut de præparatione, qua ab æterno, & ante tempora secularia Deus hunc mittere disposuit, aut de ea, qua in tempore illum parauit nobis dum filium suum pro nobis incarnatum misit in hunc mundum. Illud autem *ante faciem omnium populorum*: Hebraica phrasi accipiendum est vt sit, coram omnibus populis, aut pro omnibus populis. Itaque sensus est, parasti hunc Saluatorem non solum pro Israelitico populo, sed & pro omnibus populis: vt scilicet omnes eum agnoscant, & amplectantur & per eum saluentur.

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Accusatiuus Lumen, recte intelligitur construi posse cum præpositione (ad) vt significetur Christus, quatenus Lumen erat, gentibus attulisse reuelationem, hoc est, illustrationem, depulsis errorum tenebris, Israelitis vero gloriam & claritatem. Vocat enim Simeõ Christum & Saluatorem & lumen: sed Saluatorem omnium populorũ ex æquo, Lumen vero etiam omniũ, sed quod sit ad illuminationẽ Gentium obtenebratarum, veri que Dei, & vetæ salutis cognitione carentiũ, ad gloriã vero populi Israelitici luminis enim est & illuminare claritatem, atque decorem afferre. Quanquã autem & populũ Israeliticũ hoc lumen illuminauit: tamen Gẽtibus appropriatur Illuminatio, quod in dẽsioribus detinerẽtur tenebris.

Et erant Pater eius & Mater mirantes, &c, Iosephum Patrem Christi vocat, non solum quoniam ad famam virginis conseruandam Pater eius sit ab omnibus æstimatus, sed etiam quia ratione coniugij legitimus eius Pater esset: magis quam si ipsum aliunde genitum adoptasset. Mirabantur autem parentes in iis, quæ dicebantur: non quod hæc omnino eis noua essent, cum & ab Angelis, & Pastoribus similia audiuissent, aut etiam maiora, sed quod etiam alia quædam non minus mirada, & superioribus conformia audirent per afflatum Spiritus dici ab eo.

Et benedixit illis Simeõ, siue quia fœlicia illis præcatus sit, siue quia felices eos predicauerit: qui rari pueri parentes esse meruerint. Videtur enim (illis) tantum referri ad parentes pueri: quanquã nullũ sit inconueniens dicere Simeonẽ etiam benedixisse Christo, hoc est, optasse ei fœlicem successum negotijeius, ad quod missus fuit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huiusmodi enim benedictio non arguit excellentiam maiorem benedicentis: sed tantum votum animi eius.

Et dixit ad Mariam matrem eius. Cum Simeon Patri, & Matri benedixerit, tamen prædicturus, quæ circa puerum euentura erat sermonem suum tantum conuertit ad Matrem eius: vt ad quam non dubitauit puerum magis pertinere. Et quoniam dixerat eum Saluatorem paratum coram omnibus populis, ostendit per eum tamen non omnes saluandos: sed quosdam eius occasione proprio vitio magis perdendos.

Ecce positus est hic in ruinã & in resurrectionem multorũ in Israël. Christus positus fuit à Deo & in multorum ruinam, & in multorum resurrectionem: quamuis non omnino similiter. Nam in resurrectionem positus est à Deo, quia voluit Deus per ipsum quorundam efficere resurrectionem. In ruinam vero positus erat: quia voluit Deus occasione eius quosdam sinere labi; tum quod ita quidam meterentur, tum quod ita videbatur gloriæ suæ illustrandæ conducere. Porro cum ruina non sit nisi stantium, aut eorum, qui profundius labuntur, & resurrectio iacentium, atque lapsorũ: intelligendum quod hic dicitur de ruina multorum, quosdã occasione Christi grauius casuros, quàm iam cæciderant, aut potius quosdã qui stare videbantur, & arcem Iustitiæ obtinere in populo Israëlitico, prolapsuros iam in maximam cæcitatem, & exitium æternũ: resurrecturos autẽ qui per aperta crimina in quibus viuebant omnibus iacere videbantur, credendo in Christum reuocandi erant ad frugem meliorem, & spem salutis æternæ. Itaque in ruinam fuit infidelibus Scribis, & Pharisæis, in resurrectionem vero Publicanis, & meretricibus. Idem ergo his verbis significat Simeon, quod postea Christus ipse Ioan. 9 aliis verbis dicens: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Videtur autem Simeon his verbis alludere voluisse ad illud Isaiæ 8. Erit vobis dominus in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israël, in laqueũ, & in ruinam habitantibus Ierusalem. Quod de Christo etiam Petrus & Paulus interpretantur dictum.

Romam. 9
1. Pet. 2.

Et in signum cui contradicetur. Quoniam, vt diximus, videtur esse allusio ad locũ Isaiæ. (Nã mox post superiora verba sequitur: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi dominus in signũ, & in portentũ Israel) rectè per signũ intelligitur ipsemet Christus: secundũ eã significationẽ, qua res nouas, & insolitas, & miracula signa dicimus prodigia, & portẽta; quod fere semper nouũ aliquod portẽdant, & significẽt. Sicq; sensus erit; Puer hic positus est in signũ, hoc est, vt sit signũ quomodo Psalmista dicit, Esto mihi in Deũ protectorẽ, pro eo quod est, Sis mihi Deus protector. Sic & de Ezechiele qui nouis quibusdã rebus portẽdebat quid euentutũ esset Israëlitis, dicit dominus: Erit vobis Ezechiel in portentũ. Signum itaq; dicitur Christus, quod res esset noua & insolita, qualis nũ fuerat ab initio mũdi, vtpote Deus simul & homo, qui per nouã suã ex virgine Natiuitatẽ, mirabiliũ patrationẽ, crucis ignominiã, ac deinde gloriosam resurrectionẽ, & Ascensionẽ in magnum stuporẽ & admirationem homines esset adducturus, & noua quædam orbi iam esse præstita significaturus, vtpote promissam per Prophetas salutem. Pro eo autem quod nos habemus, cui contradicetur, Græce est πρὸς sens tempus ἀντιλεγόμενον, id est, cui contradicitur, & aut præsens pro futuro posuit, aut potius præsens tempus posuit, vt absolute accipiemus pro signo contradictioni obnoxio. Vnde Tertull. legit semel signum contradicibile. Recte autem intelligimus eum qui non solum de contradictione, quæ fit lingua, sed etiam de ea, quæ fit facto, per persequutionem scil. cet quomodo ad Heb. Paulus: Recogitate eum qui talem sustinuit aduersum se contradictionem.

Lib. de car ne Christi. Cap. 12.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Tuam ipsius, idem est quod tuammet Animam. Nec otiose additur ipsius, sed anxiẽs notat: significatque præter alios etiam Mariæ animam gladio ferendam. Ad quod magis significandum multum valet coniunctio δὲ quæ est apud Græcos καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς & tuam autem ipsius, vel sed, aut, quin & tuam ipsius. Per Gladium autem intelligimus dolorem, quem in passione filij pertulit mater acerbissimum intima animę eius penetrantem & possidentem; eritque sensus iste, Adeo contradicetur ab impijs huic signo, vt gladius doloris non solũ sit penetraturus animam filij tui, aut eorum qui credent in eum, illiusque nomen prædicabunt, sed & tuam quoque Animam. Similis est locutio in Psal. 58. cum de Ioseph dicitur ferrum pertransijt Animam eius, vbi item per ferrum tribulatio intelligitur, vt anno tat D. Augustꝰ. Epist. 59. Cum autem eam partem *in signum cui contradicetur*, vnde hæc verba pendent, diligenter attendimus: fortasse conueniet magis per gladium hic intelligere gladium contradictiones linguarum, de quo gladio in scripturis sæpe, quale est illud & gladius in labijs eorum, & rursum, & lingua eorum gladius acutus. Itaque sensus esset, adeo contradicetur filio tuo, vt contradictionis gladius non illius tantum animam, & corpus sit percussurus, sed & tuam quoq; Animam, & si non corpus, iam quod sequitur.

Vt reuelentur, vel retegantur, *ex multis cordibus cogitationes*, rectissime videtur referri ad illud; & in signum cui contradicetur: vt mox præcedentia quasi per parentesin legantur interposita, et intelligatur puerũ hunc positum in signũ cui à multis cõtradiceretur, vt multorum cogitationes, quę prius occulte latebant in corde retegerentur, et declararentur esse impij, & Christo contrarij,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui prius arcem Iustitiæ obtinere videbantur, & pietatis Doctrinam sibi vindicabant, Messiam & legem semper in ore habentes.

Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel. Istud non sic est ordinandum & Anna erat Prophetissa, sed est sensus; Et in illis diebus erat mulier quædam, quæ dicebatur Anna Propheticum habens spiritum, &c. Nam vt testimonio huius mulieris plus addat autoritatis, profert illius genealogiam, commemorans patrem & tribum propter Historiæ certitudinem: cum illo tempore multi adhuc testes huius narrationis esse possent, qui Anum hanc nouerant, & vt hanc distingueret ab alijs, eodem nomine illo tempore vocatis. Deinde multis eam commendat nominibus non parum facientibus ad comprobandum eius testimonium, primum quia Prophetissa, deinde, *quia processerat in diebus multis*. i prouecta, admodum erat ætatis, præterea quod summæ continentiæ, & castitatis. Id enim significat cum dicit: *vixerat cum viro suo annis septem a virginitate, & hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor.* Nã his verbis insinuat castitatem eius virginalem ante matrimonium, castitatem quoque cõiugalem in matrimonio, & viduale post matrimonium iam morte ditemptum. Quod autem hæc dicitur vidua vsque annos 84, vel vt habent Græca, circiter annos 84: incertum an intelligi debeat numerus hic pertinere ad ætatem mulieris, an ad spatium viduitatis; nisi quod prius sit verisimilius, maximè cum Græca sic potius verti debeant. Et hæc vidua annorum ferme 84. quamuis Ambro. secundo modo intelligat. Quoniam vero parua laus est vidualis continentiæ, nisi adiunctam habeat pietatem & religionem (quæ enim, inquit Paulus, Timoth. 5. verè vidua est sperat in Deo, & instat obsecrationibus, & orationibus nocte, & die) ostendit etiam hanc laude præclaram fuisse hanc Anum. *Quæ inquit, non discedebat de templo ieiunijs, & orationibus seruiens die, ac nocte.* Non sunt autem hæc verba Lucæ sic intelligenda, quasi in Templo habitauerit, & nunquam Templum exierit, nihilque aliud vnquam egerit, quam precari. Non enim vitæ necessaria præterijt, cibo necessario, & somno procul dubio vsa: sed intelligendum hæc fuisse præcipua, quæ egerit, atque, vt dici solet totam in his fuisse, vt cum eum qui frequentissimus in studijs est, dicimus à libris non discedere; sed sine intermissione noctes, dies que studere.

Et hoc ipsa hora superueniens. Hæc inquit, tam multis nominibus commendata anus, eadem illa hora, qua quæ dixi, gerebantur, superueniens: eodem nimirum spiritu, quo venerat Simeon in templum *confitebatur Domino*, aut, vt habent Græca ἀνθωμολογεῖτο quod verbum non simpliciter confiteri significat, sed confessione respondere vt referatur ad confessionem Simeonis. Itaque vertũt vicissim

vicissim confitebatur Domino, hoc est, quemadmodum Simeon laudauerat, & benedixerat, ita & ipsa vicissim respondens confessione ipsius, domino gratias egit: laud.bus efferens eius benignitatem, qua iam respexisset populum suum. Hebraica enim phrasi confiteri Domino positum est pro gratias Deo agere, illumque laudibus efferre. Non solum autem collaudabat Dominum, sed (quẽ ordinem & Simeon prius tenuerat) deinde etiam loquebatur de illo alijs. Loquebatur ergo libere omnibus tunc in templo præsentibus, sed & postea alijs etiam tunc non præsentibus, sed his qui expectabant redemptionem Israelis tanquam iam imminentem. Propeo autem quod nostra litera habet Israel, Græce est *ἐν ἱερουσαλὴμ*. i. in Ierusalem, & potest referri vel ad Dariuum omnibus significetur omnibus, qui erant in Ierusalem locuta, aut ad redemptionẽ, vt significetur eos quibus loquebatur expectasse redemptionem perficiendam in Ierusalem. Ibi enim expectabant eam præstandã, quod illa præcipua & regia esset Israelitarum ciuitas.

Angeli monitu fugit cum puero in Ægyptum, & redit Ioseph. Matth. 2. CAP. XI.

ET vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsquedum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eũ. Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte: & secessit in Ægyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlem & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra secundum tempus quod exquisierat à magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre suo, timuit illo ire: & admonitus in somnis secessit in partes Galileæ: & veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazarenus vocabitur.

Et vt perfecerunt omnia secundum Legem Domini, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, &c. Notandum non dictum esse accipe vxorem tuam

quemad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quemadmodum prius, sed Matrem eius. Nam prius vxorem eius nominauit ad remouendam suspicionem in quam inciderat. Nunc vero quoniam omnis sublata fuit suspicio, & Ioseph certior factus fuit partum esse diuinum: non vltra vxorem eius eam nominat: sed nomine digniori; satis etiam significans non debere se habere illam quasi vxorem suam, sed potius quasi matrem Domini sui Quod ita Iosephum fecisse & Euangelista significat: cum secundum iussum Angeli dicit accepisse puerum & matrem eius.

Qui consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte. Attendēda hic Ioseph tum syncera fides, tum diligens obedientia. Nam quam prius audisset puerum hunc regem illum esse potentissimū, qui regnaturus esset in domo Iacob in æternum, & Saluator futurus Israelis, nullum tamen passus est, sed nec Maria offendiculum, quod iuberentur eum puerum in exilium deportare: sed intelligens Angelos esse ministros eorum, quæ circa puerum gerebantur simpliciter parendum esse non dubitauit, nec putauit curiosum esse debere, sed omnia boni consulenda, etiam quorum inire ratione non poterant. Neque paruit tantum Angelico oraculo, sed & nocte omnibus relictis fugit: cum fugere simpliciter iussus fuisset. Non prætereundum est & illud in verbis Angeli & Euangelistæ puerum semper nominari ante matrem: tum quod negotiū, quod hic agebatur ad puerum magis pertineret, tum ad significandam pueri diuinitatem, quia matre superior erat.

Vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentē: Ex Ægypto vocaui filium meum, &c. Testimonium istud dubium non est desumptum esse ex Osee cap. 11. secundum Hebraicam veritatem, & non secundum Septuaginta translationem. Dicit autē Euangelista hoc Osee testimonium in Christo fuisse adimpletum: non quod peculiare fuerit de Christo ex Ægypto vocando vaticinium, sicut illud Michæe de nascituro Christo in Bethleem, aut illud Isaie de ipso nascituro ex virgine: sed quod id, quod nominatim fuit scriptum de populo Israëlitico, apposite etiam competat in Christum: imò verius, & perfectius in eo impleatur & verificetur, vt qui verior sit Dei filius, à quo alij habent, quod filij Dei cēsentur. Proinde quod Euangelista ait: *Secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis*, vt adimpleretur quod dictum erat à domino per Prophetam: Ex Ægypto vocaui filium meum, perinde est ac si dixisset, vt & de puero Iesu illud Prophetæ verificaretur, Ex Ægypto vocaui filium meū, vt si quis verba faciēs de Patre alt quo mire sollicito pro filio diceret, vidisses amore, desyderioque filij non posse consistere, omnia neglegere, omnia posthabere, vt filium præsentem videret, vt impleretur in eo illud Maronis: Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Tunc Herodes Videns quoniam illusus esset à Magis iratus est valde.

Tunc

Tunc inquit, hoc est cum iā Ioseph cum matre & puero fugisset in Ægyptum. Nam quamuis ab aduentu Magorum vsque ad fugam in Ægyptum multi dies interceſſerunt: tamen antea Herodes vel non aduertit se deceptum à Magis, implicitus scilicet & distractus alijs negotijs, vel quod est verisimilius, cum non statim ad ipsum secundum promissionē rediret Magi, credidit illos spe sua frustratos præ pudore noluisse reuerti: sed cum ex his, quæ qua dragesimo die in templo dicta, factaque erant rumorem nouum nati Messiæ spartum audiret, intellexit à Magis sibi illusum, & *iratus est valde*, ita vt qui prius sæuitiam & iram in puerum concepta simulata pietate texerat, iam non vereretur inaudito facinore eandem palam testari: hinc maioris sæuitiæ sumens occasionem vnde debuerat metum, timoremque concipere, nullum iam iræ suæ modum statuens, nullaque pietatis iura præ oculis habens.

Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem à bimatu & infra secundum tempus quod exquisierat à magis. Sic est istud intelligendum, vt verba illa, secundum tempus quod exquisierat, nō referantur ad illud, a bimatu, sed tantum ad illud quod dicit, & infra. Ideo enim illud ab Euangelista adiectum videtur, vt significaret minores bimulis non quoslibet, sed qui essent circa, & ante, nō autem post tempus stellæ æditi, iussos ab Herode occidi. Neque enim natum hunc puerum Regium post stellæ apparitionem arbitrabatur. Sed quotquot bimatū attigisse viderentur: idcirco voluit interfici, ne si forte Christus vel ante stellæ ortū natus, vel per miraculum maior quā pro ætate, elaberetur tanquā ante ortum stellæ natus. Itaque sicuti loco latitudinem adiecit, occidens etiā omnes qui erant in omnibus finibus Bethleem: ita & tempus ampliasit occidens non tantum eos, qui nati erant cum stella apparuerat, sed & qui ante.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem. Testimonium istud legitur Ierem. 31. & ipsum nequaquam proprie de his infantibus propter Christum interfectis à Propheta prædictum est: sed de decem tribubus in captiuitatem cum magno mœrore abductis, vt testatur etiam Hieronymus. He autem tribus illo capite, & alibi sæpe nomine Ephrain designantur, quoniā earū principes erat tribus Ephraïm. Itaq; à Propheta Rachel, quæ auia erat Ephraïm dicitur deplorare Israëlitas tanquam filios suos: quo significatur populum Israëliticum amare ploraturum ob captiuitatem, & necem suorum. Quoniam autem sub Herode tunc non minor tyrannis, & ciulatus factus est in Israëlitico populo, quàm olim cum populus in captiuitatem abduceretur, idque eo loco, vt propriè Rachel dici possit plorasse iā hos interfectos tanquā filios suos: ob id Euangelista hunc Ieremiæ locū nunc dicit adimpletum, hoc est, nunc verè id dici potuisse, quod olim dixerat Ieremias

mias etsi de alijs, & in sensu nonnihil diuerso. [Porro testimonium istud, teste Hieronymo, nec secundum Hebraicum, nec secundum Septuaginta citauit Euangelista: ex quo inquit, perspicuum est Euangelistas, & Apostolos nequaquam ex Hebræo interpretationem alicuius secutos: sed quasi Hebræos ex Hebræo legebant Hebraicè suis sermonibus expressisse: non curantes tamē eadem omnino voces annumerare, sed contenti integritate sententiarum Christum prædicasse]. Rama ita que hic (vt docet etiā Hieronymus) appellatiuè accipi debet, vt sit idē quod excelsum. Itaq; sensus secundū Hieronymum est vox in excelso audita est, hoc est longe lateq; diffusa. Subdens autē declarat quæ vox fuerit, *quia ploratus & vlulatus multus*, vbi pro duobus, quæ nos legimus, Græci tria habēt θρῆνος, καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμός. i. lamētatio, & planctus, & fletus, sicut & Hebræa, & Septuaginta habēt tria. Porro per Rachelē hic intelligi iā debet regio Bethleemitica, eo quod iuxta Bethleē Rachel sepulta fuerit. Hāc itaq; dicit plorasse filios suos, nec voluisse consolationē admittere, *quia nō sunt*. Vbi Hebraica phrasi positū est *nō esse* pro nō superesse, & nō viuere amplius in hac vita.

Defunctis autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, &c. Cum Christus natus sit 32. anno regni Herodis, & veri simile sit Christum primo anno vitæ fugisse in Ægyptum: consequens est eum circiter quinque annos vixisse in Ægypto, & quinque, vel sex annorum fuisse cum ex Ægypto rediret. Itaq; monetur ab Angelo Ioseph relicta Egypto redire in terram Israel, hoc est Palestinam. Cum autem dicit Angelus *defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri* videtur numerus pluralis phrasi accipiendus Hebraica pro singulari. Nam quanquam plures cum Herode quæsierint Animam pueri, nempe illius satellites, & amici: prius tamen solum dicit Herodem defunctum, eoq; defuncto angelum apparuisse. Sic cum Scriptura Exo. 2. dicat solum Pharaonem quæsisse occidere Moysen: tamen cap. 4 dicitur, vade, & reuertere in Egyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam

Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode Patre suo timuit, &c. Quod hic dicitur Archelaus regnasse in Iudæa pro Herode Patre suo, non sic est accipiendum, quasi Rex fuerit sicut Herodes Pater: sed simpliciter regnasse intelligendus est, quod post Patrem Iudææ præfuerit, non regio nomine, sed regia potestate, aut quod à Patre destinatus esset Rex, & à populo Rex in principio saluratus, denique & à Cæsare regium nomen illi esset promissum. Cur autem putauerit Iosephus eundum in Iudæam cum habitatio eius esset in Nazareth, dicendum Iosephum existimasse puerum in Iudæa educandum: tum quod in ea natus esset, tùm quod in ea sedes esset regni. Aut voluisse quidē ire in Iudæam nō ad habitandum, sed vt gratias Deo solēnes ageret in Hierusalē, metuisse

Ioseph lib. 17. antiq. cap. 10.

tuisse autē ne quēadmodum tēpore præsentationis ab aliquibus agnitus Archelao manifestaretur. Cur vero ita nō metuebat ire in Galilæā propter Herodē fratrē Archelai sicut in Iudæā propter Archelaū dicendū magis metuendū fuisse ab Archelao, tū quod Bethleē in qua natus erat Christus in Iudæa erat, in qua ciuitate si venisset habitaturus Ioseph facilè creditum fuisset Christum fuisse vnum ex pueris illis, quos occiderat Herodes, tum quod Archelaus aspiraret ad nomen Regis Iudæorum, quod habuerat Pater. Porro eo quod nos legimus admonitus Græce est χρηματισθεὶς quod non simpliciter admonitum significat: sed admonitum oraculo, & vt prius vertit de Magis, accepisse responsum.

Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, &c. Intelligendum est cum Hieronymo Euangelistam ob id non dixisse per Prophetam, sed per Prophetas, vt non fixum aliquod, & vnum scripturæ testimonium designaret, sed à plerisque id dictum indicaret, & si non secundum verba, tamen secundum sensum. Quomodo autem in scripturis id secundum sensum sit dictum non omnes consentiunt, idque ob id, quod dubitetur, quibus literis Hebraicè debeat scribi nomen ciuitatis Nazareth, à qua Christus dicitur Nazareus. Verum manifestum satis est nomen Nazarei vt de Christo dicitur non debere scribi Hebraicè per Zain, sed per literam Tsade. Et fieri potest ciuitatem Nazareth eam esse, quæ in libro Iosue inter ciuitates tribus Neptali vocatur Hasor, vel Enhasor. Nam hæc nomina per Tsade in medio scribuntur. Secundum hanc itaque deriuationem nomen Nazarei Christo aperte tribuitur Isaiæ 11. Nam vbi nos legimus, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet pro dictione flos, Hebræis est נֵצֶר. Netser per Tsade quod significat florem, aut potius germen. Quamuis autem hoc solo Isaiæ loco Christus apertè Netser dicitur: Matthæus tamen dictum dicit per Prophetas ipsum hoc nomine vocandum: eo quod & alij Prophetæ ipsum nomine idē significāte appellauerint. Nā Zachariæ 3. vbi nos legimus: Ecce vir Oriēs nomē eius. Et c. 3. Ecce ego adducā seruū meū Orientē (quę de Messia dictū esse dubium non est) pro nomine Oriens Hebraice est צֶמַח quod magis significat Germen quomodo eam dictionem vertit Hieronymus Ierē. 22 & 23. & Is. 4 In quibus omnibus locis Christus dicitur germē. Proinde quod dicit Matthæus in hoc sensu videtur accipiendum, Christum habitasse in ciuitate Nazareth: vt vel ex ipsa ciuitate, à qua cognominandus erat demonstraretur in ipsum vere competere nomen illud Netser & Germen, quo Prophetæ Messiam appellarunt. Quoniam enim plerosque Iudæos offendebat, quod Iesus diceretur Nazarenus, ostendit Euangelista quam id conueniat scripturis, quę passim eum vocant nominibus significantibus Germen, quod nomine Nazarei etiam significatur. Quare cum

dicit

dicit, vt adimpleretur, &c. Coniunctio, vt, potius est accipienda consecutiuè, quàm vt denotet causam finalem, quemadmodum etiam prius etiam dicit; vt impleretur quod dictum est. Ex Ægypto vocaui filium meum.

Quæsitus à parentibus Iesus inuenitur in templo. Lucæ 2. CAP. XII.

REVERSI sunt [ergo] in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem, in die solemni Paschæ. Et cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisq; diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum, inter cognatos & notos. Et non inuenientes eum, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te? Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo Et Iesus proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Reuersi sunt [ergo] in Galileam in ciuitatem suam Nazareth, Puer autem crescebat & confortabatur, &c. Crescebat corpore scilicet, & confortabatur spiritu scilicet. Nam dictionem spiritu, Græci codices sic habent, quemadmodum prius cum de Ioanne quoque dixit Lucas: Puer autem crescebat, & confortabatur. Apparet autem ab aliquo reiectam hoc loco dictionem spiritu, quòd offenderetur eo quod Christus diceretur secundùm spiritum confortari: cuius spiritus ab initio plenus fuerit omni gratia. Verum cum Scripturis sacris, & fidei synceritati obstare non videatur, si dicatur deitas per gradus quosdam dotes suas impartisse humanæ naturæ assumptæ & Lucas id aperte hoc loco bis dicat: putant quidam hæc Lucæ loca simpliciter accipienda, vt vere Christus significetur profecisse Sapientia sicut profecit ætate. [Nam quod plerique veteres dicunt Christum ab initio fuisse plenum sapientia, nec potuisse proficere: magis videntes respexisse ad Sapientiã eius diuinam, quæ competit

Christus in profecerit Sapientia.

tit Christo quatenus Deus, quemadmodum id patet ex Ambrosio hoc loco, Secundũ carnẽ inquit, vtiq; sapiẽtia Dei implebatur, & gratia. Et sub nomine Theophili in cathena aurea sic legitur sicut verbum in carne passum fatemur, quamuis sola caro fuerit passa, quia caro verbi erat quæ patiebatur: ita proficere dicitur ex eo quod humanitas proficiebat in ipso. Verum hæc à Scholasticis, & benè quidem intelliguntur dicta esse de Sapientia Christi ipso vsu & experientia acquisita, cum prius ab initio conceptionis fuerit infusa animæ eius omnium rerum cognitio. Sicut enim ex prædictis authoritatibus Ambrosij, & Theophili patet in Christo ponendam sapientiam aliquam tempore, & vsu rerum acquisitam contra Magistrum sentẽtiarum, qui eã non videtur agnoscere: ita ex Augustino, aliorumque autoritate, ac ipsa denique ratione omnino videtur Christo etiam quatenus homini tribuendam perfectam omnium rerum à conceptione cognitionem ei infusam. Nam præter scientiam Beatæ visionis, qua secundum animam assidue fruebatur sua diuinitate, ex qua multo plenius anima eius omnia cognoscebat, quam Angeli, qui ex conspectu & fruitione diuinitatis omnium rerum habent cognitionem, maximè quantum ad se pertinet; præter hanc, inquam, omnino verisimile est & congenitam quandam in eo omnium rerum fuisse scientiã, quam verbum Dei Animæ suæ in ipsa creatione implantauit ad eum modum, quo Angelis suis ab initio naturalium rerum perfecta cognitio congenita est, sicut & ipsi Adam. Neque enim conuenit Animam Christi his esse inferiorem]. Porro quomodo cuique intelligantur hæc loca Lucæ, illud certum his verbis. *Puer crescebat, & cõfortabatur, &c.* ipsum voluisse ita notare veritatem assumptæ ab eo naturæ humanæ, vt tamen etiam significaret in eo aliquid homine maius apparuisse. In eo autẽ quod sequitur, *& gratia Dei erat in illo*, nomen Gratiæ accipitur rectè pro acceptatione Dei, & fauore quo filium suum, nosq; per illum sibi gratos habet. Nam pro in illo Græcè est ἐπ' αὐτὸ, i. super illum; quod huic sensui bene conuenit. Itaque sensus erit, Dei Patris fauorem fuisse super ipsum donis suis illum ornatis, ac ipsum in omnibus moderantis, & componentis. Benè autem dicit ipsum & plenum fuisse Sapientia, & habuisse in se gratiam Dei: vt ostenderet eum & admirabilem fuisse ob sapientiæ augmentum supra ætatem, & amabilem fuisse omnibus ob diuinam gratiam in ipso effulgentem & omnes in amorem pueri pertrahentem. Neq; gratiam solum dicit in eo fuisse, sed gratia inquit Dei, vt ostenderet fauorem pueri non fuisse vulgarem, aut temporatum, quem sibi nonnunquam puerilis ætas humanis, & naturalibus dotibus colligit, puta formæ gratia aut præcoci docilitate aut alio denique simili munere.

Et ibãt parẽtes eius per omnes annos in Ierusalẽ, in die solẽni Paschæ.

Quibus verbis pietatem, & legis Mosaïcæ seruãdæ studium, quod fuit in parentibus Christi, notat: Quanquam enim Nazareth longius abesset à Ierusalem, nempe trium dierum itinere, quotannis tamen seeò religiosi conferebant. Præceptum enim in lege erat Iudæis vt non solum Pascha certo tempore celebrarent, sed etiam in certo loco, quem sibi dominus delegisset.

Et cum factus esset Iesus annorum duodecim. In eo quod Christus à parentibus simul ductus est in Ierusalem, & hac in parte parentibus obedierit, qui alieno non indigebat magisterio: paratum est exemplum parentibus castæ educationis, nempe quod oporteat parentes ex sese prognatos statim, & ab ipsis (vt aiunt) incunabulis arcere ab omni lasciuia, sanctisque moribus, ac pietatis studiis assuefacere: & omnibus filiis ostensa forma est, quomodo debeant morigeros sese præbere parentibus ad ea, quæ honesta sunt hortantibus. Quod vero saluator duodennis consummãtis diebus Paschæ, hoc est, septem diebus, cum rediret parentes remanserit in Ierusalem volens commiscerì doctoribus: indicium quoddã rarę suæ Sapientiæ dare voluit, & velut radiolum aliquem sui splendoris spargere, ad confirmandam fidem tum parentum, tum aliorũ, qui ab ipso salutem Israëlis expectabant. Porro inscitis parentibus istud Christus fecit, ne ab eis retraheretur, aut eos contemnere videretur, si retrahentibus non obediret. Præterea quo doceret renunciandum esse parentum, cognatorumque affectibus ei, qui velit cælestis doctrinæ professionem suscipere; mandataque Dei amicorum affectibus esse præponenda, & in Euangelico negotio nullam esse carnalium parentum autoritatem spectandam. Iam nec parentes eius possunt culpari negligentiæ, quod illis nescientibus puer remanserit in Ierusalem. Nam autore Beda, filiis Israel moris fuit, vt temporibus festis, vel Ierusalem confluentes, vel ad propria remeantes, seorsum viri, & seorsum fœminæ incederent, pueri autem indifferenter cum altero parentum coniugerentur: atque ita factum vt Maria puerum cum Iosepho esse, & contra Ioseph crederet Mariæ adesse. Quod si autem hic mos Israëlitis non fuit (nã de eo non constat) satis Euangelista parentes Christi excusat, eo quod dicit existimasse ipsum esse in comitatu, inter amicos, & notos; quibus lubenter solet ea ætas adhærere. Itaque securi de puero venerunt è Ierusalem versus Nazareth itinere vnius diei, vesperi illum requirentes inter cognatos & notos. Vno enim die venerunt è Ierusalem versus Nazareth & non inuento puero vesperi inter Amicos, altero die regressi sunt in Ierusalem, ibi vero tertio deinde die ipsum in templo inuenerunt. Proinde quod dicuntur post triduum inuenisse puerum, non est intelligendum tribus diebus iam finitis puerum inuentum, sed post triduũ, hoc est, cum iam tertius dies aduenisset, & tertio iam die: sicut

prius dixit Christum circumcisum postquam consummati fuissent dies octo, hoc est die octauo. Inuenerunt autem in Templo non ludentem, nec ociosum, sed sedentem in medio doctorum, hoc est inter doctos veluti discendi cupidum, audientem videlicet eos, & vicissim interrogantem. Non quod necessarius illi esset suscitari ab hominibus quod disceret, sed quo omnibus iunioribus exemplũ modestiæ & disciplinæ præberet.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia, & responsis eius. Et merito quidem stupebant, quod tantillus puer interrogationibus, & responsis tam admirabilem quandam, & plusquam senilem declararet sapientiam in tenera illa, & indocta ætate ea promens, quæ doctores prouectæ ætatis non pigeret discere. Verisimile autem auditores non solum admiratos eius prudentiã, sed & earum vultus, gestus, linguæque modestiam, quæ gratiã addebat intelligentiæ, & sine qua explosa fuisset à doctoribus eius interpellando audacia.

Et videntes admirati sunt, & dixit mater eius ad illum, &c. Non solum ij, qui Christum interrogantem, & respondentem audierũt admirabantur: sed & parentes eius videntes puerum sedentem in medio doctorum admirabantur. Nunquam enim in eo simile viderant, nec satis intelligebant facti noui huius rationem.

Et dixit Mater eius ad illum. Tacet Ioseph, quod sibi conscius esset nihil se habere iuris in partum sponsæ suæ: Mater vero pro peculiari sua in filium autoritate loquitur, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* hoc est, cur ad istum modum agis nobiscum? Cur te clam subduxisti à nobis? Ecce enim Pater tuus & ego cum dolore animi te iam aliquot dies quæsiuimus. Hæc autem accipienda sunt tãquam verba eius, quæ quæ tuloè affectum suum & dolorẽ manifestat. Neque enim dure illi loqui potuit quẽ tã vnicè amabat, quemque quod Christum, ei Filium Dei esse ex Angelo didicerat, reuerebatur: nec dubitabat nihil reprehensibile admittere posse. Cum dolore autem puerum quæsierant, quod metuerent ne illorum aliqua offensus culpa nollet vltra illis ministris vti, aut ne in grauem, & culpabilem negligentiam illis apud Deum imputaretur derelictio pueri, quem sciebant suæ curæ commissum esse. Porro in verbis Mariæ propriam eius humilitatem rursus perspicere licet. Non enim dedignatur Iosephum Patrem Christi nominare, quamuis sciret ipsum ex illo non concepisse: sed nec in ipso ordine nominis se præferebat marito, vt diceret, ego & Pater tuus, sed Pater tuus, inquit, & ego: non attendens vteri sui dignitatem sed ordinem coniugalem, omnibusque fœminis exemplum præbens honorandi suos maritos.

Et ait ad illos: quid est quod me quærebatis? Et hæc rursum verba accipienda sunt dicta à Saluatore non mordaciter, aut indigna-

Universidad de Deusto
Biblioteca

blandè, sed modestè: quemadmodum decet summam ipsius erga omnes, & maximè erga parentes modestiam, quamuis tamen duriusculum aliquid sonent. Nam parum blandè Christus Matri respondit, quotiescunque in Euangelico aliquo negotio maternam suam autoritatē interponere visa est, ac matris iure illum compellauit: vt ostenderet in eo negotio non esse locum alicui autoritati humanæ. Habet enim parentum autoritas suos limites, cui renunciandum est, cum agitur negotium diuinum.

Nesciebatis, quia in his, *quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Nō assertiuè dicit eos nescisse quia oporteret eum esse in his, quæ Patris sui erant, sed interrogatiuè, quasi diceret: merito vobis illud in mentem venire debuisset, quod alioqui sciebatis. Nec hæc dicens reprehendit eorum quærendi studium, cum illud omnino fuerit laudabile, vtpote à pio affectu profectum: sed tantum ostendit quantum erat ex parte sui illud esse superfluum, nec sibi parētum dolorem imputari posse. Per ea autem quæ Patris sui erant, intelligit ipsum templum: aut potius quæcunque diuina exercitia, qualia erant audire doctores, eosdemque interrogare, & interrogantibus respondere.

Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Nullū fuerit inconueniens dicere etiā Mariā non planè intellexisse, quod à Domino dicebatur: quandoquidem id aperte Lucas asserere noluit veritus. Quamuis enim ex his quæ præcesserant scirent puerum esse Christum, & plane diuinam prolem, imo filium Dei, nihilque mediocre aut vulgare expectarent ab eo: tamen nondum ad plenum intelligebant sublimitatem diuinæ virtutis: necdum cognouerunt quam admirabili consilio, quibusue rationibus munus suum obiturus erat, ad quod missus fuit à Patre, atque ideo perpetua quadam admiratione circa ipsum & gesta eius tenebantur, si quando Dei Spiritus sese clarius in eo proderet.

Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Ostendit rursum quanta parentibus carnalibus debeatur reuerentia, & subiectio: quando & ipse qui se iam parentibus superiorem ostenderat, non dedignatur etiam simulato Patri deinceps morem gerere.

Et Mater eius conseruabat in corde suo omnia verba hæc. Hoc est, omnia hęc, quę modo dicta, factaque circa puerum dixi. *Iesus autē proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deū & homines.* Hactenus Lucas, & Matthæus Iesum fere vocauerunt puerum, aut potius puerulum παιδίον. Nunc vero terminata scilicet pueritia, & declarata sapientia pueri; non amplius puerum sed Iesum vocat Lucas. Porro cum dicit Lucas Christum profecisse gratia, dictio gratia anceps est. Potest enim accipi quemadmodum prius cum dixit, Et gratia Dei erat in illo, pro dono Dei, quo illi gratificimur, & bene viuimus: & tunc eodem modo oportet intelligi Christum profecisse gratia, quomodo profecit Sapientia. Aut accipitur pro acceptabilitate, & fauore, vt significetur eum gratiosiorem factum tum Deo, tum hominibus commendatione virtutum sese in eo proferentiū. Quanquam & secundum hanc acceptionem non potest intelligi profecisse gratia apud Deum: quasi acceptabilior, & gratior postea factus sit illi. (Sicut enim non creuit in eo gratia habitualis, ita nec gratior factus est): sed tātum quod semper magis, ac magis fecerit acceptabilia, gratia, atq; meritoria opera. Primum autem dicit apud Deum, deinde apud homines. Primum enim oportet Deo placere, deinde hominibus.

Finis eorum quæ duodecim Capitibus de Christi Infantia dicta sunt.

PRÆDICAT ET BAPTIZAT Ioannes. Matth. 3. Mar. 1. Luc. 3.

CAPVT XIII.

ᵇINITIVM Euangelij Iesu Christi filij Dei: [a] *In diebus autem illis, [a] anno quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilenæ Tetrarcha sub principibus sacerdotum Anna & Caipha:* [b] *sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius:* [c] *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et* [d] *venit* [a] *Ioannes Baptista in omnem regionem Iordanis* [&] [b] *fuit Ioannes baptizans* [d] *& prædicans* [e] *in deserto* [a] *Iudææ* [b] *baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,* [a] *& dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem:* [c] *sicut scriptum est in libro sermonum Isaiæ prophetæ:* [f] *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* [g] *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas, & videbit omnis caro salutare Dei.* † [e] *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ, & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudæa* [a]*, & omnis regio circa Iordanem:* [e] *& baptizabantur ab eo in* † *Iordane* [c] *confitentes peccata sua.* [a] *Videns autem multos Pharisæorum &*

† [b] Erat Ioannes vestitus pilis camelinis & Zona pellicea circa lumbos eius et locustas & mel syluestre edebat. Et egrediebatur ad eum omnis Iudæa regio, & Hierosolymitæ universi. † [b] Iordanis fluvine.

▷ ᵒ Dicebat ergo ▷ ᵒ Generimina ‖ ᵃ Demonstrasset. ▷ ᵃ ᵒ fructum dignum. † ᵃ. velitis. ▷ ᵃ ᵒ. quae non facit.

ᵉ Sadducęorum venientes ad baptismum suum, ‖ ᶠ dixit' ᵃ eis, [&] ᵍ ad turbas quę exibant vt baptizarentur ab ipso: ▷ ᶠ Progenies' viperarum quis ‖ ostendit' vobis fugere à ventura ira? Facite ergo ▷ fructus dignos' pœnitentię, & ne ᵗ cœperitis' dicere ᵘ intra vos ᶠ patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor ▷ non faciens' fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur. ᵍ Et interrogabant eum turba dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis. Interrogabant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Ioannes ʰ & prædicabat ʰ dicens ᵘ omnibus: ᵗ Ego quidem ʰ baptizaui [&] ᶠ baptizo ᵗ vos

† ʰ venit autem fortior me. ʰ. post me. ▷ ʰ Ille vero. † ᵘ. eius. ▷ ᵘ ᵒ purgabit.

ᵃ in ᵗ aqua ᵃ in pœnitentiam: † Qui autem post me venturus est, fortior me est, ᵗ cuius non sum dignus ʰ procumbens ʰ soluere corrigiam calceamentorum eius [aut] ᵃ calceamenta portare. ▷ ᵗ Ipse' vos baptizabit ᶠ in ᵗ Spiritu sancto ᶠ & igni, cuius ventilabrum in manu ‖ sua, & ▷ permundabit' aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. ᵍ Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

ʰ *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei*. Dębet in verbis istis aliquid subintelligi hoc modo, Initium Euangelij Iesu Christi tale fuit. Dicit autem *filij Dei* cum Matthæus dixerit Filij Dauid, Filij Abraham. Nam Matthæus quidem susceperat in principio ostendere Christi natiuitatę temporalem, quodque secundum eam ex Dauide natus esset: Marcus vero à prædicatione, & miraculis Christi auspicatur per quę demonstratur non humanitas, sed diuinitas ipsius. Constat autem ex dictis Euangelium hoc loco non accipi quomodo dicimus Euangelium Matthæi, aut Marci pro scriptura scilicet historiæ Euangelicæ: sed pro ipsa prædicatione Euangelica, & bona illa annunciatione de Christo, & per Christum mundo illata.

ᵍ *Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cęsaris*. Memiait Tiberij Cęsaris, quod rũ Iudæa Romano subesset Imperio, & per annos Imperatorum tunc annum, & tempus rei gestæ designari solitum esset. Deinde vero ostendit, qui tunc apud Iudæos præessent, tum in temporalibus, tum in rebus diuinis *procurante* inquit, vel præsidem agente Pontio Pilato in Iudea. Archelao enim postquam decem annos præfuisset sublato ab Octauio Augusto, & in exilium relegato Viennam Gallię ciuitatem Iudęa tributaria facta dispensationi Syriæ coniuncta est: nec amplius per Principem, sed per Procuratorem, & Præsidem gubernabatur. *Tetrachia autẽ Galilea Herode, &c.* Quamuis nomen Tetrachiæ à regni quarta portione omnino videatur desumptum: falsum est tamen tres istos qui à Iudęa Tetrachę dicuntur sic esse dictos à quarta parte regni accepta, vt volunt quidam. Nam Herodes maior, & frater eius Phaselus, priusquam Herodes Rex à Romanis declararetur, ambo Tetrarche Iudęorum constituti sunt ab Antonio vt scribit Iosephus. Et Plinius in Cęlesyria tradit fuisse Tetrachias 17. & in Decapolitana regione Tetrachias sex numerat. Proinde videri potest Syriæ administrationem Græcis quadripartitam fuisse atque in Tetrarchias ipsas regiones suis limitibus determinatas, & Præsides earum Tetrarchas appellatos fuisse. Deinde illis amplius diuisis, & aucto portionum numero vetus interim & primo datum nomen permansisse.

Tetrarchia.

Libr. 14. anti. ca. 21

ᵍ *Sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha*. Verisimile est tẽporibus Pilati Annam & Caipham obtinuisse largitionibus vt vicissim Pontificatus munus obirent, atque ob id dixisse Lucam sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha. Bene autem notat Lucas hac Principum & Sacerdotum descriptione aptum fuisse istud tempus manifestationis Christi, & prædicationis Regni cęlorum. Cum enim terrenum Regnum, & Sacerdotium apud Iudæos tam malè haberent, vt præter sectionem principatuum profanorum, atque ob id multimodam tyrannidem in rebus externis, sacerdotij quoque dignitas scissa esset Romanorum auaritiæ, & Sacerdotum ambitioni penitus prostituta: tum sane aptissimum erat tempus vt expectatus ille Iudæorum Rex simul, & Sacerdos manifestaretur, & regno terreno, atque sacerdotio legali abolito succederet regnum cęleste, & sacerdotium spirituale. Tũ & apta occasio prædicandi Regnum cęlorum: Nunquam etenim ad percipienda cęlestia magis capaces fumus, quam vbi terrena omnia aduersa cadũt. Porro Matthæus tempus prædicationis Ioannis indistinctè significauit, dicens: *in diebus illis*: vbi per dies illos totum illud tempus intelligit, quod fuit à Christi pueritia, vsque ad Ioannis prædicationem.

ʰ *Sicut scriptum est in Isaia Propheta*. Græci codices habent in Prophetis. Verum id apparet mutatum à doctis data opera: quod deprehenderent hoc testimonium ex duobus esse conflatum. Nam prior pars est ex Malachiæ cap. 3. posterior vero ex Isaiæ cap. 40. Porro dum legitur in Isaia Propheta dicendum ideo duo Prophetarum testimonia sub Isaiæ nomine coniungi: quod Isaias prior illud idem quod vaticinatus est Malachias insinuauerit.

[a] *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Hęc citatio Euangelistæ nonnihil dissidet ad Hebraïca veritate, & à Septuaginta: Nam Hebræa sic habent interprete Hieronymo, Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam; consentientibus per omnia 70. nisi quod pro præsenti mitto verterunt per futurum mittam. Hæc tamen diuersitas verborum non præiudicat sensuum identitati: imo mysterij cuiusdam explicationem in se continet, & intelligentiam rectam Prophetæ demonstrat. Apud Euangelistam enim certum est esse verba Patris ad Filium. Apud Prophetam autem siue intelligantur esse verba Christi de se loquentis, vt vult Hieronymus, siue verba Patris, semper significatur Christi æqualitas cum Patre & diuinitas eadem. Cæterum Ioannes Angelus dicitur non natura, sed ratione officij, quod ipso nomine magis significatur. Est enim Angelus Latine nuntius: quamuis etiam Angelus rectè ob id intelligitur nominati, quod Angelicam plane vitam in hoc mundo egerit.

Ioannes angelus officio.

[c] *Factum est verbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.* Factum est inquit, verbum domini, hoc est, iussio, ac inspiratio Domini super Ioannem, id est, ad Ioannem: quo significat quod non ex seipso accesserit ad prædicandum & baptizandum, sed ex diuino mandato: siue illud acceperit per interiorem inspirationē, siue per externam & sensibilem aliquam vocem.

Et venit [a] *Ioannes Baptista* [c] *in omnem regionem Iordanis.* Cum Lucas dicat factum esse verbum Domini super Ioannem in deserto, indeque eum venisse circa Iordanem & ibi prædicasse, & baptizasse: quomodo Matthæus dicit eum venisse, & prædicasse in deserto Iudeæ, sicut & Marcus in deserto eum baptizasse, & prædicasse testatur? Intelligendum itaque ex interiori & vastiori deserto in quo multis annis vixerat venisse Ioannem circa Iordanis regionem, eamque à Matthæo vocari desertum Iudææ, quod in ea rari, & sparsim homines habitarent, sicuti in Hercynia sylua, aliisque incultis locis videre est.

[b] *Fuit Ioannes baptizans,* [c] *& prædicans* [c] *in deserto* [a] *Iudææ* [b] *baptismum.* Ordo inuertis. Prius enim prædicabat pœnitentiam, deinde baptismum pœnitentiæ, ac post remissionem baptizabat. Siquidē ab eis qui agnouerūt peccata sua, seq; pœnitere testabantur; exegit baptismi susceptionē in testimoniū detestationis veteris vitæ ac deliderij purgationis peccatorum suorum. Atq; ob id baptismus illius dicebatur pœnitentiæ baptismus: quod scilicet in testimoniū pœnitentiæ susciperetur. Quod vero sequitur, *in remissionē peccatorū*, intelligendum est prædicasse eum baptismum suum in remissionē peccatorum, hoc est, vt per pœnitentiam præparati tandem consequerentur per fidem in Christum, & Baptisma illius remissionem peccatorum: quomodo intelligitur à quibusdā quod dicitur in Cantico Zachariæ missus Ioannes ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum. Quare illud in remissionem non debet coniungi cum accusatiuo Baptismum: sed vel cum genitiuo pœnitentiæ vel potius cum participio prædicans.

Ioannis Baptismus.

Pœnitentiam agite. Græcis vnica est dictio μετανοεῖτε. Est autem μετανοεῖν proprie post intelligere, hoc est resipiscere, & ad mentē redire, ac post lapsum animaduertere erratum suum. Quare illud *agite pœnitentiam*, simpliciter accipi debet pro pœnitemini quem admodū vertitur Act. 2. Hoc est, ducimini pœnitudine. Ita enim dicitur agere pœnitentiam, quomodo dicitur agere vitam pro viuere. Sed quoniam quidam antiquę, & asperioris pœnitentiæ osores intelligunt hoc verbo μετανοεῖτε nihil hic aliud exigi, quam resipiscentiam, & correctionem admissorum peccatorum: ideo animaduertendum dictiones illas μετανοία, μετανοεῖν & pœnitentia, plus quid apud Apostolos, & Euangelistas significare, quam ex se se significent. Quod aperte patet ex Paulo sic scribente ad Corinthios. Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, &c. Ex quibus patet quæ illi comprehendantur nomine μετανοίας vel pœnitentiæ non solum scilicet resipiscentia, aut tristitia de eo, quod admissum est, sed etiam sollicitudo cor rigendi errata, purgatio, ac satisfactio, indignatio contra peccatum, eiusdemque vltio. Ita Ioannes, & Christus dum prædicabant μετανοεῖτε plus exigere voluerunt quam erroris agnitionem aut quam significat apud nos agere pœnitentiam, hoc est duci pœnitudine admissorum delictorum. Nam cū dixisset Ioannes μετανοεῖτε qui obedire prædicanti voluerunt susceperunt ab eo Baptisma pœnitentiæ, confitebantur peccata sua, dictūq; est eis facite fructus dignos pœnitentiæ. Hęc ergo omnia includebātur in verbo μετανοεῖτε Porro causa ob quam merito sit ab hominibus pœnitentia agenda, adijcitur cum dicitur.

2. Cor. 7.

Pœnitentia nomen quid includat.

Appropinquauit enim (sic enim legendum esse per preteritum & non per futurum constat ex Græca dictione ἤγγικε & emendatis latinis exemplaribus) *regnum cælorum.* Et est sensus, Iam in proximo est, & instat regnum cæleste, fœlicissimum quidem illud, & ex optabile: sed in quod non patet introitus nisi puris à sordibus terrenis. Quare pœnitentia vitæ prioris præparate vos, quo ad regnum illud admitti possitis. Regnum autem cælorum hic recte accipitur pro eo regno, quo Deus per Euangelicam doctrinam, & Spiritum suum cordibus fidelium infusum regnaturus erat in electis fracta diaboli potestate: & electi simul cum Deo regnaturi in hoc mundo per fidem, spem, & charitatem, dominantes iam huic mundo, diabolo, & carni. Hoc autem Regnum, recte cęlorum reg-

Regnum cælorum.

num dicitur, quia regnum cæleſte: quomodo regnum terræ dicitur regnum terrenum, eo quod omnia quæ ad regnum iſtud pertinent cæleſtia ſint. Cæleſtis enim qui in eo regnat Deus, cæleſtis lex, & Spiritus per quem regnat, cæleſtes ſecundum conuerſationem, qui huius regni ſunt conſortes.

[a] *Hic eſt enim de quo dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: vox clamantis, &c.* Quo melius Iſaiæ Prophetia de Ioanne intelligatur, videnda ſunt diligenter, quæ præcedunt. Itaque Iſaias cum multis, & claris Prophetijs prædixiſſet Iudæorum captiuitatem in Babylonem & imperij Babylonici ſuo tempore per Cyrum ceſſationem: à principio capitis 40. vſque ad finem incipit prædicere liberationem per Cyrum futuram à Babylonica captiuitate, & maximè ſub illius typo liberationem electorum futurã per Chriſtum in Cyro adumbratum. Conſolamini inquit conſolamini, id eſt, conſolationem ſuſcipite populus meus dicit Deus veſter. Aut potius actiuè ſicut alij vertunt, & ſequentibus magis conuenit. Cõſolamini, conſolamini populum meum vos ſcilicet Prophetæ, & doctores. Quoniam autem huius conſolatoriæ prædicationis primus præco miſſus eſt Ioannes, mox de eo ſubiũgit dicens: *vox clamantis in deſerto* ſupple erit, vel audietur, vt intelligamus ipſum Ioannem eſſe eum, qui dicitur clamare ſua voce, vt ſit ſenſus, vox viri clamantis in deſerto audietur. Clamare autem dicitur Ioannes propter publicam, & lætam ipſius prædicationem. Quid vero clamaturus eſſet ſubiicit dicens.

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. Debemus ſimpliciter accipere vtramque hanc partem pro eodem, deinde accipere vtramque otationem tropice, vt dictum eſt in cantico Zachariæ vt parare viam Domini, & rectam facere ſemitam eius (ſic enim eſt Hebraice) nihil aliud, ſit quam auſerre omnia, quæcunque aduenientem Dominum remorari, aut offendere poſſent, efficereque vt expedite recipiatur, ac cupide. Quæ autem apud Lucam ex Iſaia ſequuntur.

[b] *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aſperа in vias planas*, quæ per futurum Indicatiui dicuntur quatuor primis membris accipi poſſunt mẽlius dicta adhortando, quemadmodum id quod præcedit; Parate viam domini, &c. Hebræis enim frequens eſt futurum Indicatiui ponere pro Impetatiuo, maximè in tertia perſona, eo quod apud eos Imperatiuus careat tertia perſona, pro qua proinde neceſſario abuntur tertijs perſonis futuri. Itaque ſenſus erit continuus & vnus; Parate viam Domini. Omnis vallis adimpleatur, omnis mons, & collis deprimatur, & ſint prauа in recta, & aſperа fiant in vias planas. Sic enim futurum eſt, vt omnis caro videat ſalutare Dei. Secundum hunc autem ſenſum maxime probabilem oſtenditur his verbis,

bis, Omnis vallis adimplebitur, &c. quomodo quod prius dicitur peragi poſſit, nempe quomodo poſſint homines parare viam Domini, perſiſtiturque pulchrè in metaphora à qua cœptum eſt. Cum enim Principi alicui aduenturo via paratur quo ſit expedita, valles implentur terra, montes cõplanantur, obliquiores viæ ad rectitudinẽ diriguntur, & aſperitas omnis auferrur: quo recta ſimul & plana ſit via Principis, Ita ergo & modo dicitur: Omnis vallis impleatur, &c. per quas metaphoras ſignificatur tollenda omnis vitiorum deformitas, puſillanimitas ſcilicet, ſuperbia, iniuſtitia, & aſperitas morum.

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Emphaſim habet quod ait omnis caro videbit, hoc eſt, non Iudæus tantum aut proſelytus videbit: ſed omnium omnino Gentium nationes. Carnem verò ſynecdochicè pro toto poſuit homine, vt alibi frequenter. Nomen tamẽ carnis potius quam hominis ideo videtur poſuiſſe, quo ſignificaretur Dei ſalutare videndum non iam vt prius oculis ſolum mentis, & fidei, ſed etiam oculis corporalibus, Deo ſcilicet Saluatore homi- *Salutare.*
num iã incarnato. Nam per ſalutare Dei rectiſſimè hic intelligi- *Dei.*
tur ipſe Chriſtus, per quẽ ſalutẽ nobis Deus Pater attulit. Quamuis autẽ ad ſignificandũ iſtud rectè dixerimus hic dictum *caro videbit*, certũ eſt tamen prophetã potiſſimum loqui de ea viſione, qua per fidem mens hominis agnoſcit Chriſtum ſecundum nomen ſuũ vere eſſe ſalutare Dei, & Saluatorem in Prophetis promiſſum.

[c] *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum & Zonam pelliceam circa lumbos eius.* Quod dicit Marcus Ioannem veſtitum fuiſſe pilis cameli, quomodo ſit intelligendũ apertius ex Matthæo fit, qui dicit eum habuiſſe veſtimentum, & vt habent Græca, ſuum veſtimentum de, vel ex pilis camelorum. Vnde ſatis conſtat habuiſſe illum veſtimentum ex pilis cameli contextum, non autem pro veſtimento illi fuiſſe pellem cameli. Zonæ autem Ioannis tã ſpeciatim ſit mentio, quod Gentibus illis in more erat, vt & nunc pleriſque eſt; geſtare zonas pretioſas.

Eſca autem eius erat locuſta. & mel ſilueſtre. Aduertendum dictionem Græcã ἀκρίδες, pro qua apud nos eſt locuſtæ duo ſignificare, *ἀκρίδες.*
Nam & ſignificat inſecti genus, quod nos locuſtam dicimus, & herbarum ſummitates. Proinde putant aliqui hic potius intelligendũ Ioannem victitaſſe herbarum ſummitatibus, quam locuſtis, animali ſcilicet venenoſo, & noxio. Non eſt tamen cur puterut Ioanni indignum fuiſſe vt locuſtis animalibus veſceretur. Hæ enim Le- *Locuſtæ Ioannis cibus.*
uit. cap. 11. inter animalia munda numerantur. Et Plinius teſtatur *lib. 11. c. 29*
locuſtas Parthis etiam in delitijs fuiſſe, & lib. 6. cap 30. refert quoſdam Æthiopiæ populos non alio cibo viuere, quam locuſtarum, quas durarent fumo, & ſale in annua alimenta. Proinde veriſimilius eſt Ioannem locuſtas animalia ediſſe: non quod

hunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hunc cibum sibi curiose proprium fecerit, sed quod hic vilis esset, minimeque sumptuosus, ac in deserto in quo viuebat, facile parabilis, quem & alij eiusdem deserti inhabitatores ederint: quamuis præ alijs omnibus eximiam quandam abstinentiam, & luxus omnis contemptum Ioannes præ se ferret. Porro Mel syluestre, quod etiam esca Ioannis fuisse dicitur, intelligimus hoc loco illud fuisse quod a feris, & incultis apibus in arboribus, & petrarum cauernis conficiebatur eo loci abunde, quemadmodum testatur satis mel illud, quod in saltu inuenit, & gustauit Ionathas. De potu autem nulla fit ab Euangelistis mentio: quod ex tanta ciborum abstinentia satis constet eum sola aqua vsum: quod & ex verbis Angeli apud Lucam loquentis Zachariæ manifestum est.

Mel syluestre.

1. Reg. 14.

Tunc exibat ad eum Hierosolyma, & omnis Iudea, & omnis regio. &c. Cum apud omnes celebrati inciperet vitæ eius sanctitas, prædicationisque eius, ac promissionis nouitas, deinde & natiuitatis eius miracula admiranda in memoriam reuocarentur, factū statim est vt omnis Iudea, id est, maxima pars hominum totam Iudeam inhabitantium, & regionem vniuersam, quæ erat circa Iordanem & *vniuersi* hoc est plerique Hierosolymitæ ex omni ætate, conditione & sexu ad eum conuenirent, Baptismumque ab eo susciperent in detestationem veteris vitæ, & protestationem mundioris vitæ postea semper agendæ. Hierosolymitarum autem speciatim sit mentio, ad maiorem commendationem Ioannis: vt cuius fama exciti sint ciues celeberrimæ ciuitatis, sanctitatis, ac sapientiæ titulis præ alijs insignes. [Neque mirum debet videri, quod Baptismum rem tam nouam populus ille tam cito susciperet in signum pœnitentiæ & desiderij remissionis peccatorum. Nā ad hunc Bptismum satis præparati erant partim per Baptismata Phariseorum, partim per lotiones veteris legis: quæ tam frequenter precipitur vt immundus lauet vestimenta sua & corpus, aspergaturque aqua expiationis] Quod autem dicuntur hi qui Baptizabantur confessi peccata sua: recte intelligimus eos sua peccata saltem maiora indicasse, & confessos esse apertè Ioanni: sicut & Act. 19. multi credentium dicuntur venisse ad Paulum confitentes, & annunciantes actus suos. Neque mirum videri debet, quod confessionem secerint peccatorum suorum, cum ea tamen a Ioanne non exigeretur. Qui enim vere pœnitet peccatorum suorum, quique tenetur desyderio remissionis eorundem: nihil vetetur ea exponere ei, per quem sperat se optatā consequi, posse vel consolationem, vel remissionem: non minus quam ægrotus morbum suum detegere ei, a quo sperat se obtinere posse desideratam salutem. Hęc autem cōfessio, quæ fiebat a pœnitentibus Ioanni non fuit sacramentalis, sicut nostræ confessionis ritus: sed eius quidam typus, & præparatio ad eam, sicut veteris legis, & Ioannis lotiones præparatoriæ erant ad

Confessio Ioannis ſacra.

ad verum, & efficacem Christi Baptismum.

Videns autem multos Phariseorum, & Sadduceorum, &c. Quatuor sectas apud Iudæos hoc temporis fuisse meminit Iosephus Phariseorum Sadduceorum, Essenorū, & eorum, qui autore Iuda Galonite exorti sunt tempore census. Ex his itaque duabus sectis cum quamplurimos Ioannes videret venientes ad Baptismū suum durè eos alloquitur: siue quod simulata mente ad accipiendum cū alijs Baptisma venirent, siue quod falsa sanctitatis suæ persuasione & fiducia sanctitatis parentum suorum arroganter inflati essent, homines supercilioſi, & veritatis semper contemptores, inuidentes his qui apud populum præ eis sanctitatis opinione celebrarentur. Porro quod Lucas dicit Ioannem excepisse etiam turbas tam duro sermone, sic intelligendum videtur, quod audiente turba hæc dixerit: notans potissimum Phariseos, & Sadduceos turbæ permixtos, quos ipso habitu, ac vestitu facile dignoscebat. Ipse enim Lucas teste, etiam publicanos & milites mitius excepit absque conuitio respondens ad id, quod rogabant.

Lib. anti. 13. cap. 8. & lib. 8. cap. 2.

Progenies viperarum, quis demonstrauit, &c. Ideo Phariseos appellat progenie viperarum quod pessimorum parentum pessimi essent filij, planeque venenati, veneno linguæ suæ optimos quosq; lethaliter lædere studentes, summaque calliditate prædīti; vt illud Progenies viperarum, idem sit cum eo, quod habet adagium, Mali corui malum ouum, Quod autem in Luca legimus γεννήματα cuius bonum imitatus aliquando Interpres vertit Genimina ab antiquo verbo, geno, nomine deriuato.

Hieronymus in Isa. ca. 30. Progenies Phariseorum viperarum Pharisæi.

Quis demōstrauit vobis fugere à ventura ira? Hæc Ioannis interrogatio optimè accipitur vt sit sermo admirantis hoc sensu: Cum sitis progenies viperarum, malorumque parentum pessimi filij, Iustorum, rectaque docentium persecutores, & interfectores, venturam Irā aut non credetes, aut nō metuentes ob falsam iustitiæ persuasionē: quid vobis accidit: noui, vt credētes instare inexitabile peccatoribus supplicium, eoque & vos esse obnoxios, putaretis etiam vobis vna cum reliquis peccatoribus laborandum, vt venturam iram effugiatis? Mirum sane est potuisse quenquam mentibus vestris, & in malitia tam inueteratis, & de iustitia sibi placentibus id insinuare, & persuadere esse faciendum. Et sane mirum: quia neutri timebant pœnas alterius vitæ; Sadducei quidē quia non credebāt illas, Phariſæi vero quia Iustos se existimabāt. Porro per venturam Iram quāuis aliqui intelligant excidiū Iudęorū, quod per Romanos postea factum est, magis tamen debere intelligi æternam post hanc vitam condemnationem: satis patet ex verbis Saluatoris dicentis Phariſæis; Quomodo fugietis à iudicio, gehennæ? Siquidem Ioannes non solum prædicabat regnum cælorum, sed & gehennæ

Ira ventura.

Matthæ

gehennæ condemnationem.

Fructus. dignus pœnitentiæ.

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Regitur genitiuus pœnitentiæ non a nomine fructus, sed ab adiectiuo dignos: suntq; fructus digni pœnitentiæ, vel pœnitētia fructus qui decent verā pœnitentiā, eamq; declarant. Est autē sensus verborū Ioannis iste, Quādoquidem vos exhibetis pœnitentes, ac sollicitos vt fugiatis ab ira vētura: videte ne simulata, falsa, & sterilis sit vestra quam præfertis, pœnitentia; vt omnia ferè vestra simulata sunt & fucata: sed facite huiusmodi fructus, qui deceant pœnitentiam, ac declarent vos verè resipuisse, atque ex animo detestari anteactam vitam, omniaque contraria his facite quæ modo detestamini, & curate ne quando ea committatis quorum modo præfertis pœnitentiam, sed perfistite hæc deplangere, atque in vobisipsis punire.

[f] *Et ne ceperitis dicere [a] intra vos. [f] Patrem habemus Abraham.* Ne cæperitis, ait, dicere in cordibus vestris hoc est cogitare, quemadmodum cogitare apud vos soletis. Pater noster Abraham est, proinde cum semini eius facta sit promissio salutis, & hæreditatis non poterit super nos venire ira Dei, quæ semen Abrahæ deserat, sucidat, & æternum perire sinat Ne inquam huiusmodi cogitatione solita vobis imponatis. Hoc enim contrmo vobis posse Deū omnibus etiam vobis perditis adimplere promissiones Abrahæ de semine ipsius factas. Nam qui olim ex lapidea, & sterili vulua Sarræ excitauit Abrahæ filiū, cuius deinde posteritas arenæ maris cœquata est: is modo vel ex istis quos cernitis lapidibus, eidem suscitare poterit semen, in quo præstet, quæ illi promissa sunt.

[f] *Iam enim securis ad radicem arborum posita est* Cōiunctio enim, referri potest vel ad illud facite fructus dignos, vt obiter exclusa vana illorum fiducia redeat ad prosequendum metaphoram à fructibus arborum desumptam. Aut ad illud, ne velitis dicere Patrem habemus Abraham vt duas ab hac fiducia auocantes intellgatur afferre rationes: quarum priore succidat falsam eorum de filijs Abrahæ seruandis opinionem, posteriore vero innumeris omnibus perditionis periculum proponat, vt sit sensus. Tantū abest vt fiducia Abrahæ tuti sitis, vt etiā securis ia apposita sit radici, &c. Itaque per securim nō trūco, aut ramis appositā, sed radici, tropice significatur imminēs excidiū, & vindicta Dei, qua funditus sit perdēdus, quisquis in bonis operibus sterilis fuerit. Ex eo autē quod sequitur

Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidit ur, &c. Satis patet ipsum loqui non de excidio vniuersæ gentis, sed singulorum potius peccatorum. Vt enim superius per venturam iram rectius intelligitur condemnatio gehennæ, quæ singulis peccatoribus à morte contingit & omnes simul secundum corpus & animam in nouissimo die inuoluet: ita & hoc loco idem rectius accipitur per securim ad radicem arborum positam. Et cum subijcit,

Et in ignem mittitur; Loqui ipsum de igne infernali satis ex eo constat, quod postea dicit paleas comburendas igni inextinguibili. Huic autem intelligentiæ etiam omnino conuenit, quod dicit per præsens excidit ur, & in Ignem mittitur: significans hoc non solum futurū esse, sed & modo fieri. Porro notandum quod dicat sine discretione. Omnis ergo arbor: quasi dicat, etiam arbor quæ ex semine est Abrahę. Deinde quod dicit, *non faciens fructum*, & non, quę non fecit fructum, significans oportere semper facere fructum bonum. Ex eo autem quod dicit bonum fructum, satis patet quos prius vocauerit fructus dignos pœnitentiæ.

[f] *Et interrogabant eum turbæ dicentes.* Non inefficax fuit Ioannis exhortatio. Dixerat in genere Ioannes fructus pœnitentiæ, & fructus bonos faciendos: & ideo Turba rogat in specie: *Quid faciemus? Qui inquit habet duas tunicas* (notans quemus superfluum necessitati propriæ vestitum) *det alteram*, scilicet illarum: *non habenti.* Vnde Græce est μεταδότω hoc est impartiatur.

Et qui habet escas (notans etiam numero plurali superfluum nobis cibum) similiter impartiatur de eo, quod superest non habenti. His autem duobus exemplis (quorum alterum ad vestitum, alterū pertinet ad nutrimentum in quibus duobus externa ægestas potissimum consistit) erassam adhuc multitudinem docere voluit, etti cacillimam esse rationem placandi Deum offensum; si modis omnibus benefici simus in proximū cuiuscunq; rei inopia laborātē.

Venerunt autem & Publicani, vt baptizarentur, &c. Non solum Pharisæi & Sadducei, ac simplicis turbę plerique Ioannis autoritate, & prædicatione commoti sunt ad pœnitentiam: sed & Publicani, ac milites quoque hominum genera rapinis dedita, suaque commoda ex publicis incommodis comparantia, religionis rationem non habentia, magisque iussis Principum obsequentia, quam præceptis Dei. Itaque vtrosque admonet ab his abstinere malis quibus ferè solent esse obnoxij: attemperans suam admonitionem singulorum necessitati, & capacitati: Nam quoniam sæpe Publicani supra quam constitutum est exigere solent, inquit; *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis* a Principibus exigatis a populo. Sic enim potius vertendum fuisse, quam per verbum, faciatis, sensus expostulat: cum alioqui dictio Græca πράσσειν vtrumque habeat significationem. Proinde quod noster vertit, faciatis intelligendum est nihil faciatis exigendo, ac velut officium vestrum exequendo. Militum autem genus tribus potissimum vitijs solet esse obnoxium, violentia, calumnia, & rapinis. Itaque frequenter vim inferunt, incendunt, vi constuprant fœminas, perrumpunt fores, exigunt, ac pulsant hospitem. Proinde monet *vt neminem concutiant*. Rursum alij falso deferunt apud Principes innoxios, quo pars facultatum confiscatarum ad ipsos redeat, calumniæ scilicet

Militum vitia & contraria his officia

Universidad de Deusto
Biblioteca

scilicet præmiũ: itaque dicit, *neque calumniam faciatis*, falsum scilicet alicui imponendo crimen. Multi autem quod à Principe salarij nomine datur scortis, alea, tæmulentiaque prodigentes, rapto, furtisque rei sarciunt iacturam: non solum non soluentes, quod debent, sed extorquentes ab agricolis quod non debetur, atque ex publica calamitate diuitias sibi parare studentes. Propter quod dicit: *contenti estote stipendijs vestris*, ostendens eis quid facere soleant, & quid posthac vitare debeant, si effugere velint Dei vindictam.

* *Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus, &c.* Quod dicit Lucas Ioannem respondisse omnibus, cum turbę tantum de eo cogitarent, num ipse esset Christus, nec illum de eo interrogarent: intelligendum est eum respondisse hominum cogitationibus, quas afflatu spiritus, aut alijs indicijs cognouerit. Potro diuina dispensatione factum, aut permissum est, vt Ioānes crederetur à populo Christus, nec prius ille de Christo testimoniũ ferret, quã de eo eiusmodi opinionem populus concepisset: tum vt summa animi Ioannis modestia hac ratione declaratetur, qui adeo non sibi alienam laudem vsurpauit, vt etiam sponte oblatam fortiter reiecerit; tum vt sic testimonium ab ipso redditum de Christo maioris esset auctoritatis & ponderis. Notandum autem Græca non habere exãstimante autem populo, sed προσδοκῶντος .i. expectante, seu spetante, vt intelligi possit populum id desiderasse.

1 *Ego quidem* [f] *Baptizo* [e] *vos* [a] *in* [a] *aqua*. Testimonium perhibiturus de Christo Ioannes comparat tum Baptismum suum, tũ suam ipsius personam cum Baptismo Christi, & illius persona: ostendens & se, & suum Baptismum infinito inferiorem esse Christo, & Baptismate eius. Potro maximam quæ est inter ipsum, & Christum differentiam aperit, dicens: *venit fortior me post me, &c* vbi venit non præteriti est temporis, sed præsentis. Est enim Græcis apud Marcum, & Lucam ἐρχεται: quod tamen verbum etsi sit præsentis temporis secundum vocem, tamen etiam accipitur apud eos in futura significatione, vt verti, possit veniet. Est autem sensus verborum hic, Post me iamiam venturus est alius, qui etsi ætate minor, & prædicationis ordine posterior erit: tamen potẽtia, & fortitudine longe me superior futurus est. *Fortiorẽ* autem se Christũ merito vocat Ioannes, nam ipse quidem sua predicatione & Baptismo valebat ad præparandam Domino viam, & commutandum hominum corda ad pœnitentiam: verum impotens erat ad debellandas aëreas potestates, & auferendum hominum peccata, mentesque eorum sanandas: quæ solum per Christum præstita sunt.

Cuius inquit non sum dignus corrigiam calceamentorũ, &c. Quod simplici, & proprio sensu nihil aliud significat quam indignum se esse, & inidoneum, qui inter omnes seruos ipsius vilissimum obtineat locum, & infimum illi seruitutis impendat obsequium. Itaque

quidem omnino significatur per id, quod dicit Matthæus portare calceamenta, & quod dicunt alij, soluere corrigiam calceamentorum. Iam verò & apertius Christi diuinitatem insinuat, cum dicit:

[f] *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*. Opponit Ioannes Spiritum sanctum & ignem aquæ in qua baptizabat: significans Christi baptismum tanto esse excellentiorem, puriorem, & efficaciorem suo baptismo, quanto Spiritus sanctus excellentior est & purior aqua sensibili; quantoque ignis aqua efficacior est. Per ignẽ autem hic intelligitur ipse Spiritus sanctus, de quo & Saluator; Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Ignis enim rectè dicitur propter vim & efficaciã ipsius. Dicitur quidem in Scripturis Spiritus sanctus etiam frequenter aqua, hoc autem loco potius Ignis dictus est, tum propter oppositionem ad aquam, in qua erat Ioannis baptismus, & ad significandum Spiritus efficaciam; tum quod Spiritus in quo Christus baptizaturus erat, in Igne erat appariturus in die Pentecostes. *Luc.* 12. *Ioan.* 4. & 7.

[f] *Cuius ventilabrum in manu eius*. Ventilabrum, quod est in manu Christi, Iustum est ipsius Iudicium, quod in illius potestate Pater tradidit. Area ipsius aut specialiter est populus Iudæorum, aut generaliter vniuersa totius orbis Ecclesia, in qua palæ cum tritico, hoc est, mali cum bonis permixti latent. Paleæ enim sunt impij, quod infructuosi, inanes, omniquè iniquitatis, & cupiditatum suarum vento huc illucquè agitentur: latentes tamen plesumque ob permixtionem eorum cum bonis, qui ratione contraria triticum vocantur, scilicet, quia fructuosi, pleni, grauesque virtutibus. Horreum autem est regnum cælorum. Quod ergo hic dicitur de purgatione areæ Dominicæ rectè secundum Ambrosium, & alios, intelligitur de ea purgatione, qua in nouissimo die Iudicio suo discernente singulorum merita, Christus separabit bonos & malos inter sese confusos. Secuundum quem intellectum notandum quod non dicit Ioannes *mundabit* aream suam, sed permundabit, διακαθαριεῖ, sic enim est apud Græcos in vtroque Euangelista, quamuis nos in Luca legamus purgabit. Per hæc enim significatur perfecta purgatio, & separatio malorum à bonis: cum in hac vita frequenter aream suam purget Christus, nunquam autem perpurget: messores autem qui triticum simul cum palea dimittentes colligunt ea in aream domini, sicut Apostoli, cæteriquè doctores, qui ex agro huius mundi præcidentes omnes Gentes in Ecclesiam congregant. Extra quam quicunque sunt non necesse habente ventilabro Domini perpurgari. Non enim sunt tritico permixti, sed ab eo manifestè separati. Vnde Saluator; Qui non credit, iam iudicatus est. Iam cum dicit, *paleas comburet igni inextinguibili*, significat Ignem Inferni, de

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo manifestè loquitur) etsi verè sit ignis corporeus tamen multũ differre ab igne huius mundi: quod scilicet non nutriatur per congesta fomenta, nec sic imm ssos reprobos comburat, vt penitus consumat & in nihilum redigat, quemadmodum bene notãuit Gregorius 15 moralium cap. 14.

ª *Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo*. Duo dicit, Euangelizasse scilicet, & exhortatum esse. Euangelizabat enim cum quæ de Christo erant, & quæ bona bonos iam manerent annunciabat, vt cum dixit: Appropinquauit regnum cælorum, & venit fortior me post me, ipse vos baptizabit, &c. Exhortabatur autem cum ad pœnitentiam eos prouocaret, & bona opera, eumque vt ad venientem post se Christum accurrerent & in eum crederent, moneret; vt cum dixit pœnitentiam agite, facite fructus pœnitentiæ, & qui habet duas tunicas, det non habenti.

Baptizatur à Ioanne Christus, eiusque à Luca genealogia in Deum reducitur. Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3.

CAPVT XIIII.

†ª. Galilæa.

EST factum est ª tunc ᵇ in diebus illis ª venit Iesus à † Nazareth Galilææ ª in Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab illo. Ioannes autem prohibebat eum dicens: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum,* ᵇ *& baptizatus est à Ioanne in Iordane.* ª *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua* ᵇ *& ª ecce* ᶜ *factum est cùm baptizaretur omnis populus,* †ᵇ. Apertũ est cœlum. *& Iesu baptizato & orante.* †ᵇ *aperti sunt ei cœli,* ᶜ *& descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum.* ª *Et* ᵇ *statim ascendens de aqua* ª *vidit* ᵇ *cœlos apertos, &* ª *Spiritum* † *sanctum tanquam columbam descendentem.* ª *& venientem super ipsum,* ᵇ *& manentem in ipso.* ᴵ *Et* ª *ecce* ᴵ *vox* ᵇ *facta est* ▷ *de cœlis* ª *dicens:* ‖ᴵ *Tu es filius meus dilectus* † *in te complacui* † *mihi.* ᶜ *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta vt putabatur filius Ioseph,* ▷ ᶜ. de eadem. ‖ª. Hic est qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, †ª. in quo qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Helmadan, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui

qui fuit Heliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Symeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Heliachim qui fuit Melcha, qui fuit Menam, qui fuit Mattha ta, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson, qui fuit Amminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarueh, qui fuit Ragau, qui fuit Phalec, qui fuit Heber, qui fuit Sali, qui fuit Cainam, qui fuit Arfaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathusale, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainã, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Et ᵇ *factum est* ª *tunc* ᵇ *in diebus illis* ª *venit Iesus à Nazareth Galilææ* ª *in Iordanem ad Ioannem, &c.* Tunc, inquit, Matthæus, hoc est, cum Ioannis testimonio fuit annunciatus Iesus relicta Nazareth Galilææ materno loco, vbi hactenus delituerat tanquam purus homo patentibus morem gerens, ac labore manuum victum cum eis parans, venit in Iudæam Patris sui cælestis peculiare habitaculum, vbi auspicanda erat Euangelij prædicatio. Venit autem ad Iordanem, vbi confertissimam turbam e diuersis Iudææ regionibus conflatam testem haberet eorum (quæ dicerentur, ac gererentur. Quodque maximum est humilitatis, ac modestiæ exemplum is, qui solus omnium nulla peccati labe contactus fuerat, imo qui solus tollit omnia peccata mundi, in mediis peccatorum turbis velut peccator pœnitens adit Ioannem flagitans ab illo pœnitentiæ baptismum, quo baptizabantur publicani, meretrices, & milites.

ª *Ioannes autẽ prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me.* Ex his omnino apparet Ioannem priusquam Christũ baptizaret agnouisse eum esse Messiam, cuius tamen contrarium apparet ex eo quod Ioan. 1. legimus eum dixisse: Ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare, &c. Proinde maximè probabilis est conciliatio Chrysostomi intelligentis Ioannem non agnouisse Christum priusquam ad baptismum veniret, vt quẽ de facie prius non viderat: agnouisse autem tum, cum ad baptismum petendum venisset, idque afflatu Spiritus sancti quo plenus erat ex vtero matris suæ, sicut & Elizabeth ex afflatu spiritus nouerat Mariam ad se venientem esse matrem Domini, & Messiæ. Nec obstat quod signum illi datum erat descendentis spiritus, quod tum necdum viderat. Hoc enim signum ei datum fuit, non quo dominũ primum agnosceret, sed quo confirmaretur de eo antea cognito ex reuelatione Dei, quoque certius aliis Christum demonstrare posset. Cæterum cum dicit Ioannes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego à te debeo baptizari, aduertendum Græca non habere debeo, sed χρείαν ἔχω, hoc est indigentiam habeo, vel indigeo. Proinde apud nos verbum debeo, accipi debet, vt significet non debitum præcepti, sed indigentiæ, hoc est, vt sit idem, quod indigeo. Indigebat autem Ioannes a Christo baptizari, quia opus ei erat, vt purgaretur à Christo à venialibus, & leuibus peccatis, & spiritu Christi perficeretur. Videtur enim potissimum dictum Ioannis debere intelligi de baptismo Spiritus, quo solus Christus baptizat. Porro vt Ioannes prohiberet Christum, hoc est, baptizare renueret, conueniebatque populus assistens existimaret pœnitentiæ baptismo Christum eguisse.

Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modo. Permitte, inquit, nunc vt a te baptizer. Pulchre dixit modo, significans tempus illud secundum Dei dispensationem ita postulasse: vt tecta diuinitate humilitatem præ se ferret, futurumque aliquando vt suo tempore eius excellentia demonstraretur. Bene etiam dixit, Sine; non reprehendens quidem rationem ob quam modo videbatur Ioanni indecens, vt baptizaret eum, sed potius approbans: ostendens tamen ob eam non omittendum baptismum. Vt causam addit, ob quam sinere deberet.

Sic enim, inquit, *decet nos implere omnem Iustitiam*. Notandum Christum non dixisse decet me implere, sed nos, complectens se, & Ioannem, nec dicit solum decet enim nos, sed, sic enim decet nos implere omnem Iustitiam. Accipitur autem Iustitia hic pro eo quod iustum est, & Deo gratum, itaque sensus est. Secundum hanc rationem qua à te per humilem submissionē baptizari volo, decet vt nos, qui à Deo Patre missi sumus, quo ab omni iniustitia homines auocemus populūque doceamus, adimpleamus, & opere præstemus quidquid iustum est: nihil quamlibet minutū, aut leue illū præterueant es, quod diuinæ voluntati probari agnouerimus.

* *Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua*. Et si illud (confestim) positum sit ad verbum ascendit, simplicius tamen videtur ad literam referendum magis ad subsecutam mox à baptismate cælorum apertionem: videtur enim hoc voluisse significare, quod Iesu baptizato, mox factum sit, vt ascenderet, & aperirentur ei cæli. Quod apertius verba Marci significant, quæ sic habent; Et statim ascendens de aqua vidit cælos apertos. Porro ex narratione tum Matthæi, tum Marci nihil aliud videtur posse intelligi, quam Christum, ipsum vidisse cælos apertos, vel vt habet Marcus σχιζομένους hoc est, discissos, & Spiritum descendētem; [Verum narratio Ioannis palam explicantis Ioannē baptistam vidisse, deinde & ipsa res magis postulant, vt intelligatur significati Ioannem hæc vidisse. Sed rectius intelligimus significari id, quod nimis apertè Euangelistæ duo significant, nempe Christum

stum vidisse cælos apertos, & Spiritum descendentem.] Nō enim obstat illud ἀπ' ἄνθρ. Nam aliquando apud Græcos Atticorum more relatiuum non reciprocum pro reciproco accipitur vnde & Interpres noster in Matthæo vertit super se. Cum autem dicant Iesum hæc vidisse, non negant quin & alij, & potissimum Ioannes Baptista hęc viderit. Iesum autem hæc vidisse singulariter meminerunt, vt apparet, propter mysterium, quod ad Christianorum pertinet baptisma significandum: quod alioqui non ita significaretur si Ioannem hæc vidisse dictus fuisset.

Et Spiritum sanctum tanquam columbam descendentem. Sicut in die Pentecostes Spiritus sanctus dicitur descendisse super Apostolos tanquam ignis, cum tamen secundum omnes non esset verus Ignis, sed ignis similitudo, nec ob id fallacia, aut fictione aliqua vsus est Spiritus Deitita & nunc veluti columba descendisse dicitur, quod non in vera columba, sed in similitudine eius apparuit, nullam tamen falsitatem admittens. Dicitur autem Spiritus super Christum descendisse corporali specie veluti columbā, [nō quod re vera descenderit, qui vbique existens moueri non potest, neque rursum quod per descensum speciei columbæ cœperit Christum per gratiam inhabitare, qui ab initio semper plenus fuit Spiritu sancto, vt in quo habitabat diuinitas corporaliter: sed] quia per descensum illius columbæ manentis super Christum, & Spiritum repræsentantis, declarata est præsentia Spiritus in eo, in quo prius non declarabatur. Cum ergo hæc visio Spiritus descendentis in corporali specie columbæ non fuerit imaginaria sed corporalis, & similiter auditio vocis paternæ fuerit sensibilis: verisimile est etiam corporalem fuisse visionem cælorum apertorum. Videbātur itaque oculis corporalibus cæli aperti, quia in suprema aëris parte formata fuit species, seu similitudo quædam aperturæ & hiatus sensibilis. Quæ quidem ad hoc facta est secundum literalem rationem, vt columba Spiritum sanctum referens, & vox Patris, non aliunde, quàm è cælis proficisci viderentur.

Columba in qua Spiritus sanctus descendit.

Cælorum apertio corporalis.

Et ecce vox facta est de cælis dicens: Tu es filius meus, &c. Tum verisimilius sit dictum fuisse. Tu es filius meus, &c. quam hic est filius meus, tum quod duo ita dictum narrent, tum quod Christus dicitur vidisse cælos apertos, & Spiritum descendentem. Matthæus tamen dixit hic est filius meus; siue quod ita dictum fuerat in transfiguratione, siue vt indicaret hanc vocem ob hoc factam, vt his qui audiebant indicaretur hunc esse filium Dei. Additur autem apud Græcos articulus duplex emphasi non carens οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός: Tu es ille filius meus, ille dilectus, nimirum vnicus filius meus per naturam, non per adoptionem. Iam quod sequitur.

In te complacui mihi, quamuis hunc videatur debere habere sen-

sum, in te oblector, & ipse mihi placeo: tamen si consideremus vsum verbi εὐδόκησα, quod hoc loco ponitur, hic potius erit sensus. In te est mihi beneplacitum, hoc est, tu singulariter mihi places, & gratus es, adeo vt præter te nemo placeat nisi per te: per quem etiam in hominibus iam erit beneplacitum meum quibus hactenus offensus fui. Est enim hoc verbum peculiare diuinis literis, quo propensum animum, ac præcipuum quendam affectum erga alios significant.

[a] *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta.* Quare pro fere positum est; subaudiendus quoque infinitiuus esse, pro quo apud Græcos est participium ὤν, quanquam hoc participium rectius referatur ad sequentia, vt sit sensus, existens, vt putabatur, filius Ioseph. Nostræ ergo lectionis sensus est. Iesus erat incipiens, hoc est, incipiebat esse fere triginta annorum. Quibus verbis aperte nimis significatur Christum cum baptizaretur nondum perfecisse trigesimum annum, ab eo tamē non multum abfuisse. [Attamen omnibus benè perpensis videri omnino potest Lucā quod dicit, *incipiens*, non ad annos retulisse, sed ad prædicationis, & ostēsionis suę exordium; vt quod hic dicit correspondeat ei, quod dicit Act. 1. & 10. vbi eodē verbo vtitur. Græca enim ad verbū hoc habēt ordine: Et ipse erat Iesus fere triginta quasi annorum incipiens, existens, vt putabatur filius Ioseph. Itaque sensus erit; Et ipse Iesus erat fere triginta annorum cum iam suscepto baptismo auspicare tur deinceps munus suum. Si enim participium incipiens, ad annos pertinuisset satis erat dicere, Et ipse erat incipiens esse 30. annorum; & omnino superesse videtur dictio quasi, imo absurda videtur esse locutio.]

Vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, &c. Duplex hic occurrit scrupulus dum genealogia Christi per Luram descripta, confertur cum ea, quæ à Matthæo descripta est. Prior est, quod Ioseph Mariæ maritus, quem Matthæus ex Iacob natum affirmat, hic videatur censeri filius Heli: cum vnius non possint esse duo Patres. Pro dissolutione huius recte dicitur Eli, quem ponit Lucas fuisse partem naturalem Mariæ virginis, qui proprio nomine dictus est Iehoiachim, pro quo vulgo dicitur Ioachim. Sicut autem Rex Ioachim, qui fuit in transmigratione Babylonis dictus est etiam Eliachim, (nam hæc nomina idem Hebræis significant) ita fieri potest, vt & Pater virginis diceretur etiam Eliacim, & causa breuitatis Eli. Hic ergo quoniam socer erat Iosephi, ob id Ioseph eius dicitur esse filius, vel gener, cum naturalis esset Iacobi filius. Quare Lucas naturalem seriem genealogiæ secutus est, si Christum respicias: legalē vero si Ioseph respicias. Contra Matthæus per naturæ lineam deuenit ad Ioseph, quæ ad Christum tendenti legalis est. Posteriot scrupulus est, quod Salathiel, & Zorobabel, quos Matthæus in posteritate

Maria Pater.

steritate Nathan Salomonis recensuit, hic inter nepotes ipsius Nathan, qui fuit Salomonis frater germanus numerantur. Ad huius dissolutionem omnibus intricatis perplexitatibus, & nouis adinuentionibus nullum pondus habentibus reiectis, simplicius fuerit & probabilius dicere Zorobabel & Salathiel, quos ponit Matthæus, alios esse ab illis, quos ponit Lucas. Vsitatissimum enim est eadem nomina pluribus imponi, imprimis autem insignium, & laudatorum virorum. Itaque Matthæus continuam generationē narrat Iosephi ex posteritate Salomonis, Lucas vero generationē virginis ex posteritate Nathan: sunto; inter se omnes diuersæ personæ, quæ à Dauide numerantur per Lucam vsq; ad Ioseph, & quos Matthæus narrat à Dauid, vsque ad Ioseph.

Qui fuit Cainan. Quamuis hæc generatio abundet in vulgata nostra editione & Hebraica veritate: excutatur tamen Lucas quia ita censuit genealogias, vt intelligent eas descriptas à Septuaginta, quorū illo tempore apud omnes summa erat autoritas.

Qui fuit Adam qui fuit Dei. Adam dicit fuisse Dei quod à Deo factus esset, nullum habens generationis suæ autorē præter solū Deū, qui illū ex limo terræ tanquā ex matre formauit. Bene autē respondet finis huius genealogiæ principio: quoniam sicut Adam dicitur Dei esse quamuis non illius propriè filius: ita & Ioseph dicitur fuisse Heli, quamuis non propriè illius filius, sed genet.

Ieiunat & tentatur in deserto Christus. Matt. 4. Marci 1. Lucæ 4. CAP. XV.

[a] IESVS autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & [a] tunc Iesus † [c] ductus est à spiritu [b] & statim spiritus expulit eum [b] in desertum [a] vt tentaretur à diabolo. [b] Et erat in deserto [b] quadraginta diebus [b] & quadraginta noctibus, [b] & tentabatur à ▷ Satana, [b] eratq; cum bestijs, [c] & nihil manducauit in diebus illis. [c] Et [c] consummatis illis, [a] cum tentasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus postea [c] esurijt. [a] Et accedens tentator ‖ [c] diabolus [c] dixit illi: Si filius Dei es, dic † vt lapides isti panes fiant'. ▷ Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est, [a] quia [c] non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo [a] quod procedit de ore [c] Dei. [a] Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, [c] & duxit illū in Hierusalem, [c] & statuit eum super † pinnaculū templi, & ▷ dicit' ei: Si filius Dei es, mitte te [c] hinc [c] deorsum. Scriptū est enim ‖ quia' angelis suis † mandabit' de te, [c] vt conseruent te, [c] & † [c] in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. [a] Et respondens [c] Iesus ait illi: [a] Rursum † [c] scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. [a] Iterum assumpsit [c] & duxit [c] eum diabolus in montem excelsum [a] valde [c] & ostendit ei omnia regna ▷ mūdi & gloriā eorum,

† [a] agebatur in spiritu.
▷ [b] Diabolo.
‖ [c] Dixit autem illi diabolus.
† [c] Lapides isti panes fiant.
▷ [a] Quid respondēs dixit.
† [a] pinnā
▷ [c] dixit
‖ [c] quod
† [c] mandauit.
† [c] dictū est.
[c] orbis terræ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

† ª alt ei ‡ ª & gloriam eorum ª in momento temporis ‡ & † dicit ei' : Tibi dabo ‡ ‖ ª hanc em potestatem hanc vniuersam & gloriam illorum' ª quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Tu ergo ª procidens ‡ si ª cadens ‡ adoraueris ª co ram ‡ me ª erunt tua omnia. Et ª tūc ª respondens † ‡ Iesus dixit illi' : ª Va de retrò satana, ‡ scriptū est ª enim ‡ dominū Deū tuū adorabis, et illi soli seruies. ª Et ª tūc ª cōsummata omni tēptatione ▷ ‡ diabolus recessit ab illo' ª usq; ad tēpus. ª Et ª ecce ª angeli ª accesserūt, & ª ministrabant ei.

‖ ª dicit ei Iesus.

▷ ª reliquit eum diabolus.

Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane : &c. Posteaquam Spiritus sanctus in specie columbæ super Christum descendisset, dicitur à Luca iam plenus Spiritu sancto. Regressus autem dicitur à Iordane quo eius exemplo discceremus non esse baptizato persistendum circa baptismata & lotiones, sed connitēdum esse ad sublimiora studia pietatis. Actus autem & expulsus à Spiritu sancto dicitur, non quod contra voluntatem suam cò adigeretur, quomodo aguntur bruta: sed quo efficacia Spiritus, quæ erat in Christo, quæque est in his, quos possidet Spiritus sanctus, significaretur. Non enim tantum ducit Spiritus ostendendo quid sequēdum sit & faciendum: sed etiam ipse in sanctis facit, vt illud faciant; idque cum omni alacritate. Desertum autem in quod Christus secessit solitudo fuit nullis habitata hominibus. Vnde Marcus dicit eum *egisse cum bestijs*. Causam autem ob quam in desertum secesserit Christus, solus Matthæus reddit, dicens: *vt tentaretur à Diabolo*, non quod hæc sola fuerit causa, sed quod fuerit præcipua inter multas. Notandum quoque bene dictum esse vt tentaretur à Diabolo; Non enim sicut nos à concupiscentia sua tentari potuit, sed tantum à Diabolo, & ministris eius.

▷ *Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. &c.* Ex Marco & Luca apparet Christum non solum tentatum fuisse à diabolo post dies 40. quamuis ex solum tentationes expressè narrentur à Matthæo, & Luca. Nam Marcus quidem dicit: Et erat *in deserto quadraginta diebus, & tentabatur à Satana*, nisi sic intelligatur, & post hos dies tentabatur à Satana, sicut intelligendum est quod sequitur. Et angeli ministrabant ei. Ex Luca verò manifestius videtur etiam tempore dierum 40. Christum tentatum. Nam quod nos legimus in Luca *agebatur in spiritu, in deserto diebus 40. & tentabatur à diabolo*. Græce non est & tentabatur, sed tantum participium πειραζόμενος, tentatus, vel tentationem patiens. Illudque diebus quadraginta (pro quo Græcè est ἡμέρας τεσσαράκοντα, hoc est per accusatiuum dies 40. ita positum est, vt possit, vel ad superiora vel ad inferiora referri. Verum mollius est, vt ad inferiora pertineat: non quod toto hoc tempore tentatus sit, sed quod frequēter.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, &c. Noctium etiā fit mentio, quemadmodū & in ieiunio Mosis: ad differentiā ieiunij Christi a ieiuniis Iudæorū, qui toto die ieiunāt in vesperā

in vespera & nocte cibum sumpserunt. Lucas verò noctes non ponens; loquitur de diebus naturalibus noctem complectentibus. Cum autem post 40. dies esurijsse dicatur, satis significatur tempore 40. dierum non esurijsse: diuinitate scilicet corpus sine esurie conseruante.

Et accedens tentator diabolus dixit illi: Si filius Dei es, &c. Cum dicitur accessisse diabolus, significatur in visibili, & humana forma Diabolum apparuisse, & aduenisse. Porro nequam Spiritus tribus hic ab Euangelista nominibus appellatur, scilicet, Tentator, Diabolus, & Satan, vel Satanas. Tentatio autem hic pro sollicitatione ad malum, & tentare pro sollicitare ad malum ponitur, quomodo apud Iacobum Deus tentare neminem dicitur. Satan autem Hebraica dictio est, quæ idem significat, quod aduersarius, & inimicus. Et quia veterator ille Spiritus nusquam non aduersatur nobis ac pessima vbique suadet, tum & ad vltionē postulat; peculiariter, & per antonomasiam Satan vocatur, vt Par. 21. Consurrexit autem Satan contra Israel. Nomen autem Diabolus dictio græca est, quæ propriè calumniatorē & criminatorē significat, ac fere nomē hoc à 70. ponitur vbi in Hebræo est Satan. *Tentator.* *Satan.* *Diabolus.*

Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Non dicit, Cum sis Dei filius dic, &c. sed per conditionem dubitatiuè pronunciat; Si filius Dei es. Quia locutione, etiam adulatur, & pungit, vt si vere esset Dei filius id modo necessario demonstraret: tanquam rubore suffundendus si non crederetur esse Dei filius. Est itaque sensus verborum iste: Auditum est cælesti voce, accedente etiam Ioannis testimonio te denunciatum, esse Dei filium: Id si verum est, cur sic fame discruciaris, qui vel solo verbo tuę fami succurrere potes; Fac potius tuo iussu, vt lapides hi in panē conuertantur, habeasq; quo impleas ventrem esurientem. Id si facere recusas, frustra sane vel tibi persuades te esse, quod diceris, vel alios id de te credituros expectas. Porro cum Lucas dicit singulariter, lapidi huic vt panis fiat: apparet apud Matthæum, pluralem numerum pro singulari positum, vt & alias aliquoties.

Scriptum est, quia non in solo pane viuet homo. Ille cupiebat explorare num Dei esset filius: Christus verò nihil se, quam hominem esse respondit dicens; Non in solo pane viuit Homo, cæteris se cōnumerans hominibus, per quod etiam absurdiorem demonstrat esse dæmonis suggestionem. Si enim quiuis homo non in solo pane victurus est, sed in omni verbo Dei: multo magis necesse non est filio Dei, vt pro fame pellenda lapides in panem conuertat.

Sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: Per omne verbum Dei aut verbum quod procedit de ore, hoc est imperio Domini, oportet hic intelligere omne id, quo Deus vult, ordinat, vt iubet vt vita hominis sustentetur: quomodo Manna, quod non erat panis, nutriuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

triuit Israelitas in deserto, & Heliæum cum socijs suis herbis agrestibus pauit, & Mosen, Heliam, atque Christum 40. diebus sine omni cibo sustentauit.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, hoc est in Ierusalem, vt patet ex Luca. Hæc enim sancta ciuitas dicebatur propter sanctum Dei templum, quod erat in ea.

Pinnaculum.

Et statuit eum supra pinnaculum templi, hoc est, supra supremam templi extremitatem. Nam pinnaculum dicitur fastigium siue summitas ædificij in acumen tendentis: quia veteres pinnam dixerunt, quod acutum est, aut quia pinnaculis addi solet pinna, quæ facili motu ventorũ indicet flatu. Vnde & Græce dicitur πτερύγιον quod est diminutiuum, à πτέρυξ ala, quod in morem alarum moueretur. Cum autem verisimile sit templum non habuisse fastigiũ acuminatum, eo quod in Palestina Domus tectum habeant plan ũ: debet hic pinnaculũ, & πτερύγιον accipi pro superiori parietis, & tecti parte, aut angulo aliquo. Porro bene aduertenda sunt diaboli verba dicentis.

Si filius Dei es, mitte te deorsum. Vox enim hæc verè diaboli est, vt annotarũt Ambrosius, & Hieronymus. Nam cum ipse seipsum per superbiam ex altitudine cælorum præcipitauerit: semper etiam quo homines sibi similes reddat de altiore gradu meritorum eos cadere desiderat. Vt autem diabolus impetret, quod suggessit addit ex Psal 90. scripturæ testimonium, quo ostendere vult Christum si filius Dei sit sine omni periculo seſe missurum deorsum; *Scriptũ est enim Angelis suis Deus mãdauit de te, &c.* Quã scripturã admodum maligne, impie, & deprauate adducit. Primum quod eã Scripturam, quæ de quouis pio homine dicta est interpretatur ad Christum proprie pertinere debere, ad quem tamen non pertinere, vel ipsius dæmonis verba satis significare poterãt. Si enim erat Dei filius; ergo Angelorum ministerio opus non habebat, per quos custoditetur ab omni nocumento, & læsione. Deinde quod ea scriptura, qua promittitur confidentibus in Deum securitas ab omni malo; abutitur ad persuadendum impietatem, tentationem scilicet Dei, & malorum spontaneam aduocationem.

Et respondens Iesus ait illi, rursum scriptum est; Non tentabis. &c. E diuerso inquit, scriptum est; Nõ tentabis dominum Deũ tuum. Est autem scriptum istud Deut. 6. citatur tamen magis secundum 70. translationem, quam Hebræam veritatẽ. Tentare autem Dei

Tentare Deum.

hic debet accipi, vt sit idem, quod experimentum sumere de Deo, & potissimum de omnipotentia eius, bonitate, & fidelitate in seruandis promissis. Id autem dupliciter contingit. Primum ex præsumptuosa quadam de Deo confidentia: vt cum quis se citra vllã necessitatem injcit in aliquod manifestum periculum, præsumens sibi adfuturum Dominum. Secundo etiam Deum tentare contingit

git ex diffidentia de Deo, aut incredulitate eius, quod de Deo credere deberet, vt cum quis in necessitate aliqua constitutus non secure confidit de Dei potentia, & bonitate, sed animo murmurante cum diffidentia quadam optat Deum declarare suam potentiã, & auxilium: quomodo tentasse Deum dicuntur Israelitæ, cum in inopia cibi, potusue constituti murmurauerunt dicentes: Esine Deus in nobis an non? Et nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?

Iterum assumpsit, Et duxit eũ diabolus in montem excelsum, &c. Tertia hæc tentatio non parum differt a duabus superioribus. In eis enim dixit, Si filius Dei es, eo quod ea, quæ suggerebat videbantur Dei filio competere. In hac vero id adijcere non potuit, eo quod id suggessit, quod nulla ratione Dei filio conuenire potuit. In illis apertius expilcari quærebat, quis esset Christus, in hac vero apertius ad peccatum eum sollicitat, quasi iam certior eũ non esse Dei filium. Cum enim videret eum semel & iterum detrectantem vt ostenderet se Dei filium: tanquam purum hominem iam ipsum tentat, ea illi proponens, quæ adeo monent homines vt inuisibilibus bonis futuris ea proponant. Et tamen quemadmodum in illis tentationibus etiam intelligitur ad peccatum sollicitasse: ita & in hac rectè intelligitur simul voluisse explorare nõ Dei esset filius.

Et ostendit illi omnia regna mundi & gloriam eorum in momento temporis. Quomodo omnia regna mundi & gloriam eorum è monte quouis ostendere potuerit, idque in momento temporis, in quæstionẽ vertitur. Sed cum non satis pium sit dicere Diabolũ interiores Christi sensus commouisse nouis apparentium rerum speciebus: cumque certum satis sit in sensibili & externa specie Diabolũ Christo apparuisse: verisimilius videtur vt dicatur Diabolũ ostendisse Christo omnia regna mundi sensibiliter: quia omnium imagines nouo quodã modo repræsentant humanis eius obtutibus, faciens per eas Imagines omnia apparere oculis eius. Qua ratione ne que fuit aliqua illusio in oculis Christi. nec; Christus deceptus est: cum sciret obiectas imagines esse falsas. Atque in hunc modum intelligit Theophyl. istud contigisse. Cæterum cum hoc modo verisimile sit intelligendum esse istud, ostendit ei omnia regna mundi; atque ad huiusmodi ostensionem non fuerit necessaria corporalis transuectio in montem aliquem excelsum: apparet etiam probabilius secundum prædictum modum intelligendum esse quod dicitur diabolus Christũ assumpsisse in montẽ. & proinde etiã illud quod dicitur assumpsisse in Ierusalẽ, & statuisse super pinnaculũ Templi: vt scilicet hæc facta sint nõ reipsa, sed per visionem, quemadmodum absconsio lumbaris ad Euphratem à Ieremia, & dormitio Ezechielis super latus sinistrum, & postea super latus dextrum. Neque enim minus aperte illic scribitur Ieremiam issse ad

Quomodo ostenderit omnia regna mũdi.

Quomodo iterum statuerit eum super pinnaculum Templi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Euphratem, atque illic Lumbare suum abscondisse, secundoque rediisse, & reperisse illud corruptum iam, deinde Ezechielem supra latus suum sinistrū dies trecentos nonaginta, & super dextrū 40 dormiuisse, quam hic Dominum à diabolo in pinnaculū Templi, ac postea in monte assumptum. Et tamen Hieronymo & aliis non est dubium per visionem illa contigisse. Vt autem sic intelligantur etiam quæ hic dicuntur, satis insinuant Euangelistæ, qui videntur significare has tentationes in deserto contigisse, in quod Christus secesserat: Nam Matthæus ob id in desertum ijsse dicit, vt tentaretur à Diabolo, videlicet in ipso deserto. Et Lucas post tentationes dicit Christum regressum in virtute spiritus in Galileam, videlicet è deserto in quod secesserat. Proinde secundum prædicta dicendum esset translationem Ezechielis, & Ieremiæ factam per visionem imaginariam aut intellectualem, Christi vero per visionem sensibilem & corporalem, ita scilicet vt Diabolus per nouas rerum imagines fecerit Christo videri sensibiliter se esse supra mōtem & templum.

Tibi dabo potestatem hanc vniuersam & gloriam eorum, &c. Mendaciter & arrogāter sibi arrogat & quod omnia sibi sint tradita, & quod det cui voluerit. Domini enim est terra, & plenitudo eius, & in manu eius sunt omnes fines & regna terræ, omnisque potestas secundum Paulum, a Deo est.

Tunc respondens Iesus dixit illi: Vade retro Satana, &c. Huius Orationis non est sensus Sequere me a tergo. Sed quia Satan significat Hebræis aduersantem non qualitercunque, sed velut obsistendo coram, & ante faciem: ideo alludendo ad vocabulum ejicitur à facie, iubeturque secedere post tergum, in quo non possit obsistendo aduersarium agere. Quare sensus est, secede omnino à me nec diutius mihi aduersetis. Est enim locutio metaphorica desumpta à similitudine corporalis situs eius, qui aduersatur alicui. *Dominū Deum tuum adorabis.* Putatur desumpta hæc Scriptura ex Deuter. 6. & 10. capitibus. Verum illic non adorabis scriptum est, sed timebis. Verbum ergo Timebis Dominus mutauit in adorabis, quod ita responsio postularet, eo quod dialiolus ad prostrationē & adorationem sui inuitabat. Quod autem additum est μόνῳ, id est, soli, & si in Hebræo expresse non habeatur, includitur tamen in articulo (illi) qui cum debeat intelligi cum emphasi, significat soli Deo seruiendum. Vnde & in prima parte intelligi debet Dominum Deum tuum solum adorabis. Adorare autem proprie significat se coram aliquo venerationis causa prosternere, aut inclinare: vnde frequenter etiam aliis à Deo tribuitur secundum generalem hanc suam significationem. Cum autem huiusmodi venerationem Deus sibi soli exhiberi postulat, plus quid eo verbo significatur, nempe talis veneratio exterior, quæ ex corde pio, & religioso

ligioso procedat, & qua ipse colatur tanquam solus autor vitæ, & omnis bont largitor. Pro verbo autē seruies quod in secunda parte ponitur Græcis est λατρεύσεις. Est autem Græcis λατρεύω idem quod δουλεύω, & λατρεία idem quod δουλεία. Tamen quoniam γο, semper, aut fere semper verbum hoc poluerunt vbi de cultu Diuino est sermo, similiter & Paulus in suis Epistolis: factū est vt λατρεία accipiatur à sanctis Patribus pro ea singulariter seruitute, qua colitur Deus, vt annotauit prolixe Diuus Augustinus libr. 10. de ciuit. Dei cap. 1.

Et tunc consummata omni tentatione. Tunc inquit Matthæus, hoc est, cum dixisset Dominus, vade post me Satana, cumque, vt habet Lucas, *omnis iam consummata esset tentatio.* Omnem autem Tentationem dicit consummatam siue simpliciter, quia iā peracta erat omnis tentatio, qua voluit tentare Christum Diabolus, siue quia hæ tres tentationes descriptæ capita sunt omnium tentationum. Aut enim tentamur de illicita carnis voluptate, aut de inani gloria, aut de auaritia, & ambitione: quia omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Porro vsque ad tempus dicitur recessisse diabolus, quia rediturus erat postea vel ad tentationem, vel ad oppugnationem alia accepta occasione. Cum autem iam recessisset diabolus, Ecce inquit Matthæus tem nouā *angeli* inuisibili specie *accesserunt* ad eum, & ministrabant ei cibum scilicet adferentes aliaque ministerij officia ei exhibentes.

Ioannes testificatur de Christo. Ioh. 1.

CAPVT XVI.



Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiā pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam: vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et cōfessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respōdit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de te ipsos? Ait: Ego vox clamantis in deserto, dirigite viā domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eū, & dixerūt ei: Quid ergo baptizas, si tu nō es Christus, neq; Elias, neq; propheta? Respondit eis Ioannes dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ius est: cuius non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens, &c. Hoc est perhibuit, & clamauit, vtrumq; enim per præteritū exponi debet, cum Græcis prius quidem verbum sit presens μαρτυρεῖ, id est, testificatur, secundum vero præteritum κέκραγε, clamauit. Verbo autē clamauit significat Ioannem non in secreto, nec discipulis tantum suis, sed publice omni populo audiente, ac summa cū libertate prædicasse de Christo. *Hic itaquit erat quē dixi*, hoc est de quo dicebā vobis olim quod sequitur, Quibus verbis aperiē significatur hāc Ioannis testificatione factā Domino iā præsente, aut saltē declarato, ac prius Ioannē de ipso dixisse, quę sequuntur nēpe, Qui post me venturus est, &c. Pro quorū intelligentia, ante omnia certū est Ioannē dicere Christū post se venturū ratione prædicationis, quia scilicet post ipsum venturus erat ad prædicandū, baptizandū, & reliqua ad quę a Patre missus fuit. deinde quod dicit Christū ante se factū certū quoque est nō posse intelligi Christum Ioanne prius tēpore factum esse. Intelligendū ergo quod dicit ante me factus est, hoc est anterior me effectus est, & superior me, mihique prælatus vt ante non ad tempus sed ad dignitatem pertineat. Non enim Græcis est πρὸ, sed ἔμπροσθεν quod magis significat præcedentem & excellentem. Neque Græcis est πεποιῆσθαι aut κτίζεσθαι quæ creationem manifestius significarent, sed γέγονεν quod verbum quamuis anceps sit Græcis ad fieri, & esse, hic tamen non rectè transfertur per fuit, vt vertunt quidam, Ante me fuit, Nam nec sic satis apte subderetur quia prior me erat. Vertendum itaque factus est, sed intelligendum est non absolutè Christum dici factum, sed factum ante Ioannem, hoc est Ioanne superiorem: Et si enim nondum apud homines tantam obtinuerat autoritatem Christus, quantā Ioannes, tamen à Patre factus erat eo superior hoc est ei prælatus: vt qui ad maiora erat destinatus quique ampliora gratiarum dona consecutus erat, plenitudinem scilicet eā vnde, sicut postea dicitur, omnes accepimus, ac vnionem personalem diuinitatis cum humanitate. Secundum quem sensum quod sequitur; Quia prior me erat, intel-

intelligendum est de prioritate secundum tempus: vt ideo dicat priorem se fuisse, quia secundum diuinitatem in principio erat Verbum apud Deum, quomodo intelligit D. Augustinus. Quoniam ergo periculum erat ne Ioannes, qui apud Iudæos summam consecutus fuit authoritatem, maior Christo haberetur, vel ob id quod prior cœperit prędicare pœnitentiam & regum cœlorum: ideo clamabat Ioannes frequenter idem repetendo, eum, qui post se venturus esset, sibi prælatū, seque longe esse priorem. Atque hoc illud est, quod apud alios tres Euangelistas dicitur ante baptizatū Christum de eo eo prædixisse, Qui post me venturus est fortior me est, &, venit fortior me post me, &c.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Rectè Cyrillus & Chrysost. intelligunt hæc esse verba Euangelistæ, qui cum obiter inseruisset Baptistæ testimonium suis dictis consonans, redit ad declarandum, & contumandum incæptum sermonem. Sicut ergo de Apostolis & fidelibus loquens dixit vidimus gloriam eius, & plenum gratia, & veritate: ita nunc sub eorundem persona pergit dicere, de plenitudine eius nos omnes accepimus: declarans scilicet quam fuerit verbum caro factum plenum gratia, & veritate, nimirum adeo vt de plenitudine eius omnes acceperint Apostoli, accipiantque omnes fideles. Hæc autem plenitudo Christi rectius, vt apparet, intelligitur de vtraque plenitudine simul, & ea scilicet, quæ ei secundum diuinam naturam competit, & quæ secundum humanam. Nam hæc ex illa profluxit propter vnionem personalem, & illa redundat in fideles per plenitudinem humanitatis Christi. Cumque in vnam personam cōiuncta sit diuinitas humanitati, frequenter Scriptura simul complectitur, quæ sunt vtriusque, *gratiam pro gratia.* His quæ sequuntur optime conuenit Cyrilli, & Chrysostomi interpretatio, qui gratiam pro gratia intelligunt legem Euangelicam datam per Christum pro lege Mosaica, quam etiam fuisse gratiam bene ostendit Psalmista dicens: Qui annunciat verbum suū Iacob. Non fecit taliter omni nationi, &c. [Sic ergo dictum est gratiam pro gratia, sicut Iob. 1. dicitur pellem pro pelle hoc est aliam pro sua, quomodo & dicimus clauū clauo pellere alium scilicet alio. Ita enim & hic dicitur gratiam pro gratia, hoc est aliam pro alia]. Hūc itaque sensum declarans subdit,

Quia lex per Moysen data est, vbi per hoc quod dicit legem datam à Deo scilicet, significat legem fuisse Dei donum, & proinde gratiam. Cum vero subdit, *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, significat gratiam legis fuisse gratiam quandam vmbratilem, & proinde non perfectam: gratiam vero Christi, quæ pro gratia legis data est fuisse perfectam: vt quæ veritatem ipsam coniunctam habuerit. Proinde cum hic lex

Euan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euangelica dicitur ad distinctionem à lege veteri gratia, & veritas, non accipitur veritas vt opponatur falsitati, sed vt opponitur vmbræ & figuræ. Dicitur enim lex Euangelica veritas, quod res eas exhibeat quas obscuris typis lex Mosaica figurabat. Neque sic dicitur lex noua Gratia, quasi vetus non sit gratia, sed quod maior, & perfectior sit gratia, quam illa: propter quod significandum adiecit, & veritas. Legem autem veterem dicit datam per Mosen, gratiam autem & veritatem non datam, sed factam esse, hoc est contigisse, per Iesum Christum: significas Mosen tãtum fuisse seruum, in legislatione non dominum. Christum vero in exhibendo nobis gratiam, & veritatem non se habuisse vt seruum, sed vt Dominum.

Deum nemo vidit vnquam. Secundum omnes pene Interpretes istud refertur ad id, quid immediate præcesserit. Quoniã enim dixit veritatẽ factã esse per Iesum Christũ non per Moysem, Multo minus per quemuis alium; ostendit quare necessarium fuerit, vt veritas per Iesum monstraretur, & est iste sensus, Nihil mirum si dixi per Mosen quidem datam esse legem, per Iesum vero pro lege illa contigisse veritatem. Nam cum Moses Deũ non viderit, sicut nec alius quispiam homo, nec ipse, nec alius quispiam potuit nobis manifestam de Deo, & liquidam narrationem dicere, nec nudam nobis veritatem Dei, salutis, atque Iustitiæ referre. Christus autem qui & filius est, & vnigenitus, & in sinu est paterno, intimusque consilijs illius: hic vnus aperte nobis enarrauit omnem veritatem. Porro sententia illa, *Deum nemo vidit vnquam*, ne contrarietur illis scripturis quibus multi dicuntur Deum vidisse, imprimis intelligi debet de diuina natura in seipsa: Deinde sciendum verbum videre hoc loco non solum includere visionem corporalem, sed etiã quãcunque aliam visionem siue imaginatiuæ potentiæ siue intellectus. Significatur enim hic à Ioanne vnigenitum filium, Deum quem nobis enarrauit, vidisse, quem vtique corporalibus oculis nõ vidit. Deum autem, vt est in sua natura, nullus hominum vnquam vidit, neque oculis corporis, neque oculis mentis: quamuis his post hanc vitam & in nouissimo die Iusti Deum videbunt. [Notandum tertiò pro intellectu huius sententiæ posse eam intelligi vel de sõlis hominibus in hac vita existentibus, & sic eius veritas ex prædictis patet, vel etiam de Angelis. Nam Græcè non est nemo, sed οὐδεὶς, id est, nullus, vt videantur etiam Angeli comprehendi sicut intelligit Ambrosius. Qui si intelligantur comprehendi, iam verbum videre accipi debebit, vt significet visionẽ perfectam, quæ scilicet id, quod videtur totum comprehendit: ita vt eius quod videtur, nihil lateat videntem, sed eius natura tota quanta quãta est perspiciatur. Sic enim Deus, qui infinitæ naturæ est, & perfectionis, non solum nunquam visus est ab homine vel Angelo, sed nec videri

videri potest.] Notandum autem quod postquam dixisset Euangelista Deum nemo vidit vnquam, significans nullum satis idõneum fuisse, qui Deum, & ipsam veritatem nobis annunciaret, pulchrè admodum, & doctè ita personam Christi notat, vt ostendat eum solum Deum nouisse, ac proinde per eum solum veritatem contingere potuisse. Neque enim solum Filium nominat, sed vnigenitum filium: significans eum esse filium cõnaturalem, & Patri consubstantialem. Nec his contentus adiecit *qui est in sinu Patris*, quo significat eum & vnicè à Patre dilegi, & illi esse intimum, proximéq; præsentem, ac proinde eum perfectè videre, omniaq; eius exactè nosse. Proinde restè addidit, *Ipse enarrauit*, Ipse scilicet, qui talis est, ac proinde solus veritatem omnem perfectè nouit, enarrauit. Quo verbo explicatiorem quandam veritatis manifestationẽ insinuauit, quam fuit annunciatio Prophetarum.

Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi, &c. Cum hoc tempore Iesus adhuc obscurus esset, & incognitus, verisimile est legatos hos missos à Iudæis simplici animo, quod scilicet, vt te statur Lucas, omnes de Ioanne iam cogitare inciperent ne forte ipse esset Christus. Quandoquidem ergo de ipso vulgi variabat suspicio, quo in re dubia certiores essent mittunt qui interrogarent eum. *Tu quis es?* Et quidem sciebant eum esse filium Zachariæ sacerdotis, ideoque non venerunt interrogaturi nomen eius aut originem, sed personæ qualitatem & dignitatem.

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, &c. Hæ partes recte accipiuntur idem significare. Cõsueta enim est hæc verborum congeries huic Euangelistæ, nec hoc loco otiosa. Nam illa significare voluit constantiam, & libertatẽ Ioannis in asserẽda veritate: qui cum tãtus haberetur, vt si voluisset; Christus credi potuisset, cupiditate falsæ gloriæ superati non potuit, vt aliud quã sciret, responderet. Sensus est ergo; & confessus est veritatem, & non negauit eam. Quæ autem sit hæc veritas, quam non negauit explicat dicens; Confessus est, *quia non sum ego Christus*. Verùm cum non interrogaretur an esset Christus, sed tu quis es: quare respondit se non esse Christum? Dicendum cum Caietano legatos prima interrogatione quæsiuisse num ipse esset Christus: hanc autẽ interrogationem Euangelistam insinuasse per responsionem Ioãnis, quæ talem interrogationem præsupponit.

Et interrogauerunt eum; Quid ergo? Elias es tu? Credebant olim Iudæi, sicut & nunc παλιγγενεσίαν, hoc est, iteratam genetationem, quam & Pythagoras docuit. Ex qua opinione Herodes putabat Ioannem quem decollauerat, in vitam rediisse, & vulgi pars Christum Heliam, pars Ioannem, aut alium quempiam ex Prophetis ex hoc eodem errore putabat. Sic & nunc eadem ducti opinione interrogant num Ioannes sit Elias. Ipse vero

se vero respondet se non esse Heliam, quamuis fuerit Helias in spiritu, & virtute. Atque ex eodem errore rectissimè intelligetur eos tertio interrogasse; *Propheta es tu?* aliquis scilicet ex prioribus Prophetis quemadmodum Christus à vulgi parte habitus est. Obtinuerat enim apud Iudæos olim error non esse sanctos, aut Prophetas nisi seculi superioris. Ideoque negauit Ioannes se esse Prophetam, talem scilicet de quo quæsierant: cum alioqui secundum testimonium Zachariæ & Christi, vere esset Propheta. Simplicius tamen, & rectius Augustinus qui intelligens Ioannem simpliciter interrogatum num esset Propheta, sentit eum negare se esse Prophetam secundum eum modum quo propriè dicitur Propheta, qui futura prædicit, & quales fuerunt alij Prophetæ, qui à longe venturum Christum prædixerunt: cum Ioannes præsentem digito demonstrauerit, ob ideque plusquam Propheta sit dictus. Hanc Augustini sententiam comprobat Ioannis responsio, qua declarat se præcursorem esse Christi iam præsentis, quem Prophetæ omnes prædixerunt venturum. Sequitur enim;

Ego vox clamantis in deserto, dirigite, hoc est, *rectam facite viam Domini*, quæ superius explicata sunt.

Et qui missi fuerãt erãt ex Pharisæis. Ex Pharisæis dicit fuisse, vt insinuaret arrogantiam eorum, & inuidiam in subsequentibus.

Et interrogauerunt eum & dixerunt, quid ergo baptizas? &c. hoc est, vnde tibi sumis authoritatem vt baptismo, te noua, & inusitata homines ad pœnitentiam anteactæ vitæ prouoces: cum id non videatur posse competere nisi ei, qui vel sit Christus, vel quispiam priscorum Propheratum? Verum horum arrogantiæ modestè simul & appositè respondet.

Ego, inquit, *baptizo vos* tantum *aqua*, ac proinde nihil facio quod non possit competere ei, qui neque sit Christus, neque quispiam antiquorum Propheratum. Verum alius quispiam à me iam non procul abest, imo inter vos iam aliquamdiu conuersatus est, & cõuersatur tanquam vnus ex vobis, quem ego quidem, quantus sit, satis noui: vos autem propterea quod earum rerum pompa se non venditat, ex quibus homines æstimant hominis excellentiam, nõ cognoscitis quantæ sit dignitatis, & præeminentiæ. At ego vobis dico. Ipse est ille de quo dixi aliquando, quod post me venturus sit, dignitate tamen adeo me prior, vt agnoscam me indignũ, qui infimum seruitutis officium illi impendam. Vt igitur secundum Isaiæ de me vaticinium mea prædicatione populum præparo ad suscipiẽdum illius prædicationẽ: ita ob id baptiso in aqua, vt meo quali quali baptismo vos præparẽ ad illius baptismũ efficacissimũ. Ipse enim vos baptizabit non in aqua tantũ, sed etiã in Spiritu sancto. Hæc Ioãnes. Verisimile enim est cũ postquã dixisset: Ego baptizo in aqua, adiecisse in fine, ipse vos baptizabit in spiritu. Alioqui

qui nõ satis ostendisset, quod quærebatur videlicet cur baptizaret.

Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, &c. Bethabara legẽdum esse & non Bethania admonent Chrysost. Theophyl. Origenes, quod Bethania citra Iordanem esset prope Ierusalem: nisi quis fateatur duas fuisse Bethanias.

Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait, &c. Altera die hoc est, postridie ἐπαύριον. Venit itaque Iesus ad Ioannem vel ea de causa maxime, vt occasionem præberet clarius testificandi de se, & ne baptismum quem olim susceperat, putaretur in ablutionem suorum peccatorum suscepisse, quemadmodum alij. Ioãnes autem cum videret Iesum ad se venientem, admonitus spiritu quid esset agendum, versusque ad populum, digito commonstrat eum: vt iam de facia quoque agnitum mirari, & amare consueuerint, vt illum potius, quam se sequerentur, & illius potius baptisma ambirent quam suum.

Ecce, inquit, *agnus Dei*. Vocans autem Christum Agnũ qui tollit peccata, respexit ad agnos legales, qui pro peccatis hominũ offerebantur: cumque alia etiam animalia in veteri lege in typum Christi offerentur, vt boues, capræ, hirci, agnum tamen peculiari fere vocat: quod inter omnia agni proprietates maximæ Christũ deliniarent. Propter quod agnus immaculatus in quotidianum sacrificium vespere, & mane offerebatur, & Isaias agno singulariter Christum comparat, similiter & Ieremias. Dicitur ergo Christus agnus propter summam suam mansuetudinem, & innocentiam, ac voluntariam ad mortem obedientiã. Dei vero Agnus: siue quia à Deo Patre traditus in oblationem pro peccatis nostris, siue quia agnus diuinus propter eius diuinitatẽ, aut quia Deo deputatus in oblationem, vt distingueretur ab agnis prophanis. Quod vero dicit, *qui tollit peccata mundi*, dupliciter intelligi potest, primo vt intelligatur tollere peccata quia illa in se recipit, sibique imponit, secundo quia aufert ea. Nisi vtramque acceptionem simul comprehendamus, vt ideo dicatur tollere peccata, quia illa in se suscipiẽs à nobis aufert, & abolet. Dicit autem potius tollit, quam remittit; eo quod de Christo loquatur tanquam de Sacrificio expiatiuo, non tanquam de Deo remittente sua gratia.

Agnus Dei Christus.

Isaie 53.

Ierem. 11

Hic est de quo dixi, post me venit vir. Virum Christi vocat non solum ratione gratiæ, sed multo magis ratione perfectionis omnium virtutum, quæ in eo fuerunt. Deinde & ratione Sponsæ Ecclesiæ iam Christo desponsatæ, *& ego nesciebam eum*, Nescisse se eum dicit, ne testimonij ipsius de ipso suspectum haberetur: & vel propter cognationem, vel familiaritatem, aut ex alio quopiam humano affectu redditum. Quanquam autem, inquit, nescirem eum, tamen vt mihi demonstratus per me deinceps manifestaretur populo Israelitico, ideò missus sum ad baptizandum in aqua.

Demonstratum à Ioanne Christum quinque discipuli agnoscere & sequi incipiunt. Ioan. 1.

CAPVT XVII.

ALTERA *die iterum stabat Ioannes & ex discipulis eius duo. Et respiciēs Iesum ambulantē dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum, magister) vbi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo. hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanaël, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege & prophetæ inuenimus Iesum filium Iosephà Nazareth. Et dixit ei Nathanaël: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & vide. Vidit Iesus Nathanaël venientē ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël: Vnde me nosti? Respondit Iesus & dixit ei: Prius quàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanaël & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israël. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.*

Altera die iterum stabat Ioannes, &c. Transit sensum Euangelista à testimoniis Ioannis ad testimonia, quæ domino ipsa eius dicta, factaque perhibuerunt.

Et respiciens Iesum περιβλέψας, hoc est, intuitus, vt postea vertit Interpres. Id autem plus quid significat, quam respicere, nempe quod Ioannes corporalibus oculis fixè in Christum intentus fuerit, non sine gaudio animi & admiratione. Ioannes itaque stans cum intuitus esset Iesum ambulantem, nec ignarus illum fuisse salutem humani generis, ac iam captare discipulos idoneos subiiciendi maiori doctrinæ, versus ad suos discipulos, qui præceptori adstabant, vt eos meliori se magistro traderet, digito demonstrans ambulantem. Ecce inquit Agnus ille Dei, de quo iam sæpe testificatus fuit vobis frequenter. Porro vt hac in parte commendata est Ioannis in prædicando integritas, constantia, & diligentia: ita in sequentibus ostenditur

tum fructus prædicationis eius, tum simplex discipulorum credulitas. Hi enim mox vt audierunt Ioannem loquentem, intelligentes quid veller, nimirum vt se relicto ad Iesum properarent, simpliciterque credentes illius sermoni secuti sunt Iesum ambulantem. Iesus itaque intelligens, quo animo sequerentur non expectata interpellatione vltro subleuat, & inuitat illorum verecundiam, ac versus ad illos, & conspicatus eos sequentes se, quærit quid quærerent: non quod ignoraret quem quo animo sequerentur, sed vt sua interrogatione ad colloquium, & familiaritatē inuitatet & per extortam illorum responsionem aliis ostenderet illorum affectum Euangelio dignum; ac sic horum nota cupiditas etiam aliorum animos accenderet. Iam in responsione discipulorum veneratione simul, & desiderium eorum spectare licet. Dum enim Rabbi vocant (quod Hebraïce idem est, quod magister mi) profitentur se illius velle esse discipulos. Similiter quod interrogati quid quærerent non responderunt se velle ab eo doceri, sed percontati sunt vbi illius esset domicilium: ostendit eorum & venerationem erga Christum, & discendi desiderium. Verebantur enim illi molesti esse ea hora quæ vt testatur postea Euangelista, satis tarda erat, & tamen doceri ab eo cupientes, vt frequenter ad eum discendi causa conuenire possent, locum vbi maneret, scire quærebant: simulque declarabant se familiarius secretiora quædam ab eo discere velle, quæ forte non esset docturus in publico. Itaque dominus Iesus delectatus illorum pio discendi ardore, non indicat signis domum suam, si quando per opportunitatem se vellent inuisere, nec excusans instantem noctem iubet eos postridie redire, sed comiter, ac blandè ad domesticū colloquium inuitat dicens: *venite & videte.* Discipuli autem læti tam optato responso venerunt, & non solum viderunt domicilium vbi manebat Iesus, sed & eo die commorati sunt apud eum sacro illius colloquio inflāmati, & à benigno domino humaniter detenti: Quod autem Euangelista explicat horam, qua discipuli à Christo inuitati adierunt eius domicilium dicēs; *Hora autem erat fermè decima*, ab exortu scilicet solis: indicare voluit & in discipulis discendi cupiditatē, & in Christo susciendi omnes humanitatem, quod neque illi propter tempus, quod iā scilicet sol ad occasum vergeret, auersi sunt à sequela: neq; Christus quicquā prætexuerit, sed eum etiam tempus docēdi inopportunum videretur, paratum & expositum se exhibuerit.

Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, &c. Solum Andream ex duobus nominat, siue quod ipse Euangelista alter duorum esset, qui nomē suum frequenter supprimit, siue quia hic nominandus necessariò erat propter Petrum fratrem per ipsum adductum ad Iesum, Hic ergo tanta fœlicitate gestiens, quod ex indicio Ioannis, sed multo magis ex domestico Iesu colloquio

Universidad de Deusto
Biblioteca

comperisset iamdiu exoptatum Messiam, cum priot inuenisset fratrem suum Simonem, magna animi sui gesticulatione dixit ei: *Inuenimus Messiam*, quasi dicat: Gaude mecum frater, quem enim tam anxie expectamus Saluatorem, iam certò inuenimus. Cæterum cum multi apud Hebræos hoc nomine dicti sint, additur huic nomini apud Græcos articulus ὁ, vt intelligatur de illo vno eo Messia, quem tunc omnes solum expectabant, quêque Prophetæ promiserant, vnctum non oleo visibili, sed inuisibili, nec in Regem solum, aut in Sacerdotem, sed in vtrumque simul, atque etiã in Prophetam, & doctorem. Non satis autem fuit Andreæ renunciasse fratri Messiam inuentum, sed cupiens etiam illum fieri eius discipulum, ac de Domini comitate, & benignitate experta benè confisus: adduxit fratrem ad Iesum cupidum nimirum etiam videndi & audiendi Iesum.

Intuitus autem eum Iesus dixit, Significat solùm inspectione Iesum cognouisse Simonem, ac non solum faciem illius contemplatum, sed & animũ: simulque significat delectatum ipsum sincero illius affectu, quem in ipso intuebatur. Ideo autem Patris, proprium que nomen ei edicit, ac commutati nominis ænigmate futurã ipsius dignitatẽ, stabilitatẽ, & officium prophetauit: vt per occultorũ reuelationem, & futurorum prædictionem ad diuinitatis suæ fidẽ illum adduceret, ostenderetque se eum esse, qui cuncta antequam vel fiant, vel innotescant, nouit. Nequaquã autem absurda videtur obseruatio, qui istud *tu es Simon filius Iona*, non solùm dictũ putãt à domino vt per occultorum reuelationem euehereтur Simon ad fidem diuinitatis: sed etiam emphatiços ad collaudandam Simonis obedientiam, simplicitatem aut gratiositatem apud Deum, ex indicio proprij, & paterni nominis, in hunc scilicet sensum: Nouit te qui iis, quo & gratior mihi aduenisti. Simon non tam vocaris, quam es, audiens scilicet, & obediens, id quod Hebræis hæc vox sonat, & filius Iona hoc est columbæ, aut Ioanna, hoc est gratiosi, cui scilicet Deus fauet. Verè enim tibi aspirauit fauor Dei, qui te audire fecit vocem fratris tui ad me vocãtis. Gratulare autem tibi quod ad me veneris, faciam enim te rupem quandam pietatis, & salutis, ideoq; posthac petræ cognomentũ habebis. Cephas enim Chaldæis, Græca lingua interpretatur Petrus. Nam atticis σκληρὸς idem est quod ὁ πέτρος. Itaque Petrus non sonat Latinis idẽ quod saxeus, sed potius idem quod saxum. Rectè autem quidam cum Augustino intelligunt hoc loco nomen Simoni impositum à Christo, vt sit sensus. Tu posthac vocaberis Cephas. Matth. autem 16. causam huius nominis primùm fuisse explicatam,

In crastinum voluit exire in Galilæam. Iste dies dicitur crastinus respectu eius diei, quo Simoni dictum est. Tu vocaberis Cephas, vt ipsæ literæ contextus exigit: quare non secutus est immediate dicillum,

illum, quo Andreas secutus est Christum, licet non sit scriptum, quot dies intercesserint. Pergit itaq; narrare Euãgelista quomodo per hos discipulos, quos iã collegerat, etiam alios sibi duos adiunxerit. Postridie inquit, voluit hoc est visum est ei exire e Iudæa in Galilæam, ibique obuium inueniens Philippum ad sequelam vocat. Porro quod Philippus ad vnam domini vocem secutus est eũ, quem nondum docentem audierat, nec miracula facientem viderat, leuitari non est asscribendum, sed efficaciæ vocis Christi. Quanquam verisimile sit Philippum prius ab Andrea, & Petro multa de Christo didicisse. Id enim videtur insinuare Euangelista, dum Philippum dicit fuisse ciuitatis Andreæ & Petri. Quemadmodum autem Andreas Petrum fratrem attraxit ad Christum: ita & Philippus inuento Messia non retinet bonum hoc apud se, sed & Nathanaëli communicat, eumque Christo adducere studet: qui & ipse erat ex humili Galilææ vico, nempe ex Cana Galilææ, vt dicitur Io annis vltimo. Itaque Philippus lætus de inuento thesauro cum re periisset Nathanaelem quẽ & ipsum sciebat incredibili Messiæ desiderio teneri, cum animi gesticulatione dixit: Inuenimus expectatum illum, quem scripsit & Moyses in lege sua, & Prophetæ item omnes promiserunt, nempe Iesum filium Ioseph Nazarenum. Nathanaël autem Philippum audiens fauebat quidem lætissimo nuncio sed offendebat scrupulus quidã, quem illi mouebat Propheta Micheæ, promittens Messiam exoritutum ex Bethleem Iudæ, non tamen plane diffidens, discendi animo non calumniandi interrogabat dicens: Num à Nazareth potest aliquid eximium exoriri; à cum eius non meminerint Prophetæ? Interrogatiuè enim istud legi debere apertè satis patet ex subiuncta responsione Philippi, *veni, & vide*. Cum enim Philippus nodum hunc sibi propositum soluere non posset: inuitat eum ad fontem ipsum, non dubitans quin viso, & audito Iesu statim sit crediturus.

Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dixit de eo, &c. Quod dicit, verè Israëlita, ita tum dictum est, ac si quis modo dicat, verè Christianus: de eo qui nomini suo vita, moribusque respondet. Quare autem verè Israëlitam vocat indicãt subiuncta verba, quia scilicet in eo *nullus erat dolus*, hoc est, simplex erat, & rectus, simplicique ac syncero animo Deum colens, quemadmodum Iacob, cuius nomen præferebat. Admiratus autem Nathanaël vnde tam perfectã etiã cordis sui haberet dominus cognitionẽ, vnde, inquit, *me nosti*? Iesus vero euidentius etiã declarare volens diuinã suam virtutem, nec quicquã illum latere, quãuis occultum: *Priusquã* inquit *Philippus te vocaret ad me, cũ solus esses sub ficu, ego te vidi*. Quibus verbis optimè Saluator respondet interrogationi Nathanaëlis. Interrogatus enim vnde nosceret eũ, non respondet se nouisse eum, cũ adhuc esset sub ficu: sed vidi inquit, te; oculis nimirũ diuinitatis,

nitatis, ac proinde mirum non est, si te nouerim intimè, etiam si nec mecum sis conuersatus, nec mihi quisquam de te dixerit. Inde enim te noui, vnde te lõge à me semotum vidi. Hæc autem simul atque Nathanaël audisset, cui persuasum erat soli Deo perspicua esse cordium secreta, & homine maius esse, quod audiret, nihil iam offensus scrupulo de loci natalis vocabulo, plena fide testimoniũ reddidit Christo magistrum, filiumq; Dei, atq; expectatum illum Regẽ Israël Messiam professus: declarans certe quam non vulgarẽ de expectato Messia haberet opinionem, quod ex scripturarum cognitione didicisset illum & doctorem fore, & Regem populi Israelitici, & filium Dei quemadmodum in Psalmis frequenter nunc apertè, nunc sub typo Salomonis, aut Dauidis promittitur Messias fore Dei filius. Iesus autem tam promptam, & alacrem viri fidem, ac professionem tam Euangelicam libenter amplectens, confirmat etiam Nathanaëlis, & aliorum de se opinionem: apertius iam indicans suam naturam diuinam, dum visuros eos dicit cœlos sibi aperiendos, & Angelos ascendentes & descendentes: quod apertum futurum erat signum eum esse non solum Regem Israël, sed etiam Regem Angelorum, ac verum, & naturalem Dei filium, vt cui Angeli obsequium essent exhibituri. Quando autem istud viderint Apostoli, quod eos visuros Christus modo testatus est: rectè dicunt quidã ab Euangelistis, quos certum est multa prætermisisse, etiam prætermissum istud esse, quod tamen ex his Christi verbis certum est discipulos aliquando vidisse. Notandum & illud quod Christus appellatus à Nathanaële filius Dei suamque diuinitatem ei comprobans, se tamen non vocat nisi filiũ hominis, vt & alias ferè semper; hac appellatione humilitatem suam, ac veram humanæ naturæ susceptionem nobis cõmendans. Est autem filius hominis, Hebraïca phrasi, idem quod homo. Cæterum Rupertus valde probabiliter putat hunc Nathanaëlem fuisse eum, quem reliqui Euangelistæ vocant Bartholomæum.

Mutatur aqua in vinum in nuptiis.

Ioannis 2. CAP. XVIII.

ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eũ: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunq; dixerit vobis, facite. Erant autẽ ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundũ purificationẽ Iudæorũ, capientes singula metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerũt eas vsq; ad summũ. Et dicit eis Iesus: Haurite nũc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autẽ gustauit architriclinus aquã vinũ factam, & non sciebat vnde

vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autẽ seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Optimè secundum quosdam dies hæc intelligitur dicitur tertia ab adita Galilæa, vel ab eo tempore quod venit ad Iesum Nathanaël, sicque intelligit Epiphanius. Quoniam autem duæ erant Canæ (teste Hieronymo) vna maior iuxta Sydonem, altera minor in tribu Aser, ob id ad distinctionem alterius hic additum est, Galilææ.

Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias, vocatus est ad nuptias Dominus non quod magnum aliquid de eo iam ob visa miracula suspicarentur, sed simpliciter tanquam notus & Amicus: quod significans Euangelista dixit Matrem Iesu ibi fuisse.

Et deficiente vino, id est, dum iam inciperet deficere, & nondum defecisset. Nam quod dicit, *Vinum non habent*, intelligendum videtur sufficiens, & quantam est satis. Græcè tamen non est participium præsentis tẽporis sed aoristus ὑστερήσαντος οἴνου, hoc est, cum defecisset vinum.

Quid mihi, & tibi est mulier? Rectè hæc oratio intelligitur secũdum phrasim Græcam, aut Hebræam. Nam Græci per duos dativos mediante coniunctione καὶ ea proferunt, quę Latini per vnum dativum cum aduerbio congregandi, siue cum ablatiuo precedente præpositione, cum. Sic Matt. 8. vociferabantur dæmones: Quid nobis, & tibi Iesu fili Dauid, hoc est, quid rei est nobis tecum, &c. 27. Nihil tibi & Iusto illi, hoc est ne quid rei tibi sit cum Iusto illo. Sic & hoc loco sensus est: Quid mihi rei est tecum, quidue mihi tecum commune. Similis phrasis est apud Hebræos: Quid mihi, vt vobis Filij Saturiæ. Itaque sensus est, In negotio ædendorum miraculorum nihil mihi tecum rei est, sed es mihi velut aliena mulier, non vt mater. Neque enim à te accepi vnde miracula operari possum, ac proinde neque tui iuris est præscribere patrandorum miraculorum tempus & locum. Quod autem sequitur. *Nondum venit hora mea,* secundum quosdam optimè intelligitur de tempore operandi miracula, & per ea seipsum manifestandi. Cæterum etsi Mater repulsam passa videbatur à filio; tamen tum quia diuina sua prudentia scopum, & rationem verbi intelligeret, videlicet quod non impotentiæ excusatio, neque Matris contemptus erat: sed ne videretur sese miraculis ingerere, & spectaculo exponere, mensæ ministros admonet, vt facerent quidquid iussi essent: pia sollicitudine procurans ne famulorum inobedientia, aut non paratum obsequium obstaret, quo minus conuiuio subueniretur; 2. Reg. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæterum temporis ac rei gerendæ arbitrium filio tacita relinquens.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationē Iudeorum. Purificatio ea est intelligenda, quę secundum traditionem seniorum introducta fuit, & recepta apud Iudæos de qua Marcus cap. 7. Pharisæi inquit, & omnes Iudæi nisi crebro lauerint manus non manducant, tenentes traditionem seniorum, &c. In hunc ergo vsum aderāt sex istæ Hydrię, hoc est, aquales *capientes duas aut tres metretas.* Iuxta collectionem Roberti Senalis qui post Budeum accuratius de pōderibus, & mensuris scripsisse videtur, Metreta, seu batus continet quartarios Parisinos duodecim cum cheopina & dimidio eius cum duabus drachmis. Quartarius autem Parisinus, qui capit quatuor cheopinas aut duas pintas, minor est congio Romano hemina vna, minor item Chreattico quadrante heminæ vnius, paulo item minor Gomor mensura Hebraica, vnde colligitur aliquanto minorem esse nostro quartario, quem nos barbarè potrū dicimus. Proinde hydria quæ duas metretas capiebat iuxta hāc collectionē vigintiquatuor nostros quartarios, aut circiter capiebat, vnde reliqua colligi possunt. Certè non amphoras vulgares fuisse has hydrias, patet ex eo quod Dominus non iubet effundi liquorem, sed hauriri. Haurite inquit nunc, &c.

Dicit eis Iesus implete hydrias aqua. Non mandat vt vasa vinaria impleant, sed aquales illas pro purificatione Iudæorum sitas, quas omnes didicerant præter aquas nihil continuisse: vt miraculum esset apertius, & ab omni calumnia liberius. Itaque & hac de causa iubet ministros haurire & ferre architriclino, hoc est commilitoni præfecto, vt & per hunc miraculi fides, & magnitudo pluribus certius innotesceret.

Vt autem gustauit architriclinus, &c. Sicut ad insinuandam vini Christi liberalitate exhibiti quantitatem Euangelista expressit hydriarum, & numerum & capacitatem: ita ad significandum eiusdem vini excellentiam, & bonitatē narrat tā accuratè verba architriclini: quibus eius bonitas comprobatur: vt sic declaret Christū & copiosum, & optimum vinum exhibuisse.

Hoc fecit initium signorum Iesus Hac de causa videri potest ex proposito istud Ioannes addidisse, vt reijcienda demonstraret miracula, quę de Iesu iactabantur anteà facta. Deinde cum additur: *Et manifestauit gloriam suam*, hoc est gloriam, & claritatem potentiæ suæ diuinæ: aperte satis significatur prius tali ratione non manifestasse gloriam suā. *Quod autem dicitur & crediderunt in eum discipuli eius*, intelligendum est, quod fidem ampliorem, & firmiorum acceperint.

In Paschate eiicit Dominus vendentes & ementes in templo, mortem & resurrectionem suam Iudæis insinuans. Ioan. 2. CAP. XIX.

POST HÆC descendit Capharnāum ipse & mater eius & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt nō multis diebus. Et prope erat Pascha Iudeorum. & ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes oues & boues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo oues quoque & boues, & numulariorum effudit es, & mensas subuertit Et his qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis. Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Respondentes ergo Iudei & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudei: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus. Cum autem esset Hierosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quæ faciebat, Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Post hæc descendit Capharnāum ipse & Mater eius & Fratres eius. Quare in Capharnāum simul cum Matre & Fratribus descenderit, Ioannes non explicat. Verisimile est tamen ipsum, quoniam iam Euangelicum erat negocium incepturus, noluisse deinceps habitare in Nazareth, in qua hactenus enutritus erat, quod, vt postea dicit, sciret se ibi non futurum in honore. Itaque hanc relinquens alio matrem simul, & cognatos transtulit, secedens potissimum in Capharnaum celebertimum totius Galileę oppidum. Quanquam nondum hoc primo descensu miracula fecerit in hac ciuitate, neque palam adhuc in synagogis prędicauerit, neque tam fixam sibi, matrique habitationem delegerit, quam ab incarceratione Ioannis. Ideoque non multis diebus ibi mansisse eos dicit, nulla prędicationis facta mentione: quamuis verisimile sit eum priuatim multos docuisse, ac plures sibi adiunxisse discipulos. Fratres autem Iesu, de quibus & hic, & alibi sepe fit mentio, manifestum est cognatos eius dici, quomodo in Genesi Abraham se vocat fratrem ipsius Loth, qui fratris erat filius. *Fratres Iesu.*

Et prope erat Pascha Iudæorum. Ostendit per quid factum sit, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt non multis diebus manerent in Capharnaum, videlicet quod ob solemnitatem Paschalem ascendendum esset in Hierusalem. Bene autem dicit *Pascha Iudæorum*, propter distinctionē à Pascha te Christianorum, quod tum passim à Christianis quotannis celebrabatur, cum Euangelium istud Ioānes scriberet in Asia. Cum autem dicitur tùm hoc loco, tum apud alios Euangelistas inuenisse Christum in templo vendentes oues, &c nomine templi videntur etiam debere intelligi ipsa atria, in quibus Sacrificia offerebantur, ac porticum ipsam templi in qua etiam orabat populus, & docebatur. Non enim verisimile est in eo quod proprie templum dicebatur oues, & boues venditos, cum ibi non offerrentur. Quò autem paratior esset negotiatio, id quod in prophano mercatu fieri consueuit, aderant numulatij, qui minutiore moneta mutarent magnam, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam eius loci moneta verterent: quales & hodie dicuntur esse Romæ in gradibus D. Petri. Itaque Christus quo ostenderet zelum suum pro honore Patris sui, & autoritatem suam cum summa coniunctam potestate declararet, simulque doceret in domo Dei nullum quæstum esse temporale lucrum, sed omne tale lucrum pro turpi, & inhonesto lucro esse habendū, imò vt in vniuersum ostenderet in domo Dei nihil agendum præter sacros actus: *facto flagello è funiculis* ibi forte vbi erant oues, & boues repertis abegit e templo omnes tum boues, tum oues veluti canes e domo Dei profligans. Quamquam autem esse potuit, vt quemadmodum apud Matthæum fecit, ejiceret etiā vendentes: non est, tamē verisimile quod hos etiā flagello expulerit, sed illo tantùm oues ejecit, & boues. Non enim cum dicitur facto flagello omnes ejecit de templo, dictio, omnes, referri debet ad homines, sed ad oues & boues: quod & Græca ostendunt & manifestius ex eo patet, quod, *vēdentibus columbas dixerit, Auferte ista hinc, &c.* Hoc enim demonstrat mansionem eorū qui columbas vendebant, post ejectionem ouium & boum. Flagello quidem vsus fuerat ad ejiciendum oues & boues, sed ad ejiciendū columbas inutile erat flagellum (conclusæ enim erant in ligneis caueis, vt motis est) ideoque monet venditores earum auferre ista hinc, q.d. Oues & boues ego ejeci, vt vidistis: vos ergo similiter tollite ista hinc. Porro cum dicit.

Numularij.

Nolite facere domum Patris mei, domum negociationis, & significat se naturalem Dei, cuius erat templum, esse filium. Nō enim dicit patris nostri, sed mei, & rationem quoque sui facti indicat, videlicet, quod filij sit pro Patris sui gloria & honore zelare.

Recordati sunt vero discipuli eius quia scriptum est, &c. Viderut voluisse hic significare Euangelista, quod cæteris admirantibus rationem facti, imò offensis ipso facto: discipulis in mentem venit ea scriptura, qua facti huius rationem intellexerunt. *Zelus domus tuæ comedit me.* Est autem sensus authoritatis istę, Ardentissimum studiū gloriæ domus tuæ, tanquam ignis quidam intra præcordia cō clusus vult, torsit, & consumpsit animum meum, ferentem molestissimè neglectum, & inhonorationem domus tuæ.

Responderunt ergo Iudæi & dixerunt, &c. Quasi dicant: Id quod agis declarat te vendicare tibi magnam aliquam authoritatem ēā ita sæuis, & imperium exerces in eos, qui videntur iuuare negotium religionis, quorum factum æquo hactenus animo pertulerunt Sacerdotes, & Pharisæi. Quod si autem hæc facis tua authoritate, temeritas est, si diuina, profer signum aliquod vt credamus tibi. [Itaque signum petunt tum quod moris sit Iudæis signa petere, tum quod Moses populum ex Ægypto educturus signum suæ authoritatis exhibuerit vt patet Exo. 4.] Porro quod Iudæi dicuntur respondisse, cum nullus præcedat sermo, ad quē responsio referatur, notandum Euangelistas responsionem vocare quemlibet ad alios factum sermonem, etiam si nullus ab illis præcedat, ad quem referatur, Phrasis enim Hebræa est, responderunt, & dixerunt: pro eo quod est, dixerunt: sicut & illa locutio dixit dicens vel locutus est dicens Hebraissimus est.

Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, &c. Corpus suū intelligens; quāus sciret illos intellecturos de tēplo in quo erat. Indigni enim erant, quibus veritas apertius annunciaretur: cum non tam vt discerent, quam vt calumniarentur, signum postulassent. Porro bene hoc signum ostendit qua autoritate è templo ejecerat omnes. Nam seipsum à morte excitare, diuinæ solum est virtutis, ac Deum planè esse conuincit. Quod ergo dicit Soluite non adhortantis est ad eædem: sed partim prædicentis, partim permittentis, quomodo & Iudæ dictum est, Quod facis fac citius. *Templum vocat* corpus suum propter habitantem in ipso diuinitatem, non solum per gratiam, sed etiam per vnionem personalem.

Dixerunt ergo Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatum, &c. Primùm Templum à Salomone constructum consummatum fuit intra septem annos, secundum vero sub Zorobabel 46 annis, non quod tot annis continuè Iudæi hoc Templum ædificauerunt, sed qui à tempore, quo cæperunt, vsque ad templi consummationem tot anni fluxerunt. Ad hanc autem Iudæorum de templo suo carnali de quo summe gloriabantur, obiectionem nihil respondit Dominus Iesus, sciens se nihil profecturū, si sermonis inuolucrum explicuisset: quando nec postea tot æditis signis, & prædicationibus discipuli instructi potuerunt ferre mentionem mortis, nec credere mysterium resurrectionis. Quod autem dicuntur discipuli tūc *credidisse scripturæ & sermoni Christi*, non sic intelligendum, quasi prius non credidissent scripturam, & sermonem fuisse verum: sed quod tum demum Scripturas, quæ sunt de Christi resurrectione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sermonem istum intellexerint, & in Domino vere agnouerint esse completa. Vnde sensus est: crediderunt Scripturę iam intellectæ, & in Christo completæ.

Credererin nomine Christi

Cum autem essent Hierosolymis in Pascha, in die festo. Quod dicit in Pascha, in die festo, idem est quod, in die festo Paschę: vocatque Pascha ac diem festum totam illam solemnitatem, quæ tempore 7. dierum celebrabatur. Quod vero *dicit multi crediderunt in nomine eius*, vel vt habent Græca, in nomen eius. Phrasis est Hebraica idem significans quod crediderunt in eum, vel in eo vel ei. Nam & hæc eadem sunt credere in Iesum, & credere in Iesu, & credere in Christum, & credere Christo; quod apertissimum est ex cap. Ioannis sequenti, vbi indifferenter hæc tria pro eodem ponuntur, dum sic dicitur, Exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam, ac mox sequitur, Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Porro per quid hi, de quibus hic loquitur Ioannes, ad fidem adducti sint, ostendit eum subdit.

Videntes signa quæ facit. Significat ergo miraculis magis commotos, quam verbis.

Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, &c. Caietanus recte, vt apparet intelligit pronomen (eis) non demonstrare eos, qui crediderunt in nomine eius, sed in genere illos qui in solemnitate Paschali Hierosolymis erant. Dixerat enim. *Cũ esset Hierosolymis*, & multos quęsiuisse ab eo signũ sue autoritatis, & multos credidisse in nomine eius: nunc vero in genere dicit Christũ non credidisse se eis, hoc est nõ ita propter credentiũ multitudinẽ de bono animo Iudæorum ega se fuisse securũ, vt se tutò illis committeret, & de vita propria in eis benè confideret. Quoniam enim nondũ erat tempus mortis, nec sine periculo apud illos Iudæos Christus se scire agere posse, humana scilicet via, nõ credidit se eis, sed se illis subduxit. Hoc autẽ periculũ quomodo Christus intellexerit, cũ nulli ad huc odium suũ contra ipsum declarassent, imò multi bonum suum erga ipsum animum ostendissent, explicat Ioannes cum subdit: *eo quod ipse nosset omnes*, rationem non credendi seipsum assignans non timorem, sed notitiam omnium. Apertius autem explicans quomodo omnes nouerit, subijcit. *Et quia opus ei non erat*, ad cognoscendum hominẽ: *Vt quis testimonium perhiberet de homine*, quouis. Ipse enim nouit intimos quosque recessus humanę mẽtis, ac proinde nouit quid de se plerique cogitarẽt. Iam ex eo quod dicit, *non credebat se eis*, intelligendum significari ipsum, relicta Hierusalem & Iudæa rursum redijsse in Galilæam. Nusquã enim alibi id dicit Ioannes cũ tamẽ postea dicat post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram: quæ narratio præsupponit prius dictum

dictum esse Christũ reliquisse Iudæam post aduentum in Hierusalem Paschæ tempore.]

Nicodemus docetur mysteria fidei Ioan. 3. CAP. 10

ERat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorũ. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cũ eo. Respondit Iesus & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eũ Nicodemus: Quomodo potest homo nasci cùm sit senex? nũquid potest in vterũ matris sue iterato introire & renasci? Respondit Iesus: Amẽ amẽ dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto nõ potest introire in regnũ Dei. Quod natũ est ex carne, caro est: & quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundũ, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur: qui autem nõ credit, iam iudicatus est: quia nõ credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erãt enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucẽ: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. qui autem facit veritatẽ venit ad lucẽ, vt manifestentur opera eius quia in Deo sunt facta.

Erat autẽ homo ex Pharisæis Nicodemus nomine princeps Iudæorum. Hoc est qui & erat sectę Pharisaicę & vnus ex principibus, & primo ribus Iudæorũ. Quæ duo apposita sunt, eo quod alioqui totus fere Pharisæorũ, atque Principũ ordo Christo semper fuerit cõtrarius.

Hic venit ad Iesum nocte. Partim quod puderet eũ qui inter Iudaicæ gentis principes, dignitate præeminebat humilis Iesũ discipulum videri, partim, & magis quod timeret ne eius gratia in Pharisæorum & Sacerdotum inuidiam pertraheretur. Is itaque pri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

primum aperiens quantum ex illius conspectis miraculis profecerit, hac præfatione captare cepit beneuolentiã Iesu, Rabbi inquit, iã persuasi sumus, ac certo credimus te non ex te ipso docendi munus suscepisse, sed à Deo te missum esse in hoc, vt viam salutis mortales perdoceas. Id inquã certò de te credimus, propterea quod nemo posset hæc signa facere, quæ tu ædis, nisi Deus illi adsit, faueat, & cooperetur. [Bene itaque ex signis, quæ non nisi diuina virtute fieri potuerunt (nam & diabolus cum suis ministris multa facere potest, quæ videntur esse miracula & signa, idque partim per ludificationem sensuum, partim per coniũctionem occultarum causarũ naturalium) intulit Nicodemus cælestem & diuinã fuisse Christi doctrinm.]

Respondit Iesus & dixit ei: Amen autem dico tibi, nisi quis renatus, &c. Cum hæc responsio Saluatoris impertinenter se habere videatur ad verba Nicodemi, intelligendum est, Saluatorem cum ex verbis Nicodemi satis intellexisset quorsum spectarẽt, & propter quid ipsum adierit, videlicet vt sciret viam & rationem salutis: mox incepisse eum instruere, exordiens ab eo, quod in ordine salutis primum est, quasi dicat: Scio Nicodeme percupidum te esse vt à me, quem à Deo missum magistrum credis, audias rationem consequẽdæ salutis. Quare illud habeto pro indubitato, ante omnia requiri ad consequendum salutem, vt quis denuo nascatur, hoc est, iterũ, vel ab integro, & à principio. In qua significatione debere hic accipi ἄνωθεν patet ex responsione Nicodemi. Si enim Iesus dixisset, oportet nasci è supernis (quod aliàs ἄνωθεν significat) non obiecisset Nicodemus ea, quę sunt generationis carnalis, neque dixisset: Nunquid potest in ventrem matris suæ iterarẽ, vel vt habent Græca δεύτερον, id est, secundo introire. Porro Amen dictio Hebraïca est, habens apud Hebræos eum vsum, vt per eam aliquid confirment, idem valens quod apud nos aduerbium vere. Cæterum geminatio huius dictionis, quæ semper inuenitur apud Ioannem, confirmationem intendit. Quare quamuis pro more Hebræorum Ioannes hanc dictionem geminauerit: tamen hæc geminatio ei potius competebat quam reliquis Euangelistis: quod ea, quæ à Ioanne differuntur magis sint cælestia & sublimiora ac proinde maiori assertione confirmanda, vt annotauit etiam Rupertus hoc loco. Illa autem Oratio, *non potest videre regnum Dei* recte intelligitur esse Hebraismus, idem pollens quod, non potest esse particeps regni Dei, quod est vita æterna. Postea enim pro videre regnum Dei, dicitur introire in regnum Dei.

ἄνωθεν.

Amen.

Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci cum sit senex. Cum Nicodemus non intelligeret Natiuitatem aliquam nisi carnalem, quæ iterari non posset: miratur quomodo Saluator denuo nascendum esse dicat. Quamuis autem omni ætati sit impossibile denuò nasci corporaliter, tamen meminit specialiter senectutis, tum vt ab ætate omnino contraria nascenti obiectio esset euidentior, tum quod ipsemet senex esset, ac ob id de se exemplum prompserit, ac si diceret: Ego sum senex, & meam quęro salutem, quomodo ergo fieri poterit, vt renascar?

Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, &c. Significat secundam hanc natiuitatem, quam exigit, non esse carnalem, sed spiritualem. Sicut enim necesse est hominem carnaliter nasci ex matre, & patre, priusquam ingrediatur in vitam hãc temporalem, & regnum, possessionemque huius mundi carnalem: ita vt quis introeat in vitam illam æternam & regnum Dei spirituale, necesse est prius spiritualiter renascatur, idque ex aqua, & Spiritu. [Aduertendum autem Saluatorem dum dicit: Nisi quis renatus, &c. necessitatem imponere omnibus, ac proinde etiã paruulos debere renasci ex aqua, & Spiritu.]

Quod natũ est ex carne, caro est, &c. Postquã ostendit secundũ generationem a prima longè esse diuersam, vtpote quæ ex aqua est, & spiritu: ostendit iã quãta sit differẽtia inter id quod prioris, & quod secunda nascitur generatione, ex qua differentia etiam satis indicat rationem ob quam necesse sit denuò nasci, idque ex aqua, & Spiritu, ad consequendum regnum Dei. Cum enim spirituale, & cæleste regnũ Dei caro, & sanguis possidere nequeat, vt habet D. Paulus, necesse est vt id, quod ex carne tantùm caro natum est, de inde etiam ex spiritu nascatur Spiritus, vt sic regnum Dei ingredi possit. Cum autem hic dicitur *caro est, & Spiritus est*, caro accipi debet pro re, vel homine carnali, quem Paulus vocat hominem animalem, Spiritus verò pro homine spirituali. Non enim hic substantiam denotant, sed qualitatem. Nec obstat quod Christus etiam natus sit ex carne. Nam illud quod natum est ex carne, intelligi debet cum exclusione spiritus, hoc modo, quod natum est ex carne, & non ex spiritu. Aut quod natum est ex carnali generatione, idipsum est carnale, quatenus ex ea est. Aut quod natum est ex carne tanquam principali principio productiuo. [Itaque natiuitas ex spiritu est duplex quædam corporalis, ea scilicet qua Christus natus est homo ex Spiritu sancto. Alia spiritualis, qua nos ad illius similitudinem nascimur inuisibiliter filij Dei, atque de hac potissimum hic est sermo: quanquam & priorem illam Natiuitatem ex spiritu debere comprehendi sub secundo membro, satis patet ex his quæ scribit Paulus 1. Cor. 15. vbi Christum comparatum ad primum Adam vocat hominem cælestem, & habentem corpus spirituale.]

Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò, &c. Hæc pars melius refertur ad sequentia, eo quod inducto exemplo videatur dominus voluisse Nicodemum reuocare ab admiratione. Chrys.

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim Cyrillus, cæterique Græci cum dicitur *spiritus vbi vult spirat*, intelligunt per spiritum ventum, & aëreem, qui spirare dicitur vbi vult, quia non coercitus arbitrio hominum, naturali impetu fertur quouis, quasi libertatem quandam habens voluntatis. Vocem autem eius audimus, hoc est sonum & stridorem, quomodo & tonitrui sonus frequenter in Psalmis vox dicitur. Nescimus vero vnde spiritus veniat aut quo vadat, quia non videmus, nec sub sensum cadit vnde veniat, aut quo vadat: quamuis sciamus per aliqua externa signa vnde veniat. Aut sic intelligendum, quod quamuis sciamus in generali ventorum principium, non tamen in speciali, hoc est, ignoramus certum & determinatum locum vnde incipiant, & vbi desistant. Itaque iuxta hanc intelligentiam simile istud sic est accomodandum proposito: Miraris Nicodeme, quod dixi denuo nascendum esse, eo quod secundam natiuitatem nullo sensu comprehendas: Verum cum iam dixerim secundā generationem esse ex spiritu, non debet te id perturbare. Nam sicut aëreus iste Spiritus nullo obstante fertur quouis, & cum strepitum eius audias, nescis tamen eius originem, aut finem quo tendat: ita quoque se habet omnis qui natus est ex spiritu, ac tale quiddā in eo accidit. Spiritus enim sanctus, ex quo renati sunt, quos vult afflat & aspirat arcanis suis afflatibus, cumque vis, & efficacia huiusmodi afflatus sentiatur, tum ab eo qui renatus est, qui se aliū sentit effectum, tum ab aliis hominibus qui quasi nouos iam suscitatos iudicant, & admirantur homines sic renatos: tamen vnde eis vis illa noua adsit, aut quo eos agat, neque percipitur aliquo sensu ab his, qui sic sunt renati, neque intellectu etiam comprehenditur ab his, qui eodem spiritu nondum sunt afflati.

Respōdit Nicodemus & dixit ei, Quomodo possunt hæc fieri? Rogat iterum quomodo possunt hæc fieri, non repugnans quidem Iesu, sed non intellectum sermonem planius cupiens sibi explanari. Dicit autem quomodo possunt hæc fieri, pluraliter; Tria enim dixerat Dominus, quæ non assequebatur Nicodemus videlicet, quod oporteat renasci ex aqua, & spiritu, quod sic natus efficeretur spiritus, quodque hæc regeneratio imperceptibiliter fieret. De his ergo omnibus modum quo hæc fieri possint inquirit Iesus autem primum quidem ei monstrat suam imperfectionem & tarditatem minus quām in alijs tolerandam: non quidem volens illi insultare, & exprobrare; sed potius vt depositio Phariſaïco superbo humiliet, dum intelligere eum facit quam sit in his rudis ipse, qui alios docere se posse profitebatur. Tu inquit, doctoris nomen, & officium obtines in populo Israëlitico, & hæc ignoras?

Amen amē dico vobis, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Quoniam vidisse cœlestia mox soli Christo tribuitur: cū dicitur: nemo ascendit in cælum, &c. Recte quidā intelligunt hic Chri-

Christum de se loqui pluraliter, aut potius simul comprehendi cū Christo Patrem, & Spiritum sanctum. Sensus ergo est, vere dico vobis quod non quemadmodum Prophetę, quę afflatu Spiritus dei dici, & audiui à Deo hæc loquor vobis, sed certā compertaque loquor. Nec ego solus, sed & qui in me loquitur Pater, ea vobis testificantes in terris, quæ certo perspeximus in cælis. Cumq; duorum testimonium sit ratum, ac receptissimum sit testimoniū testium oculatorum: vos tamen Iudæi testimonium nostrū tam probatum, & certum non accipitis, hoc est, non approbatis: humanis scilicet rationibus id quærentes percipere, quod sola fide comprehendendum est. Loquitur autem ad Nicodemum pluraliter, siue quod cum Nicodemo quidam Iudæi vna venerint ad Christum, siue quia Nicodemus Princeps erat Iudeorum, ad quem tanquam ad omnes Iudæos, & Phariſæos maximè sit locutus.

Si terrena dixi vobis, & non creditis, &c. Terrena hic dicuntur, quæ ad alia collata crassa sunt, longeque inferiora ipsis, vt sit sensus; Si non creditis mihi in his quæ modo dixi crassioribus mysteriis, quæ doctrinæ Euangelicæ sunt rudimenta: quomodo creditu rі estis si alia longe sublimiora, quæ ab his, quę modo dixi, tātum distant, quantum cælestia à terrenis, vobis aperire cæpero, illa scilicet regni Dei arcana planè cælestia?

Et nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, &c. Rectè secundum Cyrillum, intelligitur Christus his verbis indicare voluisse rationem, quare merito sit habenda fides ipsi cælestia prædicanti, etiamsi primus ipse hæc aperte cæperit prædicare; vt sit hæc cum superioribus connexio: Merito mihi cælestia vobis prædicanti credere debetis, etsi nemo ante me hæc sic apertè prædicauerit. Nemo enim cælestia ita nouit atque ego, quia nemo ascendit in cælum nisi, &c. Porro ascendisse in cælum nihil aliud hic est, quàm contemplatum esse omnia cælestia, & quæcunque Dei sunt perfectè collustrasse, & perdidicisse. Sic enim hoc loco hæc locutio est accipienda, quomodo dum dicitur in Psalm. Existimabam vt cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrē in sanctuarium Dei, id est, donec à rebus terrenis abstractus cæpero diuinę dispensationis rationes expendere. Idem ergo his verbis dicitur quod superius Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit. Descendisse autem è cælo dicitur Christus (non quod cælum reliquerit, nam ne hoc putaretur adiectum est, qui est in cælo) sed tum quia diuinitas in cælo existens in terris naturam humanam assumpsit, tum quia & ipsum corpus, quod assumpsit, conceptum sit ex Spiritu sancto. Itaque & secundum diuinam naturam, & secundum humanā descendit è cælo: quamuis potissimum hic sit habitus respectus ad diuinam naturam assumentem humanam.

Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita, &c. Hic videtur esse ordo, vt postquam superius Nicodemo quærenti quomodo possunt hæc fieri Christus respondit fide hæc esse percipienda, ac meritò sibi fidem habendam, etiam si solus hæc noua prædicaret: iam docet non solum credendum sibi tanquam vera prædicanti, sed etiam tanquam auctori salutis per crucem, fideique huius esse maximum fructum; simul indicans etiam per fidem hominē posse regenerationis ex aqua, & spiritu fieri participem, atque regenerationem hanc pendere ex merito passionis suæ. Bene autem Saluator mysterium passionis suæ, quod illo tempore nondū apertè erat prædicandum insinuauit nomine exaltationis, comparando eam cum exaltatione Serpentis: vt quæ nudè dicta intelligere non potuissēt ex figura legis, in qua versatus erat, melius assequerētur. [Est autem figura hæc inter omnes figuras crucis & Passionis maximè aperta, & apposita. Indicat enim Christi occisi, quasi seductor fuisset, & populi corruptor. Innocentiam, mortisque eius genus, ac virtutem, nostros à vetis serpentibus læthales morsus, & modum, quo ab eis per Christum curati possimus: ita vt in hac figura totum adumbratæ passionis, & incarnationis mysterium delinietur.]

Sic enim Deus dilexit mundum, vt filiū suum vnigenitū daret, &c. Redditur hic ratio quare filius Dei descēderit è cælo, & quare oportuerit eum exaltari in Cruce, & ostenditur, quod istud non fuerit necessarium absoluta necessitate, neque quod merita nostra ita exegerint: sed propter diligentis nos Dei Patris beneplacitum, & præordinationem cuius quanta fuerit in nos dilectio pulchrè hac sententia nobis explicatur. Et in primis quidem magnitudine amoris hic explicari significat Aduerbium (sic) quæ magnitudo ex tribus hic insinuatur. Primùm ex comparatione amantis ad amatum cum dicit Deus dilexit mundum. Secundo ex muneris magnitudine, cum dicit: *vt filium suum* vnigenitum daret, hoc est adeo dilexit vt non solum non vlciscereturad missa scelera, sed pro salute mundi gratuita sua benignitate daret non Angelum aliquem suum, non Prophetam, sed filium suum, eumque quem vnicum habuit. Tertio ex fructus magnitudine, & simul facilitate consequendi maximum hunc fructum, cum dicitur, *omnis qui credit in eum non perent, sed habeat vitam æternam.* [Notandum autem quod ab hoc loco Sic Deus dilexit, &c. vsque in finem omnia hæc accipi possunt, vt sint verba Saluatoris continuatis suum sermonem, & ad Nicodemū, & loquētis de seipso in tertia persona. Aut vt sint verba Euangelistæ prosequentis, & explanantis sermonem, quem cæperat Iesus cum Nicodemo, vt intelligit Erasmus.]

Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet, &c. Deus misisse

misisse filium suum in mundum, nihil aliud est quam ipsum voluisse filium humanam in mundo assumere naturam. Verbum autem Iudicare hic semper positum est pro condemnare, sic eum accepturn opponitur verbo Saluandi, quod sequitur.

Qui credit in eum non iudicatur. Qui, inquit, credit in eum fide scilicet quæ per dilectionem operatur, non iudicatur, hoc est, non est obnoxius condemnationi, sed supple à condemnatione, cui ex natiuitate prima erat obnoxius absoluitur. Plus enim vult dicere, quam exprimitur.

Qui autem non credit, hūc ego non condemno modò, sed neque opus est vt à quoquā iudicetur, cum à seipso iā etiā ante Iudicij tēpus condemnatus sit, quia non credidit in eum, qui vnigenitus est filius Dei, cui proinde non minor fides debetur, quam Deo ipsi, adeo vt qui illum spernit, spernat Deum qui misit illum.

Hoc autem est Iudicium quia lux venit in mundum, Dupliciter istud intelligi potest, primò vt sit sensus, hæc est causa Iudicij & condemnationis. Secundo vt simpliciter accipiatur ipsa luminis & Christi reiectio esse condemnatio non credentium, quia scilicet manifeste arguit illorum impietatem. Qui sensus magis conuenit superioribus, vbi dicitur Infidelis iam iudicatus, & condemnatus. Pulchrè autem exaggerat non credentium impietatem cōdemnantem eos. Primum per hoc quod dicit: *lux venit in mundū*, hoc est, Non ipsi homines lucem ipsam quæsiuerunt, aut per sese inuenerunt, sed cum mundus plenus esset tenebris, lux illa vera, quæ est Christus vltro venit ad eos: & tamen nec sic ipsi ad eum accesserunt. Secundo per hoc quod dicit.

Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: Cum enim lux omnibus modis melior, gratior, & iocundior sit tenebris, & naturale sit homini creaturæ rationali quæ meliora sunt præferre, imo nihil æquè amare soleat homo quam lucem, nihil magis abhorrere quàm tenebras: dilexerunt tamen homines magis tenebras, quam lucem. Tenebræ autem hic vocantur ignoratio veri, terumque terrenarum illicitus amor. Quas tenebras quare plus dilexerint, causam reddit dicens.

Erant enim eorum mala opera. Cuius causæ conuenientiā ostendit subiiciens, *omnis enim qui malè agit, &c.* Est autem in hac & sequenti sententia metaphorica locutio desumpta ab his qui cum mala agunt tenebras quærunt, & lucem fugiunt, vt sit sensus iste Quemadmodum qui dedecorosam rem patrat noctem amat, ac solem fugit ne prodantur eius facta: ita qui deditus est malis operibus quamdiu talis est, odit lucem veritatis, quatenus affectui eius contraria est, & iniustitiam eius prodit, & ideo non accedit lucē, sed fugit eam, vt nō arguantur. i. manifestentur, & reprobētur opera eius mala. Cæterū quemadmodū is, qui honesta facit, amat

Universidad de Deusto
Biblioteca

solem, vt ex rectè factis laudem apud hominem inueniat: ita qui iustitiæ deditus est, & æquitate, is vltro, ac gaudens venit ad lucē Euangelicæ doctrinæ: vt huic luci exposita opera eius declarentur quod facta sint in Deo, id est, per Deum, & Dei instinctu (est enim Hebraïsmus) ac proinde quod bona sint. Declarētur inquam, tum sibi pro gaudio suæ conscientiæ, tum hominibus aliis in exemplum, tum ipsi Deo, cui se commendare studet.

Baptizat per discipulos Christus in Iudæa. Ioannis 3. CAP. XXI.

POST HÆC venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cū eis & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ænon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & veniebant & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datū de cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de sursum venit super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui autē accepit eius testimoniū signauit quia Deus verax est. Quem enim misit Deus verba Dei loquitur, non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæā terram, & illic morabatur cum eis & baptizabat. Non est intelligendum ipsum per se baptizasse, cum cap. sequenti contrariū Ioannes asserat: sed quia baptizarit per discipulos suos, qui eius iussu baptizauerunt.

Erat autem & Ioannes baptizans, &c. Baptizare Christo nō desiit baptizare Ioannes: tū ne inuidia, aut ira quadā cōmotus cessasse videretur; tum quod adhuc eius baptismus vtilis esset. Baptizabat tamē nō ita in Iordane, vt prius fecerat, sed celebrioni loco Christo relicto, in obscuriore loco baptizare cœpit, nēpe in Ænō iuxta Salim, quæ sunt duo ciuitatū nomina. Cæterū videtur illud (iuxta Salim) additū ab Euāgelista ad distinctionē alterius loci, qui eodem nomine sit dictus. Cū autē dixisset Euāgelista Ioannē quoque baptizasse

tizasse cum Christus baptizaret, adiecit causam dicens;

Nondum enim missus fuerat Ioānes in carcerem; Significās illū debuisse baptizare, quamdiu non fuisset à baptizando inhibitus, significans etiam se scribere ea Christi gesta, quæ contigerant ante Ioannis incarcerationem.

Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Hoc est de baptismo conantes persuadere Ioānis baptismum efficaciorem esse peccatis abluendis quam baptismum Iesu: cum Iesus etiam a Ioanne baptizari voluerit. Deinde cum id populo non persuaderent, venerunt ad Ioannem quærelam apud illum deferentes, & existimantes illum indignè laturum, & aliquo modo cohibiturum hanc Iesu æmulationem. Itaque dixerunt ei.

Rabbi, qui erat tecum, &c. Quibus verbis, quo commouerent Ioānem, & rei indignitatem, quam putabant, explicarēt, quatuor proponunt. Primum enim commemorant humilitatem status præteriti ipsius Iesu, cum dicunt, *qui erat tecum trans Iordanem*, hoc est, qui aliquando velut vnus ex discipulis te adibat, ac tecum conuersabatur, baptismum à te postulans. Secundo commemorant beneficium à Ioanne impensum Iesu, cum dicunt: *cui tu testimoniū perhibuisti*, hoc est, quem tuo testimonio clarum effecisti, cum antea esset obscurus, & incognitus. Tertiò cōmemorant vsurpatum à Iesu officium Ioānis: *Ecce*, inquiunt, *hic baptizat*, hoc est cum prius à te baptizatus, se pro humili discipulo gesserit, omnemq; suam claritatem à te acceperit; nunc se tibi æquat, idem officij tibi vsurpando quod tu hactenus exercuisti. Quarto vero, quod maxime mouere poterat, cōmemorant detrimentum, quod ex baptismō Iesu prouenire Ioanni videbatur cum dicunt: *omnes veniūt* adeū, te scilicet derelicto, quasi dicāt: Nō solū se tibi æquat, sed præsert, tequ ac tuū baptismum obscurat, ingratus certè pro acceptis à te beneficiis.

Respondit Ioannes & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum. Secundum Augustinum & Cyrillum rectè istud accipitur dictum à Ioanne propter seipsum hoc sensu: Immodice pro me zelatis, cupientes vt maiorem meipsum faciam quàm sim. Non enim possum, nec volo quicquam mihi vsurpare, præter id, quod datum est mihi cælitus. Atque istud Ioannem potissimum voluisse patet ex eo quod sequitur, in quo illos testes facit, quod dixerit se non esse Christum: cum talis à multis crederetur, sed missum se ante illum.

Qui habet sponsam sponsus est, &c. Parabola est hic sermo, & est sensus: Quemadmodu is solus spōsus est, cui spōsa in matrimoniū desti nata est, cæterū qui ipse spōsus nō est, sed tantū amicus sponsi, non inuidet sponso suā fœlicitatem, neque præripere illi spōsam suam cupit, sed pro amicitiæ affectu gratulatur ei, ac honoris causa astans spōso vt sua præsentia illum ornet in omne ministerium

Christus sponsus.

eius paratus, tacitus audit eum cum sponsa sua colloquente idque cum magno animi gaudio: ita sanè res se habet & in hoc negotio nostro: Is enim cuius gloriæ inuideris solus sponsus est, vt cui à Patre cælesti sanctorum multitudo in sponsam deputata est, ego vero non sponsus, sed tantum amicus sponsi: quare tantum abest vt vobiscum, ac cum Pharisæis inuideam eius gloriæ, vt summo gaudio perfundar propter vocem eius iucundissimam simul, & suauissimam, qua iam cæpit alloqui sponsam suam. Cumque iãdiu summo desiderio optauerim hoc gaudio perfrui, iam certe impletum est, ac reipsa exhibitum, non sine singulari Dei in me beneficio, cum priscis Patribus negatum fuerit hoc gaudio perfundi, summa licet auiditate cupientibus videre, & audire sponsum cũ sponsa sua colloquentem.

Illum oportet crescere, me autem minui. Oportet ex decreto Patris pro hominum salute. Crescere dicit, non quod seipso maior futurus erat, sicut nec Ioannes in seipso imminuebatur: sed quod maior esset futura eius autoritas, & contra Ioannis minor. Quare autem illum oporteat crescere, ostendit cum subdit.

Qui desursum venit, super omnes est. q. d. Non solùm me superat, sed omnes omnino homines, omnesque creaturas. Quanta autem sit inter eum, qui desursum venit differentia, & omnes alios, declarat cum subiicit.

Qui de terra est, hoc est, qui de terra natus est, in terra suam habens originem, *de terra est*, hoc est, is terrenus est, nihilque aliud quam mortalis homo, atque ob id terrena, humiliaque loquitur. Contra qui de cælo venit ita omnes excellit, qui de terra sunt, quo modo superat cælum ipsum terram, & quoniam è cælo venit, nõ terrena loquitur: sed ea testatur, inuulgat, & prædicat, quæ in cælo vidit, & audiuit, hoc est, quæ certissimè, & exactissimè cognouit, veluti si visu, & auditu certissimus sensibus ea percepisset: & tamen cum tam certum sit testimonium eius hoc est, prædicatio, & doctrina, pauci admodum illud recipiunt credendo illi.

Qui autem accepit eius testimonium signauit, quia Deus verax est. Postea quam excellentiam Iesu manifestauit Ioannes: ostendit etiam fructum, & necessitatem fidei in illum. Qui inquit, acceperit eius testimonium, hoc est, crediderit ei, hic sigillauit, & obsignauit (est enim ἐσφράγισεν, quod a sigillo deriuatur) hoc est, fide sua certò demonstrauit, perinde ac si sigillo addito rem certam esse ciisset; Deum Patrem esse veracem: quia, vt subditur, Filius à Patre missus loquitur verba Dei: proinde qui filio credit, confirmat Deum Patrem, qui in filio loquitur esse veracem. Sic 1. Ioann. 5. Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se. Qui nõ credit filio, mendacem facit eum; quia non credidit in testimoniũ, quod testificatus est Deus de filio suo.

Non

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Hæc sententia accipi potest, vt idem sit ac si dixisset: Non solet certa aliqua, & definita mensura Deus spiritum largiri, vt si cui multum de illo sit largitus, non possit alteri largiri amplius, aut vt omnibus æqualiter eũ dispenset: sed pro arbitrio suo vnicuique eum tribuit, nec vlli tantum contulit, quin multò plus queat impendere alius. Nolite igitur existimare Deum, propterea quod mihi plurimum sui spiritus impertiuerit, non posse huic longe plus donare. Atque hic quidẽ videtur esse germanus huius loci sensus.

Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, &c. Quoniã superius dixit eum qui missus est è cælo, super omnes esse, eique tanquam verba Dei loquenti, credendum esse: peregit ipsius excellentiam prædicare, Pater inquit vnice diligit, vnicum filium: quare quemadmodum solet dilecto filio facere Pater, omnia dedit in manu eius, hoc est, omnia commisit potestati eius. Est enim Hebraismus. [Porro quod dicitur omnia filio dedisse Pater, quamuis possit intelligi de Christo secundum diuinam naturam: tamẽ potius intelligi debet secundum humanam naturam, cui per gratiã Deus Pater omnium rerum dedit potestatem, quam prius filij diuinitas habuit per naturam. Illud enim Pater diligit filiũ, videtur permitti tanquam causa quare omnia dederit filio Pater.]

Qui credit in filium habet vitam æternam. Prius quidem fructũ fidei coarguit pertinentem ad ipsum Deum, nunc vero fructum pertinentem ad eum qui credit. Quod autem dicit habet vitã æternam, varie exponi potest. Primo enim intelligi potest credens habere vitam æternam, quia Christum habet per fidem habitantem in corde suo, qui est vita nostra. Secundo si vita æterna accipitur pro ea ratione fœliciter viuendi, quã expectamus post hãc vitã, quę consistit in diuina fruitione cũ exclusione omnis mali, & adeptione omnis boni: intelligendum est credentem habere vitam æternam, quia habet in radice in semine, & certa spe. Spe enim inquit Paulus, salui facti sumus. Cum autem subditur.

Qui incredulus est filio, non videbit vitam. Hebraica phrasi dictũ est pro eo quod est, non erit particeps vitæ beatę scilicet, quę sola vera vita est. Rom. 8.

Sed ira Dei manet super eum, hoc est, vltioni diuinę manet inçternum obnoxius.

Ioannes ab Herode ob reprehensum adulterium recluditur in carcerem. Matthæi 14. Mar. 6. Luc. 3.

CAPVT XXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HERODES autē Tetrarcha cū corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui. & de omnibus malis quæ fecit Herodes adiecit & hoc super omnia. † * Ipse enim Herodes' ᵇ misit ac * tenuit Ioannē, & ▷ alligauit' eum, & ‖ inclusit' in carcere Ioannē ¹ propter Herodiadē uxorem ᵇ Philippi * fratris sui, ᵇ quia duxerat eā. * Dicebat enim Ioannes † Herodi': Nō licet tibi habere ▷ uxorē fratris tui'. ᵇ. Herodias autē insidiabatur illi, & volebat occidere eum nec poterat. Herodes autē metuebat Ioannē, sciens eum virum iustū & sanctum, & custodiebat eū. & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. * Et volens eum occidere timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant.

† * Heydelet enim. ▷ ᵇ. vinxit. ‖ ᵃ. posuit † *. illi ▷ *. eum.

Herodes autem Tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, et de omnibus malis, quæ fecit, &c. Omnes quidem tres Euangelistæ Ioannem narrant ab Herode tanquam reum in carcere inclusum ob reprehensum illicitum eum Herodiadis matrimonium, solus vero Lucas etiam de alijs malis quæ fecit reprehensum narrat Herodē. Quæ vero hæc fuerint mala etsi non narretur ab eo, tamē quædā eorum ex Iosepho colligere licet, videlicet reiectio legitimæ suæ uxoris, quam prius habuit, & tyrannis in populum. Porro Herodias hæc quæ fuerit, non ab omnibus eodem modo dicitur: verisimile tamen est quod dicit cum alijs probatis historiographis Iosephus fuisse filiam Aristobuli filij Herodis maioris, ac sororem Agrippæ maioris.

Herodias filia Aristobuli.

Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere Vxorem fratris tui. Herodes iste, sicut & Pater eius, quamuis Iudæus non esset: tamen quia proselytus, obligatus erat ad obseruationem legis Mosaicæ. Hac autem vetitum erat habere uxorem fratris, quæ lex vnicam habuit exceptionem, nempe cum frater decessisset absque liberis. Tunc enim non solum licitum erat, sed etiam præceptum. Deut. 25. vt frater fratris mortui ducens uxorem semen illi suscitaret. Cum itaque Herodis huius fratris, cui prius nupserat Herodias, adhuc superesset, atque ex eo Herodias puellam genuisset: nulla ratione licuit Herodi hanc ducere eam, sed accipiens eam duplex simul commisit peccatum. Adulterium scilicet, & incestum: quorum verumque notat Ioannes cum dicit, uxorem fratris tui.

Leuit. 18. & 20.

Herodias autem insidiabatur ei, & volebat occidere eum nec poterat. Causam addit Marcus cum subijcit. *Herodes enim metuebat Ioannem &c.* Non redditur autem hic tantum ratio, quare non potuit Herodias occidere Ioannem, sed etiam quare insidiaretur ei, cupieretque occidere. Quoniam enim aduertebat Herodem bene existimare de Ioanne, ob id magis sibi metuens, per insidias illum tollere quærebat. Non poterat autem, quoniam Herodes etsi Ioannē ex animo non amaret, tamen reueritus eū, ac metuens, eo quod sciret virū esse iustū, custodiebat eū ne ab Herodiade interficeretur.

tur. Aut custodiebat eum, hoc est obseruabat, ac colebat eum, in honore eum habens. Qui sensus sequentibus magis conuenire videtur. Subditur enim, *Et audito eo*, etsi non omnia *multa* tamen faciebat & lubenter eum audiebat. [Verum quomodo dicitur Herodes libenter audijsse Ioannem, quem propter adulterij admonitionē carceri inclusit. Quomodo etiam lubēter audiuit, metuebat, & custodiebat: cum Matthæus dicat eum voluisse Ioannem occidere. *Et volens* inquit *eum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant.* Quidam, vt apparet, recte dicunt Herodem partim quidem voluisse occidere Ioannem, partim noluisse, ita vt fuerit in eo volūtarium permixtum inuoluntarie]. Cupiuisset enim eū occidere, ac Herodiadi obsequi quatenus contrarius erat suæ libidini, & ab eo sibi male metuebat: verum ne quod hac ratione volebat faceret, timor populi retraxit, vt dicit Matthæus, ac sanctitatis eius consideratio, & veneratio vt dicit Marcus.

Ioanne tradito Christus rediens in Galilæam per Samariam, mulieri Samaritanæ innotescit, Mat. 4. Mar. 1. Luc. 4. Ioan. 4.

CAP. XXIII.

ᵇPOSTQVAM autem traditus est Ioannes * cum * audisset Iesus quòd Ioannes traditus esset [&] ᵈ vt * cognouit Iesus quia audierūt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit & baptizat quam † Ioannes (quamquā Iesus * ᵈ. ergo. non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & † ᵃ abiit ᵈ iterum * & † regressus est Iesus' in virtute spiritus ᵇ in Galilæā. ᵉ Oportebat autem eum transire per mediam Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sychar iuxta prædiū quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos emerēt. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuā. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob qui dedit nobis puteū, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respōdit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterū: qui autē biberit ex aqua quā ego dabo ei, nō sitiet in æternū, sed aqua quā ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitā æternā. Dicit ad eum mulier: Domine da mihi aquā hanc vt non sitiā, neque veniā huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virū tuū, & veni huc. Respōdit mulier, & dixit:

† ᵃ. accessit † ᵇ. venit. Iesus.

dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, & nūc quem habes, nō est tuus vir, hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerūt: & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora quādo neq; in mōte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora, & nunc est, quādo veri adoratores adorabunt patrē in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit qui dicitur Christus cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum. Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur quod cū muliere loquebatur, nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier: & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci, nunquid ipse est Christus? Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Ille autem dixit eis: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiā opus eius. Nonne vos dicitis quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, Leuate oculos vestros, & videte regiones quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit: & congregat fructum in vitam æternam, vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim verbum verum est, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis, alij laborauerūt, & vos in labores eorum introijstis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis. Quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eū vt apud eos maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus & scimus, quia hic est verè saluator mundi. Post duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo, & ipsi enim venerant ad diem festū.

Postquam autem traditus est Ioannes, cum audisset Iesus quod Ioannes traditus esset. Quod dicitur Ioannes traditus, non sic intelligendum, quomodo multi accipiunt, quod traditus fuerit ab Herode in carcerem, quamuis & hoc verum sit, sed quod traditus fuerit Herodi à Phariseis, vt satis indicat Ioannes, qui post alios scribens ea supplere voluit, quę desiderari poterant. Insinuat enim Euangelista

gelista Ioannes, quod Ioanne tradito Herodi ab inuidia Phariseorum, postquam cognouit Iesus occasionē maioris inuidiæ Phariseorum contra se ob maiorem discipulorum multitudinem, reliquisse Iudæam, vt inuidiæ illorum locum daret.

Quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Hic iam Ioannes seipsum exponit, quomodo accipiendum sit, quod prius dixit, Ioanne baptisante etiam Christum baptisasse in Iudæa, videlicet quod baptizarit per discipulos suos, qui eius nomine, & iussu hoc fecerunt.

Reliquit Iudæam & abijt iterum in Galilæam. Reliquit Iudæam Saluator secedens in Galilæam duabus de causis, Primum, vt Phariseorum declinatet furorem etiam fugiendi humilitatem nostri causa non aspernatus. Secundo, vt iam tradito Ioanne Euangelij negotium palam aggrederetur, idque in Galilæa, quod sic prædixissent Prophetę. Lucas autem regressum dicit in virtute spiritus: hoc est per virtutem Spiritus, aut cum virtute spiritus: vt intelligamus eum afflatu non humano, sed diuino impulsu redijsse, & omnia sequentia secisse: aut redijsse non cum ea infirmitatis ostensione, quam præse tulit vsque ad baptismum Ioannis; sed cum magna potestate Spiritus, quam etsi semper habuerit, iam primū erat ostensurus prædicando, & miracula patrando.

Oportebat autem eum transire per mediam Samariam. Hac adiectione Euangelista ostendit Christum non ideirco in Samariam abijsse vt Samaritanos doceret, sed quoniam illac transeundum erat sapientiæ opus etiam ibi necessarium obiter fecisse. Sic Cyrillus.

Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. Venit in ciuitatem hoc est, ad ciuitatē: Nondum enim eam intrauerat. Porro hæc Sichar illa ciuitas est, quæ in Genesi & alibi dicit Sichem, loci autem & fontis meminit tam distinctè Ioannes: tum quod huius fontis occasione colloquium cœptum fuit inter Christum, & Samaritidem, tum quod loci sanctitas, & celebritas conuenstet facto Christi, vt vbi olim stuprata erat virgo Dina, ibi iam lubrica Samaritis ab immunditia sua ad sanctimoniam conuerteretur. *Gen. 33.*

Iesus autē fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Sedebat sic secundum Chrysostomum intelligitur, sedebat simpliciter, vt scilicet sese locus offerebat. Secundum Caietanum vero sensus est, sedebat tanquam fatigatus, & eo modo, quo solent sedere lassi, ipso corporis habitu fatigationem præ se ferens. Porro quod etiam tempus more suo Euangelista diligenter adscripserit, dicens.

Hora autem erat quasi sexta, ob id factum est, vt indicaret mirum non esse si Dominus fatigatus ex itinere sederet supra fontem, ac pro cibo discipulos miserit in ciuitatem. Iam enim sexta erat fere hora diei secundum Iudæorum supputationem, hoc est, circa me-

zidiem

ridiem: quando iam sol æstu suo laboris molestiam conduplicat, tempusque est vt corpus & quiete, & cibo reficiatur.

Venit mulier de Samaria hausrire aquam. Illud de Samaria non est comungendum cum verbo, venit, sed cum nomine mulier, quæ erat è Samaria, hoc est Samaritana. Non enim venerat de Samaria, cum adhuc esset in Samaria.

Dicit ei Iesus, da mihi bibere. Ab hac non dedignatur Dominus potum sibi poscere, idque veluti propter sedandam sitim, & alleuiandam fatigationem, quam præse ferebat, sed multo magis per dispensationem quandam, vt aquæ sitisque occasione, colloquij præberet argumentum. Quod autem adiecit Euangelista *discipuli enim, &c.* causam reddere voluit cur à muliere Dominus potum petierit; nimirum quod omnes abessent illius discipuli, qui parandorum ciborum gratia in ciuitatem concesserant.

Quomodo tu Iudæus cum sis bibere à me poscis quæ sum, &c. Mulier hæc ex cultu, ac lingua agnoscens Iesum esse Iudæum, admiratur quod vitro eam compelleret, & potū ab ipsa peteret, quod sciret quantopere Iudæi solēt abhorrere a cōmercio Samaritanorū.

Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, &c. Sē sus est: Tu mihi quod Iudæum putas, negas aquæ huius potum: verum si scires quam eximium sit donum, quod nunc vobis offert Deus, & quis sit is, qui nunc aquę potum abs te petit; tu vtique nō solum non negasses ei aquæ huius potum, sed ipsa ab eo potius petisses aquam viuam, nec eā tibi negasset, quemadmodum tu negasti, sed certè mox tibi eam dedisset. Potest autē donum Dei hic intelligi donū illud, quo datum fuit mulieri videre Christū, & cum eo colloqui. Recte autē per aquā viuam secundum quosdā intelligitur gratia Spiritus sancti, quæ aqua dicitur, quod purget animū a sordibus peccatorum quod refrigeret æstum noxiarum cupiditatum, ac mentem fœcundet, sed ad propositum maximè, quod sitim carnalium rerum tollat. Viua autem dicitur, tum quod in modum aquæ semper profluentis nunquam quiescat, sed assidue procedat, ad vltiorem virtutem progressum prouocans, & extimulāstum quod viuificet nunc mentem hominis, atque ad æternam tandem vitam perducat. Nam & hac ratione Christum vocasse aquā viuam apparet ex eo quod sequitur *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Dicit ei mulier, Domine neque in quo haurias habes & puteus, &c. Domine inquit, neque habes in quo haurias aquam ex hoc puteo, & puteus altior est, quam vt possis ex eo manu aquam capere: vnde ergo tibi supperere posset aqua viua quam promittis? *An forte tu maior es Patre nostro Iacob,* quem etiam vos ob eius magnitudinē veneramini, vt possis altam nobis dare aquam, & meliorē ista, quā ille nobis dedit? adeoque fuit hac, cū viueret contentus, vt & ipse ex

ex ea biberet, & filij eius, & vniuersa pecorum multitudo. Eo siquidem spectat, quod adiecit: *Et ipse ex eo bibit, &c.* vt insinuaret aquę huius tum boniratem, tum abundantiam.

Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet, &c. Cū mulier quęsiuerit, Nū maior esset Iacob Patriarcha, non respōdit maior sum, ne videretur gloriari: sed per ea, quæ respondet, significat se maiorem esse, quod aquam meliorē, quam ille dare potest. Porro quod dicit Dominus: *eum qui bibet ex aqua sua, non sitire in æternum:* vult hoc loco per comparationem ostendere aquę suæ excellentiam: quod aqua quam dedit Iacob, sitim, ob quam pellendam sumitur, tollit quidem, sed ad tempus solum: aqua vero quam ipse daturus erat, tollit sitim animæ inperpetuum, quia scilicet ea nunquam destituitur, sed per eam semper mens eius reficitur, & ab ariditate spiritus liberatur. [Si occurrat dubiū de eo, qui acceptam gratiam spiritus per peccatum perdit: dicendum differentiam inter aquas spiritualem, & corporalem intelligendā quantum est ex parte aquarum. Aqua enim spiritualis quantum est ex se, tollit sitim in perpetuum, quamuis ex parte liberi arbitrij euacuantis se gratia Dei prouenīat nonnunquam noua sitis: aqua vero corporalis tantum ad tempus tollit sitim, quia ex sua natura deficit, & consumitur, vt alia iam opus sit. Sicut namque is sitire nunquam posset, qui fontem in visceribus haberet continuo scaturientem atque potantem: ita saturum esse oportet bonorum omnium, cui adest Spiritus sanctus. Hic enim sit in eo fons saliēs in vitā æternam, hoc est, semper angelcens, & ad bona opera profluens, vsque dum perducat hominem in vitam æternam].

Dicit ad eum mulier: Domine da mihi aquam hanc vt non sitiam, &c. Non ironice eam hæc petisse, vt quidam volunt, satis ostēdit illud, quod Dominum eum vocat. Cum ergo mulier declarasset se de Domino magnā concepisse opinionē & credulam se exhiberet, dominus quo eā manifestioribus diuinitatis suę argumētis ad altiorē de se existimationē perduceret. *Vade inquit, voca virum tuū, & veni huc.* Quoniā enim moralis honestas hoc habet, vt nihil donetur mulieri nuptæ nisi conscio viro, ad id mulieri quærēti aquā viuā sibi donari, consequēter respondet, vt virū suum accersat: veluti significare volēs non conuenire, vt rē tantam marito absente ei cōmunicaret. Verū cum sciret nō habere ipsam virū; alio magis fine, quā quo dicere id videbatur inbet virū aduocarit: nimirum vt per occultorū reuelationē se aliquid supra hominē esse ostēderet. Mulier autē nō intelligēs quo fine id Christus dixisset, & existimāsse apud hominē rantū loqui, muliebri pudore dissimulās suā turpitudinē respondit se non habere virum: matrimoniū quidē inficians, sed dissimulans stuprū. Hic Iēsus & suā declarans Diuinitatē, & mulieris vitam comiter arguens, totamque breuiter cōplexus;

Recte

Universidad de Deusto
Biblioteca

Recte inquit dixisti tibi non esse virum. Nam quinque viros legitimos successisse habuisti, at is cum quo iam copulatis non est tibi legitime coniunctus, sed illicito illi coniungeris congressu.

Dicit ei mulier, Domine video quia Propheta es tu. Patres nostri, &c. Non indigne tulit se manifeste argui, nec irritata regere contumeliam, nec resilit ab illo pudefacta: sed cũ intelligeret vitæ suæ domesticæ, & occulta probra non latere Iesum hospitẽ & Iudæum, qui quod narrabat, ex hominum narratione scire non poterat, & ob id diuino spiritu afflatum non dubitaret, omni iam terrena re neglecta conuertitur ad religionis quæstionem, quæ tunc passim inter Iudæos & Samaritanos disputabatur, queque animum eius, vt apparet, multum torquebat: arbitrans se iam opportunam occasionem nactam vti à scrupulo animi sui liberaretur. Vide autem huius mulieris in proponendo quæstionẽ, quæ in dubium vocabatur, prudentiã, & calliditate. Non enim dicit, nos dicimus in monte hoc adorandum, vos autem Hierosolymis, sed *Patres* inquit *nostri, in monte hoc adorauerunt*, causam probabilem quidem suæ sententiæ afferens, sed indicans potius Iudæos Patribus contrarios. Porro adorationis nomine totus Dei cultus intelligendus est: vnde cũ dicit Iudæos dicere in Hierosolymis adorandum Deũ, non vult eos asserere nullo alio loco licere precari Deum, aut in reuerentiam eius se incuruare (non enim verisimile est tam stupidos fuisse Iudæos) sed nullo alio loco colendum Deum, secundum modum cultus præscriptum à Mose, in externis consistentem sacrificijs, & cæremonijs.

Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, &c. Quamuis dictio Græca ὅτε suas quæ hic bis ponitur futuri temporis etiam habeat significationem: medius tamen vtroque loco accipitur in tempore præsenti. Tempus autem quo neque in monte, neque in Hierusalem adoraretur Pater tempus est Euangelicæ doctrinæ, per quam in vniuersum orbem dispersam, docendum erat ritum colẽdi Deum secundum præscriptum legis esse abolitum, ac pro eo alium puriorem, veriorem, deoque conuenientiorem in omni loco desiderari. Quod autem probaturus Dominus quod dixit, *Nos adoramus quod scimus*, subiecit, *Quia salus ex Iudæis est*; dupliciter accipi potest. Primum vt intelligatur reddi causã quare Iudæi vera Dei cognitione donati sunt. Secundo vt ex effectu intelligatur probare Iudæos colere quod sciunt. Si enim salus, quæ sine Dei cognitione esse non potest, est ex Iudæis, necesse est apud Iudæos esse veram Dei cognitionem. Ex Iudæis autem dicitur esse salus, non solum quia Euangelij prædicatio ab eis dimanauit ad omnes Gentes, sed etiam quod ante Euangelium in nulla alia gente publicitus doctrina Dei purè viguit, sed omnis vera Dei cognitio ab illis ortum habuit veros adoratores appellat, qui veram colendi Dei rationem perdo-

perdocti illum colunt, quomodo verè conuenit cum venerari. Porro illud, *In spiritu & veritate*, quod varij variè accipiunt conuenientissimè sic accipitur vt Spiritus opponatur corpori, veritas vero vmbris. Itaque in idem recidunt adorare in spiritu, & adorare in veritate. [Notandum autem Saluatorem dicere: *adorabitis Patrem*, non autem adorabitis Deum, vel Dominum: siue vt indicaret Deum, quem adorabant Iudæi & Samaritani suum esse Patrem, siue vt significaret in lege noua Deum non iam adorandum vt Dominum, sed tanquam Patrem.]

Dicit ei mulier, Scio quia Messias venit, &c. Hoc est, quod iamiam venturus est. Est enim præsentis temporis venit, non præteriti. Hunc enim ex Prophetia Iacob, ac tumore, qui erat inter Iudæos de impleto tempore, quo nasciturus erat secundum Propheriam Danielis, intellexit aut iam venisse, aut mox venturum Messiam hæc mulier. Cum itaque iam declarasset suam docilem credulitatem, & ardens discendæ veritatis studium, quale non repertum erat in Iudæis; dignatus est Dominus tandem aperire quis esset: cum Iudæis instantibus & petentibus. Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus, dic nobis palam; id apertè noluerit respondere: eo quod quæreretur non discendi animo, sed reprehendendi. Quod autem discipuli admirati sunt colloquium Christi cum muliere: non erat ob id, quod sinisterius aliquid de Magistro suspicarentur, sed admirabantur partim propter tantam illius humanitatem qua vir tantus cum paupercula loqui dignabatur, eaque Gentili, & Samaritana; partim propterea quod nunquam nisi grauia de regno Dei sciebant Dominum loqui solitum, ad quæ videbatur discipulis hæc mulier minimè esse idonea. Quamuis autem mirarentur qualia essent, quæ cum muliere tractaret: tamen ob summam eorum erga Dominum reuerentiam *nemo eum interrogare ausus est.*

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, &c. Pulchrè Euangelista hac in re duplicem veræ fidei fructum explicuit; nempe neglectum rerum temporalium, & studium impartiendi aliis inuentam veritatem. Quod autem dixit, *nunquid ipse est Christus?* non dubitantis erat, sed ex indicato miraculo inferentis Iesum esse Christum, & prudenter proponentis id iudicio omnium examinandum, quod Dominus dixerat, & ipsa crediderat.

Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis, &c. Non negat Dominus quin esuriat, & cibum corporalem appetat; sed subindicat quid magis esuriat, cibum scilicet spiritualem. Ego, inquit, habeo cibum quendam manducandum vobis incognitum. Cum autem discipuli dictum Domini, de cibo sensibili intelligerent, & ob id inter sese hæsitarent (nam interrogare illum verebantur) dignatus est id, quod obscurius dixerat apertius facere, dicens

cibum suum quem maximè esuriebat *esse vt impleret Patris voluntatem*, quæ in eo sita erat, vt per Euangelicam prædicationem plurimi lucrifierent Deo. Cibus ergo eius erat insistere doctrinæ, & prædicationi. Quod autem sequitur *& perficiam opus eius*: rectè accipitur vt significet idem cum eo quod præcedit, & sit illius declaratio. Quod enim prius Dei vocauit voluntatem, hoc iam opus illius appellat, hoc est opus ab illo sibi iniunctum.

Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit? Cum dicat Christus quatuor mentes fuisse a messe cum hæc diceret: patet satis hæc a Christo dicta circa decembrē & Nouembrē. Nam inter Pascha & Pentecosten apud Iudæos fuisse messem satis constat ex Leuit. & Deut. Cum vero dicit; *leuate oculos & videte regiones, &c.* non loquitur solum aut principaliter de oculis corporalibus, nec; sub nomine regionum vult solum insinuare Samaritanos, qui iam è ciuitate egrediebantur: sed occasione promptitudinis illorum, voluit eos oculis mentis aduertere, omnes iam illarum regionum gentes paratas esse ad recipiendum Euāgelium, in quibus iacta erant per Moysen, alioisque Prophetas semina quædam Euangelicæ veritatis. Imo & vniuersorum populorum gentes licet intelligere hic designari, dum dicuntur *regiones albæ fuisse ad messem*. Philosophorum enim plereque de veritate, & Iustitia traditiones multos præparauerunt in Gentibus Euangelio. Dum tamen Saluator hic loquitur de satoribus, in quorum labores Apostoli introierunt; potissimum, vel solum videtur locutus de Prophetis, eo quod dicit.

Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. Quod vero dicit; *congregat fructum in vitam æternam*, hoc est fructum vnde vitam æternam percipiat: vt indicetur differentia inter fructum huius messis, & messis temporalis.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum, &c. Quia Samaritani mulieris testimonium non irriserunt, sed fidem illi adhibuerunt *præterrerunt multi è ciuitate*, vt oculis cernerent, quem tāto affectu mulier prædicauerat, vtq; ab eo plenius edocerentur, vt erāt veræ doctrinæ auidi. Nec minuit præsentia opinionem, nec offenduntur humili cultu, ratoq; ac tenuium discipulorum comitatu: sed obsecrabant eum vt apud ipsos hospitari dignaretur, vt qui magnam iam de illo concepissent opinionem, & ob id plenius doceri ab eo percuperent.

Et mansit ibi duos dies. Quanquā postea suis discipulis præceperit ne ingrederentur ciuitates Samaritanorū causa prædicationis scilicet: tamen quoniam ab iis, qui veritatis auidi erant, rogabatur vt apud ipsos diuerteret non potuit nō pro humanitate sua, & cupiditate salutis omnium piarum acquiescere petitioni. Ita tamen temperauit negotium istud dominus, vt non haberent, quod salū-

nisti possent iustè Iudæi, quasi Samaritanorum consortio gauderet spretis Iudæis, quibus Messias promissus erat: dum non nisi rogatus eos adit, nec nisi biduō apud eos permaneret. Porro quæ fuerit domini occupatio hoc biduo, ex sequentibus ostendit Euāgelista; triplicem indicans fidei fructum ex prædicatione eius cōsequutū. Primo quidem credentium multitudine: *multi etiam crediderūt propter sermonem mulieris*: sed modo multo plures crediderunt nō propter visa miracula, sed propter solum sermonē domini. Secundo fidei indicat certitudinem. Nam & hi qui prius crediderunt mulieri dicebant: *iā non propter tuum sermonē* potissimum *credidimus. Nos ipsi enim audiuimus* ab eo, quod a te prius audiuimus *& scimus* hoc est, certo persuasi sumus quod hic *est vere saluator*, non Iudæorum tantùm, aut Samaritanorum, sed totius mundi. Per quam partem tertiò significatur fidei horum perfectio, & plenitudo.

Post duos autem dies exijt inde & abijt in Galilæam. Ipse enim, &c. Ex subiuncta ratione ista *Ipse enim, &c.* patet illud abiit *in Galilæā*, intelligendum per antithesin, vt nomen regionis explicatum sit contra nomen patrie, & sit sensus; Abiit non in Nazareth, quāuis & ea patria esset, & obiita occurreret; sed relicta ciuitate Nazareth, vt dicit Matthæus, in reliquam concessit Galilæam. Ratio autē quare Propheta vt in plurimum (sic enim intelligēdum est) non est *acceptus in patria sua*, duplex est: Primùm quidem propter ingenitā quandam inuidiam inter concines, qua fit, vt æqualem nō ferat præ se honorari, & multō minus seniorē iuniore, a quo prius honoratus fuit. Secundo propter familiaritatem, quæ contemptum parit. Quoniam ergo sciebat Christus se non habiturum honorem in Nazareth reliquit eam: non quod honorem suum quæreret, sed quia dum despicitur doctor, prædicatio quoque eius despiciatur: atque ob id nullum ibi fructū prædicationis expectaret.

Cū ergo venisset in Galilæā excæperunt eū Galilæi, &c. Demōstrantur his verbis Iudeis Galilæi meliores Samaritanis tamē inferiores. Iudæis quidē meliores quod excæperint eum cum honore & reuerentia, quem illi persequebantur; Samaritanis tamen inferiores, quod per miracula ad aliquam de Christo existimationē adducti essent, cum Samaritani nullo viso signo crederent in eum.

Sanatur à febri filius Reguli. Ioan. 4. CAP. XXIIII.

VENIT ergo iterum in Cana Galilææ vbi fecit aquam vinū. Et erat quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaūm. Hic cū audisset quia Iesus aduenisset à Iudæa in Galilæam, abijt ad eū. & rogabat eū vt descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eū: Nisi signa & prodigia videritis, nō creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende priusquā moriatur filius meus. Dicit ei Iesus:

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vade filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente servi occurrerunt ei, & nuntiaverunt ei dicentes, quia filius eius viveret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: filius tuus vivit, & credidit ipse & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudæa in Galilæam.

Venit ergò iterum in Cana Galilææ. Ergo, hoc est, quoniam ingressus erat Galilæam contigit eum repetere Canaminon vt ex miraculo illic ædito laudem aucuparetur, sed vt, ex semine, quod ibi secerat frugem aliquam vberiorem colligeret, & quos prius non adduxit facto miraculo ad fidem (quandoquidem de solis discipulis dicitur quod tunc crediderint in eum) non cessaret ad fidem pertrahere. Porro *Regulus* iste de quo hic fit mentio, simpliciter accipi potest dictus βασιλικὸς hoc est, regius, vel regalis quòd potens esset, & clarus. Hoc enim nomine Græci appellant quidquid magnificum est, ac splendidum. Per hoc ergo quod *rogabat Iesum, vt descenderet*, notatur viri huius & confidentia in diuinitus suis, & fidei imperfectio. Fidei enim erat quod e Capharnaũ ad Iesum veneris, quodq; rogaueritised imperfectio fidei erat, quod putauerit nõposse Christũ aut absentẽ curare, aut mortuũ resuscitare. Dicebat enim

Descende priusquam moriatur. Iesus autem notare volens imperfectionem non solum huius viri, sed & omnium Galilæorum, deprimendo eos Samaritanis collatos, qui sine signo crediderunt, & docere volens se non ad ostentationem, sed coactum propter hominum promouendam edere miracula: *Nisi*, inquit, *signa & prodigia videritis, nõ, credetis*, me scilicet esse eum, qui sum, nempe Messiam. Credidit enim prius Regulus eum esse virum sanctũ, qui posset id, quod petebat præstare: sed nondum credidit, aut non firmiter credidit esse Messiam. Porro Regulus vt erat totum intentus periculo filij morientis, ad hunc sermonem domini nihil respondit: quod existimaret huiusmodi colloquio tempus eximi, ei morbus posceret præsens remedium. Vrget itaq; vt properet venire Capharnaum priusquã moreretur filius. Iesus autẽ non obiurgans, nec contemnens fidem Reguli etsi adhuc imperfectã, rursũ ostendit se plus posse, quã ille confideret. Vnde respõdit *vade*, &c. q.d. Nihil opus est vt pro curando filio me conferã Capharnaũ, sed *vade, ecce* enim *filius tuus, quẽ morientẽ* reliquisti *vivit*, ac valet curatus à mortifero suo morbo. Accipitur enim hic viuere Hebraica phrasi, pro sanũ, & incolumẽ esse. Ex his autẽ Christi verbis magnũ aucta est viri huius fides.

Credidit enim *sermoni Christi*; & qui prius credidit quidẽ ipsum curare filium posse, si præsens esset, credidit etiam iam absentem

sentem curare posse: quamuis videri possit non satis firmitet credidisse ex eo, quod seruis occurrentibus, & restitutam sanitatem annunciantibus, scisciatus est, *qua hora melius habuisset*, veluti experiri volens casũue, an Iesu virtute conualuisset. Cum autem certior iam factus esset de miraculo: rursum magis eius fides est aucta: tunc enim absolutè credidit in Iesum, esse scilicet eum Messiã expectatum. Nec ipse tantum credidit, sed per eum & tota eius familia, quam frequentem, & innumerosam esse oportuit vtpote hominis diuitis. Hic enim fuit fructus miraculorum Christi.

Hoc iterum secundum signum fecit Iesus. Nempe in Galilæa. Nam prius aliqua fecerat in Ierusalem. Ne autem ex his accipiatur fecisse Iesus bis secundum signum oportet sic intelligere. Hoc signum iterum fecit Iesus nempe secundum: vt illud (iterum) non cohæreat (cum secundum), sed cum (fecit) solum. Et dixit istud Euangelista vt intelligeremus hoc miraculum etiam factum à Domino ante ea miracula, quæ scribuntur facta in Galilæa ab aliis Euangelistis.

Prædicat in Galilæa Christus, & fama eius vbique spargitur. Matth. 4. Marci 1. Lucæ 4.

CAPVT XXV.

[a]T relicta ciuitate Nazareth venit & habitauit in ciuitate Capharnãum maritima in finibus Zabulon & Nephtali: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon & terra Nephtali, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus † [c] præ † [b] Prædicare [b] euangelium regni Dei, [c] & ▷ dicere. [b] Quoniam implatum eam. est tempus & ‖ [a] appropinquauit regnum Dei: pœnitemini? [b] & credite euangelio. [c] Et fama exijt per vniuersam regionem de illo. [a] Et [c] circuibat [a] ipse [c] Iesus totam Galilæam, † [c] docens in synagis eorum [a] & tentiã agit prædicans euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. [c] & magnificabatur ab omnibus. [a] Et abijt opinio eius in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs uit enim languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos: & secutæ sunt eum turbæ multorum de Galilæa & Decapoli, & Hierosolymis, & de Iudæa, & trans Ior- † [c] Decabet.

Et relicta ciuitate Nazareth. Quod dicitur hic relicta intelligendum est & præterita; non enim tunc ingressus est Nazareth, vt est probabile. Dicitur autem Capharnaum fuisse in finibus Zabulon & Nehptalisquia circa Capharnaum terminarentur hę sortes, &

tes, & quia ab illis fortibus Capharnaum non longè abesset. Meminit autem Zabulon & Nephtali propter Propheriam Isaiæ, vt ostenderet eam magis huic loco conuenire. Circa quam Prophetiam notandum Euangelistam in citatione omisisse quędam pro posito suo impertinentia, nec adduxisse in primo sensu a Prophera intento, sed in sensu mystico: æquè tamen intento etiam à Prophe ta. Intelligendum enim est istud vaticinium secundum historiam de liberatione Hierusalem tempore Ezechiæ Regis de manu Sennacherib. Quoniam autem liberatio, & salus hæc populo Iudaico facta, typus fuit redemptionis factæ per Christum: commodè præsens vaticinium de Christi luce mortalibus perditis illata, adductum est. Cum autem hæc Euangelica lux primum spargi cœperit apud Galilæos: visum est Euangelistę sic oraculū hoc adducere, vt præsenti loco cōueniret: intelligens à Spiritu sancto hic significatum, vt quēadmodum tribus Zabulon, & Nephtali primū sensere exterminium ab Assiriis: ita illis quoque primum resplenderet lux vera orbis Christus dominus, & Euangelica eius prædicatio [Quanquam autem Græca non habęant nominatiuum via, sed accusatiuum viam: Hebræa tamen vnde hæc originaliter desumpta sunt rectius legunt per nominatiuum viaqui: non est per appositionē iungendus cū terra Zabulō & Nephtali, sed subintelligenda coniunctio &, vt per viam maris intelligantur hic significari ea loca, quæ erant maritima, in quibus erant Caphatnaum, Bethsaida, Tiberias. Quod autem dicitur trans Iordanem, intelligendum respectu eorum, qui Orientem habitabant, respectu scilicet Assyriorum, de quibus apud Isaiam est tertio apud Prophetā. Additur autem trans Iordanem, quia Galilæa se etiam extendebat latè ab altera parte Iordanis, in qua ratius Christus prędicauit. Cęterum pro genitiuo Galileæ rectius legitur secundū Græcos nominatiuus Galilæa. Cum enim mare Tiberiadis non sit in Galilæa gentium, non potest genitiuus Galileæ coniungi cum maris, aut cum *via maris*, quare legendum *Galilæa*, vt per hoc, *via maris trāsIordanem*, designetur pars Galileæ inferioris, per Galilæam autem Gentium, Galilæa superior, aut saltem pars eius.]

Exinde cœpit Iesus prædicare Euangelium regni Dei. Dicit Euangelista Christum ex eo tempore, quo Ioanne tradito venisse in Galilæam cœpisse prædicare, manifestè scilicet & vbique. Nā & prius prædicauerat etiam Regnum Dei. Dicitur autē Euangelium regni Dei, bonum illud nuntiū quo prędicabatur adesse iā tempus, quo Deus humano generi reconciliatus regnare inciperet in hominibus, & homines simul cum eo non hic, tum in vitæ futuræ æternitate regnaturi essent in cœlis. *Implesum*, inquit Marcus, *est tempus* à Patre scilicet ab æterno prædefinitum, à lege atque Prophetis olim prædictum, atque à vobis iamdiu expectatum, tēpus gratiæ, tempus

Euangelium Regni Dei.

tempus salutis, tēpus reuelandæ, & exhibendæ veritatis. Declarans autem quid velit, subiecit:

Et appropinquauit regnum Dei. Pro quo Matthæus habet, *regnum cœlorum*, quod quomodo intelligendum sit, primo dictum est in prædicatione Ioannis. Quoniam ergo, inquit, iam regnum Dei adest, pœniteat vos vitæ prioris, & simul credite fœlicissimo huic nuntio quod iam prædicatur. Hæc enim duo ita requiruntur ad participationem bonorum Euangelicorum, vt neutrum sine altero sufficere possit: ita vero sufficiunt, vt si sint seria, omnia alia, quæ requiruntur in se includant, aut secum afferant.

Et fama exijt per vniuersam regionem de illo. Græca habent καθ' ὅλης τῆς περιχώρου, hoc est, per vniuersam finitimam regionem, quo significatur non tantum fama eius peragasse vniuersam regionem illam, in qua prædicauerat, sed & eam quæ circumiacebat vndique. Quod apertius, & maiori cum exaggeratione Matthæus sic dicit; *& abijt opinio eius in totam Syriam*; videturque Syria hoc loco accipi, vt Iudæam, Samariam, Galilęam, Phœniceam, reliquasque omnes adiacentes complectatur regiones.

Et circuibat Iesus totam Galilæam docens in synagogis, &c. Non enim vt Ioannes, vno aut altero in loco hærebat, neque expectabat, vt fama nominis eius excitī conuenissent ad eum quotquot salutis essent auidi; sed velut docebat cum qui venit quærere, & saluum facere, quod perierat circuit: totam Galilæam, nullum quantumuis humilem aspernatus locum, quanquam pro principuo mansionis loco Capharnaum præcipuam loci vrbem sibi delegisset. Tria autem Christi opera in Galilæa circuitione facta scribuntur: docuit enim idque in synagogis, hoc est in iis locis vbi discendi gratia populus conuenebat. Non solum tamen docuit, quod etiam Pharisæi & Scribæ in Synagogis fecerunt, sed etiam prædicauit Euangelium regni cœlorum scilicet. Tertium autem Christi opus, quo etiam à Ioanne Baptista qui & ipse docuit, & euangelizauit distinguitur, est quod *sanauit omnem languorem, omnemq; infirmitatem*, hoc est quemuis, ac cuiuscunque generis morbum.

Et obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormētis comprehensos. Cum his verbis Euangelista generaliter omnisgeneris morbos complexus esset, deinde species quasdam morborum recenset, easque graviores, ac fere insanabiles, quo sic diuinitatem & omnipotentiam Christi magis declararet. Porro qui sint Lunatici, de quibus hic fit mentio, variæ sunt sententiæ. Verum quoniam Matth. 17. dicitur cuiusdam filius, fuisse Lunaticus qui etiam dicitur habuisse demonium, idque surdum & mutum, quibusdam post Hieronymum videtur hos Lunaticos fuisse verè dæmoniacos, non naturali scilicet morbo, sed à diabolo afflictos: non

Lunatici.

quidem omni tempore, sed certis temporibus augmenti, aut decrementi ipsius lunæ.

Debitur fus. Matth. 17

Secuta sunt eum turbæ multæ, quidam quidem ex curiositate, quidam vt curarentur, aut suis sanitatem impetrarent, alij autem & vt verisimile est, maior pars dulcedine verborum, aut veritatis cognoscendæ studio allecti.

Vocati è naui quatuor discipuli sequuntur Christum. Matt. 4. Mar. 1. Lucæ 5.

CAPVT XXVI.

† b○. Et præteriẽs. ▷ b○. secus. ‖ b. retia. ‖ b. dixit. ‡ b○. Et protinus. ▷ b○. progressus. ‖ b ○. cõponentes. ‡ autem.

† c MBVLANS autem a Iesus ▷ c iuxta' mare Galilææ vidit a duos fratres c Simonem a qui vocatur Petrus a & Andream fratrem eius, mittentes ‖ rete' in mare (erant enim piscatores) & ‖ ait' illis b Iesus: a Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. † At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum Et ▷ procedens inde b pusillum a vidit a alios duos fratres c Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius, b & ipsi c & in naui a cum Zebedæo patre eorum ‖ c reficientes' retia a sua. a & b statim a vocauit eos: a Illi autem statim relictis retibus a & b relicto a patre b suo Zebedæo in naui cum mercenarijs a secuti sunt eum. c Factum est ‡ [enim] cùm turba irrueret in eum vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. Et venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & eos qui cum ipso erant, in captura piscium quã ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus relictis omnibus secuti sunt eum.

Mare Galilæa.

Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, &c. Mare Galileæ, cuius meminerunt Matthæus & Marcus illud est, quod

quod Lucas vocat stagnum vel lacũ Genezareth. Varia enim hic lacus sortitur in scripturis nomina. A regione enim dicitur mare Galileæ, & ab insigni quadam, quæ in eius ripa est, ciuitate, mare Tiberiadis. Propriore vero vocabulo dicitur Hebreis Cinnereth, vel Cinneroth, quod nomen tempore Christi, quo Syriace magis, quam Hebraicè Iudæi loquebantur, non nihil muratum dicebatur Genezar vel Genezareth.

Vidit duos fratres. Quod fratres dominus vocauit, symbolũ fuit cõcordiæ, ac charitatis ecclesiasticæ, quod artis innoxiæ operi vacãtes, denotabat innocentiam, & diligentiam requirere Dominum ab his qui se digni esse vellent; quod piscatores delegit, admonebat nouæ piscationis ad quam deligebantur, quæ non lineis textis caperet pisces in cibum ventris, sed reti sermonis Euangelici captaret homines immersos terrenis curis ad desiderium vitæ cælestis. Quod autè primi misisse in mari rete, secundi vero resecisse retia scribuntur, insinuat omnes inuentos fuisse operi eique innoxio vacantes.

Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum, id est, Relictis his, quæ modo sectamini me sequamini, & docebo vos artem meliorem certè, quàm à Patre didicistis: quam tamen non omnino deseretis, sed in melius potius commutabitis. Siquidem efficiam posthac, vt pro piscatoribus piscium efficiamini piscatores hominum; vtque qui nunc pisciculis insidiamini in illorum perniciem homines capiatis in salutem æternam.

Factum est autem cum turba irrueret in eum, & ipse stabat, &c. Abundat hoc loco coniunctio, &, phrasi Hebraica Lucæ satis vsitata, aut ponitur pro tum, hoc sensu: Contigit autem vt cum turbæ irruerent in eum, tum ipse staret, &c. Notat autem Euangelista maximum turbarum desiderium audiendi verbum Dei cum dicit turbas irruisse in eum; Ipsius vero Christi benignitatem, & ad docendum cupidos promptitudinem nobis commendat: dum eũ testatur nihil offensum improbitate vrgentis turbæ, sed illorum desiderio satisfacere volentem, nauim conscẽdisse, è qua à tumultu, & compressione populi liber tranquillius docere, & melius audiri posset.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem duc in altum, &c, id est, profundum maris, nauim scilicet. Miraculum hoc varijs de causis Dominus fecit, Primum vt doctrinam suam miraculo commendaret, deinde vt Dominum nauis remuneraret, præterea, hoc miraculo adumbrare voluit, quid per Petrum, alios q; futurum esset. Omnia enim hic à Domino gesta mysterij alicuius postea exhibendi fuerunt quædam prædemonstrationes. Postremum hoc miraculo voluit Dominus animare hos ad sequendum se pauperem, vt ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

meruerent inopiam, quod relictis omnibus pauperem sequerētur, quando cum talem esse cognoscerent, qui suo nutu omnia posset.

Quod cum vidisset Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens, Exi à me, &c. Petrus ex vilo miraculo Christi dignitatem cognoscens, & suæ contra mentor indignitatis, Domini à se discessum deprecatur, agnoscens se indignum eius consortio, & præsentia, ac metuens ne ob commercium indignitatis suæ cū sanctitate Domini, vindicta sumeretur iniquitatum eius a Deo: quemadmodum mulier Sareptana sibi accidisse putauit ob ingressum Eliæ in domum suā. Quid mihi & tibi inquit, vir Dei? Ingressus ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? huiusmodi enim aliquid metuisse Petrum patet ex verbis Domini dicētis; Nō li timere, &c.

Stupor enim circumdederat eum, & eos qui cū ipso erant, &c. Ostenditur hac parte Petrum dixisse superiora, non quod cupiditas inesset ei discedendi à Domino, quem vnicè diligebat, & reuerebatur; sed propter admirationem quandam vehementē virtutis eius humana maioris. Ostenditur item & socios Simonis non aliter fuisse affectos, quam Simon ipse.

Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens. Duplici nomine Petro aufert metum, Primum exponendo illi, quid miraculum portendat, deinde apertiendo ad quid vocaretur etsi Peccator.

Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eū. Omnia ergo Christo posthabuerunt parentes, vxores, ac quæcunque in hoc mundo possederunt. *Et mox secuti sunt*, non scilicet prius de rebus suis disponentes, sed subductis ad terram nauibus. Porro quo modo omnia isti reliquerunt, & an licuerit his omnia relinquere, post magis dicetur.

Sanatur in synagoga dæmoniacus. Marci 1. Lucæ 4. CAP. XXVII.

†* descendit in ▷ b & ‖ c ° in ‖ b in spiritu immū. do †b °. quod ▷ b ° cōminatus est ei ‖ c ab eo

†* Et ingrediuntur a Capharnaum c ciuitatem Galilee, ▷ b ibique a statim b sabbatis b ingressus in synagogā b docebat eos. Et stupebant ‖super a doctrina eius, c quia in potestate erat sermo eius. b Erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut scribæ. b Et erat in synagoga b eorum b homo ‖habens spiritum immundum a & exclamauit a voce magna b dicens: c Sine, b quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quia a sis sanctus Dei. Et ▷ increpauit illum a Iesus dicens: Obmutesce, & exi ‖ b homine. c Et cum proiecisset illū dæmonium in medium, b & discerpens eum spiritus immundus & exclamans voce magna, b exiit ab eo, c nihilque eum nocuit. Et factus est pauor in omnibus, & mirati sunt omnes, ita vt conquirerent inter se, & colloquebantur ad invicē b dicentes: b Quidnam est hoc? c quod est hoc verbum? b † * diuulgabatur Quænam doctrina hæc nouaꝰ b quia in potestate c & virtute b imperat spiritibus immundis, b & obediunt ei, c & exeunt? b Et † processit rumor fama de eius statim in omnem regionem a Galilee.

illo inem. regionis.

Et ingrediuntur Capharnaum ciuitatem Galilæe. Frequēter Christus in Capharnum descendisse & venisse scribitur ab Euangelistis. Et primo quidem à Ioanne post miraculum aquæ in vinum conuersæ; Secundo à Matthæo, quando veniens in Galilæam, relicta ciuitate Nazareth venit Capharnaum habitationem suam in ea deligens vnde post ex hac ciuitate loca Galilee perambulans frequenter eo rediit. Et primum quidem vt hic describunt Marcus & Lucas quando post prædicationem in varijs locis Galilee, & vocationem quatuor discipulorum, cum eis ingressus est Capharnaum docens in Synagogis quemadmodum prius cum fecisse apparet ex Luca & Matthæo. Non enim quod dicit Marcus ibique *statim ingressus in synagogam docebat eos*, sic intelligendum quasi tum primum ibi in Synagoga docere cæperit. Porro qualis fuerit doctrina Christi, & quam diuersa à doctrina Scribarum ostendunt Euangelistæ cum dicunt auditores obstupuisse, *in* vel *super doctrina*, hoc est, propter doctrinam eius, *quia sermo eius erat in potestate*, hoc est, cum potestate, ac potestatem, autoritatemque magnam præ se ferebat.

Et erat in Synagoga eorum homo habens spiritum immundum, &c. Homo iste erat in Synagoga vel forte eo veniens, vel potius ab alijs eo adductus vt à Christo curaretur, Deo certè ita prouidente, vt prædicatio ipsius miraculo confirmaretur. Dicitur autem Spiritus aliquis immundus ad differentiam Spiritus sancti, & spirituum bonorum, eo quod immundis rebus delectetur, & ad eas hominē sollicitet. Verum pro Spiritu immundo Lucas apud Græcos habet Spiritum, *dæmonij immundi*, quod procul dubio intelligendum intrinsicè, vt sit sensus, Spiritum, qui erat dæmonium immundum.

Exclamauit voce magna dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu, &c. Obsessus exclamauit non tamen suas, sed dæmonis voces per eum loquentis. Sic ergo exclamare illum Christus permisit, quamuis postea diceret obmutesce, vt vim, & potestatem suam Dæmonibus quantumuis potentibus non tolerandam ostenderet, atque vt ipsius cum illis inimicitia manifestè comprobaretur, idque in condemnationem Iudæorum, qui dicturi erant in principe dæmoniorum eijcere illum dæmonia. Porro pro verbo sine, quod est in Lucæ Græcis est non solum in Luca, sed etiam in Marco. In quo dictio ambigua est cum possit esse imperatiuus ab εἰμι, id est, sino, quomodo accepit noster Interpres, aut aduerbium exclamātis respondens notæ interiectioni Eia, vel ah, quomodo alij accipiunt, & vt apparet rectius. Quod si legatur Sine, iam sensus est: Dimitte nos, vel

omitte

Universidad de Deusto
Biblioteca

omitte nos torquere. Quod autem sequitur;

Quid nobis & tibi Iesu Nazarene: intelligendum est dictum per expostulationē cū Christo, vt sit sensus: Quid tibi causæ est in nos, vt tua præsentia adeo nobis sis molestus, adeoque nos torqueas? Huic intelligentiæ optime conuenit quod sequitur, *venisti perdere nos?* quod etsi à pleriſque legatur assertiuè, melius tamen præcedenti quæstioni cōuenit, vt & ipsum quæsitiuè & in hoc, & in alijs locis legatur, vt sit sensus, Quid tibi nobiscum est negotij; An venisti ad perdendum nos? hæc autem perditio intelligenda est de perditione illa perfecta, quando mittentur omnes in abyssum Iaferni: tum quia Matthæi. 8. dicuntur clamasse venisti ante tempus perdere nos, quæ verba scilicet ante tempus etiam hic in Marco leguntur in quibusdam exemplaribus, tum quia Luc. 8. dicuntur rogasse dæmones ne imperaretur illis, vt in abyssum irēt. Porro quod sequitur; *Scio te quia sis sanctus Dei*, vel vt habent Græca; *Scio te qui sis ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ*, id est, ille sanctus Dei: accipi potest dictū partim ad expiscandum num verè esset Christus, partim & potius, per adulationem, vt per commendationem & laudem Christus à contrarietate desisteret. Non enim putandum dæmones verè scisse, quod se scire dicebant.

Et increpauit illum Iesus dicens: Obmutesce, & exi de homine. Idē est verbum quod in Marco versum est cōminatus est, & in Luca *increpauit*, nempe ἐπετίμησεν quod potius est increpauit. Duo autē dæmon: Christus suam potestatem declarans præcepit tacere, scilicet & exire.

Et cum proiecisset illum dæmonium in medium & discerpens eum. Præterita sunt apud Græcos duo hæc participia discerpens & exclamās σπαράξαν & κράξαν, sicut pro illo cū *proiecisset*, illis est ῥίψαν. Sensus ergo est cum discerpsisset & clamasset. Porro discerptio hæc non potest intelligi scissio membrorum corporalium, cum Lucas dicat dæmonem nihil nocuisse obsessō, sed scissio vitium, aut distractio huc, & illuc. *Clamauit*, autem non voces aliquas ædens significatiuas, cum præceptum illi esset à Christo vt taceret, sed voces nihil significantes proferens.

Et factus est pauor in omnibus, & mirati sunt omnes ita vt, &c. Pauor, de quo fit mētio in nostro textu est θάμβος Græcis, id est, pauor stuporis, qui scilicet ex stupore nascitur, eique semper contunctus est, à qua dictione deriuatum est verbum illud quod est in Marco ἐθαμβήθησαν pro quo nos habemus *mirati sunt*, quāuis rectius verti potuisset obstupuerunt: Porro quod habet Lucas; *Quod est hoc verbum*, varie intelligitur: Quidam enim Hebraica intelligunt phrasi vt sit sensus, quale est hoc factum, aut: quid istud rei est? vt sit idem cum eo, quod habet Marcus. Quid est hoc? Alij, inter quos Theophyl. verbum accipiunt pro eo sermone, quo Christus imperauit dæmoni, vt exiret, vt sit sensus; qualis, & quam potens est iste sermo, quod imperat dæmonibus, & obediūt ei? Sunt & qui verbum seu λογὸς accipiunt pro doctrina Christi, vt quod habet Lucas, quod est hoc verbum, idem sit cum eo, quod habet Marcus; Quænam doctrina hæc noua? Dicūt autem in, hoc est, cum *potestate*, vel potius autoritate, & virtute Dominū imperare dæmonibus ad distinctionem eorum, qui magicis quibusdam artibus, aut præcibus certis, aut inuocatione nominis diuini dæmonia expellebant: cum Saluator solo verbo, & iussu, idque non inuocato nomine alterius dæmonia ejiceret, & ita ejiceret vt nihil nocumenti relinqueretur in afflictis.

Curatur à febri socrus Simonis, & ægroti multi. Matthæi 8. Marci 1. Lucæ 4.

CAPVT XXVIII.

[image_ref id="1" box="0.346,0.436,0.417,0.520" />

† Protinus egredientes de synagoga ▷ venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Ioanne. So crus autem Simonis tenebatur magnis febribus [&] decūbebat febricitās. Et cū venisset Iesus in domū Petri, vidit socrū eius iacentem & febricitantē, & statim dicunt ei de illa, & rogauerunt illū pro ea. Et accedens stans super illā imperauit febri, & tetigit manū eius [&] eleuauit eā apprehensa manu eius, Et continuò dimisit eam febris. Et cōtinuo ‖ surrexit, & ministrabat eis. Vespere autē facto cùm occidisset Sol, omnes qui habebāt infirmos variis languoribus ducebāt illos ad eū, & obtulerūt et multos dæmonia habētes. Et erat omnis ciuitas cōgregata ad ianuam. Et ▷ dæmonia multa ejiciebat verbo, & omnes malè habentes, multos qui vexabantur variis languoribus, & ille singulis manus imponens curauit eos, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiā prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit. Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum. ▷ Et diluculo valdè surgens egressus ‖ abijt in desertum locum, ibique orabat. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cùm inuenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te. Et ait illis: Eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Et turba reuniebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnū Dei quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis eorū, & in omni Galilæa.

† Surgēs autem Iesus

‖ surgēs

★ autē

† affere-bant ad eum omnes male habentes

▷ Ejiciebat spiritus

★ Et

▷ Factaautem die

‖ ibat

† Galilea. 5.

Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis. Ingreditur in domum Simonis forte ab eo ad conuiuiū vocatus.

Nam

Universidad de Deusto Biblioteca

Nam iam hora erat sumendi cibum. Apparet autem Simonem, & Andream fratres, etsi essent ex Bethsaida ciuitate vt dicitur Ioan. 1. tamen habitasse in Capharnaum: nisi forte domus Simonis & Andreæ hic dicatur ea in qua hospitio in Capharnaum recipi solerent. Miraculi autem, quod hic narratur, magnitudo, quatenus ex omnibus colligere licet, in eo cõsistit, quod cũ Socrus Simonis vetula sci licet, cui à febri grauius erat periculũ & quæ egrius curari potuit per naturam comprehensa esset febri non leui, sed magna adeo vt decumberet febricitans. Dominus solum verbo, vt dicit Lucas, & contactu, vt habent reliqui duo, ita eam curauit, vt non solum febris eam relinqueret, idque continuò, sed nec vestigiũ morbi remaneret: adeo perfectè mulierem sanitati restituta, vt surgès eis ministraret, cum his qui medicorum ope, vel naturæ vi subleuantur à febribus, paulatim soleat redire corporis vigor. Quod autẽ dicitur in Luca *stans super illam*, non sic intelligendum, quasi pede calcauerit mulierem, sed quod illi astiterit, & inflexo capite incubuerit supra illam velut appellans eam. Est enim græce ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς hoc est astans supra illam. Quod nos habemus;

Imperauit febri, Græce est idẽ verbũ, quod prius vertit Interpres *increpauit*, ἐπετίμησεν τῷ πυρετῷ increpauit febrẽ. Tamen, vt annotauit quidam Græcus, increpare hic positum est pro Imperare: eo quod Christum increpasse febrem, nihil aliud erat, quam eum autoritate, & cõminatione præcepisse ei: vt discederet. Quomodo vet
Psal. 105. & 107. bum increpandi frequenter in Psalmis Deo tribuitur respectu creaturarum insensibilium. Increpuit mare rubrum, &c. Ab increpatione tua fugiẽt, &c. Quod autẽ febrẽ increpauit, vel ei imperauit similiter & increpuit ventos, & mare etsi res insensibiles, diuinã virtutem, & naturam significare voluit: dum id fecit, quod frequẽter in scripturis Deus fecisse dicitur, quodque soli Deo proprie conuenit, vt qui omnium creaturarum verus sit Dominus, cuius voluntati omnia promptissime inseruiunt, cuius vox efficax est, in omnia. Quod vero non solo verbo, sed etiam contactu manus curauerit: significare voluit carnis suę sanctificatiuam, & curatiuam, virtutem propter inhabitantem diuinitatem.

Vespere autem facto, cum occidisset sol, omnes, qui habebãt, &c. Ideo vespere facto, & cum sol occidisset videntur hi suos infirmos attulisse, quia Sabbatum fuerat, quo putabant non licere afferre egros: quod licitum sciebant post occasum solis; quando iam operari fas erat. Atque ideo viderur Marcus tam distinctè tempus indicasse non contentus dicere *vespere facto*, sed etiã addens *cum sol occidisset*. Notandũ autem illud Matei *multos qui vexabãtur à languoribus curauit*: nõ sic intelligendum quasi nõ omnes allatos curauerit (Omnes enim curatos Matthæus testatur) sed id à Marco dictum est, quia omnes curati, multi erant.

Vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras, &c. Et si testimonium illud ab Isaia potissimum dictum sit de infirmitatibus animorũ, hoc est peccatis, & pœnis, quas pro his merebamur, vt satis patet ex ijs, quæ apud ipsum sequuntur, atque ex Petri interpretatione: Matthæus tamen qui Iudæis scribens frequenter veteris Testamẽti scripturas factis circa Christum adaptat, hoc citat de infirmitatibus, & morbis corporum, idque apposite, non solum quod verba Prophetæ etiam quadrant in Christum ratione curationis corporalium morborũ: sed ob id, quod morbi corporales & peccatorum sunt effectus, & morborum animi typi quidam, ac figuræ. Sciendum tamen hanc autoritatem non eodem modo intelligendam de morbis animi, & de morbis corporis. Nostras enim infirmitates spirituales, hoc est, peccata Christus tulit, quia in se ea susceptt, pro eis Deo in cruce nostro nomine satisfaciens. Sed accepisse dicitur nostras infirmitates, quia eas à populo abstulit curando eas. Sic & egrotationes nostras portasse dicitur, quomodo Paulus Galatis scribens dicit; Alter alterius onera portate, videlicet quia condolens ægrotãtibus eos subleuauit sublatis morbis. 2. Pet. 1.

Et diluculo valde surgens egressus abijt in desertum locum. Non est contrarium quod dicit Marcus *diluculo valde*, aut vt habent Græca, *mane multũ adhuc nocte*, ei, quod dicit Lucas, *facta die egressum Dominum*. Nam crepusculum & valde mane est, & dici principium. Aut intelligi potest Christum summo mane, aut multa adhuc nocte surrexisse, vt dicit Marcus, facta autem die egressum, vt dicit Lucas. Nisi quod rectius intelligitur Dominus etiam ante exortam diem, sed imminentem è ciuitate discessisse, idque solum, vt satis patet ex Marco. Rursum non est contrarietas aliqua, quod Marcus dicit Simonem & qui cum eo erant prosequentes Christum inuenisse eum, Lucas vero turbas requisisse eum, & non inuenisse: vtrumq; enim factum est. Nam primum discipuli eius abitum præripientes eum prosecuti sint, dicentes de turbis, Omnes querunt te. Deinde vero & turbæ quærentes eundem inuẽnerunt.

Eamus in proximos vicos, & ciuitates. Pro hac oratione, *vicos & ciuitates*, Græcis est vna dictio composita κωμοπολεις quam quidam interpretantur municipia: significat autem proprie oppida rustica, quæ scilicet & vici, & oppida videri possint. Porro ne leuitatis videri posset, aut instabilitatis, quod vagari voluit Dominus benè adiecit *ad hoc enim veni*, in hunc mundum scilicet, *vt prædicẽ* non vni solũ ciuitati, *sed omnibus*. Turbis vero dixit; *ideo missus sum* à Patre scilicet, verbo quidem missionis significans paternam autoritatem, verbo autem veni suam autoritatem: humilius de se loquens apud turbas, quàm apud discipulos. κωμοπολεις

Universidad de Deusto
Biblioteca

Reprehenduntur à Christo tres volentes ipsum sequi. Matt. 8. Lucæ. 9.

CAPVT XXIX.

[1] Idem autem Iesus turbas multas circum se, iussit discipu-
los ire trans fretum. [2] Factum est autem ambulantibus il-
lis in via, [3] & accedens vnus scriba † [4] ait illi: [5] Magister
[6] sequar te quocunque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes fouea-
as habẽt, & volucres cœli indos: filius autem hominis non
habet vbi caput suum reclinet. [7] Ait autem ad alterum: Sequere me. Il-
le autem [8] alius de discipulis eius ▷ [9] ait illi: Domine permitte ‖ mihi:
primùm ire & sepelire patrem meum. † Iesus autem ait illi: [10] Sequere
me, & ▷ [11] dimitte mortuos sepelire' mortuos suos. [12] tu autem vade &
annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mi
hi primùm renuntiare hiis qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mit-
tens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

[1] dixit quidem ad illum.

[2] dixit ‖ me [3] dixitq; ei Iesus ▷ [4] si-
ue vt mor-
tuos sepe-
liant.

Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit, &c. Obseruandum hic proponi tres volentes quidem Christum sequi, sed in quibus singulis aliquid desiderabatur; vt hinc intelligeremus qualem oporteat eum esse, qui Christum perfectè sequi velit. Et in primis quidem proponitur quidam scribarum, qui nõ vocatus speciatim à Christo ad perpetuum comitatum, vltro se ad illum obtulit: Verum hunc non sincero affectu sequi Dominum voluisse, sed spectasse commodum aliquod temporale, omnino apparet ex responsione Domini. Qui enim alias quadraret eius respõsio affirmantis nihil sibi loci esse, nec aliquod domicilium vbi vel caput reclinare posset? Videtur ergo cupiditatis & lucri gratia Domino voluisse coniungi. Siquidem auaritiæ & cupiditatis gloriæ passim in Euangelistis notantur Scribæ. Commodè autem, eleganter, & prudenter hanc carnis spem, & cupiditatem Dominus hoc responso, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, &c.* Retudit, quasi diceret; Scio quo animo me sequi cupiderent, verum tantum abest, vt apud me regnum aut opes expectes, vt bestijs terræ, ac volucribus cæli pauperior sim non habens nimirum vel exiguum hospitiolũ proprium in quo etiam caput reclinem, cum vulpes foueas suas habeant, & volucres nidos. Benè autem vulpium meminit ac volucrium, forte notare volens hominis huius astutiam simul & cupiditatem gloriæ.

Ait autem ad alterum sequere me, &c. Proponitur hic ab Euangelista alius, qui non vltro se ad sequendum ingerens, vt alius, sed à Domino ad sequelam perpetuam & inseparabilem comitatum vocatus, vt patet ex Luca, paratus quidem sequi fuit, sed dilationẽ aliquam postulauit, idque pietatis in Patrem exhibendæ intuitu.

Quia

Qui quamquam dicatur à Matthæo fuisse vnus ex discipulis Christi tamen ad sequendum, hoc est, ad adhærendum perpetuò Christo omnibus relictis inuitatur. Nõ enim omnes, qui discipuli Christi dicuntur in Euangeliis, perpetui erant comites Christi. Nisi velimus intelligere eum discipulũ dici, quia postea talis erat. Quod autem sequitur in verbis Saluatoris; *Sine mortuos sepelire mortuos suos, &c.* Noluit his verbis improbare officium sepulturæ mortuis exhibendum, aut curam Patri à filiis debitam: sed tantum docere voluit humana posthabenda diuinis, maximè cum illa humana officia ab aliis commodè fieri præstari possunt, atque cum ad diuiniora aliqua officia quisquam diuinitus vocatur, quemadmodum hic iam vocabatur. Itaque quo significaret dominus, quare se pulturam paternam ab ipso posthabendam vellet, adiecit: *Tu autẽ vade, & annuncia regnum Dei*: annunciationem regni Dei, hoc est, vitæ æternæ opponens sepulturę mortuorum, quasi dicat. Etsi piũ sit, quod prætendis opus: tamen non conuenit vt mortuorum cau sa discedas à sequendo me, qui vita sum: iis magis conuenit mortuorum cura, qui & ipsi mortui sunt; tibi verò, qui me vitam sequi, & per me viuere cæpisti; conuenit vt eorum curam habeas, quæ ad regnum Dei, ac vitam illam beatam & sempiternam pertinent; vt scilicet vadas & annuncies omnibus regnum Dei.

Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm, &c. Proponitur à Luca etiam tertius, qui & ipse, vt verisimile est, à Domino ad sequelam vocatus paratum quidem se exhibuit: sed dilationem honestatis prætextu postulauit, & talem dilationem, quæ non multum temporis quemadmodum superioris postulata dilatio requirebat; ob quod sibi merito putabat concedendum, quod petebat.

Permitte mihi primùm renunciare hiis qui domi sunt. τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου magis accipiendum est in masculino genere, vt sit sensus; permitte mihi valedicere domesticis meis, nempe filiis, amicis, & famulis, &c. Quanquã ἀποτάσσεσθαι non est simpliciter valedicere, sed datis mandatis, quæ velis fieri aliquem dimittere, & valedicere, vt intelligatur iste petisse tempus disponendi cum domesticis suis res suas.

Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, &c. Hæc Saluatoris responsio optimè generaliter accipitur, vt *Mittere manum ad aratrum* mississe intelligatur, quisquis se iam melioris vitæ, ac iustitiæ, virtutisque laboribus consecrare decreuit. Hic itaque ineptus est regno Dei etiam consequendo, si respiciat retro, hoc est animũ suũ deflectat ad ea, quæ relicta esse oportet, vt vitam eam, cui se addixit, prosequatur. Bene autẽ aratro hic metaphoricè significatur vitæ melioris institutum, & studiũ ad significandum labores virtutis, quibus mens hominis excoli-

manuum ad aratrũ. quid. ad aratrũ quid.

L tur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, vt fructum faciat Deo, vnde aliquando messis multa aranti colligatur.

Maris tempestas iussu Christi sedatur. Matth. 8. Mar. 4. Lucæ 8.

CAPVT XXX.

† illis.

▷ b °. Transeamus.

▷ b facta est.

‖ simpleretur nauis.

† c accedentes autem

▷ b excitant eum & dicunt

† b. Et.

† c. At

▷ a. ° im alterutrum' :

† l Quisputas' hic est,

& ventis & mari imperauitvē tis.

▶ b. ° cō. minatus est vento.

‖ a. & ma ri.

† c. Qui.

▷ f dicentes.

‖ c °. inuitarent eum.

† a. Quæ

▷ b. venit.

† c ACTVM est autem in vna dierum & ipse ascendit in nauiculam, f & a ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum f discipuli eius. b Et ait † ad illos' b in illa die cū serò esset factum. b ▷ Transfretemus' b contra, c trans stagnum. Et ascenderunt. b Et dimittentes turbam, assumunt eum it c vt erat in naui, & alia naues erant cum illo. c Et nauigantibus illis obdormiuit. a Et ecce motus magnus factus est in mari, b & ▷ descendit procella b magna b venti c in stagnum, b & fluctus mittebat in nauim: c ita vt ‖ nauicula operiretur fluctibus'. c Et complebantur & periclitabantur a Ipse verò dormiebat, b & erat ipse in puppi super cervical dormiens. f Et † accesserunt' a ad eum discipuli eius. l Et ▷ suscitauerunt eum dicentes' illi: b Magister b non ad te pertinet quia perimus? a Domine salua nos. f perimus. l Et dicit eis a Iesus: Quid timidi estis a modicæ fidei? c Vbi est fides vestra? b Necdum habetis fidem? † l Tunc' c ille l surgens ▷ increpauit ventum' ‖ f & tempestatem aquæ', b & dixit mari: Tace & obmutesce b Et cessauit b ventus. l & facta est tranquillitas c magna. † f Verrò homines' c timentes f mirati sunt, b & timuerunt timore magno, ▷ l & dicebant b ad ‖ c alterutrum' : † l Quisputas' hic est, quia c & ventis & mari imperat, & ▷ a venti & mare l obediunt ei?

▶ b. ° cō. minatus est vento. Factum est autem in vna dierum, & ipse ascendit in nauiculā, &c. Quò constet omnium Euangelistarum narratiosic se videtur habere res gesta. Primò Christus in terra, aut ciuitate aliqua existēs, iussit discipulos parare nauem ad transnauigandum. ex quo loco cum proficisceretur ad mare, in via accesserunt ij, de quibus dictū est, Dominum sequi volentes. Deinde cum nauim cum suis discipulis conscendisset, atque è naui turbam, quæ sequebatur quædam docuisset, vespera imminente iam rursum suis vt transfretarent præcepit: ac tunc vt habet Marcus, discipuli dimittentes turbam, hoc est, separantes se turba, soluendo scilicet à littore assumpserunt eum in altum scilicet, & profundum maris, sic vt erat docens populum in naui. Non enim illum (in naui) coniungendum est cum verbo assumpserunt, quasi prius non fuisset in naui. Nam sic dicendum fuisset in naui. Sed

Sed significare voluit Euangelista discipulos iussos transfretare Christum ita vt sederat in naui docens populum, antequam situm illum mutaret, quem postea mutauit, assumpsisse in altum, significans hoc modo promptam ac celerem executionem discipulorum, & neglectum molliciei, aut curæ suipsius in Christo. Quod autem sequitur.

Et aliæ naues erant cum illo, vel *cum illa* (nam apud Græcos relatiuum ἀυτῶ referri potest vel ad Christum vel ad datiuum πλοίῳ, id est, naui) Caietanus intelligit naues illas fuisse cum naui in qua erat Christus, cum iam discipuli dominum in mare assumerent, verum eas ibi derelictas, nec simul cum naui illa profectas. Verum rectius secundum alios intelligitur & has simul cum Christo profectas, imò & idem periculum passas. Nam Matthæus postea dicit homines miratos dixisse; *Qualis est hic?* Non dixisset autē homines si soli discipuli hoc miraculum vidissent, & admirati fuissent & non etiam turbæ.

Et nauigantibus illis obdormiuit, &c. Obdormiuit dominus partim quidem vt ostenderet naturæ humanæ susceptæ veritatem, dum corpus diurnis fessum laboribus vespertino tempore somnō reficit, partim vero, & potissimum vt exorta tempestate ipsō dormiente maior esset timoris & inuocandi opem eius occasio. Si enim ipso vigilante tempestas hæc obortа fuisset: aut non timuissent discipuli, aut credidissent illo inuito eam contigisse.

Et dicit eis Iesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Increpat Dominus discipulos, non quod illum excitauerunt, opemque eius implorauerunt (id enim erat fidei, & fiduciæ cuiusdam argumentum) sed quod tam anxij trepidarunt, consternatique pœnitus, ceu actum de eis fuisset clamauerunt. Diffidentiæ enim erat, quod dixerunt *perimus*, nimiam consternationem indicabat, quod cum geminatione clamauerunt Præceptor, Præceptor, vt est apud Lucam Græcis. Vnde dicit: Quid timidi estis? & additur in Græcis apud Marcum οὔπω, hoc est, sic vel adeo: vt intelligatur non simpliciter redarguisse omnem illorum timorem, sed timorem illam magnum, quo consternati erant. Hic enim erat argumentum infirmitatis fidei eorum. Fides autem communiter hic & in similibus locis accipitur pro fiducia, vt intelligātur discipuli ideo vocari ὀλιγόπιστοι, hoc est parū fidētes, & modicæ fidei, quia nō satis cōfidebant se esse tutos Christo dormiēte; nec habue- ὀλιγόπι- στοι. runt perfectā illā in dominum fiduciam, quā debuissent. Porro cū *Qui dicē fidem habuerint* etsi imperfectam, illud Marci: *necdum habetis fidē?* tur. sic debet intelligi: necdum habetis fidem illam perfectam in me, quam iam merito de me concepisse debuissetis? Sic & illud Lucæ; *Vbi est fides vestra?* perfecta scilicet, quam toties inculcaui, quāque præ vobis tulistis, omnibus relictis me sequentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tunc surgens increpauit ventum, & tempestatem aqua, &c. Pro eo quod in Luca est increpauit in, Marco, comminatus est, in Matthæo imperauit: Græcis vnum idemque verbum est, de quo prius diximus nempe ἐπετίμησεν, quod cum proprie significet increpare, hic tamen, aliisque multis scripturę locis accipitur pro præcipere veluti cum comminatione, & ira. Vnde Marcus declarās quo modo increpauerit mare dicit dominū dixisse: *Tace & obmutesce.* Quæ verba præcipientis potius sunt, quàm increpantis. Et Lucas postea dicit discipulos admiratos dixisse ventis & mari imperat, vbi Græcis est ἐπιτάσσει, hoc est, proprie imperat, & præcipit.

ἐπέτιμησεν. quid proprie.

Creaturis irrationalibus cur imperauerit Christus.

Creaturis autem his Dominus imperauit, ad ostendendum vocem suam etiam esse efficacem in creaturas insensibiles easque se suæ voluntati, & imperio habere subiectas, quod solius est creatoris, & Dei. Porrò quod Dominus non solum dicit Tace, sed addit etiam obmutesce augmentum illud etiam celeritatem indicat, veluti dicas: mox obmutesce. Et mox quidem cessauit ventus, nec solum facta est tranquillitas, sed magna etiam tranquillitas.

Porro homines mirati sunt, & timuerunt timore magno. Marcus & Lucas discipulos timuisse, & admiratos dicunt. Nam postquam dixisset Lucas Dominum discipulis dixisse, vbi est fides vestra? subiicit: Qui timentes mirati sunt ad inuicem dicentes. Matthæus vero homines mirabatos dicit, intelligens per homines secundū Chrysost. Hieronymum & Hilarium turbas. Nam vt dictum est, præter discipulos etiam alij aderant in aliis nauibus quamuis rectè accipiat Matthæus per homines discipulos simul cū reliquis comprehendisse.

Et admirantes dixerunt: qualis est hic? quasi dicant: Oportet esse longè alium, longeque maiorem, quam eum hactenus habuimus, quia non solum morbis, & dæmonibus, sed etiam ventis, & mari, rebus scilicet quibus nemo efficaciter imperare valet, quarumque vim nemo cohibere potest, imperat; & ad solum eius imperium obediunt oblitæ suæ naturæ.

Sanatis in regione Gerasenorum duobus dæmoniacis, dæmones porcos ingressi præcipitantur in mare. Matt. 8. Marc. 5. Luc. 8.

CAPVT XXXI.

† ᵇ.ᵒ. exeunti ei de naui ▷ ᵇ. homo in spiritu immundo.

ET *nauigauerunt ad regionem Gerasenorum quæ est contra Galilæam.* ᵇ *Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.* ᵇ *Et cum* † *de naui egressus fuisset* ᶜ *ad terram,* ᵇ *statim* ᵇ *occurrit* ᵇ *de monumentis* ▷ *vir quidā qui habebat dæmoniū* ᶜ *iā tē pore ut nec vestimēto nō induebatur, neq; in domo manebat, sed* ᵇ *qui domicilium habebat* ᵇ *in monumētis.* ᵇ *Et neq; catenis iam quā-*

quam poterant eū ligare, quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus ‖ᶜ.ᵒ. *Is vt dirupisset catenas, & cōpedes cōminuisset: & nemo poterat eū domare, vidit. & semper die ac noctē in monumentis & in montibus erat clamās, &* † ᶜ. *præcidēs se lapidibus.* ᵇ ‖ *Videns autē Iesum* ᵇ *a lōgē cucurrit &* ᵇ † *adorauit ante. rauit' eū, &* ▷ *clamans' voce magna, dixit: Quid mihi & tibi* ᶜ *est* ᵇ ▷ᶜ *excelsi filiDei altissimi?* ᶜ *Obsecro te,* ᵇ *adiuro te per Deū* ᵇ *ne me torqueas.* ᶜ *Præmans. cipiebat enim spiritui immūdo vt exiret ab homine* ᵇ *Dicebat enim illi:* † ᵇ. *Et in-Exi spiritus immūde ab homine isto.* ᶜ *Multis enim temporibus arripiebat & catenis & cōpedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserta.* † ᵇ *Interrogauit autē illū'* ᶜ *Iesus* ▷ᶜ. *At illi dicēs:* ᵇ *Quod tibi nomē est?* ▷ *Et dicit ei': Legio* ᵇ *mihi nomen est, quia le dicit. multi sumus.* ᶜ *quia intrauerāt multa dæmonia in eum.* ᵇ *Et* ‖ *lepreca-* ‖ᶜ. *rogabat bantur eum'* ᵇ *multum, ne se expelleret extra regionem,* [*&*] ᶜ *ne irruunt illū. peraret illis vt in abyssum irent.* ᵇ *Erat autem ibi* ᵇ *circa montē* ᵇ *grex* † ᶜ. *multo porcorum* † *magnus pascens'* ᵇ *in agris* [*&*] ᶜ *in monte.* ᵇ *Et* ▷ *de rum pascentium, precabantur' eum* ᵇ *spiritus,* ᶜ *vt permitteret eis in illos ingredi,* ᵇ *dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.* ᵇ *Et* ‖ *concessit' eis* ᵇ ▷ ᶜ.ᵒ. *rostatim Iesus.* ᶜ *Exierunt ergo dæmonia ab homine* ᵇ *& in porcos* ᵇ *exeuntes spigabant. ritus immundi* ᵇ *intrauerunt in porcos: &* ᵇ *magno* ᵇ *impetu grex* † ‖ ᶜ. ᵒ. *per precipitatus est in mare'* ᵇ *ad duo milia,* ᵇ *& ▷ suffocati sunt* ᵇ *in mari misit. ri.* ᶜ *Quod vt viderunt factum* ᵇ *qui* * *pascebant eos fugerunt, & nū* † ᶜ. *abiit tiauerunt in ciuitatem & in* ‖ *agros'.* † *Et egressi sunt videre quid esset factum'. & venerunt ad Iesum,* ᶜ *& inuenerunt hominem à quo stagnum. dæmonia exierant,* ᵇ *& vident illum qui à dæmonio vexabatur* ᵇ *sedentem vestitum ac* ▷ *sana mente'* ᶜ *ad pedes eius,* ᵇ *& timuerunt.* ‖ *focatus est Et narrauerunt illis' qui viderant* ᵇ *qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat,* ᶜ *quomodo sanus factus fuisset à legione:* ᵇ *& de* ‖ ᶜ. ᵒ. *vilporcis.*

ᵇ *autem*

Quæ Marcus & Lucas de vno narrant.
Matthæus de duobus scribit hoc modo.

ET *cùm venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sæui nimis, ita vt nemo posset trāsire per viā illā. Et ecce clamauerūt, dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem non longe ab eis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce magno impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt: & veniente, in ciuitatem nuntiauerunt hæc omnia: & de his qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Iesu. Et viso eo* † ᵇ *rogabant' eum* ᶜ *ōnes multitudo regionis Gerasenorum* ▷ ᵇ *vt transiret'* ‖ *à finibus eorum'* ᶜ *quia magno timore tenebantur.* † ᶠ *Ipse autem ascendens nauim'* ᶜ *reuersus est* [*&*] * *transfretauit.* ᵇ *Cùmque ascenderet nauim deret.*

† ᶜ. *Exierunt autē videre quod factum est.*

ᵇ. *ecce.*

ᵇ. *et rogauerunt.*

ᶜ. *Et rogabant eum vt discederet.*

ᵇ *discederet.*

‖ᵃ. *abiplis*
† ᵃ. *Et aſcendẽs in naviculã.*
▷ ᶜ. *Et rogauit eũ vir à quo dæmonia exierant.*
‖ᶜ. *eo.*
* *autem*
† ᵇ. *ait.*
▷ ᶜ. *narra.*
‖ᶜ. *fecit.*

▷ ᵇ *cœpit illiũ deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat' vt eſſet cũ ‖il lo'.* ᵇ *& nõ admiſit eũ: ſed* ᶜ *dimiſit* * *eũ Ieſus,* ᵇ † *dicẽs'* ᵇ *illi: Vade,* ᶜ *redi* ᵇ *in domum tuam* ᵇ *ad tuos,* ᵇ *&* ▷ *annũcia' illis quanta tibi Dominus ‖ fecerit',* ᵇ *& miſertus ſit tui* ᵇ *Et abijt* ᶜ *per vniuerſam ciuitatem prædicans,* ᵇ *& cœpit prædicare in Decapoli* ᵇ *quanta ſibi feciſſet Ieſus.* ᵇ *& omnes mirabantur.*

Et nauigauerunt ad regionem Geraſenorum. &c. Fieri poteſt, vt eadem hæc regio ab vtraque ciuitate nempe Geraſa, & Gadara nam ex Ioſepho conſtat eſſe diuerſas ciuitates nomen accepiſſe: vt & diceretur regio Geraſenorum & regio Gadarenorum. Interpres autem ideo videtur nomen Geraſenorum poſuiſſe in Matthæo, Marco, & Luca pro Gergeſinorum, & Gadarenorũ, quia ille lud ſuo tempore notius eſſet, & communius.

Et cum de naui egreſſus eſſet ad terram. Quamuis Matthæus duos occurriſſe Chriſto dæmoniacos ſcribat, quorum dæmones ingreſſi porcos præcipitauerunt eos in mare: Marcus tamen & Lucas vnius ſolius faciunt mentionem, non aſſerentes tamen vnum ſolùm fuiſſe, & ob id non contraria Matthæo ſcribentes. Vnius tantum faciunt mentionem, ſiue quod hic inter duos illos clarior eſſet, & famoſior, per cuius curationem fama Chriſti latius, clariuſque fragrauerat, vt vult Aug. ſiue, vt vult Chryſ. quod hic ſenior eſſet: vnde eius ſententiæ latam deſcriptionem à Matthæo prætermiſſam hi duo Euangeliſtæ proſequuntur. Porro apud Græcos in Luca duo additur verba, quæ deſunt apud nos. Habent enim *egreſſo illi occurrit ei vir quidam è ciuitate*, quod tamen non ſic eſt intelligendũ quaſi è ciuitate occurrerit Chriſto: dicitur enim à Marco ſe monumentis occurriſſe, & in deſertis, ac montibus habitaſſe: ſed quia vt ille fuerit ex illa ciuitate oriundus. Diligenter autem Marcus & Lucas dæmoniaci huius ſtatum, & miſeriam explanant; vt & dæmonum malitiam, & Chriſti potentiam magis exprimerent. Itaque dicunt eum multis temporibus hoc malo afflictum fuiſſe, nudum inceſſiſſe, in domibus non manſiſſe, nullis catenis vinciri, nec vlla ratione domari potuiſſe, in deſerta actum in monumentis habitaſſe, ibique lapidibus ſeſe concidiſſe, ac vt habet Matthæus omnibus tranſeuntibus timore, & horrori fuiſſe. Vt autem intelligatur melius quomodo hi dæmoniaci habitauerint in monumentis, idque in deſertis & montibus: ſciendum quod Iudæi ſuos non ſepelierunt in ciuitatibus, ne contaminarẽtur, ſed extra ciuitatem, in agris, & maximè in montibus, & deſertis locis, vbi vnaquæque fere familia ſuum habebat ſepulchrum, in aliqua rupe exciſum, aut in aliqua ſpelunca delectum, aut ex lapidibus, & ex foſſione extructum, tantam habens altitudinem & latitudinem, vt multi erecti illud ingredi poſſent, & multi in eo ſimul ſepeliri, quod patet ex variis ſcripturæ locis, videlicet ex ſepulchro domini, ſe-

Quomodo dæmoniaci habitauerint in monumentis.

ni, ſepulchro Abrahæ, & ſepulchris de quibus legitur 4. Reg. 23. Itaque mirum videri non debet ſi dæmoniaci iſti in ſepulchris habitarent, idque in montibus, & deſertis.

Quid mihi & tibi eſt fili Dei altiſſimi. Dæmon inter audaciam & metum hærens, per timorem veneratur, filiumque Dei prædicat, ac ne expellatur, aut torqueatur obſecrat, per audaciam vero cum domino poſtulat, dicens: Quid mihi, & tibi, ac etiam adiutare præſumit: id pro ſe ſibi vſurpans, quod contra ipſum vſurpari ſolitum eſt. Nam per adiurationes dæmonia expelluntur. Hæc autem oratio *adiuro te per Deum*, ſic hoc, & aliis locis eſt explicanda; Per gloriam, & obediẽtiam Deo debitã te obſtringo, quaſi ſcilicet te iureiurando ad hoc adſtrinxiſſes, ita vt temeratæ religionis, & inobedientiæ in Deũ crimen incidas, niſi parueris. Hinc iam intelligi etiã poteſt, quomodo ſecundũ eccleſiaſticũ vſum inſenſibiles quædã creaturæ dicantur adiurari, &c. Vt autem etiã intelligatur quomodo dæmõ primũ quidẽ, vt apparet, rogauerit, deinde etiam adiurauerit Chriſtum per Deũ ne ipſum torqueret: aduertendũ de monẽ hunc duplicẽ metuiſſe afflictionẽ, quã intelligi poteſt hic deprecatus. Metuebat enim expelli ex homine, quẽ poſſidebat, quæ expulſio magna illi futura erat afflictio, eo quod pro ſumma eius ſuperbia pœnoſum ſit ei alterius imperio debere credere, proque maxima eius malitia & in homines inuidia volupe illi ſit homines affligere. De hac itaque afflictione plerique intelligunt cũ dicitur,

Adiuro te per Deũ; quid ſigni ficet.

Obſecro te ne me torqueas. quia ſequitur apud Lucam. *Præcipiebat enim ſpiritui immũdo vt exiret ab homine.* Et apud Marcum; *dicebat enim illi exi ſpiritus immunde ab homine iſto.* Quibus orationibus cauſalibus omnino videtur ſignificari hoc afflixiſſe dæmonem, quod exire cogeretur ab homine. Metuebat autem etiam expelli extra regionem, & mitti in abyſſum inferni torquendus ibi ea cõdemnatione, quam ſciunt manere ipſos in nouiſſimo iudicij die: & hanc torturam magis videri poteſt deprecatus dæmon, quia dicitur apud Matthæum; *Veniſti ante tempus torquere nos.* Et poſtea dicitur in Marco, quod rogabat eum ne ſe expelleret extra regionem, & in Luca, ne imperaret illis, vt in abyſſum irent.

Interrogauit autem illis Ieſus dicens: Quod tibi nomen eſt? Interrogat Dominus de nomine, non quod ſinguli dæmonum ſpeciale habeant nomen ſibi proprium, ſed interrogatione nominis exigens notificationem eius dæmonij, quod loquebatur. Nomine enim rem notiorem facimus. Locutus autem haſtenus fuerat dæmõ veluti vnus aliquis dicẽs: Quid mihi, & tibi, & obſecro te ne me torqueas. Proinde vt notũ faceret dominus cuius fuiſſet vox haſtenus audita, videlicet quod non vnius alicuius, ſed totius cuiuſdam multitudinis: Quod inquit *tibi nomen eſt*', hoc eſt, indicate nobis quis ſis tu, qui in homine loqueris. *Et dicit ei legio*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mihi nomen est, addens & causam vsurpati nominis. *Quia*, inquit, *multi sumus*. Non enim putandum nomen hoc vsurpatum, quod vetæ ibi esset plenæ legionis numerus qui est 12250. non autem vt multi putant 6666. Cum itaque prius dixerunt Euangelistæ hominem occurrisse qui habebat dæmonium, & spiritum immundum, nomen dæmoniun, & spiritus, collectiuè debet accipi pro tota hac congregatione dæmonum: de quibus iam post hac ferè semper loquuntur Euangelistæ pluraliter.

Legio quo numero constet.

Et deprecabatur eum multum ne se expellerent extra regionē, supple, illam. Duo enim intelligendum est petisse dæmones, vnum ne expellerentur extra regionem, alterum ne mitterentur in abyssum, hoc est, in infernum locum, scilicet damnatorum, ad quem se saltem in Iudicij die sciunt mittendos. Porro ad has dæmonum petitiones nihil respondet dominus, neque illorum petitioni verbis aliquibus annuēs, neque reluctans, quod tantum venisset ad liberandum & saluandum homines à potestate diaboli, nondum autem ad condemnandum dæmones extrema sua condemnatione, quæ ad secundum eius pertinet aduentum.

Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, &c. Quod Marcus dicit circa montem fuisse hunc gregem pascentemque in agris, non est contrarium ei quod dicit Lucas gregem hunc fuisse in monte. Nam (vt ait Aug.) grex porcorum tam magnus fuit, vt aliquid eius esset iuxta montem in agris, aliquid in monte. Dæmones ergo quoniam exeundum illis erat ab hominibus, nec permittebatur eis nocere amplius pro illorum voluntate hominibus: cupiuerunt sibi concedi vt malitiam suam permitterentur exercere in ea quæ hominum erant: ipsa declarantes scilicet quanto odio & furore contra homines insaniant, occasionemque sumpserunt à præsente ibi tum grege porcorum: quos quia sciebant esse Iudæis abominabiles, sperabant dominum vtpote Iudæum, & Legis Mosaicę obseruatorem facilè eorum petitioni concensurum. Porro stagnum illud in quod Lucas dicit præcipitatos fuisse porcos, non fuit aliud quam stagnum Genesareth. Nam quod ipse stagnum dixit, Matthæus & Marcus mare vocauerunt. Hi autem lacum Genezareth mare appellare solent, quem Lucas stagnum ferè vocat.

Rogabant eum omnis multitudo regionis Gerazenorum. Non ex contemptu, & superbia, vt annotauit Hieronymus Gerazeni Dominum volunt à se discedere, sed ex humilitate: & vt dicunt Euangelistæ, ex timore, videlicet quia cœsij suæ fragilitatis agnoscebāt se eius præsentia indignos, ac metuebant ne qui transgressionem legis in portis punire visus fuit, etiam in aliis eorum animalibus ipsorum peccata vindicaret. In eo tamen grauiter peccauerunt hi Gadareni, quod magis timebant Domini potentiam in expul-

Gerazenorū peccatum.

expulsione dæmonum & perditione porcorum declaratam, quàm amarent eiusdem bonitatem in restitutis dæmoniacis relucērem; quodque magis soliciti erant de perditione animalium, quam de salute animarum suarum & veritatis cognitione. Quare cum malo hoc timore indignos se facerēt Christi præsentia, & doctrina: facilè eorum annuit precibus Dominus: nolens scilicet cuiquam esse molestus, ac docens reipsa margaritas ac rosas Euangelici sermonis non esse spargendas ante porcos, nec discipulos prædicare debere vbi non essent recepti.

Cum ḡ ascendisset nauim cepit illum deprecari qui à demonio, &c. Ostenditur hinc perfecta sanitati huius viri sanitas. Non solum enim corpore sanatus est, sed & corde adeo sanatus est, vt Iesum perfectè agnosceret, orans vt cum illo sibi esse liceret, eo quod expertus esset eius in se bonitatem ac potentiam. Verùm non permisit Dominus, idque tum ob id, vt vult Theophyl. vt indicaret Dominus quod licet non sit secum, gratia tamen eius protectus à dæmoniacis insultibus liber futurus esset, tū vt hi qui humano quodam timore Christi præsentiam adhuc ferre non poterant haberent sui, ac gloriæ diuinæ aliquem præconem eis gratiorem. Obseruandum autem non dixisse Dominum, *narra quanta ego tibi fecerim*, verum quanta tibi fecerit Deus humilitatis certe formam nobis tribuens, vt omnia nostra bona opera Deo tribuamus. Ille autem tanquam gratus narrabat quæcunque illi fecisset Iesus.

Sanatur Paralyticus per tegulas demissus. Matth. 9. Marci 2. Luc. 5.

CAP. XXXII.

[a] *Factum est autem cùm rediisset Iesus* [b] *& cùm transcendisset in naui rursum trans fretum conuenit turba multa ad eum. & erat circa mare.* [&] [c] *excepit eum turba. Erant autem omnes expectantes eum.* [a] *Et venit,* [b] *& intrauit iterum* [a] *in ciuitatem suam* [b] *Capharnaum post dies aliquot.* [c] *Et factū est in vna dierū,* [b] *& auditū est quòd in domo est. & confestim conuenerunt multi, ita vt non caperent neque ad ianuam* [c] *& ipse sedebat docens,* [b] *& loquebatur eis verbum.* [c] *Et erant* † [a] *.esse. Pharisæi sedentes & legis doctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Hierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum* † [b] *.* [a] *.esse.* [c] *Et* ¶ *ecce* [b] *venerunt ad eum* [c] *viri* † [a] *portantes* [c] *ei* ¶ || *in lecto homines qui* [a] *erat paralyticus* [b] *qui à quatuor portabatur.* [b] *Et* ▷ *non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba,* [c] *ascenderunt supra tectum & nudauerunt tectum vbi erat. & patefacientes* [c] *per tegulas lecto* || *paralytici in medium ante Iesum.* ▷ [a] *Cùm autem vidisset Iesus fidem illorum, ait* [c] *paralytico:* [a] *Confide* || [b] *fili* [a] *remittuntur* ▷ [b] *.eum tum-*

non posset offerre illi † gratum in quo paralyticus iacebat ▷ a. Et videns Iesus fidem illorum dixit ▷ c. quorum fidē vt vidit dixit ‖ c. hō † b cogitantes ▷ a. dixerunt ‖ a. intra se † a Et cū Iesus cognouit Iesus cogitationes eorum † c. Vt autem cognouit Iesus cogitationes eorum ▷ b. grabatū ‖ b stati † c. surrexit ▷ b. & sublatograbato ‖ b. itavt mirarentur omnes & honorificarent † a. Et glorificauerunt. Capharnaum ciuitas Christi.

tuntur tibi peccata tua. a Et ecce b erant illic c quidam de scribis b sedentes b & † cœperūt cogitare' c scribæ & pharisæi ▷ f dicentes' ‖ c in cordibus suis' : b Quid hic sic loquitur ? a hic c blasphemat c Quis est hic qui loquitur blasphemias? b Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? † l Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarēt intra se', c respondens l dixit b ad illos: a Vt l quid cogitatis b ista a mala l in cordibus vestris? Quid est facilius dicere b paralytico? l Dimittuntur tibi peccata tua an dicere: Surge, b tolle grabatum tuum, l & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (a tunc l ait paralytico:) b tibi dico, l surge, tolle ▷ lectum tuum. & vade in domum tuum. Et ‖ b confestim † l consurgens b ille c coram illis ▷ b tulit lectum' c in quo iacebat, f & l abiit b inde coram omnibus c in domum suam, c magnificans Deum. a Videntes autem turba timuerūt. ‖ b Et stupor apprehendit omnes, † l & magnificabant' Deum a qui dedit talem potestatem hominibus. c Et repleti sunt timore b dicētes: Quia c vidimus mirabilia hodie. b Numquam sic vidimus.

Factum est autem cum rediisset Iesus & cum transcendisset in nauicula rursum trans fretum, &c. Relictis his qui discessum ipsius præ timore precabantur, ad eos redit dominus quibus se gratum fore non dubitauit, quique illum auide expectabant.

Et venit, & intrauit in ciuitatem suam Capharnaum. Cum Matthæus scribens venisse in ciuitatem suam, & deinde subijciens, *& ecce offerebant ei paralyticum, &c.* Perspicue satis significet paralyticum hunc oblatum in ciuitate ea, in qua dominum venisse dixit, in quam ideo solum venisse eum videri potest dixisse, vt indicaret vbi miraculum hoc factum sit: recte secundum Chrysost. per ciuitatem domini hic intelligitur Capharnaum. Quoniā enim suprà Matthæus dixit dominum relicta ciuitate Nazareth venisse, & habitasse in ciuitate Capharnaum, iam deinceps ciuitatem Domini vocat Capharnaum: eo quod in ea principalem iam sibi delegisset habitationē, quamuis neque in ea vel tantum proprij habuerit, vt esset in quo caput suum reclinaret.

Et auditum est, quod in domo esset, & conuenerunt, &c. Cum dicit, auditum est quod in domo esset, satis significatur dominum latenter ingressum fuisse in domum, priusque ipsum abdidisse se in domum, quam aduentus ipsius innotesceret vulgo. Verum vt non potest latere sol, ita nec dominus Iesus. Rumor enim à paucis exortus vt fit, iam per omnem ciuitatem sparserat Iesum esse in ædibus vnde sine mora tanta vis hominum eo confluxit, vt non solū tota domus impleretur: sed etiā non caperent multitudinē ea loca, quæ sunt circa ianuam. Ita enim intelligendum quod nos habemus, *Vt non caperent neque ad ianuam*, quod Græcis est dilucidius propter articulum τὰ sic enim habent ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς

τὴν θύραν hoc est, vt nequaquam caperent eos neque ea, quæ erant circa ianuam.

Et virtus domini erat ad sanandum eos. Hebraismus est pro eo quod est, virtutem suam exerebat Dominus ad sanandum eos, nēpe quotquot aderant egentes eius ope.

Et ecce venerunt ad eum viri portantes ei in lecto hominē. Pulchrè Euangelistæ hic insinuant primum quidem magnitudinem morbi in hoc paralytico, deinde vero & fidei magnitudinem, quam in Christo habuerunt, qui eum portabant, & ardens ac indefessum iuuandi proximum desiderium, ac studium. Porro cum sequitur.

Videns autem Iesus fidem illorum, relatiuum illorum rectius cum Chrysostomo intelligitur simul referri & ad portantes, & eū qui portabatur: aut saltem ita referri ad portantes, vt simul non excludatur fides egri. Nequaquam enim illi dixisset Christus: dimittuntur tibi peccata tua, nisi & ipse fidem habuisset. Nam quanquam sanitas corporalis conferri alicui possit à Deo, & collata sit aliquando à Christo solo intuitu fidei alienæ: spiritualis, tamē sanitas, quę in peccatorum consistit remissione in adultis accipi non potest sine propria fide. Cum autem Saluator in Euangelijs toties fidem commendat rectissime dicetur nomine fidei, cum ei tribuitur salus, & consecutio omnium quæ volumus, complecti vtrumque nempe & assensum illum firmum in credendis de Deo, ac Christo, & fiduciam ex illius omnipotenti bonitate conceptam: quamuis in quibusdam locis magis videatur haberi respectus ad credulitatem & assensum illum mentis, in quibusdam verò ad ipsam fiduciam: Ita enim duo hæc adinuicē coherent, vt nec fiducia esse possit sine credulitate, nec credulitas sine fiducia quicquam impetret à Deo. Sic ergo & hoc loco fides accipitur, cum dicitur dominus vidisse eorum fidem. Magnam enim de Christi potentia simul, & bonitate conceperant opinionem, atque ex hac opinione firmaque credulitate magnam etiam fiduciam atque spem consequendæ salutis, quam desiderabant: quam de Christo fiduciam & opinionem declarabant, dum tantum laboribus, & molestiæ non dubitarent subire, omni postposito pudore, vt ęgrum Christo præsentarent.

fides multa complectitur.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Confide inquit, ho est, bono animo esto, certò sperans te consecuturum desideratam corporis sanitatem. Nam remittuntur tibi peccata tua ob quæ morbum hunc inciderat: dicit ergo *confide*, non quia non habebat fiduciam, sed vt ea fiducia non remitteretur, imò potius augeretur.

Et erant illic quidam de scribis sedentes, & cogitantes, &c. Scribæ, & Pharisæi Legis scientia sibi placentes, & suam gloriam obscurari fama Iesu dolentes, mox in verbis Domini inuenerunt, quod culparēt. E Prophetarū enim & Moysi libris didicerāt solius esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal. 43. Blasphemia in Deum.

esse Dei condonare peccata. Itaque quoniam Iesum non nisi hominem Scribæ putabant, arguunt eum blasphemiæ. De blasphemia autem in Deum Scriptura dupliciter loquitur, vno modo dū quis de Deo malè loquitur, tribuendo illi, quod eius dignitati derogat, aut negando de eo quod ei competit. Altero modo dum quis derogat honori diuino, tribuendo sibi vel alteri quod Deo proprium est. Proinde hoc loco dum dicitur apud Mattheum *hic, blasphemat*, sic est intelligendum hic blasphemat in Deum, tribuendo scilicet sibi, quod Deo soli competit, & ob id derogando diuinæ dignitati.

Quo statim cognito Iesus spiritu suo quia sic cogitarent, &c. Quoniam Scribæ, & Pharisæi Dominum tanquam blasphemum apud se condemnabant, eo quod videretur sibi arrogare quod Deo proprium esset, mox ostendit sibi competere quod etiam Scripturæ Deo proprium esse passim docent, dum declarat se cordium esse inspectorem; quod similiter Deo proprium est sicut remittere peccata. Proinde benè Euangelista Lucas Christi diuinitatem insinuauit dicens, *vt autem cognouit Iesus cogitationes illorum*; perfectius vero eandem significauit Matthæus dicens;

Cum vidisset Iesus cogitationes eorum. Videre est enim videre cogitationes, quàm cognoscere, cum cognoscamus etiā cogitationes aliquorum ipsis nobis reuelantibus. Perfectissimè vero eandem significauit Marcus dicens Dominum cognouisse cogitationes eorum statim & *suo spiritu*, hoc est, non alieno spiritu quemadmodū Prophetæ spiritu nō suo, sed diuino cogitationes quorundam cognoscere & videre potuerunt. Hac autem Christi quæstione,

Quid est facilius dicere dimittuntur tibi peccata tua, &c. Recte intelligitur Dominum voluisse vtrunque horum esse æque difficile, eiusdemque virtutis esse vt habet Hieronymus & corporis, & animæ vitia dimittere. Verbum autem dicere accipi tunc debet pro efficaciter & serio dicere. Quo verbo hic necessario Saluator vsus est, nec dicere potuit, vtrum est facilius remittere alicui peccata, an conferre solo iussu paralytico sanitatem; eo quod de blasphemia arguebatur, quæ in dicendo consistit: quate vt ad illorum calumniam directè responderet dicendum erat, quid est facilius dicere, & non quid est facilius facere. [Aduertēda autem hic prudentia Saluatoris; Cum enim Scribæ cogitarent apud se, Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus; Non respondet, vt autem sciatis me esse Deum, & ob id posse dimittere peccata, sed vt sciatis quia filius hominis habet potestatem, &c. efficaciter probans ex ipsa cogitatione scribarum se verum esse Deum, nec tamen id ob humilitatis exemplum, ac inuidiam declinandam exprimens. & simul se verum hominem comprobans potestatem quedimittendi peccata competere sibi etiam quatenus homo est, & non solum quatenus Deus.] Illud autem, *in terra*, anxesin facit: significat enim filium hominis non solum habiturum potestatem cum in cælo esset regnaturus, sed etiam habuisse cum adhuc in terris versaretur in forma serui. Porro hęc verba, *Vt autem sciatis quia filius hominis, &c.* rectius accipiuntur vt sint verba Christi ad scribas, quæ continuata fuerunt cum verbis quæ subiunxit conuertendo sermonem ad paralyticum dicens: *Surge & ambula*; sed Euangelistæ interposuerunt illa verba, (*Tunc ait paralytico*) per parenthesin legenda; vt demonstrarent Dominum conuertisse se ad paralyticum dirigendo sermonem ad ipsum, postquam priorem sermonis partē direxit ad Scribas. Itaque Christi locutio imperfecta fuit, supplenda hoc, vel simili modo, respicite, & aduertite.

Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, &c. Non solum surgere præcepit; sed etiam tollere lectū, vt quod fuit testimoniū infirmitatis, fieret probatio perfectæ sanitatis. In domum quoque abire præcepit, vt ne gloriam suam quæreret videretur si illū apud se retineret. Porro æditum sermonem mox manifesta; præsentaneaque vis est consecuta. Non enim paralyticus paulatim, ac tandem ægreque cœpit se mouere, sed ad Iesu vocem statim erexit sese, quasi nullam vnquam sensisset paralysin, ac sublato in humeros lecto per confertam hominum multitudinem egressus est: nouum, & antehac inusum omnibus spectaculum exhibens, vt qui paulo ante velut exanime cadauer à quatuor baiulis lecto affixus portabatur, nunc gestiens, & alacer tantæ etiam sarcinæ gestandæ solus sufficeret. Quid autem visis his Scribæ, vel cogitauerint vel dixerint Euangelistę non commemorant, nisi eos intelligamus etiā comprehensos à Marco & Luca, qui dicunt omnes obstupefactos. Cæterum Matthæus turbarum solum meminit, nimirum quod vulgus hoc miraculo conspecto magis obstupefactum sit, ac simplici animo Deum glorificauerit, cum Scribas forte, & Pharisæos inuidentiæ quidam zelus occulte torqueret.

Vocatur Matthæus & de ieiunio disputatur cum discipulis Ioannis & Pharisæorum. Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5. CAP. XXXIII.

[image_ref id="1" box="0.498,0.756,0.589,0.850" />

[b T [c post hæc † [b exijt' [b rursus ad mare, omnisque turba veniebat, & docebat eos [1 Et ▷ [a cum transiret' [a iuxta [1 Iesus, [1 vidit [a hominem [a publicanum nomine [b Leui [b Alphæi [1 sedentem ‖ ad telonium', [a Matthæum nomine. [1 Et ait illi: Sequere me. Et [c relictis omnibus [1 surgens secutus est eum [c Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. [1 Et [c factum est † cum accumberet in domo [b illius, [a ecce ▷ [1 multi publicani & peccatores' [a venientes [b simul ‖ [1 discumbebant cum Iesu & discipulis eius', [b Erant enim multi qui & sequebantur eum. [1 Et [a videntes

† [b. egressus est ▷ [b. et † [a. discumbente eo in domo ▷ [c. Erat

Universidad de Deusto
Biblioteca

multa tur ba publicanorum & aliorum

tes [1] Pharisæi [b] & scribæ [c] eorũ [b] quia mãducaret cũ publicanis & peccatoribus, [c] murmurabant † [1] dicentes ad discipulos' eius: Quare cũ publicanis & peccatoribus editis & bibitis? [c] manducat [b] & bibit [c] magister ve

‖ [c]. qui cũ illis erant discũbẽtes † [a]. dicebãt discipulis [b]. dixerũt discipulis † [a]. At Iesus. [c]. audiens ▷ [c]. dixit ad illos ‖ [a]. [c]. nõ est opus valẽtibus medico sed malẽ habẽtibus ‖ [c]. Non egẽt qui sani sunt ▷ [c]. At illi dixerunt ad eum ▷ [a]. dicentes: Quare nos & pharisæi ieiunamus: ‖ Quibus ipse ait. † [a]. [c]. filij nuptiarum ▷ [c] vote tis filios sponsi facere ieiunare dum [b]. assistit [c]. assumẽ tur

stier? [c] Et † [c] hoc audito [1] Iesus' [c] respõdens [1] ▷ ait [b] illis ‖ [1] Non necesse habẽt sani medico, sed qui malè habent': Euntes autẽ discite quid sit: Misericordiam volo, & non sacrificiũ. [1] Non [c] enim [1] veni vocare iustos sed peccatores [c] ad pœnitentiam. [c] Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, [b] & erant discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunantes: & venit, & ▷ [1] dicunt ei: Quare discipuli Ioannis ieiunant' [c] frequenter, [c] & obsecrationes faciunt. [1] similiter & pharisæorum: tui autem [c] discipuli non ieiunant. [sed] [c] edunt & bibunt ‖ [1] Et ait illis Iesus: Numquid ▷ possunt † filij sponsi' [a] lugere [&] [b] ieiunare [1] quamdiu' cum illis est sponsus? [b] quanto tempore habent secum sponsum non possunt ieiunare. [1] Venient autem dies [c] cum auferetur ab eis sponsus: [1] & [c] cum ablatus fuerit ab eis sponsus' [1] tunc ieiunabunt [b] in illis diebus. [c] Dicebat autem & similitudinẽ ad illos: Quia [1] nemo ‖ immittit commissuram' [c] panni rudis, [c] [aut] [c] in vestimento nouo † [1] in vestimentum vetus' [b] alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo, [&] ▷ [c] aufert supplementum' [b] eius [b] nouum [c] à [c] vestimento [b] veteri, [c] & ‖ peior' scissura fit. [1] Et † nemo mittit' vinum nouum in vtres veteres, alioquin † dirumpet vinum nouum vtres. & vinum ▷ effundetur, & vtres ‖ peribunt: sed vinum nouum in vtres nouos ◁ mitti debet'. & ‖ ambo' conseruantur. [c] Et nemo bibens vetus statim vult nouum. Dicit enim, [c] vetus melius est.

Et post hoc exijt rursus ad mare, omnisq; turba, &c. Quo exierit solus Marcus narrat, nimirum ad mare rursum, vt scilicet doceret in eo loco, vbi hominum multa confluere solebat multitudo. Verisimile autem est Christum iam circa mare existentem, & ibi in lietore transeuntem, inuenisse ibi Matthæum sedentem ad telonium Est autem telonium Græca dictio deriuata à τέλος quod est vectigal, vel mensa ipsa vectigalis, vel ipse locus, & domus, in qua sedent publicani, hoc est publicorum vectigalium redemptores, & exactores. Et sic videtur Interpres accepisse in Matthæo dum vertit sedentem in telonio. Porro quod Matthæus proprium suum nomen ponit, Lucas vero & Marcus nomen Leui, intelligendum est ipsum fuisse binominem. Verisimilius autem videtur Matthæum prius quidem dictum Leui, ac deinde à Christo mutatum ei nomen vt Matthæus diceretur. Atque ideo videntur potius Marcus & Lucas Matthæum Leui vocasse, quod eo vocaretur nomine cum à Domino vocaretur.

Et ait illi, sequere me. Et relictis omnibus surgens, &c. Obedientia magna vocati Matthæi hic commendatur, quod ad vnam vocem domini omnibus statim relictis non dubitauerit dominum sequi. Quod vtique leuitati non potest tribui, sicut calumniabãtur Porphy-

Porphyrius & Iulianus cum iam fama Christi celebris esset, & tanta esset Christi potentia cum maiestate quadam in vultu relucens, vt sicut magnes ferrum, ita & ipse quos vellet etiam primo aspectu attrahere posset, vt habet Hieronymus.

† [b]. vestita

mẽto vestiri ▷ [a]. tollit enim. ° plenitudinem ‖ [b]. [c]. maior † [a]. neque mittunt † [a]. vtres ▷ [a]. effusum ‖ [a]. pereũt ▷ [a] mittunt. ▷ [c]. [a] mittendũ est ‖ [c]. [a] vtres que Peccatores.

Et secit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Marcus dominum in domo Leui recubuisse dicit, & Lucas à Leui conuiuium, idque magnum paratum domino commemorat. Porro conuiuium istud non dicitur ob id potissimum magnum, quod in eo multi fuerint conuiuæ, sed potius quod opulentum esset, & pretiosum. De publicanis autem, & peccatoribus, qui dicuntur simul cum Christo venisse, & discubuisse in domo Matthæi incertum an à Matthæo fuerint inuitati propter familiaritatem. Marcus enim veluti rationem redditurus ob quam hi aderant conuiuio, subijcit: *Erant enim multi, qui sequebantur eum.* Quod sic videtur accipiendum multos videntes Christi in vocando Matthæum benignitatem, ac videntes Matthæum sequentem, siue exemplo ejus, siue etiam voce eius; & vocati, simul cum ipso secuti sunt dominum. Vnde quidã libri legunt, qui & sequebantur eum. Porro vnde peccatores, qui hic & alibi publicanis cõparantur, videtur fuisse homines vitæ apertè malæ, qui forsan ob aliqua crimina electi erant extra synagogam, habiti à Scribis, & Pharisæis velut excõmunicati.

Et videntes Pharisæi & scribæ eorum quia manducaret, &c. Scribæ & Pharisæi de scientia, & sanctitate sibi placentes illicitum iudicabant cum publicanis & peccatoribus conuersari, & potissimum mensam habere communem, quod putarent hinc hominem iustum pollui, quemadmodum secundum legis præscriptum polluebatur homo ex contactu animalis immundi, aut hominis secundum legis ordinationem immundi. Quod autem à Luca dicuntur dixisse. *Quare cum publicanis & peccatoribus editis & bibitis?* à Marco vero & Matthæo, *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester?* nihil habet contrarietatis. Intelligi enim possunt vtrumque dixisse, & tamen si alterum solum dixerint vtrumuis dixisse censendi sunt. Communis enim erat & discipulorum, & Domini culpa si quæ erat; Dominum tamen calumniari volebant, vt culpæ huius auctorem.

Et hoc audito Iesus respondens ait illis; Non necesse habent, &c. Primum quidem à communi exemplo & officio medici eos confutat. Porro quod dicit; Non opus est valentibus medico, intelligendum, vt curentur, & sani sint. Indigent enim medico vt sanitatem conseruent. Aut intelligendum quatenus sani sunt. Deinde scripturæ testimonio eos conuincit.

Misericordiam volo & non sacrificium, quod testimonium in hoc sensu esse intelligendum; Misericordiam volo plus, quàm sacrificium, patet ex eo, quod sequitur. Osee. 6.

Et

Et scientiam Dei plus quam holocausta. Tertio vero eos confutat ex proprio suo officio, quod erat annunciare verbum Dei, & ad Deum homines conuertere. Porro sententia illa; *Non veni vocare iustos sed peccatores*, quæ videtur significare quosdam fuisse quibus Christus non venerit, qui tamen omnibus venit; rectius intelligetur simpliciter per hanc Dominum etsi venerit ad docendum perfectiusiustos, eosque saluandum, & in iustitia conseruandum non tamen venisse ad vocandum eos, hoc est, conuertendum eos. Est enim hic vocare, ad Deum inuitare. Vt illud, *in pœnitentiam*, quod à Luca adiectum est, & ponitur etiam apud Græcos in Matthæo, & Marco non solum referatur ad peccatores, sed etiam ad iustos.

Et erant discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunantes, & veniunt, &c. Intelligendum est vtrosque simul conuenisse; Lucam tamen tantùm Pharisæorũ memipisse, quod huius expostulationis essent autores; Matthæum vero discipulis Ioannis tribuisse hanc expostulationem, quod forte hi soli verbum nomine etiam Pharisæorum facerent. Pharisæi enim non se, aut suos discipulos tantum Domino obijcere voluerunt, sed & Ioannis discipulos secum adduxerunt, per quos & loquerentur; quo causam Christi vel Ioannis auctoritate, quæ Christo, & populo grauis erat, deprimerent: dum non solum suam, sed & Ioannis sanctissimi viri institutionem demonstratent cum Christi institutione non conuenire.

Et ait illis Iesus: Numquid possunt filij sponsi lugere, &c. Duplici ratione satisfacit propositæ quæstioni, prior desumpta est à sua persona, aut conditione temporis presentis quod scilicet tempus præsens non congruat ieiunio discipulorum, quod ostendit ex similitudine ad tempus gaudij vacantium lætitiæ nuptiali. In qua similitudine reuocat in memoriam discipulorum Ioannis, Testimonium Ioannis de se, quo prius testificatus erat Iesum esse sponsum, cui à Patre cælesti sponsa esset deputata: vt vel ob hunc locum vtiliter & necessario Euangelista Ioannes testimonium illud Baptistæ ab alijs præteritum narrauerit. Porro pro eo quod in Matthæo & Luca est, *filij sponsi*, in Marco vero *filij nuptiarum*, Græcè apud omnes οἱ νυμφῶνες, hoc est potius filij thalami nuptialis, id est Hebraica phrasi ad quos pertinet sponso adesse, & nuptialibus gaudijs perfrui: Hebræa enim phrasi id filius cuiusque dicitur rei, quod vlla ratione ad illam attinet. Quemadmodum autem apud Matthæum sub verbo lugere compræhenditur ieiunare, eo quod ieiunium luctus quidam sit rita cum dicitur, *& tunc ieiunabunt*, sub verbo ieiunare omnis luctus, afflictio, & inopia, compræhenditur. Porro quod Lucas dicit dixisse, *Dominum Numquid potestis filios sponsi facere ieiunare, &c.* Notare volui interrogatores illos rem plane absurdam requirere. Bene autem non dicit *abibit ab eis sponsus*, quod significasset amoris in sponso imperfectionem

Filij sponsi, seu nuptiarum.

fectionem *sed auferetur ab eis* siue per mortem à vobis inferendã, siue per Ascensionem à Patre.

Dicebat autem & similitudinem ad illos; Quia nemo immittit commissuram panni, &c. Alterã iam addit rationem sumptam ab imperfectione discipulorum, quæ ratio vt benè intelligatur, aduertendũ imprimis quod prior similitudo non eodem omnino modo narratur à Luca, atque narratur à Matthæo & Marco. Nã Matthæus quidem & Marcus habent de commissura panni rudis, hoc est panni adhuc impoliti, & impexi, qui scilicet nondum à fullonibus apparatus est. Lucas vero habet de cõmissura vestimenti noui (sic enim habent Græca) pro eo quod nos habemus cõmissuram à nouo vestimento scilicet acceptam. Fieri enim potest vt vtrumque dominus distinctiuè dixerit, quamuis si alterum solum dixerit, alterius sensus etiã in illo includatur. Illud autẽ Matthæi *it tollit enim plenitudinẽ eius à vestimento*, nonnihil habet obscuritatis, & ab omnibus penè malè intelligitur. Si autẽ Lucas conferatur cum reliquis, qui hoc dicunt, quod ab eo est omissum, sicut ipse ea dicit, quæ illi prætermiserunt, deprehenderetur hic esse sensus. Is qui immittit huiusmodi commissuram, postea quia (vt dicit Lucas) non conuenit cõmissura à nouo, offensus dissimilitudine noui panni aufert plenitudinem suam, hoc est, supplementum suum quod assuerat à veteri vestemento, & sic fit maior & peior scissura in veteri veste. Apertior autem esset sensus si pro eius, vertisset Interpres reciprocum relatiuum suã. Itaque omnes Euangelistæ simul collati significant ex commissura noui panni, vel noui vestimenti cum veteri veste duplex sequi incommodum, quẽadmodum & in sequẽti similitudine significatur duplex incommodum sequi, si vinum nouum mittatur in vtres veteres. Primum noui panni ruptura cũ perditione illius partis quæ assuebatur, secundum, maior scissura in vestimento veteri ex ablatione assutæ partis nouæ, propterea quod non cõueniat veteri cõmissura à nouo panno accepta. Porro quæ istæ parabolæ non eodem modo ab omnibus applicantur ad propositum. Sic autẽ simpliciter intelligi potest, dominũ his parabolis nihil aliud voluisse, quàm se veluti assuturum nouum pannũ veteri, & vinum nouum immissurum vtribus veteribus; si noua ieiuniorum præcepta suis indixisset, eo quod illa suis propter illorũ vetustatem, hoc est infirmitatem non congruerent: sed futurum esset vt & nouæ doctrinæ, quæ etiam noua ieiuniorum præcepta contineret, vtilitas omnis periret; & ipsi simul deterriti austeritate nouorum preceptorum resilirent penitus à virtutis perfectioris via, quam sectari cæpissent, amittentes etiam id boni quod habebant. Sic inquam rectius secundum quosdam intelligitur Christus discipulos suos voluisse comparare vtribus veteribus, & vestimento veteri propter eorum imperfectionem, & infirmitatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

*b et ▷ b. venit b. quida de archisynagogis, nomine Iairus.

‖a. adorabat eum ‖e. ecci dit ad pedes Iesu.

† a. et viuet ▷ b. abiit cũ illo ‖b cõprimebant eum † c. erat in erat in fluxu sanguinis ab † c. quæ in medicos eroga uerat omnẽ substãtiã suam, nec ab vllo potuit curari ▷ f. accessit retrò ‖ b. vestimẽtũ † c. statim fluxus ▷ a. At ‖c. Et ait Iesus † c me ▷ b. Et dicebat ei discipu li sui ‖ b. vides turbã compri

Et nemo bibens vetus statim vult nouũ dicit enim, &c. Hæc est tertia ratio detumpta ab indispositione discipulorum propter consuetudinem. Hac ergo similitudine dominus comparat legis suę pertinentiam vino nouo, veterem autẽ legem vino veteri. Et bene quidem. Nã vt vinum nouum imprimis quidẽ austerius est, postea autẽ & suauius est veteri, & efficacius ita vt magis delectet & inebrietta & noua lex primo quidẽ intuitu carni grauior videtur, sed vbi quis assueuerit paululũ per eã magis inebriatur diuino amore, ac maiori dulcedine fruitur alacer factus ad omnia pietatis officia.

Suscitatur filia archisynagogi & curatur Emorrhoissa. Matt. 9. Mar. 5. Luc. 8. CAP. XXXIIII.

HÆC illo loquẽte ad eos a ecce a princeps vnus ▷ b accessit b vir cui nomen Iairus, & ipse princeps synagogæ erat c. d Et b videns eũ ‖ d procidit ad pedes eius e rogans eũ vt intraret in domũ eius, quia vnica filia erat ei fere annorũ duodecim, & hæc moriebatur b. et deprecabatur eũ multũ a dicens: b Quoniã a domine e filia mea b in extremis est. [anus] a modò defuncta est. sed a veni impone manum tua super eã, † vt salua sit & viuat c. Et a surgẽs Iesus ▷ a sequebatur eũ a et e discipuli eius. b et sequebatur eũ turba multa. b Et e contigit dũ iret à turbis ‖ b. comprimebant c. Et a ecce d mulier e quæda a quæ † d fluxũ sanguinis patiebatur duodecim annis, b & fuerat multa perpessa à copluribus medicis, & erogauerat omnia sua nec quicquã profecerat, b sed magis deterius habebat: cũ audisset de Iesu ▷ d veniẽs in turba retrò, & tetigit ‖ b ambram vestimẽti eius, a dicebat enim. b Quia d, b vel a vestimentũ eius tantũ e tetigero salua ero. b Et cõfestim † siccatus est fons sanguinis eius b & sensit corpore quia sanata esset à plaga. ▷ Et statim a Iesus b in semetipso cognoscẽs virtutẽ quæ exierat de illo, cõuersus b ad turbã ‖ b. aiebat: Quis e est qui b tetigit † vestimẽta mea? c Negantibus autẽ omnibus ▷ b dixit d etrus & qui cũ illo erãt: c Præceptor, ‖ b turba te cõprimũt & affligũt: et dicis quis me tetigit? a Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis nã & ego noui virtutẽ de me exisse. b Et circũspiciebat videre eam quæ hoc fecerat. a Vidẽs autẽ b mulier ★ a quia nõ latuit, timẽs ac tremẽs, b sciẽs quod factũ esset in se, b venit & procidit ante † pedes eius a et ob quam causam tetigerat eum indicauit coram omni populo, & quomodo cursim sanata esset. b & dixit ei omnem veritatẽ. ▷ d Ille autem a videns eam d dixit b ei a Confide d filia, fides tua te saluã fecit, b vade in pace b & esto sana a plaga tua. a Et salua facta est mulier ex illa hora. b Adhuc illo loquente † venit nuntij ab archisynagogo dicẽtes: Quia filia tua mortua est, b quid vltra vexas magistrũ? c Noli vexare magistrũ. b Iesus autẽ audito verbo a hoc b quod dicebatur, ▷ b ait archisynagogo a patri puellæ b Noli timere ‖ tantũmodo crede, c & salua erit. Et venit in domũ archisynagogi. d Et c cum vidisset a Iesus in

mum a principis † b non permisit intrare secum quenquam, nisi Petrũ, mẽtem ac Iacobum & Ioannem b fratrem Iacobi, a & patrem, & matrem a b. verò puellæ. Eiebant autem omnes & plangebant eam, a & ▷ vidit a tibi † b eum cines & ‖ c turbam tumultuantem, b & flentes & eiulantes multũ. ▷ a. Et ingressus † b ait illis: b Quid turbamini & ploratis? c Nolite flere a c At ipse Recedite, d non est a enim b mortua puella, sed dormit. Et † deridebant † c. venit eum a scientes quòd mortua esset. ▷ c Ipse verò eiectis omnibus b assũpta quida a. mit patrem & matrem puellæ, & qui cum eo erant, & ‖ a ingreditur b vbi puella erat iacens. † d ipse autem tenens a manum puellæ, a pẽ synagoclamauit ▷ d dicens: b Talitha cumi, quod est interpretatum, d Puella (b tibi dico) d surge. a Et reuersus est spiritus eius, d & surrexit a puel ei. ▷ c. restla ‖ b continuò, b & ambulabat erat autem annorum duodecim. b Et põdit ‖ a. ei, qui puerum b supore magno a parentes eius. † b Et præcepit illis b vt crede tamhementer vt nemo id sciret. [&] a ne alicui diceret quod factum tũ † b. non erat. b Et iussit † dari illi manducare. a Et exiit fama hac in vniuersam terram.

Hæc illo loquente ad eos. Matthæus id subiungit quod præcedentia mox subsequutum est, quemadmodum significat dum dicit hæc illo loquente, vbi etiam Græcis est participium præsentis tẽporis λαλοῦντος vt ne quis putet præsens hic, vt sæpenumero in nostra versione, positum pro præterito. Diligenter autem explicãt Marcus & Lucas hunc, qui pro filia rogaturus venerat, fuisse principẽ synagogæ, significantes in condẽnationem Phariseorũ & Scribarũ quanta iã esset fama, & opinio nominis Christi: quando nõ solum simplex turba, sed etiam principes Iudæorum tãti Christum facere sent, vt desperatã suorum salutem non dubitarẽt ab eo petere, etiã adorando ipsum, hoc est, vt habet Marcus & Lucas procidendo sup pliciter ante eũ; quanquã fere omnes Pharisæi & Scribæ Christo contrarij essent, eumq; calumniarentur. Verum difficultas nõnulla est quomodo Marcus & Lucas dicant eum dixisse filiam eius in extremis fuisse, Matthæus verò, filia mea modo defuncta est. Verisimiliter autem, vt apparet, dicetur Matthæum breuitati studentẽ posuisse nõ tam eam petitionem, qua primo aggressu dominũ prẽcarius est, quam eam, qua postea nuntiata filij morte dominũ præcabatur, idque nõ verbis, sed fide potius, & desiderio animi: quod ostẽdebat credendo verbis domini salutem filiæ pollicentis, eumq; deducendo & sequendo in domum. Ergo quoniã paucis narrare voluit Matthæus rogatum esse dominum, vt faceret quod eũ ‖ b postea fecisse manifestum est: secundam principis huius petitionem signo magis, quam verbis expressam cum prima eius petitione coniunxit.

Et surgens Iesus sequebatur eum. Quanquam bis imperfecta esset fides huius archisynagogi (nã & putauit dominũ ægrã filiã nõ posse sanare, nisi & præsens adesset & manũ ei imponeret. Dixit enim: dare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet, hoc est sana erit, liberaque à morte imminenti) tamen quia pro tempore illo fatua magna illa erat de domino fides, non reiicit eam dominus, sed obsequi volens sequebatur eum.

Et ecce mulier quædam, quæ fluxum sanguinis patiebatur. &c. Benè pro maiori miraculi commendatione Euangelistæ maximè Marcus, & Lucas, morbi magnitudinem, & mulieris miseriam describunt; dum primo significant morbum valde fuisse diuturnum, & secundò tam incurabilem, vt arte medica non solum non potuerit curari, quanquam & complures id tentassent medici, & ab eis multa perpessa esset mulier, idque cum facultatum omnium dispēdio, sed etiam in peius semper proficeret: vt iam mulier hæc multis nominibus fuerit misera, & miseranda.

Cum audisset de Iesu venit in turba retrò, & tetigit, &c. Cum audisset, inquit, de Iesu, quæ scilicet, & quanta fecisset miracula curando hominum infirmitates, quodque circa illa loca esset. Quo significatur subita & facilis, fides huius mulieris. Non enim viderat adhuc Christi in curandis morbis potentiam, & benignitatem, sed tantum audierat de Iesu, & mox admirabilem fidem de illo concipiens miscet sese confertæ multitudini, accedit dominū, sed retro, & latenter. Dicebat *enim* intra se, scilicet *si vel tantum vestimentum eius tetigero sana ero à plaga mea.* Porro fimbria, quam tetigisse hanc mulierem scribunt Matthæus & Lucas ea erat, quam dominus, sicut omnes Iudæi gerebant in inferiori parte vestis, in quatuor angulis ipsius, secundum præceptum Mosi quod habetur Num. 15. & Deuteron. 22. Sed meo iudicio videtur magis ob id fimbriam voluisse contingere, quam aliā quamuis vestis partem, quod ea insigne esset Iudæorum sanctitatis, ac distinctionis illius populi à reliquis gentibus indicium: vnde Pharisæi tanti fimbrias has à lege præscriptas fecerunt; vt quo sanctiores cæteris viderentur, fimbrias suas magnificarent. Non est autē putandum mulierem hanc existimasse fimbriæ aut vesti virtutem aliquam sanandi inesse, hoc enim, vt falsum erat ita superstitiosum fuisset credere, ac proinde non fuisset ipsius fides tantopere à Domino laudata: sed Christum credidit tam sanctum, tamq; per omnia saluificum, vt vel hactenus illi appropinquans confideret se ab ipso, aut à Deo per ipsum consecuturam salutem; quemadmodum ossa Helizæi in sese non habuerunt eam virtutem, vt solo contactu resuscitarent mortuum, sed ad declarationem sanitatis illius, Deus cadauer contingens Prophetæ ossa resuscitauit.

Fimbriæ Christi an virtus fuerit sanandi.

Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat, &c. Virtus dicitur exisse à Domino non corporaliter, & localiter quasi scilicet illum reliquerit, sed ratione effectus; videlicet quia virtus sanandi, quæ erat in Christo extra ipsum operabatur in mu-

liere, aut quia effectus ille miraculosus causatus sit à Christo. Loquitur autem Euangelista, similiter & Christus dicens apud Lucā: *Ego noui virtutem de me exiisse*. Materialius iuxta captū simpliciū: qui intelligebant Christi corpus esse veluti vas quoddam plenum virtute, & efficacia sanandi, ex cuius plenitudine aliquid difflueret ad eos, qui curabantur, quemadmodum à calore intenso calor diffunditur. Dicit autem Euangelista Christum in semetipso cognouisse virtutem de se exisse, & idem dominus de se dicit: non quod hoc cognouerit ex corporis sui sensibili aliqua mutatione, sed quod hoc cognouerit spiritu suo diuino, quem nihil latere potuit: quanquam hic rursus Euangelista & Christum locutus sit iuxta captum simplicium, quasi in seipso ex aliqua mutatione senserit efficaciam. Noluit autem dominus ipse indicare quis se tetigisset, nec miraculi modum; sed ipsam mulierem voluit aperire omnem veritatem, vt sic miraculum esset commendatius, præclariusq;, & verius esse crederetur. Itaq; quo confessionem miraculi extorqueret primùm quidem conuersus dixit: *Quis me tetigit?* Loquens nō de vulgari tactu, de quo intellexit Petrus, & alij, sed de tactu cū fide, quo tactu, cum turba omnis Christum præmeret, sola hæc mulier Christum tetigit. Deinde vero etiam *circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat*. His autem signis mulier intellexit statim dominū etsi interrogantem & circumspicientē non ignorare eam, quę tetigisset, sed tātum requirere confessionē. Proinde timens animo, ac tremens corpore, nimirum quod metuebat ob furtiui acceptā sanitatē dominum offensum malum morbi reuocaturum, aut etiam peius inflicturum; aut saltē acriter obiurgaturum eā, procidit ante eum omnē veritatem ei aperiens. Itaque quod dicit Matthæus breuitati studens: *At Iesus cōuersus & videns eam dixit, &c.* Non sic est intelligendum, quasi dominus tunc eam viderit, & allocutus sit mox cum se conuertisset: sed postquam conuersus esset, & ea cognitissent, quæ postea narrant Marcus & Lucas, & illa tandē se prostrasset ante dominum tunc demum dominus eam videns dixit: *Confide filia*, hoc est bono esto animo, nec metuas tibi à me sanitatem eripiendam: adeo enim non displicet tua in me ista fides, vt hæc ipsa tibi salutis causa fuerit impetrando scilicet & promerendo eam. Sic enim solum dicitur fides saluum facere, & non effectue. Quod verò sequitur: *Vade in pace*, hunc habet sensum; abi animo existens posthac tranquillo, quæ ob morbi malitiam, & metu fusturatæ sanitatis in tranquillo fuisti animo, volo tibi acceptam sanitatem ratam esse, atque perpetuam. Cum enim dicit *sana esto à plaga tua*, non sanitatem confert quam iam acceperat, sed acceptam se ratam habere declarat, eamque confirmat. Quare cum subiicit Matthæus; *Et salua facta est mulier ex illa hora*, non sic est accipiendum, quasi ab eo tempore quo Christus eam allocutus fuit,

Fides quo modo aliquem dicatur saluare.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit, sanitatem receperit, sed salua facta est ex illa hora, qua scilicet hæc gesta sunt. De muliere autẽ illa, quæ qualisque fuerit scribit. Euseb. libr. 7. Eccles. Hist. cap. 14.

Adhuc illo loquente veniunt nuntij ab archisynagogo, &c. Hoc est, ab archisynagogi domo, quomodo Terentius dixit. exit à nobis, id est, à domo nostra. Itaque cum ad desperandum prouocaretur à nuntijs non credentibus dominum mortuam posse suscitare, quod eum nondum scisse audierant, à domino ad fidem animatur: *Noli*, inquit *timere, tantum crede & salua erit*, quasi dicat; Vidisti quã efficax fuerit mulieris huius fides, audisti dictum ei, fides tua te saluam fecit: & tu ergo etiam tantum crede, & propter fidem tuã salua erit. Non enim difficilius est mortuam reuiscitare, quam incurabili morbo laborantem sanare.

Et veniunt in domum archisynagogi, &c. Noluit dominus multos tanto miraculo interesse, sed & prius omne turbam cum discipulis dimisit, & ingressus domum eiecit omnem turbam tumultuantẽ, & plangentem, non solum in humilitatis exemplum, & vt ostentationis notam effugeret, sed etiam vt Pharisæorum inuidiã declinaret, a quibus nec dũ tẽpus erat vt pateretur, atque ne in se turbe fauorẽ nimis accenderet, rapientque illum ad creandũ sibi in Regẽ. Paucos tamen quosdã interesse huic miraculo voluit qui scilicet suo tẽpore certi essent, & fide digni narrati miraculi testes. Horo tibicines quos dominus dicitur inuenisse in domo, erant qui eõ duci solebant, vt suis modis excitarẽt luctum in vicinis & amicis, ad quorum modos (vt testatur Lucianus in dialogo de luctu) gentes, à quibus Iudæi hunc ritum videntur mutuati, solebant ciulatus omittere, & pectus pulsare. Hos ergo simul cum omnibus plangentibus eam eiecit dominus dicens: *Recedite: non est enim mortua, &c.* quasi dicat, lugetis hanc, & ad lugendum commouetis velut mortuam, at non est mortua, mittite igitur luctum: vestrum & tumultum. Et quidem verè mortuam esse sciebat, dicit tamen non esse mortuam, quòd sibi non esset mortua, quodque mox esset vt lur à somno excitanda, nec ita esset mortua sicut illi existimarũt.

Tibicines quorsum adhibiti in funeribus.

Ipse autẽ tenens manũ puellæ, clamauit dicens: Talitha-cumi. Quod clamauit, sicut & cum Lazarum excitabat, significabat se non præsentem vocare animam, sed absentem: itemque mortis potentiã omnium quidẽ creaturarũ viribus maiorẽ, sed verbo, & iussu suo inferiorẽ. Marcus autẽ ipsa domini verba recẽlet *Talitha-cumi*: quorũ alterũ germanè Hebræum est, nempe cumi, quod surge significat, alterum verò, nempe Talitha Chaldæum est aut Syriacum, & puellã significat. Cum autem Marcus expositurus Hebraica illa vocabula dicit, *quod est interpretatũ puella tibi dico surge*, non est putandum etiã illa verba, tibi dico includi in duabus illis dictionibus: sed Marcus illa de suo adiecit, quo sensum vocantis, & imperantis

rantis exprimeret. Bene autem Lucas subiunxit; *Et reuersus est spiritus eius*: significans non aliam illi infusam animam, sed eandem illam, quæ corpus dimiserat, in corpus redisse. In signum autem veræ vitæ & perfectæ sanitatis & ambulare puellam voluit, & cibum illi dari a parentibus. Quod verò præcepit parentibus & discipulis ne cui dicerent, quod factum erat, quamuis sciret factum nõ posse occultum esse, eiusdem de causis fecit, quibus turbam omnem eiecit, nec nisi paucos voluit esse comites: videlicet vt effugeret tum apud eos, qui aderant, tum apud eos, quibus illi narraturi erant, notam captatæ, & quasi captæ glotiæ humanæ: deinde vt & Pharisæorum inuidiam declinaret, & populi fauorem non minus in se accenderet, qui discretionem nonnunquam & ordine carens seditionum author est. Quantumuis autem dominus, quantum in se erat, hoc miraculum occultum esse voluit; *exiit tamen miraculi fama in vniuersam terram illam.* Sequitur enim gloria, & laus maxime fugientes.

Duo cæci curantur & vnus dæmoniacus. Matthæi 9. CAP. XXXV.

ET transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cæci clamãtes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Cùm autem venisset domum accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. & comminatus est illis Iesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerũt eum in tota terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et ejecto dæmonio locutus est mutus, & mirata sunt turba dicentes: Nunquam sic apparuit in Israel. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

Et transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cæci, &c. Cum è domo Principis Dominus transiret in domum suam, duo cæci, qui rumorem miraculorum acceperant atque ex eo conceperant spem adipiscendæ sanitatis, præsertim cum audissent illius beneficentiam nulli non expositam quantumuis humili: sequuntur Dominum appellantes eum procul ingenti clamore, quo desiderium sanitatis, & ardorem fiduciæ declarabant. Porro quod Filium Dauid vocant: significare voluerunt illa periphrasi ipsum esse Messiam. Quoniam enim celebre erat apud Iudæos Messiam nasciturum ex semine Dauid; ipsum propria periphrasi vocabant filium Dauid. Dicunt autem tantum *miserere*, nimirum quod crederent sola misericordia opus esse, vt à Christo visum reciperent tamtam enim esse eius potentiam, vt si accedat gratui-

Filius Dauid periphrasis Messiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta misericordia, mox consecuturi sint, quod quærebant.

Et dicit illis Iesus: creditis quia hoc possum facere vobis? Vide quã perfectam, & magnam declaret illorum fuisse fidem. Non enim dicit, Creditis quia hoc possum impetrare vobis, aut creditis quia istud potest fieri per me, sed quia hoc possum facere vobis: significans penes se esse authoritatem tanandi potestatem, quod & credere se cæci professi sunt. Hinc patet rursum, quemadmodum prius diximus verbum, credere, & nomen fides in Euangeliis non significare simpliciter fiduciam, sed assensum intellectus, quo firmiter alicui tanquam vero assentimur. Hæc autem duo, nempe credulitas, & fiducia, simul videntur includi in nomine fides, cum subditur dixisse dominus; *secundum fidem vestram fiat vobis*; vt sit sensus, Sicut creditis me posse vos sanare, & ob hoc confiditis me curaturum vos, ita fiat vobis. Non enim efficax est fides sine fiducia.

Et comminatus est illis Iesus dicens: Videte ne quis sciat, &c. Pro verbo comminatus, est hic ἐμβριμώμενος, quod proprie significat acriter, & velut iracundè comminari ac cum austeritate. Vox est enim à fremitu dicta. Quare autem Dominus acriter hoc illis iniunxerit, prius dictum est. Verum dubium est an isti, & alij quibus etiam Christus silentium indixit, peccauerint diffamando, hoc est, diuulgando eum, & famam eius vbique spargendo. Proinde dicendum Christum, cum silentium partari miraculi quibusdam præcepit, non præcepisse hoc tanquam habentem potestatem & autoritatem obligandi aliquem, sed solum ex humilitate: ita vt ostendere tantum voluerit se suam non quærere gloriam ex factis miraculis; & instruere sanctos, vt quantum in se est, declinent humanam gloriam. Quare cum omnes intelligerent hoc præceptum esse humilitatis desiderium, non malè fecerunt prædicantes Dominum: cum ad id tum ex naturali gratitudinis debito, tum ex debita virtuti laude tenerentur.

Capite superiori.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, &c. Mox egressis è domo cæcis offertur Domino miserrimus homo; qui obnoxius dæmonio, quod illi linguæ vsum adimebat, nec mentis erat compos, vt salutem optare posset, nec linguæ, vt postularet. Quare dominus nullam fidem ab eo requirens, sed id offerẽtium fidem respiciens; nihil cunctatus, nec interrogans quicquam, eiecit dæmonium, *& protinus locutus est mutus.* Non enim erat natura mutus, sed dæmon linguam eius ligauerat.

Et mirata sunt turbæ dicentes: Nunquam sic apparuit, &c. Ratio istius admirationis in turbis, non erat vnicũ illud curati demoniaci miraculum: sed quia videbant eum tam multa, tamque magna, cum tanta celeritate, facilitate, & autoritate patrare miracula, cum

cum reliqui Prophetæ pauciora fecerint miracula, & non nisi per inuocationem nominis diuini, & preces. Videtur autẽ *Verbum apparuit* hic poni impersonaliter, vt sit sensus: Nunquam visa sunt huiusmodi mirabilia in gente Israelitica, quam solam præ omnibus gentibus variis magnisque illustrauit miraculis. Cæterum turbis præferentibus Christum omnibus Prophetis Phariſæi inuidie stimulis concitati è contra detrahebant: calumniantes eum eicere dæmonia non virtute diuina, sed ope Beelzebub principis dæmoniorum: notantes eum arte magica dæmones eicere.

Finis primæ partis, quæ continet explanationem Capitũ Concordiæ triginta quinque, hoc est præter pueritiam Christi, acta eius à baptismo vsque ad secundum Pascha, acta scilicet vnius anni, & aliquot mensium.

PARS SECVNDA

Continens Acta Christi, à secundo Paschate vsque ad tertium, hoc est Acta secundi anni prædicationis eius.

Sanato in sabbatho homine qui laborauerat 38. annos, disputat cum Iudæis Dominus. Ioan. 5.

CAPVT XXXVI.

POST hæc erat dies festus Iudæorũ, & ascẽdit Iesus Hierosolymã. Est autẽ Hierosolymis in Probatica, piscina quæ cognominatur Hebraicè Bethesda quinq; porticus habẽs. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorũ, claudorũ, aridorũ, expectantiũ aquæ motũ. Angelus autẽ Domini descẽdebat secundũ tempus in piscinã, & mouebatur aqua. Et qui prius descẽdisset in piscinã post motionẽ aquæ, sanus fiebat à quocũq; detinebatur infirmitate. Erat autẽ quidã homo ibi triginta & octo annos habẽs in infirmitate sua. Hũc cũ vidisset Iesus iacentẽ, et cognouisset quia multũ iã tẽpus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: domine, hominẽ non habeo, vt cũ turbata fuerit aqua, mittat me in piscinã: dũ venio enim ego, alius ante me descẽdit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatũ tuũ & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, et sustulit grabatũ suũ & ambulabat. Erat autem sabbathum in die illa. Dicebant ergo Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbathum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula. Interrogauerũt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus effectus fuerat, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit a turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis quia Iesus esset qui fecit eum sanũ. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbatho. Iesus autẽ respondit eis: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebat eũ Iudæi interficere, quia non solũ soluebat sabbathũ, sed & patrem suũ dicebat Deum, æqualẽ se faciens Deo. Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Amen amen dico vobis, nõ potest filius a se facere quicquã, nisi quod viderit patrẽ facientẽ: quæcunque enim ille facit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filiũ, & omnia demõstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos et viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Neq; enim pater iudicat quemquã, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filiũ sicut honorificant patrẽ. Qui non honorificat filiũ, nõ honorificat patrẽ qui misit illũ. Amen amen dico vobis quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me habet vitam æternã, et in iudicium nõ venit, sed transijt a morte in vitam. Amen amẽ dico vobis quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerũt, in resurrectionem iudicij. Non possum ego a meipso facere quicquã. Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium eius quod perhibet de me. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me. Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me. Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternã habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. & non vultis venire ad me vt vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Nolite putare quia ego accusaturus sum vos, apud patrem est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitã & mihi, de me enim ille scripsit. Si autẽ illius literis nõ creditis, quomodo verbis meis credetis?

Post hæc erat dies festus Iudæorum, Nisi fateamur istud festum fuisse Paschæ; non potemus ex Euangelijs colligere Christum tres annos cum aliquot mensibus prædicasse: quod tamen a Daniele vaticinatum fuit, cum dicit Christum confirmaturum pactum multis, hebdomada vna, & in dimidio illius hebdomadæ defecturam hostiam & sacrificium, per mortem scilicet Christi antiquantem omnia legis sacrificia. Et vero ad designandum annos & tempus prædicationis Christi (quod ab alijs fuit prætermissum) videtur Ioannes tam accuratè Paschata annumerasse, quæ inciderunt in tempus prædicationis Christi. Quæ ergo hactenus contigerunt, acta sunt primo integro anno, & aliquod diebus, vel mẽsibus

Dan. 9.

manif-

manifestationis, & prædicationis Christi: queque ex Matthæo, Marco, & Luca iam legimus facta in Galilæa, contigerunt tribus illis vel quatuor mensibus, qui intercesserunt inter reditum Christi in Galilæam, & festum Paschæ reditum illum proxime subsequens, ac proinde duorum reliquorum integrorum annorum acta sequuntur.

Est autem Hierosolymis, in probatica, &c. Apud Græcos dictio probatica est datiui casus, cui additur præpositio ἐπί, hoc est, in vel super probatica, quomodo Erasmo teste, antiqui quidam codices latini habent. Sonat autem probatica dictio Græca idem quod ouilla, vel pecualis. Hoc ergo nomine secundum hanc lectionem intelligitur significare locus aliquis in Hierusalem, in quo fuit forum ouium, vel potius in quo colligebantur, & asseruabantur oues offerendæ à Sacerdotibus in templo. In hoc autem loco iam oportet intelligere fuisse piscinam quandam, quæ Hebraicè dicebatur Bethesda, non autem ipsam piscinam dictam probaticam [D. tamè Hieronymus planè ostendit se legisse dictionem probatica sine præpositione in nominatiuo casu, vt sit adiectiuum substantiui, piscina, quomodo & Theophylactum ex commentario suo legisse apparet.] Porro lacus iste non vocatur hic piscina, eo quod in eo pisces viui asseruarentur. Est enim Græce hic κολυμβηθρὰ, quam dictionem alias Naratoriam vertit Interpres. Nec, tamè hic malè vertit. Nam quanquam initiò piscinæ dictæ sunt à piscibus, qui vi ui in eis seruabantur: tamen generaliter postea latini piscinam pro naratoria acceperunt, imò & vasa lignea ampliora à Plinio piscinæ vocatæ sunt, [Hebraicum autem huius piscinæ nomen nempe Bethesda si, vt est omnino verisimile, compositum sit ex בית & חסדא significat domũ, seu locum effusionis Bethesda ergo dicebatur hæc piscina, quod è rectis, & alijs æditioribus locis aqua effunderetur in eam, siue quod ex altero illo lacu, quem hiberim aquis adimpleri solitum, scribit Hieron. aqua inundaret nõnunquam, & effunderetur in hanc piscinam.] Quinque autem istæ porticus hoc est, vacuæ domus, quæ erant veluti ambulacra, in circuitu laci videntur extructæ fuisse, vt in illis ægroti dæmorarentur, vt apparet ex sequentibus. Dicitur enim: *In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, &c.* Hoc est contractorum, aut qui aliquam partem corporis habuerunt aridã.

Probatica

Piscina

Iram. 9.

Bethesda.

Lib. de locis Hebraicis.

Angelus autem Domini descendebat secundum tempus, &c. Græce non est autem, sed enim. Nam reddirur ratio, quare ibi aderat languentium multitudo. Nec est Domini, sed tantum Angelus enim. Quod autem dicitur Angelus descendisse secundum tempus, hoc est certo tempore, sic est accipiendum, vt significetur non semper quidem Angelum mouisse aquam, sed certis quibusdam temporibus, quæ tamen hominibus erant incognita, idque non solum semel

mel in anno, sed frequenter, vt est verisimile. Ideo enim in porticibus decumbebat multitudo magna languentium.

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens, &c. Hunc ex omnibus languentibus hic iacentibus, quo miraculum esset insignius, vnum elegit Dominus, qui & erat maximè deploratus, & maxime miserandus, vt & qui immedicabili, & vetustissimo morbo tenebatur, & humano subsidio destitutus erat, quo tèpestiuè deferretur in aquam. Interrogat autem Dominus ægrum, num velit sanus fieri quamuis id notissimum esset; primum quidem vt ægri patientia omnibus manifesta fieret, deinde vt ex eius verbis morbi vis, & humani subsidij inopia conspicua fieret, postremum, vt illum excitaret ad petendum aliqualiter opem à se, sicque disponeret ad perceptionem beneficij. [Non dixit autem Dominus, vis te sanè, tum quia erat ab omni arrogantia alienus, tum quia æget nequaquam ipsum agnosceret quare nec fidem ab eo requisiuit.] Itaque æger etsi Christum non cognosceret (nam Dominum eum vocat tantum honoris causa Hebræo more tamè aliquid bonæ spei concipiens ex tam alacri, & benigna interrogatione, indicat sibi non deesse voluntatem, & desiderium salutis, deesse autem opem baiuli, per quem maturè deportaretur in aquam huiusmodi responsione verecundè à Domino petens, vt ipse, qui validus esset, ac, vt videbatur ex compellatione, misericors, sese deferret, cum esset tempus, in piscinam, non ausus tamen id à Domino explicitè, & aperte petere.

Dicit ei Iesus; Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Statim quèadmodũ alteri paralytico præcepit Dominus tollere lectum suũ in testimoniũ perfectæ sanitatis, ita & huic ægro. Et quanquam esset Sabbathum, in quo secundum legem alicui nõ licuisset alioqui lectum tollere, voluit tamen in Sabbatho istud Dominus fieri, tum quia in hoc facto licebat, cum esset ob gloriam Dei, sicut ob eam licebat cædere Sabbatho victimas, tum quia per istud factum quod Iudæi purabant Sabbathis esse illicitum voluit se demonstrare esse Dominum Sabbati. Porro Iudæis sanatum languidum reprehendentibus, quod grabatum suum tolleret in Sabbatho, pulchrè ille respondit: *Qui me sanum fecit, &c.* Emphatice notare volens & illius autoritatem, & diuturnã morbi sui grauitatem. Cum autẽ hoc audito responso Iudæi ob tantum miraculum debuissent Deũ glorificare, sanato gratulari, & miraculi auctorẽ suspicere: contrà eo quod peruersè essent religiosi salutis autorem requirent ad nocendum. Et vide hic Iudæorum istorum malignitatem. Cum enim sanatus dixisset duo, nempe, qui me sanum fecit, & ille mihi dixit, &c. Hi non nominant Christum ab eo quod in eo commendari poterat, vt dicerent: Quis est qui te sanum fecit, sed describunt eum ab eo quod videbatur calumniæ esse obnoxium, dicentes: *Quis est homo*

homo ille, qui dixit tibi, tolle, &c. Is autem qui sanus factus fuerat, etsi iam de facie Iesum nosse poterat, non tamen nouerat eum de nomine, vt ipsis eum nominare posset. Cuius causa redditur, cum subditur; *Iesus enim declinauit à turba, &c.* Quoniam enim Iesus mox seipsum subtraxit, non potuit languidus, qui videtur prius nunquam dominum vidisse, vel à domino, vel ab alijs intelligere quis esset.

Postea inuenit eum Iesus in templo, orantem videlicet, vt est probabile, & Deo pro accepta sanitate gratias agente. *Et dixit ei, ecce sanus factus es. &c.* significans scilicet propter peccatum ipsum incidisse in morbum, tibique occulta etiam hominum peccata præterita nota esse. Quod autem homo ille abiens nūcia uerit Iudæis Iesum fuisse, qui se sanasset, non videtur ex malevolentia fecisse, sed potius pio affectu: volens Iesum tanquam diuinum hominem, & omnibus colendum Prophetam commendare. Vnde non respondit quod Iudæi interrogauerant, quis scilicet dixisset ei tolle grabatū. &c. sed quis se sanum fecisset, beneficium nominans, non factum; quod calumniari posse videbantur. Iudæi autem cognito iam miraculi huius auctore: partim quod inuidia gloriæ Iesu succensi essent, partim quod caput veræ religionis non tenerent, nec intelligerent, sed spem solum religionis externam amplectetentur: non iam solum calumniabantur factum, & facti auctorem; sed etiam persequebantur eum, & querebant eum occidere (vt habetur in Græcis codicibus) non ob aliud quam quia hæc fecisset, & faceret in Sabbato: cum meritò intelligere debuissent, eum qui hæc facere potuit, legibus Sabbathi teneri non posse; & deinde ea quæ fecit, talia esse, quæ legi Sabbathi non essent prohibita, vt qui cedebant in gloriam Dei, & salutem hominum promouebant.

Iesus autem respondit eis; Pater meus vsque modo operatur. Est in hac Domini responsione occupatio eius, quod Iudæi fuerant Domino obiecturi. & simul retortio calumniæ in Deum, cuius auctoritate putabant se Iudæi Christum rectè calumniari. Nam Exodi 20 cum in Sabbatho interdicitur omne opus, adijcitur pro causa, quod Deus post opera sex dierum requieuerit die septimo, vnde colligere poterant Iesum non esse ex Deo, quod non cessauerit operari in Sabbatho, in quo etiam Deus requieuerit, & ob hoc etiā requiescere homines voluerit. Contra ergo Dominus se defendit, eo quod etiam Deus Pater operatur in Sabbathis, ostendens verum intellectum Scripturæ asserentis Deum requieuisse die septimo. Nō enim sic dicitur requieuisse, quasi nihil omnino operetur. sed quia non operatur noua genera. & species creaturarū. & propterea non absolutè dixit Moyses Gen. 2. requieuit die septimo, sed apposuit; ab vniuerso opere, quod patrarat. Præter autem hanc Dei operationem, qua ab initio nouas creaturarum species condidit,

est alia eius operatio, gubernatio scilicet, & prouidentia creaturarum & conseruatio earum, ob quam alia ex alijs progenerat collapsa reitaurat, cælestia in continuo suo motu cōtinet, & c. Atque hæc est operatio, quam dicit Patrem vsque modo operari. Notandum autem illud: *& ego operor*, dupliciter posse accipi. Primò illatiue, vt sit sensus iam dictus: Quia Pater operatur etiam in Sabbatho, propterea & ego operor. Secundò vt sit sensus; Pater meus vsque modo operatur, & ego vsq; modo simul cum eo operor: quia quæcunque operatur, per me operatur. Quare quandoquidem mihi semper operandum est cum illo, non debuiam ab hoc opere cessare, quod calumniam in me cum sit vnum ex his, quæ Pater mecum semper, & quouis die operatur.

Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere. &c. Non solum soluebat Sabbathum secundum ipsorum scilicet sententiam. Nam reuera non soluebat. Sic reuera etiam non faciebat se æqualem Deo, sed secundum illorum sententiam. Nam ab initio erat natus Deo æqualis. Iudæi domini responsione non solū non sunt mitigati, sed multo magis exacerbati, duo iam in verbis eius culpantes. Primum quod ipsum Deum faceret patrem suum, vel vt habent Græci significantius *ἴδιον*, hoc est, proprium. Secūdo, quod æqualem se Deo faceret, quod ex eo intellexerunt, quia seipsum æquabat Deo in operibus, & autoritate faciendi quæ vellet quotiis tempore, eo quod dixerit se operari, quæ ille operabatur; aut ideo operari in Sabbatho, quia ille operabatur.

Respondit itaque Iesus & dixit eis. Respondisse dicit Iudæis impugnantibus ipsum de duobus, videlicet de ipso facto, & facti defensione.

Non potest filius ex se facere quicquam, nisi. &c. Sensus est, filius nō potest aliquid facere ex se, sed tantum (debet enim nisi, hic accipi pro sed tantum) id potest facere, quod videtit Patrem facientem, quem sensum & constructionem sequitur Chrysost. & alij, Itaque illud, *non potest*, non solum non arguit potentiæ defectum, quomodo nec cum dicitur Deum non posse peccare, sed etiam summam filij perfectionem declarat. Nam præterquam quod hac oratione, Non potest filius à se facere quicquam, significatur filiū non posse Deo esse contrarium, quod summę est perfectionis, & primo est a Saluatore his verbis intentum: significatur etiam satis identitas naturæ Patris & filij. Nam quod non potest filius aliquid facere ex se ipso, hoc ipsum est propter identitatem naturæ, quam à Patre accepit. Sicut è contra omnis creatura rationalis ideo potest aliquid ex se, quia habet aliam à Deo naturam, cum veto sequitur. *Nisi quod viderit Patrem facientem*, sic est intelligendum, quia id facit, quod scit Patrem etiam secum, & per se facientem.

Quæcunque enim ille facit, hæc & filius similiter facit. Debet hæc sententia vt bene probet & explicet superiorem, sic intelligi: Quæcunque enim Pater facit hæc eadem omnia & sola etiam filius similiter facit. Sic enim ex hac sententia consequitur filium nihil facere ex se, sed tantū id, quod Pater facit plus tamē dicitur videlicet quod omnia illa faciat, quæ facit Pater. Adiectum est etiam aduerbium similiter, quo significatur filium non solum eadem facere, quæ facit Pater, sed etiam simili modo. Similitudo autem modi faciendi consistit in qualitatibus agentis ad ipsum opus. Quanquam enim Pater, & filius non similiter se habent adinuicem, similiter tamen se habent ad communia ipsorum opera. Similiter ergo facit filius, quia cum æquali libertate, scientia, dominio, potestate.

Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ, &c. Declarat modo vtramque suprædictam sententiam, ostendens vnde fiat, vt omnia faciat, & videat filius, quæ Pater facit, nimirum quia Pater diligens filium, demonstrat ei omnia, quæ facit. Sed difficultas hic est, quid sit demonstrare Patrem filio quæ facit. Verum simplicius fuerit demonstrare, cum de Patre dicitur respectu filij, sic accipere, vt sit idem, quod facere aliquid illo cognoscente, ea cognitione, quam à Patre accepit. Additur autem ea cognitione, &c. quia non rectè diceretur filius demonstrare Patri, quæ facit, quia Pater ab illo non habet suam cognitionem. Itaque verbum demonstrare non significat actum illum æternum, qui est communicare filio suam naturam, & cum ea omnem cognitionē, nec significat actionem aliquam, quæ sit monstratio, sed tantum modum, quo Pater omnia facit. Ideo enim omnia dicitur Pater demonstrare filio, quę ipse facit, quia quæcunque facit, non facit sic, vt filio sint, vel esse velit occulta: sed sic facit, vt filius per cognitionem sibi communicatam ab æterno omnia cognoscat.

Quatenus Pater dicatur omnia demōstrare filio quæ facit.

Et maiora his demonstrabit ei opera vt vos miremini, &c. Maiora opera, quæ Pater filio est demonstraturus, vt ex sequentibus patet, sunt resuscitatio mortuorum, & iudicium omnium viuorum, & mortuorum: quæ sunt maiora opera quam fuerant quæ hactenus apud Iudęos Christus fecit, sanando paralyticum, aut quosuis alios morbos curando, & eijciendo è templo ementes, & vendentes. Resuscitationis autem opus Pater demonstratus erat in resuscitatione Lazari, vnde consecutura erat in Iudæis admiratio maxima. Et rursum in generali corporum resurrectione, ac animarum per gratiam suam viuificatione. Nam cum sequitur;

Sicut enim Pater suscitat, &c. Videtur propter sequentia triplicem simul hanc Deo propriam resuscitationem complexus. Miro autem modo hac sententia significatur ita filium, quā habet potentiam à patre accipere, vt tamen Patre in potentia non sit inferior. Quia enim filius est, necesse est à Patre habeat, quod potest, à quo habet & naturam. Quia vero sic viuificat, sicut Pater, & æque libere: necesse est potentiam eius non esse inferiorem. Non est autem sensus Patrem quosdam seorsum viuificare, ac filium item simili modo alios seorsum quos vult viuificare: sed sicut Pater mortuos viuificat, idque ei proprium est secundum scripturas, ita & filius cum eo quos vult viuificat.

Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium &c. Potest rectè accipi hæc sententia, vt per eam probetur superior. Nam ex eo, quod omne iudicium filio sit commissum, quæ summa est potestas, non nisi Deo conueniens; consequitur eum etiam viuificare posse, quos velit. Iudiciariam enim potestatem etiam Deo proprium faciunt scripturæ. Itaque intelligere oportet datum filio iudicium in incarnatione ipsius, quando assumpta forma, in qua ab omnibus videri posset, dedit ei potestatem iudicandi homines sensibiliter. Et illud; *Pater non iudicat quenquā*, sic intelligendum; Pater non iudicabit quenquam sensibiliter, cui non sit homo, qui videri ab impijs iudicandis possit, & sensibili sententia iudicare. De illo enim iudicio est sermo, quo mundus in nouissimo die est iudicandus. Omne autem iudicium vocat vniuersale iudicium, vel omnes tam bonos, quām malos iudicandi potestatem. Quod vero sequitur;

Vt omnes honorificent filium, &c. Rectius secundum Theophyl. & alios refertur tantum ad immediatè præcedens hoc sensu: Ideo Pater dedit Filio omne iudicium, vt omnes ob iudiciariam potestatem filium reuerentes honorificarent illum. Iudici enim honor debetur. Huiusmodi autem Iudici, cui omne iudicium traditum est, debetur honor diuinus, cum necessario oporteat eum, qui talis sit Iudex, propter hominem etiam Deum esse. Proinde bene dicit, *sicut honorificant patrem*, hoc est honore diuino, & cultu, quem vocant Latriam. Aduerbium enim sicut hic, & superius, non similitudinem, sed æqualitatem potius, imò identitatem significat, hoc est similitudinem omnimodam.

Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, &c. Postquam dixit Patrem velle Filium honorari sicut seipsum, iam etiam amplius dicit significans primum quidem non solum decere, vt Filius honoretur sicut Pater, sed etiam necessarium esse debitum. Si enim non honorare Filium, est non honorare Patrem, debitum etiam est honorare Filium. Additur; *qui misit illum* in mundum scilicet hominem eum faciens; vt indicet rationem eius quod dixit. Qui enim non honorat legatum alicuius, hoc ipse etiam non honorat, sed dehonorat mittente. Additur *& Patrē*. Nam hęc est altera ratio honorationis Filij: honorandus est enim Filius, tum quia Filius Patris honorandi, tum quia legatus eius, qui ab omnibus est colendus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, &c. Ostendit modum, quo viuificari potest anima per Filium (dixerat enim prius Filium, quos vult viuificare) si scilicet audiat verbum, hoc est, doctrinam Filij, & credat. Duo enim hæc ad animæ viuificationem concurrere debent. Dicit autem, *credit ei qui misit me*, potius quam credit mihi, fidem scilicet referens ad personam Patris, quo per humilitatem sermonem suum faceret Iudæis susceptibiliorem, nec illi tanquam iactabundum ipsum reiicerent. Cum autem subditur; *habet vitam æternam*, & non dicit habebit; manifestum est eum loqui de vita Animæ, quâ per fidem iustificatus consequitur in hac vita fidelis. Habet enim is inchoatiuè vitam æternam in se manentem, quæ in Dei cognitione & adeptione cõsistit, quæque perficietur depolito mortali isto corpore, atque eodem resumpto etiam in illud diffundetur, ab omni miseria, & malo illud liberans. In eo vero quod sequitur.

Et in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam, sciendum apud Græcos prouenir, esse verbum ἐρχ τται, quod cum sit præsentis temporis, accipitur nonnunquam pro futuro. Pro transiit autem Græcis indubie est præteritum tempus μετᾶβέβηκε, quod tamen etiam à quibusdã Græcis exponitur per futurum, vt prophetico more præteritum accipiatur pro futuro positum. Itaque hic duplex consurgit sensus. Nam si præteritum transiit (sic enim constat esse legendũ) accipiatur præteritiuè, sensus est; Non venit, hoc est, non est venturus in iudicium, hoc est condemnationem mortis æternæ, sed iam etiam ante iudicij tempus transiuit à morte animæ, atque à mortis æternæ obligatione, quam per peccatum inciderat, ad vitam æternam. Si verò præteritum pro futuro accipiatur, sensus est; Non veniet in condemnationem, hoc est, nõ condemnabitur morte scilicet æterna, quam peccatis suis promeuerat, sed transibit à morte corporis, ad vitam æternam. Verũ prior sensus, quem & Aug. sequitur, videtur vetisimilior.

Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando, &c. Videtur omnino probabiliter hic nondum loqui de generali corporum resurrectione, de qua postea apertè loquitur, sed de resurrectione quorundam ad vitam hanc mortalem facta à Christo in Lazaro, & alijs, per Christum, aut alios sanctos reuocatis ad vitã: qua resurrectione Dominus hic confirmare voluit, quod dixit de inuisibili animarum viuificatione, quodque dicturus est de generali corporum resurrectione, cuius specimẽ quoddam fuit resuscitatio quorundam ad vitam mortalem. Dicuntur autem mortui corpore audire vocem Filij Dei, quia sentiunt vim vocis eius; aut quia resuluti si auditent, ita voci eius obediunt quemadmodum paruit in resuscitatione filiæ archisynagogi & Lazari, quos dominus allocutus est tanquam auditum habentes, & dormientes.

Sicut

Sicut enim Pater habet vitam in semetipso sic dedit, &c. Potest ista ratio referri vel solum ad immediate præcedens, vbi agitur de viuificatione corporum mortuorum, vel etiam simul ad alteram partem, in qua agitur de viuificatione animarum per fidem. Habere autem vitam in semetipso in præsenti loco est, habere eam in sua potestate constitutam, ita vt & ab aliena non dependeat potestate, & eam impertiri possit, quibus velit, tanquam fons, & author omnis vitæ. Quod autem Pater dicitur dedisse; Filio habere vitam, Cyrillus intelligit quomodo superius cum diceretur Patrem dedisse Filio omne iudicium, verum secundum Augustinum Chrysost. & alios intelligitur Pater dedisse non gratuito, sed naturali dono, habere vitam in seipso, gignendo scilicet eum per omnia sibi similem.

Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est, &c. Sensus est, dedit ei potestatem iudicandi omnes sensibiliter in nouissimo die, idque propterea, quia ipse est homo, qui ob id sensibiliter solus potest iudicare. Quoniam enim prius dixerat Patrem neminem iudicare, sed omne iudicium dedisse Filio: hic iam illius affignat rationem, Patrem scilicet ob id neminem iudicare, quia non est Filius hominis, ac proinde videri eum non posse à iudicandis hominibus. Filium autem constitutum iudicem mundi, qui scilicet iudicium sensibiliter exequatur, propterea quod cum eo quod est Filius Dei, etiam est Filius hominis. Atqui hic videtur loci huius verus esse intellectus iudicatus à Caietano. Quomodocunque autem locus hic vel distinguatur, vel intelligatur, semper illud Filius hominis, non potest hic accipi quomodo fere alias semper in Euangelijs, vt sit scilicet appropriatum Christo: sed simpliciter accipi debet, vt sit secundum phrasim Hebraicam idẽ quod homo.

Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in, &c. Istud non solum refertur ad probandum ipsum habere potestatem iudicandi, sed & ad alia superiora, & *mirari* hic positum est pro dissuadere, aut minus credere. Porro per eos, qui in monumentis sunt, intelliguntur omnes mortui. Ab his enim, qui sunt in monumentis, & naturaliter sepulti sunt, etiam eos significauit qui non sunt naturaliter sepulti. Vox autem Filij Dei, quam audituri dicuntur omnes, qui sunt in monumentis à quibusdam simpliciter accipitur virtus eius, vt audire vocem Filij, non sit aliud, quàm sentire vim Filij volentis mortuos viuere. Sed rectius intelligitur vox ista esse ea, de qua dicit Apost. 1. Thess. 4. Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. De qua voce etiam apud Matth. cap. 24. Mittet Filius hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna. Ex quibus satis patet vocem aliquam sensibilem Angelorum, aut vnius archãgeli

Vox Filij Dei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Michaëlis ministerio formatam, quæ etiam tuba dicitur tunc futuram, qua mortui excitabuntur: quæ hic vox Filij Dei dicitur, eo quod eius iussu facta, & ab eo habens suam efficaciam. Quod autem sequitur.

Et procedent, qui bona egerunt, &c. sensus est; Et procedent, hoc est prodibunt omnes é monumentis; qui quidem bona egerunt, prodibunt in resurrectionem vitæ, hoc est prodibunt ad hoc vt resurgant ad vitam æternam scilicet, & beatam, quæ sola verè vita est, qui vero mala egerunt, prodibunt in resurrectionem Iudicij, hoc est vt resurgant ad iudicium, hoc est condemnationem à Domino contra eos mox ferendam.

Non possum ego à me ipso facere quicquam, &c. Hęc eò spectant, vt quoniam dixit iudicandi potestatem sibi datam, quia Filius hominis est nemo putet, aut metuat iudicium eius fore iniquum, eo quod omnis homo sit mendax, & falli possit. [Porro totus iste locus declarari potest de Christo, tam ratione naturæ diuinæ, quam ratione naturæ humanæ. Nam secundum naturam diuinam nihil potest Christus facere à se, quia illam non habet à se, sed à Patre, idque eandem cum Patre. Secundum item humanam naturam nihil potuit facere à se propter confirmationem animæ in homo consecutam ex vnione diuinitatis cum humanitate. Secundum vtramq; etiam *iudicaturus est, sicut a Patre audit.* Audit enim etiam secundum diuinitatem à Patre, quia à Patre habet ab æterno omnium cognitionem.] Quod autem sequitur.

Non quæro voluntatem meam, sic intelligi debet; Non quæro voluntatem mihi soli propriam, & non communem cum Patre, quia talem voluntatem non habeo; cum secundum diuinitatem vna mihi sit cum illo voluntas, sicut & vna natura secundum humanitatem vero voluntas cum eius voluntate per omnia consentiens.

Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non, &c. Cum frequenter dominus de seipso testimonium perhibuerit, & omnino verũ sit testimoniũ eius qui de seipso dicit; Ego sum veritas: quidam præsentem locum sic intelligunt, vt repetatur illud, quod præcedit à meipso, vel subintelligatur solus, vt sit sensus. Si ego à meipso, vel si ego solus testimonium perhibeo de meipso. Verum rectius secundum Cyrillum, & Chrys. intelligetur Christus istud dicere non ex propria sententia, sed ex sententia & opinione eorum, quibus loquebatur. Quoniam enim cognouit Iudæos iam apud se cogitasse, & dicere potuisse; Tu de te ipso testimonium perhibes, & ideo testimonium tuum non est verum. Nemo enim qui de se ipso testificatur, fide est dignus apud homines propter suspicionem proprij amoris: ideo anteuertens illos, quos illi dicturi erant, dixit ex eorum sententia.

Alius est, qui testimonium perhibet de me, &c. Alius iste accipi potest vel ipse Pater, quomodo accipit Cyrillus, vel potius ipse Ioannes Baptista secundum Chrysostomum. Nam de illo mox sequitur. Dicit autem; *Et scio quia verum est testimonium eius,* & eorum incredulitatem notans, & rationem subindicans ob quam auisis est hæc tam magnifica de se superius prædicare: nimirum quod certo sciret vera esse, quę de ipso perhibita sunt testimonia. Testes autem de seipso producturus dominus primum adducit Ioannis testimonium vtpote debilius, deinde vero alios tres maiores Ioanne; nempe opera, Patrem, & Scripturas. De Ioanne ergo aperte loquturus dicit,

Vos misistis ad Ioannem, significans autoritatem magnam apud Iudæos habuisse Ioannem, ita vt etiam iudicio eorum testimonium eius non posset refelli. Cum autem dicitur;

Testimonium perhibuit veritati, sensus esse potest, testimoniũ perhibuit mihi qui sum veritas, quomodo intelligit Cyrillus, aut, potius simpliciter intelligendum est, ingenuè testificatus est veritatem, & id, quod re vera testandum erat.

Ego autẽ non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico, &c. Verba hæc ego non ab homine, &c. obscura sunt primo aspectu & pugnantia cum scripturis. Verum sensus satis apparet ex subiuncta aduersatiua; *sed hæc dico vt vos salui sitis*. Cum enim dicat se ibi vti, & adducere testimonium humanum propter eorum salutem: satis patet præcedenti sententia voluisse significare, se non accipere ab homine testimonium necessarium sibi, aut ex parte sua, sed propter hominum salutem, qui pro ipsorum intellectu non nisi per humana testimonia, diuina capere possunt.

Ille erat lucerna ardens & lucens. Commendationem Ioannis subiicit, tum ne parui fieri à se Ioannes putaretur, quia dixit se non accipere testimonium ab homine (sic enim coniungit Cyrillus hæc superioribus) tum vt significaret meritò illius testimonium a Iudæis fuisse recipiendum, & eorum incredulitatẽ per oppositionem magis notaret. Lucernam autem vocat primum quoniã non suo sed alieno lumine perfulsit apud eos, qui in caligine versabantur & tenebris. Secundo quia adueniente & lucente sole iustitiæ, Ioannis lux erat cessatura. Dicitur autem lucerna ardens, & lucens: ardens quidem per internam charitatem, qua in Deum flagrabat, qua & alios accendere studuit. Lucens verò per exteriorem doctrinam, & vitæ exempla. Quod autem sequitur. *Ioãnes lucerna erat ardens, et lucens.*

Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius, hunc habet sensum: Quamuis Ioannes esset lucerna tam insignis, vos tamen non nisi ad breue tempus voluistis exultare in luce doctrinæ ipsius. Nam etsi imprimis exultantes quod vir tãtus vobis cælitus à Deo

contigisset illius doctrinam probaretis: mox tamen per inconstantiam veluti fastidio affecti eum contempsistis; ipsius de me testimonia nihili facientes, eiusque conuersationem improbates, adeo vt diceretis dæmonium habere.

Ego autem testimonium habeo maius Ioanne. Interpres illud maius Ioanne reddidit bona fide, vt habent Græca ad verbum. Nam illa habent μείζω τοῦ Ἰωάννου. Verum videtur in Græcis debere subintelligi alius articulus fœmininus scilicet μείζω τῆς τοῦ Ἰωάννου. vt sit sensus maius testimonio Ioannis. Non enim confertur testimonium cum Ioanne, sed cum testimonio Ioannis.

Opera enim quæ dedit mihi Pater, &c. Pater Filio dicitur dedisse opera secundum diuinitatem quidem, quia dedit ei eum naturæ etiam potestatem operandi, secundum humanitatem vero quia ei iniunxit, & facere dedit. Non ociosè autem repetitur

Ipsa opera quæ ego facio: facit enim ad maiorem asseuerationem huiusmodi repetitio, & pronomen ipsa, emphasim auget. Est enim sensus, etiam si nullus hominum testetur, tamen ipsa opera per se, & vltro testantur de me.

Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. &c. Addit secundum testimonium maius, nempe testimonium Patris. Est autem triplex testimonium Patris de Filio præter testimonium operum, & testimonium Scripturarum; quæ etiam Patris sunt testimonia. Primum est, quod sensibili voce redditum est primum in baptismo, deinde in transfiguratione, quando audita est vox Patris de cælo dicens, hic est Filius meus dilectus, &c. Secundum est, quod per internam reuelationem, & inspirationem redditur à Patre de Filio omnibus credentibus, de quo dictum est Petro: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Tertium est, quo testificatur per ipsa Filij à se missi verba. De quo supra cap. 3. Qui accepit eius testimonium signauit quia Deus verax est. Quæ enim misit Deus, verba Dei loquitur. Et quanquã hoc loco videatur potissimũ loqui de testimonio Patris in baptismo perhibito, propter verbum præteriti temporis, perhibuit, rectè tamen etiam alia duo testimonij genera hic simul comprehenduntur, vt ex sequentibus patebit.

Patris de Filio testimonia.

Neque vocẽ eius audistis. &c. Non est intelligendũ dictum ideo vocem Dei Patris Iudæos non audisse, quod vocem illam in baptismo factã è cœlo Iudæi nõ audiuerint, quod scilicet absentes essent. Dicitur enim nonnunquã eos audiuisse, & nõ solũ tũ cum Pater testimoniũ perhiberet voce quadã sensibili sed intelligendũ Christum loqui de voce, quæ propriè vox Patris esset, quomodo est vox aliqua animalis vox, facta scilicet corporis proprij naturalibus instrumẽtis: sicut quod de specie Patris dicit (*neq; speciẽ eius vidistis*) intelligendũ est de specie, quæ Patris nãturã in se representaret. Volens enim

enim dominus his verbis significare, quod alibi dicitur: Deum nemo vidit vnquam: & nemo nouit Patrem nisi Filius. Iam illud;

Verbum eius non habetis in vobis manens; Videtur simile illi, quod dicitur cap. 8. Sermo meus non capit in vobis, hoc est, non habet locum in vobis. Habebant enim Iudæi verbum Dei in se, quia in eis Pater testificabatur: sed non habebant in se manens, quia illud non habebat locum in eis, hoc est, nõ recipiebatur ab eis, nec fixũ fuit in cordibus eorum. Intelligitur autem rectè per Dei Patris verbum, triplex illud, de quo prius dictum est, Patris testimonium.

Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternã habere. &c. Tertium iam adiert de se testimonium maius testimonio Ioãnis, Iudæis satis apertum, magnæque autoritatis, & quod tergiuersari omnino nequeant, nimirũ scripturarũ autoritatem. Notandum autẽ quod nõ dicat legite, sed scrutamini. Multa enim sunt in scripturis obscurè dicta de Messia, multa mysteria sub litera latentia, quæ non simplici lectione, sed diligenti perscrutatione sunt capiẽda. Et Iudæi quidem semper legebant scripturas, at non satis eas scrutabantur, quemadmodum nec modo, nimirum quod in literã semper hæreant, thesauros alrè defossos nõ potentes inuenire. Nõ tandum eriã secundum hunc sensum absolutè dictum esse Scripturas nõ has, aut illas, sed omnes, scilicet legales, & Propheticas. Benè autem dicitur: *Vos putatis in ipsis habere vitam æternã*: non quod dominus velit eorum existimationem, aut expectationem reprehendere: sed quod vellet notare inane esse studium legis in ipsis, neque hoc eos consequi in eis, quod expectabant, eo quod spiritu fidei destituti tantùm literæ inhærerent, nec ad verum scripturarum intellectum, per quem vitam æternam assequerentur, peruenirẽt. Dicitur autem eos putare habere vitam æternam in scripturis, hoc est, per scripturas, scilicet per earum intelligentiam, fidem, & obseruationem. Addidit autem.

Et non vultis venire ad me vt vitã habeatis, Nimirum quòd prius existisset eos in scripturis quærere vitam; significas eos sibiipsis esse contrarios, qui cum vitam in scripturis quærerent, authorem tamen vitæ à scripturis demonstratum nollent recipere.

Claritatem ab hominibus non accipio. Postquam Dominus protulit ea, quæ sunt de se, testimonia, pergit Iudæorum redarguere incredulitatem: & quoniam zelo Dei, ac legis Mosaicæ se putabant contra dominum sanantem in Sabbatho commoueri, dominus contrà ostendit eos, & Deo, & Moysi esse contrarios. Porro illud claritatem, vel gloriam ab hominibus non accipio: sic videtur potissimum debere accipi: non requiro gloriam ab hominibus, vel gloriam quæ est ab hominibus non accipio, hoc est non magnifacio, quia postea accipere gloriam humanam opponitur ei quod est quærere gloriam à Deo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, &c. Ostendit per ista non habere eos dilectionem Dei in seipsis, hoc est, in cordibus ipsorum, quantumuis eam haberent in ore. Venire autē in nomine alicuius, est ab illo missum esse & omnia quæ quis facit illius nomine facere, hoc est, illius authoritate, & ad illius gloriam, & commodum.

Si alius venerit in nomine suo, id est, sua authoritate, nullum habens à Deo mandatum, seu in omnibus suam quærens gloriam, hunc recipietis.

Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicē accipitis? &c. Ostendit causam incredulitatis eorum, retorquens in eos id quod de se ne suspicarentur prius, præoccupans à se excluſit, nempe appetitum laudis humanæ: quo quantum tenebantur Pharisei, contra quos hæc maximè dicta videtur, ostēdit illud Saluatoris, Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus.

Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem. Quoniam iam de carentia dilectionis diuinæ, & appetitu laudis humanæ atque incredulitate Iudæos reprehendit, excludit à se suspitionem, quæ venire in animum Iudæorum poterat, & retorquet in eos contemptum Moysi, quem illi in Christo reprehendebant, dicentes eum soluisse Sabbathum, & simul punitionem infidelitatis eorum significat per accusationem Moysi. Dicitur autem Moyses accusare Iudæos: quia declarat eos suis scriptis esse puniendos. Se vero dominus dicit non accusaturum, non quod nulla ratione eos accusabit, sed vsitato loquēdi more significare voluit non opus esse sua accusatione, aut se non primum accusaturum Iudæos. Deinde significare voluit sibi non competere accusationem, cum sit à Patre omnium Iudex constitutus. [Quod si quæratur quomodo dicuntur Iudei sperare in Moyse, & tamen non credere illi? Respondendum credidisse illos Moysi in genere, non credidisse autem ipsius vaticinia in isto singulari homine Christo impleti: quod tamen tenebantur credere ex tam apertis & multis testimoniis.

Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis, &c. Argumentum est a maiori: quod in duobus consistit nempe in comparatione Mosis ad Iesum, quorum ille maiorem apud Iudæos autoritatem obtinebat, & in comparatione scripturarum ad verba. Sicuti enim firmius est, quod mandatur literis: ita est culpabilius & magis non credere scriptis, quàm non credere verbis.

Pharisæos ob confricatas à discipulis spicas in sabbatho offensos, confutat Dominus. Matt. 12. Marc. 2. Luc. 6. CAP. XXXVII.

Et † b factum est b iterum a in illo tempore abiit Iesus per † a Fatta sata c is f sabba: ho c secundo primo. [&] h cum b sab- est autem bathis ▷ b ambuleret per sata i discipuli eius a esurien- ▷ c, vul- tes, d ceperunt h progredi & ‖ i vellere spicas f & † mā- sere: ‖ f. vel ducare c confricantes manibus. ▷ i Quidam autē p ha- lebant † c. risæorum a videntes c dicebant illi: Quid facitis quod non licet in sab- manducabathis? [Et] ‖ a dicebam' ei: Ecce † discipuli tui faciunt quod non li- cabant cet eis facere sabbathis? ▷ i Et respondens Iesus ad eos dixit: ‖ Num- ▷ c, pha- quam' legistis quid fecerit Dauid, quando b necessitatem habuit, & † i risæi autē esurijt ipse & qui cum eo erant, quomodo ▷ introiit' in domum Dei ‖ a dixerūt sub Abiathar principe sacerdotum, i & panes propositionis c sumpsit, † b, quid & ‖ i manducauit. b & dedit his & qui cum ipso erant, i quos non licet discipuli tui faciūt manducare' a ei neque his qui cum eo erant, nisi ▷ solis' sacerdo- sabbathis tibus. a Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sab- sabbathis bathum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis quia templo quod non maior est hic. Si autem scireti quid est: Misericordiam volo & non sa- licet ▷ a, crificium, nunquam condemnassetis innocentes. b Et dicebat eis: b Sabba- At ille di- thum propter hominem factum est, & non homo propter sabbathum, xit eis b. ‖ i Itaque dominus' est filius hominis etiam sabbathi. Et ait illis ‖ a. Nec hoc legistis quod fecit † c, d.

Et factum est iterum in illo tempore abijt Iesus, &c. Illud *iterum*, quod est in Marco apud nos, cū non sit apud Græcos, non est accipiendum, vt significet secunda vice Dominum per Sabbata transisse: sed referri debet ad calumniam Pharisæorum. Cū enim apud Marcum præcedant aliquot Pharisæorum calumniæ, significatur iam alteram sequi alia occasione Domino obiectam. *In sabbatho secundo primo.* Quod sit Sabbathum secundo primum de quo Lucas, certū haberi non potest: propter ea quod huiusmodi Sabbathi nusquā alibi fiat mētio, probabilissima autem videtur Chrysosto- mi sentētia qui hom. 40. super Mattheū dicit Sabbathū secudo primū dictū, quando quies & otiū duplex erat: tam videlicet Sabbath proprie dicti, quam solemnitatis alicuius incidentis, vt Sabbathum secundo primum tale fuerit, quale fuit illud, de quo dicit Ioānes: Erat enim magnus ille dies Sabbathi. Et ob id videri potest dictum: *Quia Dominus Sabbathū in Marco & similiter in Matthæo apud Græcos dominum transisse in Sabbathis per sata, videlicet quod dies illa bis esset Sabbatum: nisi velimus potius phrasi Hebraica intelligere pluralem numerum pro singulari positum vt in Sabbathis, sit in aliquo Sabbathorum. Secundum hanc autem sententiam, Sabbathū istud, fuit Sabbathū aliquod proprie dictū, cui incidit vel festum nouilunij, vel festum Pentecostes: neque necesse erit sabbathū istud accipere fuisse tam vicinum Paschati quomodo alij accipiunt, quando non est verisimile multum inuenire facile potuisse passim in agris spicas maturas, quas vellere potuissent discipuli, & commedere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discipuli eius esurientes, cœperunt progredi, & vellere spicas. Hoc est cœperunt progrediẽdo vellere spicas, vel vt habent Græca, cœperũt iter facere vellendo spicas. Quod autem apud Lucam dicantur Pharisæi locuti discipulis, apud Matthæum, & Marcum ipsi domino, nihil habet repugnantiæ. Recte enim intelligitur prius quidem locutos discipulis, deinde mox etiam domino, volentes in eum torquere discipulorũ eius crimen, & in discipulis ipsum calumniari.

Et respondens Iesus ad eos dixit: Nunquam legistis quid fecerit, &c. Quonia Pharisæi de scripturarum intelligentia gloriabantur: hic frequẽtur dominus eos notat de scripturarũ ignorãtia, & nõ recta intellectu. Id enim notat cũ dicit: Nunquã legistis; aut nõ legistis; Et, si scieretis quid est, &c. Duobus autẽ exemplis discipulorum factum hic defendit, quæ deinde sententijs apertis, & scripturis confirmat & comprobat. Et primum quidem exemplum desumptum à facto Dauidis ostendit discipulorum factum licitum esse propter vrgentem necessitatem. In quo exemplo duo sunt notanda. Alterum quod exemplum affertur non solum ex facto Dauidis, sed etiam eorum, qui cum ipso erant, ad excludendum singularitatem Dauidis, ne scilicet dicerent Pharisæi Dauidi id licuisse tanquam Regi, & Prophetæ domini. Hoc enim non potuerunt dicere de his, qui cum ipso erant. Alterum est, quod exemplũ sumptum est à facto maiori. Nam longe maius est laicos vesci panibus propositionis quos soli sacerdotes poterant edere, vt scribitur Leuit. 24. quam operari in Sabbatho; vt patet ex eo quod multis de causis excusari potest operatio in Sabbatho, & sæpe accidit: semel autem tantum accidit, vt laici vescerentur panibus sanctis, quando etiam esurientium munditiam Sacerdos exquisiuit, vt patet. 1. Reg. 21. [Quod vero istud Dauidis factum in eo loco, vnde est desumptũ, scilicet. 1. Reg. 21. dicitur contigisse sub Achimelech. hic vero à Marco, sub Abiathar principe Sacerdotũ, qui fuit filius Achimelech: cum secundũ phrasim Hebraicã illud *sub Abiathar principe sacerdotum*. videatur omnino debere sic intelligi. Cũ Abiathar esset princeps Sacerdotũ: rectè dicetur Achimelech sacerdotẽ fuisse binomine, & dictum etiam nomine filij sui Abiathar. Videntur enim hæc duo nomina Achimelech & Abiathar patri & filio simul fuisse cõmunia, vt patet ex 2. Reg. 8. & 1. Paralip. cap. 18. Præterea quod hic dicũtur fuisse quidã cum Dauide, quibus etiã dederit Dauid edendos panes propositionis. cũ in historia Regũ apertè dicatur Dauidẽ tũ fuisse solũ: oportet intelligere nõ de his qui reuera illi aderãt; sed de his quos Dauid finxit se habere comites in certo loco cõstitutos, quibus & finxit se daturũ postulatos panes: quos nõ solũ pro Dauide ipso, sed etiã pro socijs eius, quos se finxit habere, non dubitauit dare Sacerdos. Id enim ad propositum Saluatoris sufficit, quod & Dauid non dubitauit postulare etiam pro seruis suis,

suis, & sacerdos illi non dubitauit dare.] Dicuntur autem panes propositionis Hebraica phrasi, pro eo quod est panes propositi, videlicet ante faciem domini, & propitiatorium. *Panes propositionis.*

Aut, non legistis in lege quia Sabbathis sacerdotes in templo, &c. Alterum hic affertur exemplum desumptum ex facto sacerdotum legis authoritate innitente. Quo quidem exemplo iam certius ostenditur factum discipulorum vacare crimine, quam superiore exemplo (quod tãquam debilius permittitur, idque ratione seruitij diuini. Sacerdotes enim in Sabbathis occidunt in templo, hoc est, atrio templi, animalia detrahunt pelles, ligna cõponunt, ignemque accendunt, & alia multa similia opera seruilia faciunt, idq; legis authoritate, quæ in multis locis præcipit sabbathis offerri sacrificia huiusmodi, & nominatim Num. 28. Huiusmodi autẽ opera tionem Sacerdotum vocat violare vel prophanare Sabbathũ: quia reuera huiusmodi opera sunt seruilia ex suo genere, & proinde per ea ex se prophanatur sanctitas sabbathi. Quod autem hoc exemplum sacerdotũ faciat ad excusationem facti discipulorum, ostẽdit cum subdit: *Dico autem vobis, quia templo maior est hic*, hoc est, in hoc loco, est enim hic aduerbium, non pronomen. Intendit ergo quod quemadmodum sacerdotes sine crimine sunt, dum in Sabbathis violant sabbathum, eo quod eorum opera rẽpli excuset sanctitas, cui per huiusmodi opera seruiunt: ita & discipuli sunt innocentes, eo quod præsente & permittẽte eo, & ad seruitiũ eius faciunt, quę fecerunt, qui maior est tẽplo, vtpote templi dominus.

Si autem scireti is quid est, Misericordiã volo & non, &c. Hoc Oseæ testimonio (quod etiam supra obiecit Pharisæis, notans eos & hic, & ibi de falsa gloriatione peritiæ scripturarum, ac de præpostera religione) & redditur generalis ratio eius, quod primum exemplum intendit, videlicet quare necessitate aliqua constrictis permittendum sit potius aliquid, quod alioqui est contra legis cerimonias, quam exigenda, ab eis exacta legis obseruatio: & etiam ostenditur quam recte in secundo exemplo per factũ Sacerdotum excusetur discipulorum factum. Si enim propter Sacrificiũ sinẽda sacerdotibus est sabbathi violatio: multo magis sinẽda est miseris, propter misericordiam proximis debitã; quia gratior est Deo misericordia, quam Sacrificium.

Et dicebat eis: Sabbathum propter hominem factum est, &c. Duabus iam sententijs omnem suã explicat intentionẽ, quarum prior prius respicit exemplũ, posterior vero secundũ. Priori enim sententia, quę est apud solũ Marcum, reddit rationẽ eius, quod prius exemplũ intendebat, nempe quod ob necessitatẽ non esset seruanda lex Sabbathi, eo quod non homo propter Sabbathum factus sit, sed contra Sabbathũ propter hominẽ: ob cuius proinde necessitatem, vel magnã vtilitatem lex Sabbathi cessare deberet. Sabbatum

autem

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem propter hominem dicitur factum est institutum, videlicet tum vt secundum corpus requiesceret, nec perpetuis laboribus frangeretur, aut anaritiæ totus deseruiret, tum vt mente Dei beneficia siue in creatione, siue in redẽptione exhibita commemorans, in pietate erga Deum institueretur, & ab ipso sanctificaretur.

Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbathi, &c. Hæc est secunda sententia qua declaratur secundum exemplũ videlicet curet recte discipulis se sequentibus permiserit Dominus Sabbathi violationem, quemadmodum Sacerdotibus permittitur ob sanctitatem templi, cui seruiunt. Marcus hanc sententiam ponit inferendo eam ex superiori sententia. Ex eo enim quod Sabbathum propter hominem factum est, bene cõsequitur filium hominis, hoc est ipsum Christum esse Dominum etiam Sabbathi: præsupposito quod sit Dominus omnium hominum, & quod propter hominis vtilitatem promouendam in hunc mundum venerit. Ex eo enim quod filius hominis est Dominus omnium, quæ ordinantur ad humanam salutem consequitur eum etiam esse dominum Sabbathi ordinati propter hominum vtilitatem: ac proinde ipsum recte sinere violationem sabbathi, quando ita hominum exigit vtilitas.

Pharisæos ob sanatam in sabbatho manum aridam offensos, rursum confutat Dominus.

Matt. 12. Mar. 3. Lucæ. 6.

CAPVT XXXVIII.

† a. venit. b & intro iuit ▷ c. manum habẽs aridã || d. Observabant autem || b. sabbatis ▷ e. habenti || c. Et dicit eis † c. circũspectis omnibus

† a Tum inde transisset c factum est & in alio sabbatho b vt intraret b eorum in synagogam c eorum & doceret. b Et c ecce b erat ibi b homo ▷ & manus eius dextera erat arida. || b Et obseruabant b eum c scribæ & Pharisæi b si † in sabbatho curaret, vt c inuenirent vnde b accusarent eum. a Et interrogabant eum dicẽtes: Si licet sabbathis curare? Vt accusarent eum. c Ipse verò sciebat cogitationes eorum, b & ait homini ▷ qui habebat manum aridam: Surge, c & sta b in medium. c Et surgens stetit || b Ait autem ad illos c Sequitur: Interrogo vos si b licet sabbathis benefacere, an malè? animam saluam facere, an perdere? b At illi tacebant. a Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc sabbathis in foueam nõne tenebit & leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue. Itaque licet sabbathis benefacere. b Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, a tunc b || dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit & restituta est b manus ▷ eius a sanitati sicut altera. c Ipsi autem repleti sunt insipientia. a Exeuntes autem pharisæi b statim cum Herodianis c consilium faciebant aduersum

eum quomodo perderent eum. c & colloquebatur ad inuicẽ quid || a sibi nam facerent Iesu. a Iesus autem c sciens b cum discipulis suis c secessit a. dixit a inde b ad mare. a & || multa turba secuta est eum b a Galilæa & Iu- ▷ b. illi dæa & ab Hierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sidonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, ve || a sentiunt ad eum. Et dixit Iesus discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerẽt quotquot habebant plagas. a Et cum iis eos omnes, & præcepit eis ne manifestum eum facerent. b Et spiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum a vt impleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo benè complacuit anima mea. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius gentes sperabunt.

Et cum inde transisset, &c. Ex Matthæo intelligi potuisset istud eadem die contigisse, qua superius factum: sed ex Luca, qui in alio Sabbatho factum narrat; constat alio die rem hanc gestam. Nihil autem est repugnantiæ quod apud Matthæum dicuntur ludæi rogasse Dominum, Si liceret sabbathis curare: apud Marcum verò & Lucã legitur dominus interrogasse eos. Intelligi enim potest Matthæum Euangelistam Pharisæis tribuisse illam quæstionem; eo quod ipsi obseruantes Dominum si sanaret in sabbatho, huiusmodi quæstionem animo voluebant. Notandum autem & Matthæum cum Luca dicere obseruasse Pharisæos dominum si in Sabbatho curaret: non vt inde eius bonitatem & potentiam agnoscerent, & admirarentur, sed vt accusarent eum. Et Matthæum similiter dicere, interrogasse eos Dominum si in sabbatho liceret curare, non vt discerent, sed vt accusarent eum. Non enim aut meliores, aut doctiores esse quærebant: sed toti in hoc vno erant vt occasionem aliquam calumniandi dominum etiam ex re optima inuenirent. Et quidem hac sua quæstione putabant dominum capiendum vtrumuis responderet. Si enim diceret curare licere, quod eum omnino dicturum putabant, tanquam contrarium Moysi, & legi erant accusaturi. Si vero diceret non licere curare accusaturi eum erant crudelitatis, impotentiæ: aut obiecturi erant, multo ergo minus licuisse discipulis in Sabbatho vellere spicas, nec filium hominis esse filium Sabbathi. Verum dominus spiritu diuinitatis suę sciens cogitationes eorũ, pulchrè ipsorũ versutiã cõfutauit. Et primũ homini habenti manum aridam, & man-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cam surgere, & in medium stare præcepit: idque tum vt omnes attentos faceret ædendo miraculo, tum vt miserabilis hominis calamitas ad misericordiam Pharisæos prouocaret, & à tam iniquo & sæuo iudicio reuocaret. Deinde cum sciret eos non moueri affectu pietatis, vincere studet interrogatione duas continente partes inter se contrarias; vt ex contrariorū inter se cōparatione veritas eluceſceret. Nō enim quærit solū si liceat sabbathis benefacere; sed si liceat sabbathis benefacere, an malefacere: hoc est, prodesse alicui an nocere. Hoc enim significant Græcę dictiones ἀγαθοποιῆσαι, & κακοποιῆσαι. Et augendo quæstionem adijcit; *animam saluam facere, aut perdere*. hoc est vitam alicuius conseruare, an occidere. Nā anima hic pro vita posita est. Ex oppositione enim contrarij, quod absurdum erat admittere, insinuat necessario concedendum esse alterum, quod voluit asserere: & tam conuenire sabbatho benefacere, quam non conueniebat malefacere. Cum autem nec respondere auderent licere sabbathis malefacere, aut sinere petire proximum, nec rursum respondere vellent licere prodesse proximo, ne suis ipsi verbis sibi calumniandi præriperent occasionem; tacere elegerunt. Sic autem dominus quæstionem tum ab illis, tū à se propositam, adducto exemplo quodam ab ipsis petito, soluit, vt illos & auaritiæ condemner, & immisericordiæ ac cæcitatis extremę, dum id non permiserunt fieri in homine, quod sibi permisserunt in oue. *Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam, &c.* No tandum argumentū à minori, hoc est ab eo, quod minus videtur licitum in Sabbatho, quo argumēto hic dominus vtitur, suā vim, & efficaciū habere in duobus, videlicet & in comparatione ouis ad hominem, & in eo, quod in subleuatione ouis concurrit affectus proprij lucri, in curatione autem hominis affectus misericordiæ.

Et circunspiciens eos cum ira, &c. Circunspexit oues dominus, si scilicet aliquis esset, qui quicquam vellet respondere. Circunspexit eum ira & indignationis declaratione, vt eos hac ratione ad erubescentiam, & resipiscentiam promoueret. [Fuit autē in Christo, quatenus homo erat, vera ira, sicut & vera tristitia. Fuit tamē in Christo ira passiua, non turbans rationem, sed potius propassio non redundans in alias vires, & nec impediens, nec turbans alias animæ actiones, quēadmodum turbat fere in alijs.] Bene autē additur, *contristatus*, vel potius cōdolēs (est enim Græcè συλλυπούμενος) *super cæcitate cordis eorum*; vt intelligatur non iratus fuisse in ipsos homines, sed potius vitio ipsorum, ipsis autem hominibus condoluisse. Condolebat ergo de cæcitate cordis eorum, quod scilicet, qui se profitebantur duces cæcorum, ipsi haberent cor inuidia, & odio adeo occæcatum, vt clarissimam veritatem etiam postquam ob oculos posita esset, & explicata eis, non cernerent. Porro Græcè pro ablatiuo cæcitate est πωρώσει, quæ dictio etiam significat duri-

duritiam idque proprie. Patet ergo sensus esse extensior, dominū scilicet contristatum de duritia cordis eorum, nimirum quod nec aspectu miserabili placarentur, nec sermonē, & rationem cui contradicere non possent, reciperent. Itaque cum iam dominus nihil prætermisisset, quo potuisset Pharisæorum malignos animos placare, conuertit se ad hominem, & populo ad rei euentum inhiante, dixit homini: *Extende manum tuam*. Vixque ea vox audita est, & homo extendit manum subito sic mutatam, vt suis omnibus officijs fungeretur, sicut altera, quę nunquam manca fuerat. Verum hæc omnia nihil profecerūt in obstinatis Pharisæis, imo sceleratores inde facti sunt. Vnde bene scripsit Lucas, ipsos repletos esse, *insipientia*, aut potius, quod maius est, amentia. Est enim Græcè *ἄνοια*, quod proprie amentiam significat. Nam quid amentia fuerit si hæc non erat, post facti rationem tanta cum modestia redditam, ob beneficium plane diuinum tanta etiam cum moderatione præstitum, tanto potuisse odio dominum prosequi. Et Marcus quidem dicit Pharisæos exeuntes statim captasse consilium cū Herodianis de perdendo Iesu, vt intelligere liceat Sabbatho hoc consilium ab eis captatum, quo iam præpostera eorum religio, & amētia magis eluceſcit. Herodiani autem dicti sunt Herodis milites, & sequi, non quidem Herodis Regis, qui iam mortuus erat, sed Herodis Tetrarchæ Galileæ. Cum his ergo consilium captant, eo quod dominus esset Galilæus, ac proinde sub potestate Herodis præfecti Galilææ vbi verisimile est hæc contigisse.

Iesus autem sciens cum discipulis suis secessit inde ad mare, &c Rursum se subduxit, eo quod nondum tempus esset quo se ipsum traderet voluntari ipsorum. Qua sua subductione veritatem, & infirmitatem humanæ naturæ à se assumptæ demonstrare voluit, ac exemplo docere licitum esse persecutiones impiorum declinare. Quod verò Marcus postquam de expulsis dæmonibus dixit, subiecit: *Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum*; si relatiuū eis, ad dæmones referatur, intelligenda est præcepti ratio illa, quę superius est dicta, videlicet quod nollet se à dæmonibus prędicari, quibus etiam cum vera dicunt, credendum non est. Potest tamē, & fortasse melius relatiuum eis referri ad omnes quos sanabat, vt quod dicit Marcus, idem sit cum eo, quod dicit Matthæus, *Herodianis*, *ni.*

Vt impleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem, &c. Testimonium istud Isaiæ, quod habetur cap. 42. 2 Matthęo potissimum adductum est ad testificandam Domini mansuetudinem in superioribus demonstratam; tum in eo, quod illorum furori cessit, quos potuit multis, apertisq; verbis obtūdere, quosq; potuit etiā perdere, tum in eo quod manifestum se nollet fieri ab his, quos sanabat, ne Phrisæorum animi magis irritarentur: ostendens hac ratione Euangelicam philosophiam non terroribus, non conuitijs,

aut

aut contentionibus esse defendendã aduersus rebelles, sed mansue tudine superaturam. [Aduertendum autem quod quanquã totum testimonium possit intelligi de Christo quatenus homine, quædam tamen esse quæ eo magis competunt secundum diuinitatem ipsius, vt illud, dilectus meus, in quo complacuit animæ meæ. Porro cum dictio puer latinis & Græcis παῖς, ambigua sit ad seruum & filium Hebraica dictio עבד tantum seruũ, & ministrum significat, nunquam autem filium. Et seruus quidẽ recte Christus dicitur, tum propter assumptam humanitatem, ratione cuius Paulus Exinaniuit inquit, semetipsum formam serui accipiens, tum propter ministerium illud, ad quod in assumpta humanitate nobis exhibendum missus fuit à Patre.] Sensus ergo est; Ecce seruus meus quem elegi, præ omnibus scilicet creaturis rationalibus, ecce dilectus meus in quo vnice, & singulariter benè animæ meæ hoc est mihi complacuit, sine scilicet admixtione alicuius dissentientis, & sic, vt per eum solum in multis hominibus complacituru sit mihi. Dicit autem animæ meæ, metaphoricè sibi animam tribuens, vt significaret sibi ex intimo affectu optimè complacitum in filio. Sequitur: *Ponã spiritum meum super eum*, secundum illud Isaiæ 11. Et requiescet super eum spiritus domini, &c. Quod etiam visibiliter impletum est cum in Iordane super Christum in specie columbæ descendit Spiritus sanctus Patre dicente, quæ hic præcedũt in Isaia, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Per hunc autem spiritum meum proferet, & annunciabit non solũ populo Israelitico, sed etiam omnibus gentibus quæ antea in vanitate sensus sui ambulauerunt, *iudicium*, hoc est, id quod iustum est & æquum, per legem scilicet suam Euangelicam eos instituens de Iustitia solida, quam prius ignorauerunt. Quoniam autem istud futurum erat summa cum mansuetudine, placiditate, & suauitate, & non per vim, aut tumultum; ob id vates subijcit, *non contendet*, id est, non litigabit, *neque clamabit* aduersus contentiosos, *neque vocem eius* tumultuosam, aut iactabundam, *quisquã audiet in plateis* quemadmodum solent facere, qui lingua belligerantur, aut seipsos iactant: sed audietur vox doctrinæ ipsius in Synagogis, circa mare, in deserto, aliisque locis doctrinæ accommodis. Hæc ergo est potissima huius testimonij pars, ob quam testimonijs hoc Matthæus adduxit, quam etiam per sequentia confirmat dicens:

Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans, &c. Quæ cum valdè varie exponantur à diuersis, rectè sic accipiuntur simpliciter secundum Chrysost. & Theophyl. vt significetur dominum noluisse hostes suos perdere, quos tamen tam facilè ei perdere fuisset, quam est facile arundinem quassatam confringere, & conterere, aut linum tantum fumigans extinguere: vt ad significandum infirmitatem Phariseorum & omnium hostium Christi com-

comparatam ad potentiam diuinitatis Christi, hostes Domini arundini, eique quassatæ, hic comparari intelligantur, & lino fumiganti. Et bene quidẽ lino fumigante, ad designandum etiam furorem eorum, quo accensi erant contra Dominum, sed quorum furorem tam facile fuisset Christo extinguere, quam facile est linum non ardens, sed fumigans tantum extinguere. Vel secundũ Hieronymum & Hilarium, significatur Dominum infirmos, & imbecilles, in quibus adhuc est aliquid bonæ spei reliquum, ac scintilla aliqua ñdei, vel cognitionis ac charitatis diuinæ, non oppressurum contentione, clamore, & indignatione: sed contra potius mansuetudine sua ipsum eos futurum vt firmiores fiant, ac in Dei cognitione atque amore magis illuminati, & accensi. Porro pars hæc,

Donec eiciat ad victoriam iudicium. A Chrysost. & Theophyl. sic intelligitur conuenienter ad sensum, quem intelligunt in verbis præcedentibus. Tam diu tolerabit mansuetè, & patienter Iudæi hostes suos, donec produxerit iustum suum iudicium ad victoriam, hoc est, donec manifestum fecerit iuste se abiecisse Iudæos, nec illos habere aliquam iustam contradicendi suo iudicio occasionem: Vesania scilicet ipsorum eò prorumpente, vt omnes intelligant eos meritò repulsos. Tam diu inquam, tolerabit eos, quia postea de eis sumet vltionem, conterendo arundinem, & extinguendo linum fumigans, quemadmodũ fecit in Iudæis per Romanos sub Vespasiano, & Tito. Secundum Hieronymum autem & Hilarium consequenter ad sensum quem intelligunt in verbis superioribus, sensus est; Infirmos, & imbecilles sua mansuetudine fouebit, & tolerabit, ita vt hac ratione tandem futurum sit, vt iudicium eius, quod Gentibus annunciare venerat, ad victoriam perducat; veritate scilicet vbique obtinente, & in toto orbe recepta. Vnde bene subijcitur,

Et in nomine eius Gentes sperabunt: Tunc scilicet postquam ad victoriam iudicium deductum est. Quod idem est cum eo, quod habent Hebræa, legem eius insulæ expectabunt, hoc est, desideranter suscipient. Qui enim legem eius suscipit, & in ea sperat saluari: sperat etiam salutem consequi per nomen eius.

Electis duodecim Apostolis disserit Dominus in quibus sita sit beatitudo. Matt. 5. Mar. 3. Luc. 6.

CAPVT XXXIX.



CACTVM est autem in illis diebus exiit [b] & [a] videns
[a] Iesu turbas [†] ascendit [l] in montem [c] orare. & erat
pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset,
cauit [b] ad se quos voluit ipse [c] discipulos suos [e] & [a] cùm
sedisset, [▷] [e] accesserunt [d] ad eum [a] discipuli eius. [e] Et ele-
git duodecim ex ipsis, [b] & fecit vt essent duodecim cum illo, & vt mit-
teret eos prædicare. Et dedit eis potestatem curandi infirmitates, & ej-
cienda demonia. [c] quos & Apostolos nominauit. ‖ [b] Simonem quem cog-
nominauit Petrum & Andream fratrem eius, Iacobum [b] Zebedæi &
Ioannem [b] fratrem Iacobi, & imposuit eis nomina Boanarges, quod
est filij tonitrui. [b] Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Tho-
mam, Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam
Iacobi [b] Thaddæum [b] & Iudam Iscariotem qui fuit proditor. [c] Et de-
cendens cum illis stetit in loco campestri & turba discipulorum eius, &
multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Hierusalem: & maritima
Tyri & Sydonis, qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à lan-
guoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curaban-
tur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat,
& sanabat omnes. [f] Et [c] ipse eleuatis oculis [a] in discipulos suos [a] aperuit
os suum docebat eos, † [f] dicens: Beati pauperes à spiritu, [▷] [f] quoniam
ipsorum est regnum ‖ cœlorum. [a] Beati mites, quoniam ipsi possi-
debunt terram. [f] Beati † qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.
Beati qui [▷] esuriunt [a] & sitiunt iustitiam, [f] quoniam ipsi saturabi-
buntur. [a] Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequen-
tur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici,
quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur
propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. [f] Beati †
estis [a] cùm [c] vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & [▷] [f] ex-
probrauerint [a] vobis homines, [c] & eiecerint nomen vestrum tanquam
malum [a] & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduer-
sum vos mentientes, [f] propter [a] me [c] filium hominis. [f] Gaudete [a] in il-
la die, [f] & exultate, [c] ecce ‖ [f] enim merces vestra † copiosa est in
cœlis. ‖ Sic enim persecuti sunt Prophetas [b] qui fuerunt ante vos,
patres eorum. Verumtamen væ vobis diuitibus, qui habetis consola-
tionem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vo-
bis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cùm benedixerint
vobis omnes homines. Secundum hæc enim faciebant pseudoprophe-
tis patres eorum. [a] Vos estis sal terræ. ‖ Quod si sal euanuerit in qui-
quid salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & con-
cetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscon-
di supra montem posita, ‖ neque accendunt lucernam, & ponunt eam
sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.
Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bo-
na, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Nolite putare quo-

niam veni soluere legem, aut prophetas. Non veni soluere, sed adim-
plere. ‖ Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota
vnum aut apex vnus non præteribit a lege donec omnia fiant.] Qui
ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines,
minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit,
hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Factum est autem in illis diebus exiit, &c. Quod dicit Lucas Do-
minum exijsse, videtur intelligendum de illo secessu, quem su-
perius latius explicauerunt Matthæus & Marcus: proinde quod
dicit Lucas *exijt in montem orare*; non sic accipiendum quasi
sine omni intermedio. Oratio exitum secuta fit: cum Marcus
cum superius è nauicula dixerit post exitum è ciuitate, & sy-
nagoga docuisse turbas, & sanasse languidos; sed intelligen-
dum post sermonem è nauicula habitum, vespera adueniente
Dominum ascendisse in montem, ibique orasse. Quod autem
nunc Dominus orauerit, atque in oratione pernoctauerit, præ
ter generalem illam rationem ob quam frequenter solitus fuit
orare, nimirum propter electorum salutem, & Euangelij pro-
fectum: nunc speciali etiam ratione ideo orabat, idque tam in-
stanter, quoniam è discipulis suis multis, duodecim iam electu-
rus erat, quos Euangelicæ prædicationis haberet cooperatores,
& docturus iam erat Euangelicæ prædicationis, & perfectionis
summam.

Et cum dies factus esset vocauit ad se quos voluit ipse, &c. Quod au
tem ex multis adeo discipulis suis, quorum vt Lucas postea di-
cit, turbam habuit, duodecim selegit quos Apostolos nomina-
uit, & constituit, quos & voluit peculiariter secum esse, hoc est,
indui duos habere comites, & deinde emittere primum ad præ-
dicandum Euangelium regni cum potestate curandi infirmos, &
ejiciendi dæmones; præcipua causa esse videtur; vt sicut duode-
cim erant tribus populi Dei ad quem suos mittere voluit, sic & es
sent duodecim, qui mitterentur, veluti principes duodecim tri-
buum Israël. Notandum autē quod dicit Marcus *elegisse Dominū*
quos voluit ipse: Id enim significat & Christi in deligendo diuinā au
thoritatē, & non fuisse eorum, qui vocati sunt, meriti, & studij, vt
vocarentur, sed diuinæ tantum dignationis. [Quod si quærarur,
cur etiam Iudam proditorem in numerum Apostolorum delege-
rit, maximè cum orationem præmiserit, qua, vt dictū est, præcaba-
tur electionē suam dirigi à Patre vt idonei essent, qui deligerētur:
dicendum primo ideo a domino factū, quia Patri visum fuit, & in
scripturis prædictū, vt ab intimo suo discipulo in mortē traderetur.
Secundo vt ostenderet fieri non posse, quin in Ecclesia bonis mali
sint permixti, nec ita nos cautos esse posse in deligendis ad sacra

* autem. † b. ascendens ▷ b. venerunt ‖ b. Et imposuit Simoni nomē Petrus Marcus nō per patria recēset Apostolos, sed post tres primos Petrū Iacobū, et Ioannē sic cōtinuat: Et Andreā & Philippū, et Bartholomæū & Matthæum et Thomā, et Iacobū Alphæi, & Thaddæū et Simonem Chananæum, et Iudā Iscariotē qui & tradidit illū. † c dicebat ▷ c quia vestrum ‖ c. Dei † c. quinūc fletis quia ridebitis ▷ c nūc esuritis, quia saturabimini.

Universidad de Deusto Biblioteca

† b. eritis. ◁ b. manifestum ‖ b. quoniā † b. multa ▷ c. callo ‖ c. secūdum hæc enim faciebant prophetis B.9.71. C.14.92. B.4.51. C.8.51. C.11.49 C.16.93.

Iudæ cognomen Apostolus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

munia ministeria, imò & eos aliquādo deligamus, qui vel sunt mali, vel futuri sunt mali, ferendos tamen esse donec ipsi se perdant, aut prodant, nec eos quorum interest in Ecclesiam aliquos recipere, aut ad sacra ministeria aliquem deligere, eulpandos esse, si post expensionem eorum, quæ humanitus illis patere possunt, & preces ad Deum fusas, quidam deligantur furati, aut postea mali futuri.] Porro Marcus duodecim Apostolos electos explicat propter duo, videlicet vt essent cum illo, hoc est, vt familiarissimè illi adhærerent, & velut fidi satellites magni principis & Regis nunquam à latere eius discederent: & vt cum poscerentur res Euangelica mitteret eos, veluti legatos à latere prædicaturos, quæ à rege suo didicissent. Quoniam autem quos elegerat Dominus erant ignobiles, tenues, & idiote nihil regale præ se ferentes, cum promittat tamen essent regnum Dei, ne contemneretur eorum authoritas, addidit eis potestatem sibi alioqui propriam: quomodo legatis suis principes contradere solent suam potestatem quatenus ad legationem eorum est necessarium. Addidit enim potestatem, quā nulli huius mundi monarchæ suis legatis dare possunt, nimirum vt in nomine Iesu & curarent omnem infirmitatem, & eicerent dæmonia. Vnde dicit Marcus. Et dedit eis potestatem, &c. [Sciendum tamen Græca non habere, & dedit, sed καὶ ἔχειν, hoc est habere, vel vt haberent. Pendet enim à superioribus, vt essent secum, & vt mitteret, & vt daret eis potestatem, &c. Ita vt tria significentur ad quæ delecti sunt isti duodecim, sed quorum tertium primo ad secundum, eique annexum est. Non enim videtur intelligendum, in hac electione datam Apostolis potestatem curandi infirmitates, quemadmodū nostra litera significat: sed electos hos esse, vt suo tempore daret eis hanc potestatem: nimirum cum eos esset missurus. Tunc enim vt habet Matth. cap. 10. & Marc. cap. 6. & Luc. 9 dedit eis hanc potestatem: non ergo eandem prius ipsis dederat.] Obseruandum autem Dominum nouo horum delectorum ministerio nouum etiam indidisse nomen, & id quidem conuenientissimum: nimirum quod non tam esset dignitatis nomen, quàm officij. Apostolus enim Græcè Latinis sonat idem quod missus nuncius. Non tamen omnis nuncius ab alio quo missus Græcè dicitur Apostolus, vt non tabellio, sed qui ex negotium agit, quod accepit in mandatis, quique ore alterius nuntiat, qualem Latini legatum, vel Oratorem vocant. Ponitur autem à Matco simul & Luca Catalogus Apostolorum: vt exstent hos qui pseudoapostoli futuri erant excludantur, & qui veri fuerint dignoscantur. Et quidem quamuis hoc loco Marcus dicat;

Apostoli

Et imposuit Simoni nomen Petrum, & Lucas; Simonem, quem cognominauit Petrum: Non est tamen intelligendum necessario in hac electione impositum hoc nomen, quemadmodum inuti-

intelligunt, cum possit intelligi Euangelistas, aut per recapitulationem, aut per præoccupationem istud scripsisse, & vel impositum ei nomen Cephæ, hoc est Petri quādo supra dictum est Ioā. 1. Tu vocaberis Cephas, aut postea cum dicitur Matth. 16. Tu es Petrus, &c. Ex quo loco patet quare dictus sit hoc nomine: videlicet tum ob firmitatem fidei ipsius, tum quod super eum, tanquam super firmum fundamentum fidei, ædificanda erat peculiariter Christiana Ecclesia. Cognomen autem filiorum Zebedæi Græcè Βοανηργὲς habetur, & videtur potius Syriacum esse, quàm Hebraïcum. Sine autem Hebraice dicatur, siue Syriacè: non significat ea dictio propriè filios tonitrui, sed filios tumultus, & strepitus. Itaque Euangelista Marcus aduertens eos non à quouis tumultu, vel strepitu dici Boanerges, sed à tumultu, vel sonitu simili tonitruo: interpretatus est nomen Hebraicum per υἱοὶ βρονῆς, hoc est, filij tonitrui. Est autem in hac oratione Filij tonitrui, vel strepitus, Hebraica phrasis. Sicut enim Filius Iniquitatis dicitur qui iniquus est, & Filius pacis, qui est pacificus: ita quoque Filij tonitrui qui tonant. Sic ergo dicti sunt Filij Zebedæi, quod diuina dogmata mundo intonauerunt velut tonitruum quoddam de cælo auditum. Dicendum autem & de aliorū quoq; Apostolorum nominibus quorundam. Itaque ad distinctionem Iacobi fratris Ioānis alter Iacobus dicitur Iacobus Alphei, scilicet Filius. qui Alphæus fuit maritus Mariæ Cleophæ sororis matris Domini. Hic ergo Iacobus est qui dicitur Marc. 15. Iacobus Minor, qui & Frater domini dicitur à Paulo, & scripsit Epistolam catholicam primam. Huius Frater fuit alter Iudas, qui ad distinctionem ab Iuda proditore dicitur Iudas Iacobi, scilicet frater. Qui Iudas & Thaddæus, & Lebæus quoque dicitur ita vt trinomiū ipsum fuisse dicat Hieronymus; Alter autem Iudas ad distinctionem huius dictus est Iudas Iscariotes, qui etiam Ioan. 6. dicitur Iudas Simonis scilicet Filius. Cæterum alter Simon qui ad distinctionem Petri dicitur Cananæus, dicitur etiam Zelotes: non quod diuersa sunt hæc nomina, sed quod Zelotes dicebatur Græco nomine, cum Hebraico nomine diceretur Cananeus. Fuit autem frater Iacobi Minoris & Iudæ Thaddæi, vt patet Marc. 6. atque ob id videntur confungi apud Lucam tres isti simul. Itaque inter Apostolos duo fuere Iacobi, duo Iudæ, & duo Simones. Quemadmodum autem accidit in nomine Cephas, & in nomine Cananeus, vt scilicet pro eis nominibus Græce diceretur Petrus, & Zelotes: ita quoque accidit in nomine Thomas, vt pro nomine illo Hebraico, diceretur Græco nomine Didymus, vt est apud Ioannē. Nā Græca dictio Didymus, quæ geminum significat, explicatio est nominis Hebræi Thomas, quod etiam geminum significat. Deriuatur enim à radice Thaam, quod geminare, & duplicare significat. Cæterum Bartholomeum qui

Cephas.

Boanerges.

Filij tonitrui.

Iacobus Alphei.

Iudas.

Iudas Iscariotes.

Simon Zelotes.

Thomas.

Bartholomæus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui & apud Matthæum 10. cap. & his locis apud Marcum & Lucã coniungitur Philippo esse eum qui à Ioanne dicitur Nathanaël sit prã ostensum est.

Et descendens cum illis stetit in loco campestri &c. Quanquam discipulos, & Apostolos potissimum erat docturus: tamen tum quod ad omnes electos pertinebant quæ docturus erat, tum vt satisfaceret desiderio turbę præsentiam eius expectantis, & audire ipsum cupientis descendit cum Apostolis ad turbas: etsi maxima eius pars consequendæ potius sanitatis, quam doctrinæ desiderio teneretur. [Porro turba hæc cuius hic meminit Lucas, eadem omnino videtur esse cum ea, quam supra descripsit Marcus circa mare apud Dominum congregatam: quamuis verisimile sit nouos semper accessisse, & continuus augmentis increuisse: vt mirũ non sit si etiam iam aliquos dicatur sanasse, cum prius dicatur omnes sanasse ægros.] Dicit autem maritima Tyri & Sidonis scilicet regione: significans tantam iam domini fuisse famam, vt exteras quoque ciuitates ad sanitatem, doctrinamque capessendam accenseret. Notandum autem quod dicit Lucas.

Virtus de illo exibat. Illo enim significare voluit non aliena virtute Dominum sanasse, sed propria, quam habuit quatenus Deus erat.

Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, aperiens os suum &c. Eleuauit in discipulos suos oculos, quod ad eos multa singulariter pertinerent, quæ dicenda erant. Quod autem dicitur aperiens os suum docebat eos; simplicius fuerit accipere illud ab Euangelista additum pro more scripturæ ad significandum gaudia, & prolixa iam dominum esse locuturum. Sic enim & de Iob dicitur, Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est.

Beati pauperes spiritu. &c. Rectè accipitur hoc loco nomen pauperes de ijs, qui laborant rerum necessariorum penuria, vt respondeat Hebraicæ dictioni raschim. Nam & Græca dictio hic posita πτωχοὶ propriè mendicos significat. Secundum hanc tamen acceptionem dupliciter adhuc intelligitur illud pauperes spiritu.

Pauperes spiritu. Primò enim per pauperes spiritu possunt intelligi hi, qui reuera sunt pauperes, sed tales effecti proprio suo spiritu, hoc est, propria sua voluntate, eaque spirituali: ita vt intelligatur beatos pronunciare Dominus eos, qui re vera sunt pauperes: non tamen effecti re les necessitate aliqua, nec quauis voluntate, sed spirituali. Secundo per pauperes spiritu possunt intelligi hi, qui etsi habeant diuitias, non tamen cor eis apponunt, sed parati sunt eas abijcere, si, & quando expediret: vt ablatiuus spiritu intelligatur detetminatio diminuens, adiecta ad distinctionem ab his, qui re ipsa sunt pauperes. Quamuis autem hæc secunda intelligentia propinqua sit priori sensui, & ad eum reductiue pertineat, possitque simul cũ priori intelligi comprehendi: tamen prior intelligentia, & est simplicior, & videtur potissimum esse ex intentione Domini, cuius intentio omnino videtur fuisse, discipulos suos ob id prædicare beatos, quod propter se iam omnia abiecissent, & reliquissent. [Quãuis autem in hac beatitudine commẽdetur primo, & principaliter voluntaria paupertas pro Christo suscepta: simul tamen etiam recte intelligitur ex consequenti commendari virtus humilitatis; quam primo & ad literam hic significari intelligit Aug. ob id maximè vt apparet, vt in prima beatitudine accipiatur commendatio ea virtus quæ omnium est fundamẽtum virtutum, quomodo etiã post Chrysostomũ intellexit Theoph.] Quoniam autem ipsa paupertas per se non facit hominem beatum, sed tantum medium est perueniendi ad ipsam beatitudinem: ideo rationem adiicit Dominus quare beatos pronunciauerit pauperes spiritu; *Quoniam* inquit, *ipsorum est regnum cælorum.* Pauperibus ergo spiritu promittitur regnum cælorum; quia conuenit his, qui contempserunt regnare in hoc mundo, & elegerunt hic haberi viles, & abiecti, vt postea regnent in cœlis cum Deo. Nec dicit ipsorum erit, sed ipsorum iam est regnum cælorum; quod illud in secura iam possideãt spe: vnde etiam non dicuntur fore beati, sed iam esse beati in secura scilicet spe, quæ non confundit. Porro quanquam id, quod hic promittitur beatis, potissimum sit referendum ad vitam futuram, in qua perfectè in ipsis implebuntur hæ promissiones: tamen etiam singulæ promissiones ex parte implentur in beatis in hac vita, quemadmodum in singulis patebit. Quod enim ad hanc primam pertinet beatitudinem, pauperes spiritu etiam in hac vita iam re ipsa regnant regno planè cælesti, longè fœlicius, quam reges & principes terræ. Hi enim vt in plurimum veriùs grauissimam seruiunt seruitutem, quam regnant. Multos enim patiuntur tyrannos discruciati auaritia, ira, liuore, cupiditate honoris curis, tranquillo semper existens pectore, securè expectans bona cælestia, pestibus animorum auaritia, atque superbia imperans & dominans, honoribus, atque omnibus huius mundi bonis longè superior.

Beati mites. Benè pauperibus adiunguntur mites; tum quod mansuetudo humilitati, & paupertati coniuncta ferè sit, tum quod coniuncta esse debeat: adeo vt sine ea paupertas spiritus laudabilis non sit. Apud Græcos tamen secundo loco ponitur, *Beati qui lugent:* Ordine etiam non incongruo. Sic enim prima beatitudine excluditur appetitus honorũ, & diuitiarũ, secũda verò appetitus voluptatũ, in quibus tribus cõprehendũtur omnia quæ mundi sunt. Est autem istud beati mites, &c. desumptum

à Domino ex Psal. 36. Vbi dicitur, Mansueti autem hæreditabunt terram, &c. Nam inter mansuetos, & mites nulla constituenda est differentia, quemadmodum tamen quidam constituunt: cum vna sit apud Græcos & Hebræos dictio, quam Latinus nunc vertit mansuetum, nunc mitem. Est enim Græce πρᾶος vel πραΰς, He-

Mites qui braicè vero, Anaw. Pertinet autem ad mansuetum, vel mitem, non quidem omnino nunquam irasci, hoc enim est insensatorũ, & insipientium, sed ita passionibus ire, & zeli imperare, vt nec indignetur vel murmuret contra Deum, vel ob miquorũ fœliciores successus, vel proprias aduersitates ab illo immissas, neque contentiosè cum improbis pugnet verbis, nec iniurias ab eis illatas cupiat vindicare: sed vt ita se gerat erga Deum quidẽ, vt benigno animo eius iudicia sustineat, erga homines verò, vt vel taciturnitate, vel placida responsione, vel malorum illatorũ patienti tolerantia improbitatem hominum superare contendat. Hic autem à Domino ideo prædicãtur beati mansueti, *quoniã* inquit, *ipsi possidebũt terrã*. vbi pro possidebunt Græce est κληρονομήσουσι. i. hæreditabunt. Hæc autem est autem hæreditare, vel in hæreditatem accipere terram, quam possidere terram. Multi enim possident non hæreditario iure. Ter-

Terra pro ra autem cuius possessio hic promittitur mitibus: varie à diuer-*missa mi-* sis accipitur. Quoniam autem verisimilius est omnia hæc promis-*tibus.* sa pertinere potissimum ad futuram vitam; ideo verisimilior est, & simplicior Hieronymi interpretatio, qui hic intelligit terrã illam de qua Psalmista: Credo videre bona domini, in terra viuentium, cælum scilicet, quod terra est viuentium, cum terra hæc sit potiùs terra mortuorum, seu morientium. Quamuis vt omnia hæc promissa ex parte etiam in hac vita impleri cœpta intelligamus: terra hic simpliciter accipietur pro terra hac, quam iam ex parte possident mites, sed perfectissimè cum Christo possessuri sunt eam facta erit terra noua, hoc est, de ea terra hic loquitur potissimum Dominus, quam Paulus ad Hebræos 2. vocat orbem terræ, futurum subiiciendum Christo. Itaque quoniam mites hic frequenter pelluntur suis possessionibus promittitur eis verbis Psalmistæ, hæreditaria totius terræ possessio. Cum enim sint futuri hæredes Dei, cohæredes autem Christi simul cum ipso hæreditario quoque & proprio iure possidebunt vniuersam hanc terram, cum dominabuntur iusti omnibus impijs in matutino.

Lugentes. *Beati qui lugent*. Intelligenda est hæc sententia non solùm de his, qui ob sanctas causas, spretis huius mundi voluptatibus sponte luctum suscipiunt; sed etiam de his qui calamitates à Deo sibi immissas æquo animo hic perferunt: vt sub hac beatitudine comprehendatur illud Iacobi; Beatus vir, qui sustinet tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Lugentes enim hic dicuntur, non solùm qui lachrymas emittunt, sed

sed etiam quotquot in rebus tristibus, & calamitatibus agunt, maximè his quæ fortunæ esse videntur. Quod si obijciatur non omnes huiusmodi lugentes esse beatos: dicendum dominum etiam has sententias non extulisse ex hac lucis, ac proinde noluisse significare omnes lugentes esse beatos: sed tantum voluisse significare in genere, id quod omnes miserum putant, viam parare ad solidã fœlicitatem: si modo tamen quis eo bene vtatur, & nihil alioqui desit, quod fœlicitatem æternam impediat: quomodo fere oportet generales huiusmodi sententias intelligere. Ex alijs enim scripturis atque ex hoc ipso loco videndum quibus lugentibus hæc beatitudo conueniat, nimirum his qui mites sunt, vt præmittitur, quique esuriunt, & sitiunt Iustitiam, vt sequitur. *Quoniam ipsi consolabuntur*. Idque potissimum & perfectissimè in futura vita, quando vt habet Isaias lætitia sempiterna erit eis, & auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit vltra neque luctus, &c. Sed tamen & in præsenti etiam vita non aberit cœlestis illic consolator Spiritus sanctus qui temporariũ luctũ inestimabili mentis gaudio pensabit, vt possint dicere cum Paulo: Quasi tristes semper autem gaudentes, &.

Beati qui esuriunt & sitiunt Iustitiam. Bene hæc beatitudo superioribus tribus subiungitur. Nam contemptis diuitijs, honoribus, & voluptatibus quorũ trium contemptus superioribus tribus significatus est, superest vt homo iam etiam esuriat, & sitiat iustitiam, & virtutẽ. Accipitur autẽ hic Iustitia, vt sic generalis virtus & esurire Iustitiam, sit desiderare quæcunque sunt virtutis, & æquitatis. Id autem contingit dupliciter, videlicet aut desiderando primam innocentiam, & rectitudinem in omnibus actionibus; aut optando, vt id, quod æquum, & iustum est apud omnes obtineat, & ab omnibus præstetur quod debitum est, & rectum. Dicit ergo, qui esuriunt, & sitiunt Iustitiam, hoc est qui eo amore eam prosequuntur, quo ardore prosequimur cibum, & potum, quique eam veluti ad vitæ conseruationem necessariam requirunt, atque in ea oblectantur, quomodo homo in cibo, & potu. Non dicit autem; Qui esuriunt, & sitiunt scire vel facere Iustitiam, sed absolutè, qui esuriunt Iustitiam: vt intelligamus vtramque Iustitiæ esuriem, qua scilicet desiderant eam iusti & scire, & perficere. Nec dicit, beati, qui amant Iustitiam, aut qui sectantur, aut faciunt Iustitiam: quia vt habet Hieronymus, non nobis sufficit velle Iustitiam, nisi Iustitiæ patiamur & famem: vt sub hoc exemplo nunquam nos iustos, sed semper Iustitiæ esurire opera intelligamus. Bene autem pro mercede promittitur huiusmodi esurientibus quod, *ipsi saturabuntur*, quasi dicat: Miseri, qui esuriunt & sitiunt temporalia, quoniam tales non continget vnquam saturari: sed fœlices, qui esuriunt, & sitiunt Iustitiam, non enim semper esurient, sed ali-

Iustitia fames.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quãdo fœliciter, & beate saturabũtur, in cœlesti scilicet patria, secũ dũ illud Psalmiste, satiabor eũ apparuit gloria tua. Et tamen etiam in hac vita ex parte saturitas esurientibus iustitia contingit longè fœlicior & verior, quã sit diuitũ satietas secundũ illud Saluatoris. Qui venit ad me nõ esuriet, & qui credit in me nõ sitiet in æternũ.

Beati misericordes, &c. Bene hæc beatitudo, in qua beatificatur misericordia, subiungitur superiori, in qua Iustitia beatificatur. Si cut enim duæ hæ virtutes, quarum altera respicit debitum, altera gratuitum, frequenter in Scripturis coniunguntur: ita in eo qui beatus esse volet, coniuncta debet esse misericordia iustitiæ: & prius quidem iustitiæ deinde etiam misericordiæ habenda est ratio. Iustitia enim sine misericordia veluti crudelitas est, misericordia verè sine Iustitia, dissolutio est: quare abinuicem hæc separari nõ debent Ad misericordem autem pertinet ex animo compati alienis miseriis, easque velut propriis ducere, ac proinde appetere tollere eas, easdemque tollere si potest. Dicitur enim misericors, quasi miserum, & afflictum habens cor ob conspectam alterius miseriam. Vnde constat misericordem præcellere beneficium, aut munificum: cum præter exteriorem subuentionem in nomine misericors includatur interior ille compassionis, & condolentiæ pius affectus, qui non includitur in nomine beneficus, aut munificus. Quamuis autem misericordia etiam quędam sit erga nos ipsos, qua scilicet studemus miseriis nostris propriis subleuandis, iuxta illud Eccles. 30. Miserere animæ tuæ placens Deo: tamen sicut propriè misericordia dicitur ad alterum; ita etiam de huiusmodi misericordia intelligenda est hæc beatitudo. Porro huiusmodi misericordia in eleemosynarum largitione non tantum consistit, sed etiam in his omnibus, quibus iuuatur aliqua proximi miseria, & alterius onus portamus: vnde bene non dixit Dominus, beati eleemosynarum largitores, aut beati miseratores, sed id, quod omnibus competere potest, beati misericordes. Porro ob quam causam beati sint misericordes, ostendit Dominus subdens; *quoniam ipsi misericordiam consequentur*, à Deo scilicet. Et id quidem patet ex parte in præsenti tempore, in quo ob assidua peccata nemo non indiget Dei misericordia remittente, peccata, quam maximè misericordia fraterna impetramus iuxta illud Proverb. 16. Misericordia & veritate redimitur iniquitas. Sed perfectissimè Dei misericordiam consequentur misericordes in futura vita, quando gratuita Dei bonitate liberabuntur ab omnibus huius vitæ miseriis, & malis. [Theophylactus autem non solum de misericordia Dei dictum putat, quoniam misericordiam consequentur, sed etiam de misericordia hominũ: vt ob id intelligi possit absolutè dictũ misericordiã consequentur. Qui enim heri misericors fuit, si hodie inops sit, ab omnibus misericordiam consequitur. Ita que

Misericordes.

que sensus erit, misericordiam consequentur partim quidem hic a Deo, & ab hominibus, perfectissimè autem postea a Deo.]

Beati mundo corde, &c. Dicuntur mundo corde generaliter quorum cor nullis vitijs est inquinatum purum scilicet & à malis cogitationibus, & à prauis desiderijs, & singulariter ab omni duplicitate quomodo Dauid præcatur cor mundum creari in se. [Et quidem hoc modo debere sic hoc loco generaliter accipi, quomodo item accipiant Ambr. & Basilius) verisimilius est ex loco Psalmi. 23. ad quem hic allusum videtur à Domino, vbi sic dicitur: Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, &c. Et subditur hæc est gene ratio querentium eũ, &c. Hic enim cor mundũ accipitur, vt generaliter omne mentis vitium excludat.] Si autem sic accipiatur generaliter, munditia cordis rectè hæc beatitudo superioribus subiũgitur, vt significaretur nõ satis esse, si quis pauper sit, mitis, lugens, iustitiæ & misericordię deditus, nisi etiam mundo sit corde. Nam illa videri possunt exterius ab aliquo præstari, qui tamen cor habeat vel cogitationibus, & desiderijs malis, vel si sinistra bonorum operum, quæ facit, intentione deprauatum. Accipitur autem hic cor, sicut frequenter in scripturis metaphoricè pro mente: propter ea quod sicut cor principium est omnium vitalium operationum ita mens principium est omnium cogitationum, & affectuũ. [Et si autem videri possit nullos esse huius beatitudinis capaces, cum Scriptura dicat Prouerb. 20. Quis potest dicere mundum est cor meum, purus sum a peccato, & rursum; Si dixerimus quia peccatum non habemus; nosipsos seduximus, &c. Dicendum quod quemadmodum Scriptura iustos vocat, non eos, qui nullum committunt peccatum: sed qui ab omni crimine sunt liberi: ita & mũdus corde dicitur, qui etsi cor habeat leuibus maculis aspersum, purus tamen est acriminalibus peccatis, quæ hominem in Dei ira constituunt.] Dicuntur ergo quidam mundo corde non ab absoluta immunditia, sed à munditia fragilitari nostræ possibili. Bene autem mundis corde promittitur, *quoniam ipsi Deum videbunt.* Nam cum Deus oculis corporalibus videri non possit, sed tantum oculis mentis, & cordis: requirit ad visionem sui puros oculos mentis, hoc est, puram mentem, quemadmodum sol sensibilis requirit puros oculos corporales. Nec parua est huiusmodi promissio posse videre Deum. Nam in visione Dei consistit fœlicitas vitæ æternæ iuxta illud Saluatoris, hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum. Adimpletur autem hæc promissio potissimùm in futura vita. Nam in hac vita Deum nemo vidit vnquam in propria eius essentia scilicet. Et tamen etiam ex parte adimpletur in hac vita, quandoquidem puri corde capaciores sunt cognitionis Dei, quæ hic de ipso haberi potest.

Mundi corde.

quæst. 208

Beati

Universidad de Deusto
Biblioteca

εἰρηνοποιοι. *Pacifici.*

Beati pacifici εἰρηνοποιοι, hoc est, pacem facientes, & pacis conciliatores. Beatificantur ergo hic, qui non solùm in seipsis pacem habent, quales sunt, qui mũdo sunt corde, nec solum omnibus pacem, quantum in ipsis est, habere student, quales sunt, qui mites sunt dicti: sed qui etiam student alios à se dissidentes sibi reconciliare, aut eos, qui inter se discordant sibi mutuo pacificare, aut eos, qui à Deo sunt alieni reconciliare Deo. Septimo autem loco conuenienti ordine post superiores beatitudines hæc sequitur: nimirũ quod postquam quis mundus corde factus est, superest vt & alios Deo reconciliare studeat, ac dissidentes componere, quemadmodum iam suarum virium partes composuit. Id enim vt est maius quid omnibus prædictis, ita omnibus superioribus adeptis est adijciendum. Bene autem pacificis promittitur *quoniam ipsi filij Dei vocabuntur*, quod tamen potest intelligi dupliciter: videlicet vel respectu habito ad Deum Patrem. Vel respectu habito ad filium. Quoniam enim Deus Pater maximè pacem amat (vnde & Deus pacis dicitur) adeo vt & filium suum in mundum miserit, in quo complacuit sibi reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt: ideo pacifici dicuntur vocandi filij Dei, vtpote ei simillimi, & eius imitatores. Aut respectu habito ad Filium dicuntur pacifici vocandi filij Dei, eo quod vnigeniti filij Dei opus peculiare fuerit reconciliare nos Deo ac dissidentes populos pacificare. Non dicit autem quoniam filij Dei erunt. Qui enim tales sunt, iam sunt filij Dei, nec expectare debent vt fiant filij Dei, sed vt tales vocentur, hoc est manifestentur, & ab omnibus habeantur. In hac enim vita nondum manifestum est, qui sint filij Dei dicendi, cum multi eorum viles hic sint, & abiecti, non aliter tractati, quam serui aut mercenarij. Dicit ergo *Vocabuntur*, non falso, sed vere ita vt & tales sint, & tales agnoscantur. Ex superioribus autem satis patere potest, quam conueniens sit ordo beatitudinum istarum septem adinuicem, & esse quosdam gradus inter virtutes in beatitudinibus designatas. Itaque in vnum sic has beatitudines cõtrahere paucis licet. Beatus qui contẽnens huius mũdi bona, honores, diuitias & voluptates, Iustitiam insuper, & misericordiã sectatus pertendit ad mundiciã cordis, ac insuper & alios ad exemplum sui inter sese, & cum Deo pacificare adlaborat.

Summa harum beatitudinum.

Beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam, quoniã, &c. Post septem beatitudines superiores, quæ in actione aliqua consistunt: iam subiunguntur duæ beatitudines consistentes in laudabili passione, sed quarum posterior includitur in priori, sicut speciale in generali. Et quidem rectè hæ duæ beatitudines sequuntur superiores, tum quod maiorem adhuc perfectionem praesentium illis continent, imo absolutam perfectionem qua non est maior,

tum quod fere contingere soleat, vt qui superiores consecutus est beatitudines propter Iustitiam suam incidat in hominum impiorum persecutiones. Beati ergo qui persecutionem patiuntur, si modo tamen propter Iustitiam suam scilicet, patiantur, hoc est propter bonum aliquod à se factum. Neque enim beati sunt, qui persecutionem patiuntur propter peccata sua, etiam si eam patiantur propter Iustitiam communem, videlicet vt satisfiat Iustitiæ, & æquitati communi. Accipitur autem hic pati persecutionem generaliter pro pati quamuis iniuriam siue verbo, siue facto illatam: cum in sequenti mox beatitudine specialiter accipiatur, significãs tantum persecutionem, quæ fit facto. Recte autem iustis qui persecutionem patiuntur, promittitur regnum cælorum, nimirum pro humiliatione apud homines, exaltatio apud Deum. Conueniebat enim vt qui in terris ab hominibus conculcantur, & nihil minus quam regnant omnium facti peripsema, sic promitteretur regnum cæleste, quod prius etiã pauperibus spiritu promissum fuit.

Beati estis cum vos oderint, & maledixerint vobis homines. Superiorem beatitudinem generaliter propositam conuertit iam sermone applicat ad Apostolos, tum vt doceret eos ab hominibus infestandos, sicque ad mala tolleranda redderet paratiores: tũ quod persecutiones propter Iustitiã noua ratione essent inceptura in ipsis Apostolis, qui ob prædicationem Euangelij, & confessionem nominis Christi affligendi erant, ob quam caetenus nemo fuerat persecutionem passus. Ideoque & tam explicite exponit mala varia in persecutionis nomine superius comprehensa, vt dum hæc illis euenirent, fei nouitate non offenderentur, nec scandalizarentur. Et Lucas quidem quatuor membra malorum posuit, cum vos oderint homines, & separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum. Quorum primum pertinet ad interiorem affectum, secundum & quartum ad externam operis persecutionem, tertium verò ad linguæ iniurias. Loquitur autem in secundo membro de separatione è synagoga, aut generatiter à consortio suo. Eijcere autem nomen tanquam malũ, est memoriam aliquorum vel prorsus abolere, vel abominabilem posteritati reddere. Matthæus autem tria posuit malorum membra dicens, Cum male dixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos; Quorum primum idem est cum eo quod habet Lucas, & exprobrauerint, hoc est probris affecerint, est enim Græcis eadem dictio, nempe *ὀνειδίσωσιν*, hoc est, probra in vos iecerint. Quod sic à tertio membro vult differre Augustinus, vt maledictio vel opprobrium referatur ad eos, qui præsenti contumeliam verbis inferunt. Dicere autem omne malum aduersum aliquos referatur ad eos, qui absentibus detrahunt omne crimium genus illis imputando. Quod autem dicitur hic à

Mat-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matthæo, *& persecuti vos fuerint*, ad operis, & facti iniurias hic singulariter pertinet, nec accipitur tam generaliter quam vel in superiori beatitudine, vel postea cum dicitur: Sic enim persecuti sunt Prophetas, &c. Porro dominus hæc propter se patientibus non solum præmium beatificans eos promittit, quemadmodum in alijs fecit beatitudinibus: sed & ad gaudium, & exultationem inuitat. Vbi notandum dominum mercedem & præmium horum beatorum non finuisse, quemadmodum in alijs beatitudinibus: sed indeterminatè dixisse, *merces vestra multa est in cælis*, ad significandū immensitatem ipsius præmij, quod nulla nominata mensura exprimi posset. Porro non tantùm mercedis futuræ intuitu dominus suos ad gaudiū in tribulationibus, & persecutionibus inuitat, sed & alia ratione, dum subijcit: *Sic enim*, hoc est, eisdem modis, nempe maledictis, & probris infectando, iniurijsq; vatijs afficiendo, atq; eadem de causa persecuti sunt Prophetas, qui fuerūt ante vos. Illos enim persecuti sunt odio Patris, vos persequentur odio mei.

Veruntamen væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Lucas Euangelista quatuor tantùm posuit beatitudines, nimirum eas, quæ planè essent & vulgo, & huius mundi sapientibus paradoxæ. Omnes enim in paupertate, esurie, luctu ac vituperio hominum sitam iudicant miseriam. Itaque quatuor illis à se positis beatitudinibus, quatuor etiam væ Lucas opponit. Est autem interiectio væ, pro quo male aliqui dicendū putant væh deriuata à Græco οὐαὶ, & hoc videtur deriuatum ab Hebræo Hoi, quod idem significat, & est interiectio minantis, vel execrantis, aut prædicētis malum aliquod imminere. Et aliquando quidem in scripturis est interiectio prædicentis imminere damnationem æternā, vt hoc loco, & alijs fere locis noui Testamenti: aliquando verò est prædicētis tantùm malum aliquod temporale, vt frequenter in veteri Testamento, & in illo item Euangelij, væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Sunt autem generales hę sententiæ non de omnibus diuitibus, saturis, ridentibus, & laudatis apud homines intelligendæ, sed de his, qui hæc præsentia bona sua ducunt, eaque ex affectu, & corde studiosè sectantur. Hoc enim sentire dominum patet ex eo quod adiecit, *qui habetis consolationem vestram*, quod debet intelligi vt causa condemnationis diuitum. Non enim est Græce qui, sed quemadmodū in sequentibus duabus ὅτι. id est, quia. Pro habetis autem Græce est ἀπέχετε, quod potius est accipitis, nimirum ab ipsis diuitijs, vel ab ipso Deo permittente, quemadmodum danti epulono dictum est. Quoniam autem diuitias sequitur saturitas ventris, & omnium in hoc mundo desideriorum, risus quoque & gaudium, rectè subiungitur: *Væ vobis qui saturati estis*, qui scilicet esurie, & siti non affligimini in hoc mundo, & omnibus huius mundi voluptatibus pleni estis, nihil cælestium, & spiritualium rerum desiderantes: quia miserè in futura vita esurietis, omnium rerum desideratarum inopia laborantes. *Væ vobis qui ridetis nunc*, hoc est, qui in hac vita, in qua sunt mille flendi causæ (Emphasin enim habet illud nunc) gaudia sectamini, & risui, omnique lætitiæ vacatis. Mox enim versis rerum vicibus lugebitis, & flebitis, toti scilicet intus, & exterius occupati à tristitia. Iam quotam diuites, & delitijs affluentes ab omnibus prædicari solent, & laudari, rectè vltimo loco subijcitur: *Væ cum benedixerint*, hoc est laudauerint, & magnificauerint vos omnes homines mundani scilicet, & qui nihil quàm humana sectantur. Non ergo omnes subijciuntur condemnationi, qui laudantur ab hominibus: sed qui eas laudes ambiunt, aut potius, qui a mundanis laudantur, qui laudare solent eos, qui falsa fœlicitatis specie elati sunt in hoc mundo, qui ea agunt, quæ & ipsi sectantur: aut ea dicunt, & docent quæ ipsis sunt grata. Sic enim intelligendum patet ex his, quæ sequuntur, *secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis Patres eorum*, vbi eorum refertur ad ipsos homines benedicentes, & dicuntur Patres eorum, prædecessores eorum, quorum ipsi sunt imitatores.

Vαὶ ὑμῖν.

Vos estis sal terræ. Hic iā Dominus, quo ad perferendas persecutiones & sectanda omnia, quæcunque vel superius commendauit, vel postea præcepturus est, magis incitaret electos iam à se Apostolos; aperit quam iam illis personam imposuerit, & ad quid delegerit: docens functionem ipsorum planè exigere vt in his quæ vel dicta sunt, vel alijs se duces præbeant, & ante omnes hæc ipsi præstent. Et quidem conditionē personæ illis impositæ tribus similitudinibus explicat. Primum vocando eos Sal terræ vniuersæ scilicet, quo functionem ipsorum excedere etiam functionem Prophetarum denotauit, cum ipsi tantum sal essent Iudææ Apostoli vero sal vniuersæ terræ, hoc est vniuersis hominibus terram inhabitantibus, aut hominibus terrenis. Accipitur autem hic Sal, sicut & postea lux parabolicè. Dicuntur enim sal terræ, quod hominibus essent vice salis aut ad id delecti, vt id essent hominibus, quod sal est carni & omnibus cibis: tum quia homines abominabiles, Deo, & quos vt dicitur in Apoc. euomit ex ore suo, reddunt gustui Dei & bonorum omnium sapidos & gratos, aspergendo, & imbuendo illos cælesti sua doctrina, ac vitæ sanctissimæ exemplo, tum quia per hæc eadem præseruāt homines a corruptionibus vitiorum, cælestis doctrinæ vi exedentes & consumentes in hominibus sanguineos carnis humores, hoc est, carnis desideria mē, ti corruptionē, nisi eximantur adferentia, & reseruantes eos æternæ incorruptioni. Et quidem ad priorem salis conditionem hic respexisse videtur Dominus ex eo quod sequitur: *Quod si sal euanuerit, in quo saliemur?* Vbi pro euanuerit Græce est μωρανθῇ. i. infatuatū fuerit.

Sal terræ Apostoli secundū duplicem salis conditionem.

fuerit. Nam sicut insulsum à cibo transfertur ad hominem: ita sa-
tum ab homine transfertur ad cibum. Illud ergo euanuerit, id est
inefficax factum fuerit sapore suo, & acrimonia deperdita. Quod
vero sequitur, *in quo salietur*, sensus est, in qua re ipsa in sal corrup-
tum, & insipidum iam salietur, quasi dicat, non est vnde sali possit
restitui deperdita vis, & sapor. Atque hunc esse sensum huius ver-
bi sic personaliter accepti patet ex eadem hac sententia Domini, vt
eam Marcus extulit cap. 9. vbi sic legimus. Si sal insulsum fuerit, in
quo illud nempe sal condietis, vel vt habent Græca, in quo illud
condietur? Est enim ἀρτύσαι. Sed & ea quæ hic sequuntur apud
Matthæum postulant hunc sensum. Sequitur enim; *ad nihil valet*
vltra, scilicet quod & insulsum est, & non potest reparari. Qua par-
te significatur iam corrupti salis inutilitas, sicut priore parte eius-
dem irreparabilitas, nempe quod, quemadmodum Lucas explicat,
non sit vtile vt in agrum, aut in sterquilinium mittatur, ad quod vti-
lia sunt alia quæque fere corrupta ciborum genera, eo quod sterili-
tatem adferret agris, proinde ejicitur è cellis sallarijs in plateas. Por-
ro intendit per hæc docere Apostolos & eorum successores domi-
nus, nisi in officio salis studiosè perseuerent & vinidum illum Eua-
gelicæ perfectionis vigorem conseruent, futurum vt duo hæc si-
mul mala incidant. Primum vt sint irreparabiles, vtpote carentes
Pastoribus reparantibus eos, alterum vt peruersi alios condignè of-
ficio ad nihil vtiles ejiciantur è dignitatis suæ gradu, atque in ex-
ternum veniant contemptum apud homines.

Vos estis lux mundi. Quos prius dixit esse Sal, iam lucem vocat,
quod delecti essent ad pellendum verbo & opere tenebras homi-
num. Nam & Gentiles in tenebris versabantur, verum Deum ignoo
rantes, & Iudæi quoque vmbris legis affixi nondum ad veram, &
claram lucem peruenerant; necdum cognoscentes, quæ esset vera
Iustitia, quæ nos Deo commendaret. Lucem autem eos vocat, non
qualis est sol (sic enim esse lucem Christo proprium est) sed qualis
lux est lucerna ab alio lumen suum mutuis: vnde mox dominus
explicans hanc parabolam, lucernæ accensæ eos comparat dicens.
Neque accendunt lucernam, &c. Non potest ciuitas abscondi supra mon-
tem posita, neque, &c. Præterquam quod hic explicat quorsum eos
vocet lucem mundi, tertio suos etiam ciuitati in monte constru-
ctæ (secutus scilicet scripturæ morem quæ Ecclesiam Dei, cuius
præcipua portio, & primæ fabricatores fuerunt Apostoli, frequen-
tet hac similitudine exprimit) comparat, & vult significare, quod
quomodo ciuitas supra montem posita abscondi non potest, sed
necessario omnium oculis est exposita propter montis altitudi-
nem: ita Apostolos propter status, & officij sui altitudinem non
posse latere hominibus, sed necessario omnium oculos conuerten
dos in ipsos. Et quomodo noctu lucernam nemo ad id accendit

Psalm. 45 47. 86.

vt

vt sub vase occular, sed vt candelabro imponat, quo lumē præbeat
omnibus, qui in domo sunt: ita ipsos cogitare debere, ob id se cele
stij lumine accensos esse, vt propositi palam omnibus, illustrent in
nocte huius seculi omnes, qui sunt in domo Dei, vel ingrediuntur
in eam, quæ est Ecclesia Dei viui, & proinde neque persecutionū
metu libertatem prædicandi aliis ventarem esse ipsis deponēdam,
sed tota fiducia quod audierunt in domo, prædicandū in tectis, ne-
que solum citra maculam debere ipsos degere ne aliis sint offen-
diculo, sed præ aliis maiori debere præditos esse perfectione, quo
ab eis omnes, quod imitentur discant, & accipiant.

Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera, &c. Supe
rioribus similitudinibus ostendit lucem eorum debere lucere co-
ram hominibus: hic verò adijcit modum, quo lucere debeant, &
finem propter quem debeant lucere, videlicet non in propriā glo-
riam, sed in Dei Patris gloriam, & hominum videntium profe-
ctum. Quod autem dicitur;

Vt videant opera vestra bona & glorificent, intelligendum est
phrasi Hebræis familiari, pro eo quod est, vt videntes opera vestra
bona glorificent. Hic autem lux paulo aliter accipitur, quàm supe
rius, cum dicitur, vos estis lux mundi: Ibi enim ipsi Apostoli à Do
mino luce abundantiori donati dicuntur lux: hic verò perfectio
sapientiæ & vitæ, lux eorum esse dicitur. Notandum & illud quod
non dicit, vt glorificent Deum, sed potius vt glorificent *Patrem*
vestrum. Sic enim & suauius eos inuitat ad id, quod facto opus est,
eo quod Patris honor & gloria naturaliter queritur à filijs, in quos
etiam Patris gloria redundat; & rursum significat non satis esse
vt queratur Dei gloria, sed eam filiali amore querendam. Iam &
illud *qui in cœlis est*, etsi sit additum ad distinctionem Patris terre-
ni, simul tamen etiam includit rationem ob quam Dei gloria sit
querenda nimirum ratione domini eius, quod habitatio eius in eo
lis significat. Quanquam autem hæc peculiariter pertinēt ad Apo
stolos, ac Ecclesiæ Pastores & Doctores: tamen ex nonnullā parte
etiam ad omnes pertinent Christianos.

Præcipitur abundantior iustitia quàm sit Phariſæorum. Matthæi 5. Lucæ 6. CAP. XL.

DICO autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia ve-
stra plusquam scribarum & Phariſæorum, non intra-
bitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est anti-
quis: Non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio.
Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri
suo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha,

P reus

reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniès offer munus tuum.

G.12.17. C.12.37. Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem. [Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,

A.18.71. B.9.71. iam mœchatus est eam in corde suo. || Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eã, & proijce ab te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.] Dictum est autem: Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neq; per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris: quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester est est, non non: quod autem his abundantius est, à malo est. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: † sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuã, præbe illi & alteram. Et

† & qui te percusit.

▷ ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

▷ & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium', & quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Omni || autem qui petit à te da ei, & volenti mutuare à te ne auertaris. & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas || Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.] Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. ▷ Si enim diligitis eos qui vos diligunt, || quam mercedem habetis? Nonne & publicani hoc faciunt? Nam & peccatores se diligentes diligunt.

‖ Qui autem petit, & ▷ petiti te tristes.

▷ Et est ‖ quæ no dem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Et si saluauerit fratres vestros

tantùm, quid amplius facitis: nónne & ethnici hoc faciunt? Verumtamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo vos perfecti [&] misericordes, sicut & pater vester cœlestis perfectus [&] misericors est.

Nolite putare quoniam veni soluere legem aut Prophetas. Daturus dominus nouæ legis quædam præcepta celsiora his, quæ erant in veteri Testamento: amputat suspitionem falsam, quæ de se haberi posset tanquam veteris legis destructore: docens quę præceptorus est non aduersari legi, aut Propheris, sed potius supplere, quod legi deerat. Nomen autem legis hic accipitur tantum pro quinq; libris Moysiquos singulariter vocant Hebræi Thorach, hoc est legem. Porro dupliciter quis dicitur soluere legem, videlicet & dum eam transgreditur, & dum eam aboler, & destruit. Atque hoc secundo modo debere hic accipi ipse scopus Christi satis indicat, & dictio Græca καταλύσαι, quod est dissoluere, & destruere: quamuis recte etiam simul & primus modus soluendi legem hic intelligatur includi, vt soluere legem sit, aut vita eam transgredi, aut doctrina ipsam abolere, & destruere. Cum verò dominus hic dicit se venisse ad implendum legem, videtur potissimum loqui de impletione legis, quæ fit exhibitione, & completione promissorum legis, & quæ fit additione præceptorum legem perficientium. De prioti enim illa impletione dominum locutum patet ex sequenti sententia. Amen dico vobis, Iota vnum, &c. de secunda item locutum patet ex sequenti eius doctrina qua supplet ea, quæ legi ad perfectionem hominis deesse videri poterant, dicens. Nisi abundauerit iustitia, &c. Cum ergo dominus dicit se non venisse ad soluẽdum legem, sed ad implendum, cum certum sit eum sustulisse legem quoad ceremonialia, & Iudicialia eius præcepta: loquitur potissimum de lege secundum ea, quæ in ipsa lege sunt præcipua: Vnde possea cum suis præceptis legem perficit tantum adfert præcepta moralia, & nulla ceremonialia. Legem ergo quæ ad dilectionem Dei, & proximi, atque temperantiam in omnibus seruandam inuitat, Dominus non soluit, sed adimpleuit: quia perfectius docuit quomodo hæc præstari debeant, quam lex vel exigit, vel intelligebatur exigere. [Et tamen etiam legem, quatenus ceremonialia continet, non oportet hoc loco fateri Dominum soluisse, sed etiam impleuisse eam. Nam quamuis cæremonialia ad literam abrogauerit, vt vim obligandi amplius non habeant: tamen non penitus ea soluit (quod feciſſet si docuisset ea mala fuisse, nec à Deo profecta) sed adimpleuit ea: tum quia in se hoc ipsum exhibuit, quod per illas ceremonias adumbrabatur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum quia docuit, quomodo ea præcepta spiritualiter intellecta perfectius obseruari a Christianis deberent. Quod autem Dominus hic loquens de adimpletione legis etiam comprehendat cæremonialia, & non solum moralia, patet ex sententia sequente, qua dicitur nihil præteriturũ à lege donec omnia fiant, vbi manifestè dominus loquitur de lege, quatenus continet nõ solum præcepta, sed etiam promissa, & prophetias. Iam autem cæremonialia præcepta, prophetiæ quædam erant spiritualiter intellecta.]

Hieronym. August.

Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, &c. Sensus est, Verè illud vobis affirmo, quod vsque ad consummationem seculi, quando transibunt cælum & terra, non quidem secundum substantiam suam, sed secundum statum suum, ne minimum quidem ex vniuersa lege est periturum, sed perficientur vniuersa, quæ in ea sunt scripta. Quod enim dicit Iota vnum, aut apex vnus, &c. per hyperbolen & tropum est accipiendum. Non enim laborandum de literarum apiculis, cum constet quædam volumina veteris Testamenti intercidisse, quorum nomenclaturam adhuc videmus in Canonicis voluminibus: sed asseueratur nihil omnino promissum aut proditum in lege Mosaica quod non impleatur.

Calum & terra quo modo trã sibunt.

Qui ergo soluerit vnũ de mandatis istis minimis, & docuerit, &c. Chrysostomus per mandata minima intelligit ea præcepta, quæ dominus addidit præceptis legis, eaque putat in prima sua expositione dici minima à domino, humilitatis & modestiæ causam. In secunda vero expositione, quæ etiam nomine Chrysostomi legitur, eo quod minor esset illorum transgressio, & minus necessaria eorum obseruatio. Et de his mandatis magis Dominum locutum verisimile est, tum propter pronomen demõstratiuum istis, quo non videtur quid possit aliud demonstrare, quàm ea, quæ modo minus est præceperus, vt sit sensus, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, quæ modo sum præcepturus; tum quia dicendum quitur ex oppositio. Qui autem fecerit, & docuerit, subintelligendum indubiè sit, mandata ista. Iam quæ sint illa mandata, quæ qui fecerit & docuerit magnus vocandus sit in regno cælorum: patet ex subiuncta ratione; dico enim vobis, Nisi abundauerit, &c. Hinc enim patet magnum non vocandum in regno cælorum, nisi qui fecerit, & docuerit illa mandata, quibus Christus legem perfecit & adimpleuit. [Nõ est tamen necesse omnia præcepta Christi hic vocari minima, cum hic videatur esse sensus domini. Qui soluerit etiam vnum tantum de mandatis istis, etiam si illa sint minima, hoc est vnum mandatorum etiam minimorũ, vt significetur minimum fore non solũ eũ qui multa mandata soluerit, sed etiam qui vnũ tãtum soluerit, etiã si illud nõ sit ex maioribus, sed ex minimis, aut ex minimis esse putetur: vt minima quædã dicat dominus per concessionem. Quare intelligi etiã potest dominũ cum de mandatis istis, demonstrate non tantum sua præcepta, sed etiã legis præcepta, quæ adducturus est, & omnino omnia præcepta, quæ traditurus est, quamuis non omnia sint dicenda minima.] Iam quod sequitur, *& docuerit sic homines.* Aug. intelligit de eo qui male docet, vt sit sensus, & docuerit sic homines sicut ipse soluit, hoc est docuerit etiam non seruare alios, quod ipse non seruat, & tum vita, tum doctrina legem aliquam soluerit. Atque hic sensus videtur esse verisimilior, tum quod nimis durum sit dicere eum qui male docet, si vnum aliquod ex minimis mandatis transgressus fuerit, minimum fore in regno cælorum, cum nemo omnino sit, qui non in multis offendat; tum quia ex superioribus istud Dominus infert, in quibus dixit se non venisse ad soluendum legem, quæ est insolubilis, sed ad implendum eã suis præceptis perfectioribus. Secundum hunc autem sensum quod sequitur. *Minimus vocabitur in regno cælorum*, dupliciter accipi potest. Aut enim regnum cælorum accipitur pro regno cælesti quod post hanc vitam expectatur, & dicitur talis vocandus minimus, quia conceptus habebitur à Deo, & sanctis eius, & indignus planè qui recipiatur in regno cælorũ. Aut regnũ cælorũ hic accipitur quemadmodum sæpe pro republica credentium in Christum, quomodo & ibi videtur accipi; Quis putas maior est in regno cælorum? & similiter dicitur vocabitur minimus in regno cælorum, quia etiam si connumeretur inter ciues regni cælorum, inter eos tamen infimo erit loco, tali scilicet loco, vt è numero ciuium sit ejciendus ni resipiscat. Omnes enim hi dicuntur in regno cælorum minimi, qui eo sunt loco in populo Dei, vt in eorum numero non sint semper permansuri. Sequitur: Qui autem primùm quidem fecerit & ẽiam vnum aliquod horum de mandatis istis, sed omnia simul mandata ista, quæ modo traditurus sumideinde vero etiã alios docuerit. Hic nõ erit solũ in regno cælorũ, sed magnus ibi vocabitur, maior scilicet his qui vel tantum faciunt, vel tantum docent, secundum illud Danielis: Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad Iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Dico autem vobis quia nisi abundauerit, &c. Græca non habent autem, sed coniunctionem causalem γὰρ enim. Redditur enim ratio quare dixerit se venisse ad implendum legem, & quare seruandæ sint mandata sua, quibus legem est perfecturus, & impleturus. Potest autem hæc sententia intelligi dicta specialiter ad Apostolos, & eorum locum in Ecclesia tenentes doctores scilicet, ad quos superiora singulariter pertinent: verum quoniam præcepta illa, quibus statim explicat, quæ sit Iustitia illa abundãtior, quã requirit ad omnes pertineãt Christianos, rectius hæc sententia intelligitur dicta toti populo & omnibus Christianis. Ideo autẽ Iustitia Christianorũ cõparatur Iustitiæ scribarũ & Pharisæorũ, quoniam hi &

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Iudæos optimi habebãtur ac iustissimi, & sibi ipsis placebant tanquam consecuti iustitiam perfectam. Itaque significat nos optimis, & pro sanctissimis habitis apud Iudæos, debere esse meliores.

Audistis quia dictum est antiquis. Incipit iã quod promisit præstare, implere scilicet legem, & docere quomodo abundare debeat Iustitia nostra. Incipit autem ab eo mandato, quod in Decalogo primum est inter mandata negatiua secundæ Tabulæ: docens non tãtis esse cauere ab homicidio, quemadmodum illo præcepto Scribę & Pharisæi tantum putabant esse prohibitum, sed & ab omni ira in fratrem abstinẽdum. Quoniam autem rudibus turbis & ex media plebe delectis discipulis dominus loquebatur, ideo magis vt vulgo iactata apud maiores præcepta Dei acceperant quàm vt legebantur in Scripturis, explicanda, & perficienda præcepta legis suscepit. Dicit *itaque audistis*, quod dictum sit olim à Deo in monte Synai priscis Patribus: Non occides hominem scilicet, propria authoritate. Et quod sequitur.

Qui autem occiderit, reus erit iudicio; cum in lege domini non sit ad verbum, satis indicat dominũ voluisse hæc præcepta, vt vulgus recepta ea à veteribus & Scribis tenebat, perficere partim explanãdo, & addendo, partim corrigendo. Habetur autẽ hæc sententia in sensu Exo. 21. vbi nõ vnũ, sed varia sũt instituta iudicia, iuxta varios homicidij casus, quæ omnia hac vna sententia comprehẽduntur. Cæterum Iudicij nomine Scribæ hac sententia in docendo populo, vt est verisimile vtentes, forte intellexerunt diudicationem, qua de homicida explorabatur, an sciens vel insciens, data opera, vel per casum proximum suum occidisset, de quo etiam habetur Exo. 21. & latius Deut. 19.

Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri, &c. Impleturus Dominus homicidij legem tres facit gradus peccantium citra homicidium, per Iram & indignationem, & tres item peccatorum gradus, Leuius enim est irasci tantum fratri, & iram in corde rẽtinere compressam, quam si erumpente ira dicat quis fratri Racha, vel fatue. Ita leuius quid sonat reum esse iudicio, quam reum esse concilio, & hoc tursum leuius, quam reum esse gehennæ ignis. Quod autem trium istorum peccatorum leuissimum est, nempe irasci fratri, par facit in condemnatione homicidij in lege: non quod æquè graue sit peccatum irasci tantum & occidere hominem: sed vt doceret Euangelicæ doctrinæ perfectionem: & sic Christiano studendum esse effugere omnem iram in fratrem, quomodo Scribæ, & Pharisæi vitabant homicidium. Dicit autem, Ego dico vobis: & non sicut Propheræ hæc dicit Dominus Deus: insinuare volens suam authoritatem æqualem authoritati eius, qui veterẽ dederat legem. Non esse autem hoc loco ab Euangelista

gelista nec ab ipso saluatore appositam dictionem ἀικῆ, hoc est temerè, vel sine causa, quam legunt quidam hinc satis cõstat, quod etiam iustam iram, hoc est, quæ iusta videtur habere causam, dominus hoc loco prohibere voluerit. Peccat enim qui etiã ab alio læsus, & iniuria affectus irascitur. [Nec obstat quod aliquando sine peccato quis alteri irascatur, aut etiam racha, & fatue dicat. Primum enim non prohibentur hic primi iracundiæ motus, qui in nostra non sunt potestate: sed ira deliberata, & perfecta, cui scilicet consensus accedit. Deinde nec huiusmodi ira, qua quis vitio hominis offenditur, ad quod significandum quidam putant dictũ, qui irascitur fratri, hoc est, non vitio hominis sed homini, quem quod frater sit diligere deberet. Itaque per datiuum fratri satis significatur dominum loqui de ira tali, quę pugnat cum dilectione fraterna. Aut si non hac ratione dictum est, qui irascitur fratri, sed potius secundum Hebraïcam phrasim, fratris nomen hic positum est pro quocunq; homine, & pro proximo: dicendum dominũ hic loqui de ira vulgari, quæ est motus animi malevolentis alteri, aut vltionem doloris cupientis. Huiusmodi enim ira semper etiam si sit in Iudice iustè puniente nocẽtem, peccatum est. Atq; ob huiusmodi iram designandam intelligunt additam partem illam ἀικῆ apud Græcos, aut sine causa, apud Latinos hi qui illam partem hoc loco legunt, vt ne quis putet eos intelligere illum irasci ἀικῆ vel sine causa, qui nulla accepta irascitur iniuria.] Insequentibus autẽ duobus membris, quo sint sententiæ vniuersaliter veræ subintelligendum ex primo mẽbro. Si quis iratus dixerit Racha, si quis iratus dixerit fatuæ: accipiendumque semper de ira ea, de qua primũ membrum intelligitur. Nã & Christum supra Marc. 3. iratum Iudæis legimus, & sæpe grauiter quoq; cõuiciatum Pharisæos. Porro quid sit Racha, quod in secundo ponitur mẽbro, omnium probabilior est Hieronymi sententia vt Racha (vel potius Raca sine aspiratione saltẽ in secunda sylla, cũ Græcè sit ῥακὰ) sit dictio Hebraïca, vel potius Chaldaïca, deriuata ab Hebræa certũ aliquod cõuitiũ significãs. [Hebraïcè enim Rec, inanè significat, vanum, aut pauperem à verbo, quod significat euacuare, attenuare, & pauperẽ esse. Inde pro more Chaldæorum adiectione literæ Alephi fit Reca vel Raca. Nõ significatur tamẽ hac dictione isto loco cerebro carẽs, sed vacuus, quẽadmodum tamẽ vult Hier. Sic enim nihil interesset interdicere fratri Racha, & dicere fratri fatue. Sed per Raca significatur potius homo inops, & pauper vacuus omnibus bonis, quomodo accipitur Iud. 11. vbi nos legimus. Cõgregatiq; sũt ad eũ viri inopes. Et 2. Par. 13. Cõgregatiq; sũt ad eũ viri vanissimi. His enim locis pro inopes, & vanissimi Hebraïcè est, recim. Et 2. Reg. 6. Hier. eãdẽ dictionẽ vertit scurrã.] Itaq; idẽ cõuitiũ nomine Hebraï Raca significatur, quod Græcis nomine ῥὰκὰ quãuis vnũ nomẽ

Racha.

ab altero verisimiliter non deriuetur. Sciendum autem Dominū in tribus illis gradibus iræ & reatuum attemperasse doctrinam suā ad captum simplicium. Non enim semper minus peccat, qui tacitus irascitur, quam qui conuitijs debacchatur: sed pro captu vulgi, per eum qui tantum irascitur proposuit exemplum iræ leuis, quæ nondum decreuit vltionem, per racha, iræ grauioris, & per fatuæ, iræ grauissimæ citra homicidium. Sic quod irascentem dicit reum iudicio, dicentem Racha reum concilio, dicentem fatuæ reum gehennæ ignis, significare voluit eum qui vel tantum irascitur, tale quid commisisse, vt metuere debeat condemnationem, quamuis illa omnino necdum videatur certa, & definita; qui vero lenem conuitio fratrem impetierit, tale quid commisisse, vt meritò iam non debeat solùm ne condemnetur, sed veluti certus de promerita condemnatione metuat grauem aliquam condemnationem; qui veto grauiori conuitio alium incesserit, iam certo expectet debitum sibi grauissimum æterni cruciatus supplicium. Intelligenda est autem hæc oratio, gehenna ignis Hebraicā phrasi, pro eo quod est gehenna ardens, & ignita.

Si ergo offeris munus tuum ad altare, &c. Videtur hæc sententia, quam ex superioribus inferri indicat coniunctio ergo, sic cum superioribus hærere. Cum charitatis fraternæ tanta sit habenda ratio, vt cauendum sit ne vel fatuè, vel racha dicendo, aut etiam tacita ira eam violes; cumque fraternæ charitatis violatorem adeo detestetur Deus, vt eum qui vel fatue tantum dixerit fratri addicat gehennæ ignis: ergo, si, vt fit, contingat aliquem fratrem suum quauis in re læsisse, vel offendisse ante omnia ei opera danda, vt scissa concordia resarciatur, & fratri reconcilietur, adeo vt huic rei etiam sacrificij oblationem postponat, quæ nō potest Deo esse accepta, ab eo, qui fraternæ charitatis violator est, gehennæ ignis apud Deum obnoxius. [Diligenter autem aduertendū quā efficaciter dominus hac lege & sententia impellat ad studiū reconciliationis. Non enim dixit: Reconciliare fratri tuo priusquā offeras mōnus Deo: ne tempus reconciliandi concedere videretur vsque ad tempus offerendi munus Deo: sed vt ante omnia negotia, & quam citissimè doceret incumbendū reconciliationi Si, inquit, offeras, & ibi recordatus fueris, &c. Si enim diuinum negotium etiam cum in manibus est, intermittendum est, & posthabendū reconciliationi fraternæ, multò magis alia negotia: et si tunc, dū quis ante altare recordatur offensæ recurrendu est ad fratris reconciliationem, multò magis id prius agendū erat.] Porro quod dicitur, *Frater tuus habet aliquid aduersum te*; duplicites intelligitur: Augustinus enim intelligit eum habere aliquid contra alium, qui ab eō læsus est, hoc est, qui habet vnde cum alio expostulet, & causam habet de eo cōquerēdi. Chryf. verō, & post eū Theophyl.

Theophyl. intelligunt eum habere aliquid aduersum alium, cui cum alio non bene conuenit, sed qui inimicitias cum illo gerit siue iustas, siue iniustas, & ob id absolute dictum. Si frater tuus habet aliquid aduersum te, nec additum, iussè, vt intelligatur etiam ei, qui læsus est præceptum esse, vt reconciliationem eius quærat, qui ab ipso dissidet, & se læsum ab eo putat, etiam si non sit. Atque ob id etiam Chrysostomus putat non esse dictum reconcilia tibi fratrem tuum; sed reconciliare fratri tuo, quod tam offensio cō ueniat, quam offendenti. Et hæc quidem intelligentia videtur magis conuenire perfectioni Euangelicæ, quam hic tradit Dominus. Videtur tamen Chrysostomum, dum reconciliationem querit à læso, tantum requirere remissionem delicti in se commissi, ita vt sententia eius fere coincidat cum Augustini. Verum quid sit fratrem habere aliquid aduersum aliquem patet ex Apoc. 2. Vbi frequenti locutione dicitur, habeo aduersus te pauca; pro eo quod est, sunt quædam de quibus tecum expostulem. Intelligēda est autem hæc sententia cum eo sale discretionis, cum quo similia præcepta affirmatiua debent intelligi, si scilicet tempus, locus, & prudentiæ ratio ita permittat, nec ram spectanda sunt præcepti huius verba, quam scopus, & intentio Saluatoris, qui est, vt quantum in nobis est, omnia postpositis omnibus faciamus, quo ostensum fratrem reconciliemus nobis adeō vt etiam Sacrificium Deo iamiam offerendum intermittamus, cum ita fieri potest, quo inemores offensæ fraternæ, eum qui offensus est, placemus, priusquam sacrificiū absoluamus. Quod si autem fieri non potest vt offensum adeamus illique reconciliemur animo saltem, & cordis bono propositio istud, quod hic præcipitur, peragendum est, videlicet vt pro vitili, & iuxta offensæ qualitatem offensum placare proponat, priusquam oblationem suam Deo offerat.

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum ipso, &c. Est exemplum allegoria inuolutum, cuius res à domino præcipitur magis significatur, quam exprimitur. Habet autē hunc sensum: Si creditor aliquis, aut aduersarius quisquam, qui habet iustam aliquam aduersus te querelam, te in ius vocasset, iamque esset illo ires ad iudicem consultissimum faceres, si cum adhuc esses cū illo in via ipse mox cum illo conuenires. Nam si iudicium velles experiri, quando debitum inficiari non posses, nihil aliud expectandum tibi, quam vt pro officio suo iudex te traderet ministro, qui te conijceret in carcerem: è quo non liceret egredi nisi omni debito vsque ad extremum quadrantem persoluto, sicque duo simul incommoda reportares, nimirum carceris pœnas, ac dedecus, & extremam, exactamque debiti persolutionem, cum alioqui ante iudicium ab ipso creditore sperare licuerit aliquam debiti remissionem. Hæc parabola siue exemplum est, ἀπαναθόρως vero, id est

redditio, siue res exempli, quam significare dominus potius, quàm dicere maluit, sic se habet: Sic si quem offendisti, & per hoc debitorem te illius cõstituisti, da operam vt dum adhuc es in via, hoc est, priusquàm Iudici Deo, qui vindex est horum, tradaris, cito cum eo in gratiam redeas. Id enim si feceris, iam & veniam quoque ab ipso Iudice Deo impetrasti. Si verò neglexeris, vbi iusto iudicio traditus fueris, non est quod vllam ab eo veniam speres id quod iustum est iudicabit, nullam concedens debiti relaxationem, sed exigens vt ad plenum persoluas debitum, quod fiet inflictione æterni supplicij, & cruciatus æterni ignis debito his, qui fraternam charitatẽ violauerint. Itaque qui prius cum adhuc in via esses, facili negotio potuisses cum aduersario componere, precibus scilicet solis, aut dispẽdio solũ pecuniario, iã cogeris præter dedecus carceris extremũ exoluere, quod iustitia exigit. [Dominus ergo sicut superiore sententia ad quærendam reconciliationem inuitauit, indicando mutuam concordiam Deo gratiorem esse omnibus sacrificijs, imo sine ea nullum sacrificium illi gratum esse: ita hoc simili ad eandem magis compellit, ostenso periculo in quod se conijcit, qui hanc reconciliationem negligit.] Pro nouissimo quadrante, Lucas cap. 12 (vbi dominus eodem exemplo vtitur, sed alia occasione, & alio fine, vt ibi patebit vnde videri possit hoc simile domino non insequens, ac veluti prouerbij loco fuisse) habet nouissimum minutũ, dimidium scilicet quadrantis. Idem tamen vtrobique significatur, nempe extremum, & exactum debitum.

Audistis quia dictũ est antiquis, Non Mœchaberis, &c. In lege postquam dictum est, non occides, sequitur, Non Mœchaberis. Itaque post perfectionem prioris mandati, consequenti ordine ad perfectionẽ sequẽtis procedit dominus. Porro sicut præcepto homicidij prohibetur etiam omnis mutilatio, læsio, & percussio hominis: ita hoc præcepto sub nomine Mœchiæ, quod propriè adulterium significat, prohibetur omnis illicitus veneris vsus, sub grauiore scilicet, grauiore, & notiore peccato, cæteris etiã leuioribus cõprehensis. Dominus autem hoc præceptũ adimplens docet etiã concupiscentiam cuiuscunque mulieris non suæ Mœchiæ, & fornicationis reatu teneri apud Deum. In decalogo quidem prohibita etiam fuit concupiscentia vxoris alienæ, vt nõ potuerint Iudæi ignorare, quin & huiusmodi concupiscentia illicita esset: verum vel Iudæi præceptum huiusmodi malè intelligebant, vt quibusdam placet, nimirum aut de ablatione alienæ vxoris, vt existimat Aug. aut de exterioribus concupiscentiæ signis, nempe osculis, & tactibus vt vult Lyranus: vel potius etsi putarent interiorem etiã concupiscentiam esse vetitam, non tamen putauerunt per eam hominem Mœchiæ, & fornicationis eũ incurrere, maximè cũ diuersa essent decalogi præcepta, Nõ Mœchaberis, & Non cõcupisces & vxo-

rẽ proximi, &c. Itaq; dominus hoc addidit legi, quod docuit sola cõcupiscentia hominem reum fieri Mœchiæ & fornicationis. Deinde quoniam in lege dictum fuit; Non concupisces vxorem proximi tui, forte crediderunt plerique non prohibitam concupiscentiam mulieris, quæ nullius esset vxor. Itaque & hunc errorem excludere volens dominus absolutè dicit, omnis qui viderit mulierem, sine scilicet vxor sit alterius, siue nõ, modo sua non sit vxor. Quare hoc suo præcepto dominus duplicitet perficit veterem legem. Illud autem.

Qui viderit mulierem ad concupiscendum eã, accipi potest vt sit sensus: Qui ad hoc viderit mulierem, vt inde concupiscentiam eius in se accendat, quomodo hunc locum accipiunt Aug. Hierony. & Chryl. & verba ipsa exigunt, vt sic intelligatur. Sic ergo nõ omnẽ mulieris concupiscentiam dãnauit his verbis dominus, sed eã, quæ affectata, deliberata, & procurata est. [Considerandum est (inquit Aug.) quod non dixit omnis qui concupierit mulierem, sed qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, id est hoc fine, & hoc animo attenderit vt concupiscat eam, quod iam non est titillari delectatione carnis, sed plenè consentire libidini, ita vt iam non re frænetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit, satietur.] Quod autem dominus dicit de visu tanquam de sensu notiore, & vnde vt in plurimum maximè nascitur in animo concupiscentia: hoc idem & de alijs sensibus est intelligendum, nimirum quod qui tetigerit mulierem, aut audierit, aut etiam absens cogitauerit, de ea, vt concupiscat eam, & tactu, auditu, vel cogitatu concupiscentiam in se collegerit; mœchatus est eam, hoc est, adulterium, vel fornicationem commisit cum ea, & etsi non in corpore suo, tamen in corde suo: ac proinde quanquam apud homines non teneretur reus adulterij; apud Deum tamen est, qui scrutatur corda renes.

Quia si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, &c. Videtur Dominus in hunc sermonem parabolicum de oculo, & deinde de manu incidisse occasione eius, quod dixit prius de oculo, Qui viderit mulierẽ ad concupiscendum eam, &c. Contra quod ab auditoribus ipsi obijci potuisset. Quomodo ergo quis reatum adulterij effugere poterit, cum facillimè ex conspecta muliere animus cuiusque in amorem & concupiscentiam mulieris rapiatur? Neque enim licet semper clausis incedere oculis. Huiusmodi ergo obiectioni velut per præoccupationem respondet Dominus, Si oculus tuus dexter, &c. Quasi diceret, Ergo fugienda est omnis occasio concupiscentiæ, imò & præscindendum quidquid omnino mali cuiuspiam occasionem præbet. Vt enim inoffensi & citra peccati impactionem, & casum in via Dei pergatis, par est vos omnibus cedere, omniaque facere & pati.

Vnde

Vnde quemadmodum nemo non veller oculi etiam dextri aut manus etiam dextræ iacturam facere, quo totum corpus à perditione seruaretur: ita & vos moneo, vt quidquid demum est, etiam si sit vobis tam charum, & tam necessarium, quàm sunt oculi, & manus, imo oculus dexter, & manus dextra, id resecetis, & abijciatis, si offendiculo vobis sit, quantumlibet incommodi & doloris id vobis inferat. Nihil enim est, quo non infinito magis præstet carere, & vitã cõsequi æternã, quàm id retinere, & abijci in gehennã. Si explicata hæc parabolica, atque hyperbolica Christi verba & cũ superioribus habent multum affinitatis, & omnes Patrum interpretationes in se includunt.

Dictum est autem, Quicunque dimiserit vxorem suam det illi, &c. Post perfectionem legis, non mechaberis, congruo ordine subijcitur perfectio alterius legis, quæ etiam ad mulierem pertinet, docens iam propriam vxorem non esse dimittendam, postquam superius docuit alienam non esse concupiscendam, & aliud iam mechiæ genus ostendens, Scribis & Phariſæis inopinatum. Bene autem dominus adductarus legem diuortij, dicit dictum, quicunque dimiserit vxorem suam, significans satis legem non præcepisse, sed coactam permisisse diuortium: præcepisse autem, vt qui dimittere veller, non dimitteret nisi dato libello repudij, hoc est charta quadam, & scheeda, quæ repudiatam vxorem testabatur. Hanc itaque legem diuortij dominus perfectionis, quam lex exigere nõ potuit, Magister, hoc loco in duobus perficit. Primum quod non permittat nisi ob vnam causam marito dimittere vxorẽ, videlicet ob fornicationem: adeo vt si ob aliam causam dimiserit, mechiæ author sit vxori, dum occasionem illi præbet alteri se coniũgendi, cui sine adulterio coiungi non potest, cum alterius permanrat vxor. Secũdo quod non permittat (dimisse, etiam iuste,) videlicet ob fornicationem, alteri nubere, quemadmodũ tamẽ licebat in veteri Testamento. Nunc enim qui dimissam duxerit adulterat, ac proinde penitus sustulit dominus repudij libellum, qui nec ob fornicationem dimisse conscribi, & tradi potest. Tertio vero, etiam in eo lex vetus de diuortio perfecta est per Christum, quod cum in veteri Testamento vir potuerit dimittere vxorem, non autem contra vxor virum: in nouo Testamento non magis vir dimittere potest vxorem, quam vxor virum. Vterque enim ob solam fornicationis causam alterum dimittere potest.

Et qui dimissam duxerit, adulterat. Hæc pars intelligenda est de dimissa ob fornicationem, quemadmodum intelligunt Chryſ. & Theophyl, aut certe generaliter de dimissa ob quãuis causam siue iustam, siue iniustam.

Iterum audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis, &c. Videtur istud desumptum ex Leuitici. 19. cap. Vbi sic legimus, Non periurabis

iurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, pro quo Hebræa habent, Non iurabis in nomine meo falso, vel in falsitate. Iurare autem falso, nihil aliud est, quã peierare. Porro quod sequitur.

Reddes autem domino iuramenta tua, sic intelligitur, quod iurasti id persolues veluti Deo debitum, vt sit explicatio eius, non periurabis, sicque hæc pars ex eisdem locis intelligẽda est esse desumpta, vnde illud, Non periurabis. Videtur tamen hac parte plus aliquid significari, quam sit explicatum. Videtur enim istud Reddes autem Domino &c, cum expresse non habeatur in lege, fuisse διάταγμα Phariſæorum, & Scribarum, significare volentium domino iam deberi, quod quis se facturum per nomen domini iurasset: qui hac ratione aperiebant feneſtram non præstandi iuramenta, quæ per nomẽ domini non essent facta, sed per aliquas creaturas. [Quod forte collegerunt ex eo, quod Leuit. 19 dicitur. Non periurabis in nomine meo, quasi per creaturas peierare liceret. Et quia in Exodo dicitur, Nõ assumes nomen Dei tui in vanũ, quasi liceret nomina creaturarum in vanum assumere. Quod enim per creaturas facta iuramenta putarent non esse obligatoria, satis docet Matth cap. 23. Vbi traducit eos Dominus docentes, qui iurare sit per templum, aut in altari nihil est.]

Ego autem dico vobis non iurare omnino, &c. Iustitiam Phariſæorum dominus hic in duobus perficit. Primũ quia non solum periurium, sed etiam omne Iuramentum prohibet. Deinde quia docet illicitum esse per creaturas temerè iurare, & peierare, æquè atque per Deum; cum vt dictum est, Phariſæi non putarent peccatũ per creaturas, & vanè iurare, & peierare. Verum ex hoc loco, quo dicit dominus non iurandum omnino, & ex simili loco Iacob. 5. Ante omnia autem fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum, &c. Quidã heretici olim dicti VValdenses, sicut Hodie etiam Anabaptiſtæ, collegerunt nullum omnino iuramentum Christianis esse licitum. Quod cum satis refellatur ex iuramẽtis Pauli, superest videre quomodo intelligendus est hic locus Saluatoris, quo præcipit non iurare omnino. Quoniam ergo Iudæi à veteribus acceperant satis cũ proximo ex fide actum esse, si quod quis iurasset per Dominum, *Non iurabis sed reddes domino iuramenta tua*, etiam præstitisset; & huiusmodi iuramentum, in Dei cultum, & honorem cedere, deinde à Scribis edocti fuerant, non teneri quempiam iuramento per creaturas facto: dominus legem perfecturus & Iustitiam Scribarũ, docet iuramentum non esse per se bonum, nec appetendum, cum semper à malo aliquo procedat: nec satis debere esse Christianis neminem peierando fallere, sed meritò ea ipsos inter se esse fide, & dilectione, vt nulli omnino iuramẽto apud eos locus relinqueretur. Ad hæc omnem creaturam esse potiorẽ, quam vt per eam licere possit, temerè, aut falsò iurare, ac proinde

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab omni iuramento, etiam per creaturas, quantum fieri posset, abstinendum esse. Itaque quod dicitur; *Nolite iurare omnino*, cũ huiusmodi subauditione est intelligendum, quantum scilicet id fieri potest, vt quantum in vobis est, omne iuramentum fugiatis. Ideoque sic absolute dicitur, Nolite iurare omnino: vt ostenderetur Iuramentum nudè acceptum saltem non esse bonum, aut amandũ, sicut absolute dicitur, Nõ occides; eo quod absolute accepta hominis occisio est per se mala. Sicut autem illo præcepto, Non occides, non prohibetur occisio hominis vestita circũstantijs Iustitiæ: ita nec hoc præcepto, Ne iuretis omnino prohibetur iuratio ornata suis comitibus, nempe Iudicio, Iustitia, & veritate: sed prætet iuramenta iniqua, & falsa prohibentur ea, quæ nulla, aut non sufficienti fiunt necessitate, vel vtilitate: videlicet quæ pro rebus caducis, & nihili, qualibet occasione homines seculi se mutuo exigunt, & præstant, quæque nulla causa in quotidiano sermone leuissimè profundunt. Ex his colligere licet hanc Christi doctrinam partim esse præcepti, partim Consilij. Præcepti enim est quatenus prohibentur omnia iuramenta falsa, iniqua, & temeraria, etiam per creaturas facta. Consilij verò quatenus docemur fugere Iuramenta, quantum omnino fieri potest, vt etiam vbi causa videtur esse rationabilis iurandi non iuremus, nisi omnino magna sit & necessaria.

Neque per cœlum quia thronus Dei est, &c. Animaduertendum hic dominum probare volentem, per creaturas non esse iurãdum in tribus primis membris adducere scripturarum testimonia, quibus ostendit huiusmodi creaturas Dei esse, & proinde per Deum iurare, qui per eas iurat. Illud enim, Cœlum est thronus, id est, sedes Dei, & illud, Terra est scabellum pedum eius, desumptum est ex Isaiæ vltimo capite, vbi sic dicitur ex persona Domini: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Illud vero Hierosolyma est ciuitas regis magni, ex Psalmo. 47 desumptũ est, Mons Sion, latera aquilonis, ciuitas Regis magni. Quod autem dicitur, Cœlum sedes Dei, terra autem scabellum pedum eius, non sic est accipiendum, quasi sic habeat Deus collocata membra in cœlo, & in terra, vt nos cum sedemus: sed huiusmodi locutione significatur metaphoricè Dei immensa, & incomprehẽsibilis magnitudo, eiusque in omnibusque creaturis, quæ cœlo & terra continentur, præsentia, atque in eadem imperium. Causam autem ob quam per caput etiam non sit iurandum, hanc reddit, *quia non potest vnum capillum album facere aut nigrum*, quasi dicat, quia hoc adeo tuum non est, nec in tua situm potestate, vt possis etiam vnum capillum album facere, aut nigrum. Quod intelligendum est ab intrinseco, & naturaliter, fucato enim artificio sciebat homines hoc facere posse.

Sit

Sit autem sermo vester est est, non non. Pro est, est, Græcè est ναὶ, ναὶ. Est autem Græcis ναὶ aduerbium affirmandi vsurpatum etiã a latinis, & valet idem quod etiam, verè, vel certè, & Hebræis Amen, quo verisimile est hoc loco Christum vsum fuisse. Communis autem distinctio, & sensus huius loci amplexandus est, secundum quem vtrumque, est, & vtrumque, non, coniunctim legantur; & duplicatio intelligitur pro affirmationis vel negationis certitudine posita: quomodo & ipse dominus duplicando dicere solitus fuit Amen, amen dico vobis. Est ergo sensus: Cum quid affirmandum est, simplici affirmatione affirmate; cum quid negandum est, simplici id negatæ negatione. Atque in hunc sensum accepisse, & distinxisse hunc locum etiam Chrysosto. patet ex eo quod expositurus illud; Quod autem his abundantius est sic scribit, Quid igitur supra est est, non non esse dicemus, haud dubie iuramentum.

Quod autem his abundantius est, à malo est. Græca habent τοῦτο περισσὸν τούτων, id est, quod supra hæc est, aut supra hæc accesserit ad maiorem scilicet confirmationem. Intelligit autem vt patuit ex Chrysostomo iuramentum. Non enim si addantur alia aduerbia affirmandi, id à malo vult esse dominus. Porro notandũ quod non dicat malum esse quidquid his accesserit, sed à malo, esse. A malo inquam, siue proprio, siue alieno, idque leuitatis, & irreuerentiæ diuinæ, aut infidelitatis, & diffidentiæ.

Audistis quia dictum est oculum, pro oculo, & dentem, &c. Lex ista quæ Talionis; & contrapassi, vel repassionis dicitur, quæque nit. truncatim hic à Domino adducitur, habetur. Exo. 21. Leuit. 24. & Deuter. 19. Certum est autem hanc legem à Domino datam pro vulgaribus, qui inter se sunt æquales, aut penè æquales. Nam non oculi priuatione tantum puniebatur apud Iudæos qui Principem excæcasset: cum secundum aliud præceptum morte plectendus esset, qui Principi maledixisset tantum. Porro obseruandum dominum hanc legem magis velle perficere, & adimplere secundum explicationem, & διστιγάσιν Pharisæorum, & Scribarum, quàm secundum verum intellectum legis. Apparet enim Scribas ita hanc legem explicuisse, quasi liceret, & iustum esset vindictam petere, & acceptam iniuriam propria etiam authoritate retaliare. Quod lex Dei non solum non permittit, sed nominatim etiam vetat. Nam Leuit. 19. ita legimus; Non quæras vltionem nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Magistratui enim non ijs, qui læsi erant vleiscendam iniuriam Dominus illo præcepto, Oculum pro oculo, &c. commendauerat, vti patet claré Deuter. 19. capite. Igitur perficere Dominus potius hoc præceptum voluit secundum explicationem Scribarum, quam legi veteri quicquam hic adijceret.

Ego

Ego autem dico vobis, non resistere malo. Dictio malo (quæ potius accipi debet, vt sit datiuus) referri potest ad rem, hoc est ipsam iniuriam, quæ infertur, vel potius ad ipsum hominem iniuria quem afficientem. Chrysost. ad diabolum refert, qui in malis hominibus operatur. Quod si ad rem referatur resistere malo, id est, nocuo, est nolle illud pati, aut nolle illud sinere inultum, sed vi, aut iure agere vt malum illud à se quis depellat, aut vt iam illatum vlciscatur. Itaque non resistere malo, est non parare se vel ad repellendum malum, quod infertur, vel ad vindicandum malum iam illatum. Sic similiter si ad hominẽ referatur datiuus malo, vt magis videtur propter additum apud Græcos articulum τῷ, non resistere malo, est non opponere se nocenti, vel nocere volenti, vt nec malum, quod ab eo infertur, depellatur, nec illati mali vltio, queratur. Nihil ergo aliud hoc præcepto vult dominus, quam quod malitiam alicuius in nobis patienti animo sustineamus, sine reluctanti defensione, & vlrionis desiderio. Noluit tamen dominus his verbis prohibere resistentiam mali iustis & sanctis de causis factã, qualis est dum quis repellit cũ moderamine inculpatæ tutelæ à se malum, ex cuius tolerantia nullus fructus consequeretur: aut dum quis iam inter Christianos solo iustitiæ seruandæ intuitu, aut propter mali alicuius correctionem, & malitiæ repressionem iniuriæ sibi illatæ vindictam requirit, per eos inferendã, quorum negotium est malos comprimere. Sicut ergo à præcepto illo Nolite iurare omnino, excipiuntur iuramenta iustis, aut necessarijs de causis facta; ita ab hoc præcepto, Non resistere malo huiusmodi iusta resistentia excipitur. Vbique enim non tam Christi verba, quam ipsius scopus, & præcipua intentio spectanda est, semperque in præceptis eius cogitandum nihil illum vetare, aut præcipere voluisse, quod sit contra rectæ rationis iudicium, & prudentiæ discretionem: ac proinde subintelligendum, nisi si alicubi aliter fieri recta ratio dictet. Habet autem hæc sententia partim præceptivim, partim consilij naturam. Præceptum est cum propter gloriam Dei, aut proximorum ædificationem necessarium fuerit non resistere malo. Consilium vero cum expediens fuerit, etsi non necessarium.

Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, &c. Dominus, qui prius generali illa sententia, dico vobis non resistere malo, præcepit in genere quoduis malum patienter tolerari, tribus iam sequentibus sententijs explicando tria iniuriæ genera sub quibus omnes iniuriæ continentur. Verum circa hæc præcepta occurrit difficultas, tum quod non conueniant cum factis sanctorum & Christi ipsius, tum quod cum æquitate, & prudentia conuenire non videantur. Proinde D. Aug. docet hæc Domini præcepta non ad literam esse intelligenda, & obseruanda, sed accipienda de promptitudine

animi nõ ad nouas iniurias perferẽdas, vt hæc quibus dominus præcipit alteri maxillã præbere, pallium dimittere, duo miliaria ire sint hyperbolæ, quibus significauerit dominus talem debere esse tolerantiam, qua ab vltione petenda adeo abhorreat animus, vt plura etiam ferre non grauetur, & omnino ferre iam paratus sit, potius quam vltionis aliquid ob acceptam iniuriam meditari. Chrysost. vero ita tractat hæc præcepta, quasi intelligat ad literam hæc obseruanda, idque eo intuitu, & ipse tali, vt iniuria afficiens declaratione tolerantiæ cohibeatur à suo facinore, ac resipiscat. Quomodo intelligendo hæc præcepta, dicendum est ea, cum sint affirmatiua, non quouis tempore, & loco obseruãda, sed quoties circunstantiæ temporis, loci, & personarum ita exigunt, nimirum quando spes est per externã huiusmodi patientiæ & dilectionis declarationem proximi offensionem proximi malitiam cohibendam, & non potius ad nocendum grauius prouocandã. Imo conuenientissimè dicit illæ tractationes horum præceptorum simul comprehendentia ita vt intelligamus per hæc dominum exigere vt semper quidem ad hæc præstanda animo parati simus potius, quàm vindictã requirere; eadem quoque etiam ipso opere exterius faciamus, vbi loci & tempus, ac proximi vtilitas, vel Dei gloria ita postulauerint. Quod autem dicitur si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, non est vis aliqua facienda in eo, quod dexteræ meminit maxillæ, potius quam sinistræ: sed accipiendum dexteram maxillam positam hic pro altera maxilla. Vnde Lucas absolutè dicit: Et qui te percutit in maxillam, &c. Idem dicendum est in secunda sententia, qua dicitur apud Matthæum *Et qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* nimirũ quod sit tenuius: Et qui vult vnam aliquam vestem a te tollere, dimitte ei potius & aliam quam habes, quam cum eo contendas. Nam alioqui præposterus est sermo. Pallium enim quod Græcis dicitur ἱμάτιον cum sit exterior vestis prius detrahitur, deinde tunica, quæ Græcis dicitur χιτὼν. i. vestis interior. [Apud Lucam vero hæc non eodem ordine conuenientiori ponuntur. Prius enim apud eum est τὸ ἱμάτιον, quod Interpres vertit vestimentum, quum vertat in Matthæo pallium, & posterius est χιτὼν. Ab eo inquit, qui aufert tibi vestimentum, exterius scilicet nempe pallium, etiam tunicam ne prohibere.] In tertio autem exemplo notandum Græca non habere alia duo, sed tantum; vade cum eo duo miliaria scilicet, vt significetur etiam hic duplum debere concedi simplum petenti.

Omni autem petenti a te, da ei, &c. Cum certum sit Dominum his præceptis nos velle subuenire egenti proximi, & quibuslibet nos benignos præbere; deinde certum sit ipsum nihil præcipere, vel cõsulere velle, quod rectæ rationi non cõsonat: tũc ad literam non sunt seruanda præcepta vel consilia, cum rectæ rationi non conso-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consonaret externa ipsorum obseruatio, aut rectæ rationi præiudicaret illorum obseruatio. Maxime enim his exigere voluit dominus promptitudinem animi ad subueniendum quibusuis, quauis ratione: quæ si adfuerit, non poterit non Christianus etiam externo opere proximis subuenire, cum rectè rationi consonum fuerit, hoc est, cum vel necessarium fuerit, vel expediens. Proinde non est dandum petacibus feuris, aut decoctori non egenti, nec vt alijs sit remissio, nobis autem tribulatio, aut egestas. Nec si quis nostra nulla necessitate absolueri, non licebit ea amicè repetere. Habent autem hæc omnia sicut & præcedentia Præcepti vim, quoties necessitas aliqua occurrit vel illustrandæ gloriæ Dei, vel iuuãdi proximum, & salutis eius promouendæ. Consilij autem naturã, quoties non necessitas aliqua talis, sed vtilitas tantum sic facere exegerit, & suaserit. Vbi verò recta ratio hæc non probauerit tanquam vel necessaria, vel expedientia; nec præcipiuntur, nec consulũtur. Quod autem in nostro Textu dicitur.

Volenti mutuare à te ne auertaris; sic accipiendum est vt sit sensus, cupientem mutuare à te, ne auertaris, aut reijcias. Auertaris enim deponentaliter accipiendum est, & datiuus volenti, pro accusatiuo positus est: nisi forte Interpres auertaris passiuè accepit. vt datiuus sit positus pro ablatiuo cum præpositione a, & sit sensus: Ne auertaris ab eo qui vult mutuare à te. Præcipimur ergo nõ solum mutuare petenti, sed etiam volenti, & necdum pre verecundia, aut alio respectu petere audenti.

Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Bene Euangelista Lucas hanc sententiam subiunxit post illas sentẽtias, omni petenti tribue, & qui aufert, quæ tua sunt ne repetas; vt generali iam sententia etiam reliqua complecterentur, quæ dicenda erant. Et huius sententiæ æquitate (nam est iuris naturalis) ostenderet prædictarum sententiarum æquitatem, & rationem, & veluti regulam daret omnis donationis, mutui, & cessionis. Sic enim dandum, sic mutuandum, sic cedendum etiam egenti dum auferet nostra quemadmodum nobis ab alio fieri vellemus. Porro quod dicitur *prout vultis*, intelligi debet de voluntate rationabili, vel de voluntate naturali: i. quæ regulata sit naturali iure rectæ rationis, vt excludantur omnes voluntates inordinatæ.

Audistis quia dictum est diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum, &c. Iam tandem procedit dominus, vt vltimo loco perficiat primũ, & maximum erga homines seruandum mandatum. Quod dicit audistis dictum esse, *Odio habebis inimicũ tuũ*, cum in lege nusquã legatur præceptum *odij*, & traditio fuit Scribarum, hoc in lege interpretantium significari primum quod determinatè præcipiatur de ligẽdus proximus vel amicus, deinde quod toties in ea præcipiatur ne fœdus initẽt cũ gẽtibus habitãtibus in terra Canaã, sed eas funditus omni

omni miseratione deleremt è terra. Verum neque has, neque alias Gentes iustũ fuit odisse, nec in genere vsquã præceptum legimus odio habere Inimicum, cum Inimici ex fratribus quotidie existãt. Imo contra alicubi lex præcepit inimico, qui ex gente Israëlitica esset, aut inter Hebræos habitaret amicitiæ signa exhiberi. Nõ exigit tamẽ lex vetus signa amicitiæ similiter alijs gentibus exhiberi, imo quibusdam Gentibus voluit odij signa, qualia sunt occidere, & persequi ostendi. Itaque dominus & auferr peruersam legis addi tionem factã per Scribas, & hoc adijcit legi veteri, quod velit etiã diligendos esse a nobis quantũuis externos, & alienos. Vnde dicit;

Si saluaueritis fratres vestros tantũ, &c. Nimirum quod sic Iudei faciebant. Cum enim dicitur in lege: Diliges proximum tuũ, &c. Si filius nominis Hebraice Reach vel Rec correspondentis nomini proximus, obseruauerimus, intelligemus ipsum velle, vt quemuis, quocumque ratione nobis adiunctu diligamus. tã adiunguntur nonnunquã vinculo cognationis & affinitatis, alij vinculo ciuitatis, aut religionis, alij sodalitatis, alij vicinitatis, alij officij vinculo, nõ nulli tantũ fortuito congressu, denique plerique necessitatis vinculo, vt quorum necessitatẽ sublenandã Deus offert. Ergo vt quisque Christianus cognatũ, ciuem, vicinum, sodalẽ, comitẽ, aut tantum fortuitò incidentem nactus fuerit: sic dilectionis officia illi tũ præstare pro sua portione, tum pro illius necessitate, & loci exigentia exhibere præcipitur, idque cuius alteri præstare, quod sibi ab alijs præstitum vellet. Vnde consequitur & eos qui ex professo hostes nostri sunt, proximos esse nobis secundũ scripturæ vsum, imò ideo iam sunt proximi, quia Inimici. Nam hac ratione fit, vt cum eis intercedat nobis aliquod negotium, & conuersatio. Itaque cum in hoc præcepto dictio Hebraica, pro qua nos proximum habemus, ex se sit ambigua, & nunc Amicum significet, nunc quemuis alium: Scribæ in priori significatione illam interpretabantur: at noster cælestis Magister in altera significatione docet accipiendam, vt intelligatur præceps dilectio quorumuis.

Ego autẽ dico vobis qui auditis, diligite inimicos vestros, &c. Quorum notis auribus opus est, vt hæc integrè dilectionis doctrina percipiatur, adeo vt qui illis carent, etiã si hæc audiãt, nequeant tamẽ intelligere, bene dicit dominus, *vobis dico qui auditis*. Porro quo ad hanc hãc dilectionẽ, à qua natura vitiata satis abhorret, extimulatur: duabus vtitur rationibus efficacissimis ad id persuadendum, quarum prior est ex imitatione Patris cælestis desumpta. Proinde dicit *vt sitis filij patris vestri*, hoc est, vt declaretis vos esse filios Patris vestri, referetes scilicet illũ vestris operibus, vel, vt per imitationẽ. Quos filios Patris vestri, qui tã hoc facti estis per gratiã, & adoptionẽ. Altera ratio est, quia qui inimicos non diligit, sed tantum amicos, nihil præclari facit, nec mercedem aliquam meretur à Deo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum nihil faciat, quod non idem faciant publicani peccatores, & Ethnici quoque. Quod autem in priori ratione dominus declaratus Dei Patris benignita.em erga malos, profert ortum solis & pluuiæ defcensum super bonos, & malos non ideo fecit, vt ostendat tantùm communia dilectionis indicia non subtrahenda inimicis, quamuis hæc minimè sint subtrahenda. Nam & singularia, ac propria beneficia exigit, videlicet salutationem, & complexum, mutuu donationem, & orationē. Sed ideo illorum Dei beneficiorum singulariter meminit quod illa rudibus, qualibus loquebatur apertissimè constabat iustis, & iniustis esse communia. Quod autem in secunda ratione dicitur, *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis*, vel vt habent Græca, habetis; non sic est accipiendum, quasi dilectio amicorum non possit esse meritoria, sed cum exclusione est accipiendum; Si tantum diligitis eos, qui vos diligunt, sicut eam exclusionem postea exprimit dicens. Si salutaueritis fratres vestros tantum, &c. Illa autem oratio, quæ apud Lucam ter occurrit, *quæ vobis est gratia*, duplicitèr accipi potest, Primo vt sit sensus quæ vobis gratia habenda est, hoc est, quid debetur vobis à Deo beneficii, & laudis; sicque idem erit cum eo, quod habet Matthæus, quam mercedem habebitis? Secundo vt sit sensus, quam gratiam fecistis, quidue gratuitum, aut quod beneficium præstitistis, cum id quod facitis, vel eo faciatis animo, vt paria recipiatis, & proinde non sit gratuitum, sed meritorium, ac seruile, vel vt vicem debitam rependatis. Sicque acceptum concidit, cum eo quod habet Matthæus, Quid amplius facitis. i. quid eximium, aut supra cæteros facitis?

Mutuum date, nihil inde sperantes. Verus huius sententiæ sensus petendus est ex sententia præcedente, cui hæc opponitur. Dicit enim prius; Si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere, quæ vobis est gratia? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, id est, mutuum dant, vt recipiant æqualia, vel paria, & similia. Ex qua posteriore parte patet illud; Si mutuum dederitis, a quibus speratis recipere, sic debere accipi, a quibus speratis recipere similem vicem, videlicet vt & ipsi suo tempore vobis mutuum dent, aut aliud simile beneficium præstent. Quare quod postea ex opposito dicitur, mutuum date, nihil inde sperantes, intelligendum de speciali similis vicis & beneficii. Vult enim mutuum dandum etiam his a quibus propter ipsam mutui redditionem, non speremus similem vicem, aut quodus aliud beneficium consequi.

Estote ergo vos perfecti & misericordes sicut & Pater vester. Ex omnibus præcedentibus hanc tam dominus infert conclusionem, argumentum hoc totum complectentem & finientem in hunc sensum: Ergo vt verè sitis filij altissimi, ac benignitate vestra superetis eos, præ quibus meliorem expectatis mercedem, estote vos perfecti. Quod Lucas habet. Estote misericordes. No enim hic misericordes nomē accipi videtur strictè, vt virtutem illā singularē quæ misericordia dicitur, significet; qua alienis miseris, & necessitatibus indolescimus, sed quomodo frequenter accipitur in scripturis, vt sit idem quod beneficus, & benignus, & respondeat apud Hebræos dictioni hhasid, sicut etiam misericordia sæpe accipitur pro quouis beneficio, respōdens scilicet dictioni Hebraice hhesed. Hic enim postquam Lucas dicit Patrem cælestem benignum esse ergà malos & ingratos, deinde infert. Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Vnde satis patet illi idem esse benignū & misericordē esse. Porro cum dicit dominus. *Estote ergo vos perfecti*, non intelligendum est dominum tantum loqui de perfectione tali, quæ est consilij Euangelici qualis est illa de qua dicitur, Si vis perfectus esse vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; quasi omnia quę præcesserunt de dilectione etiam speciali inimicorū sint purè consilij, & non præcepti. Sunt enim & hæc partim consilij, partim præcepti, quemadmodum de quibusdā præceptis dictum est, & talia plane, vt nisi ea obseruemus, & sic iustitiam Pharisæorum, & Scribarum perficiamus, non ingressuri simus regnū cælorū, quemadmodū dominus in principio premisit.

Docet quomodo facienda eleemosyna, quomodo item orandum & ieiunandum. Matthæi 6.

CAPVT XLI.

ATTENDITE ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebis apud patrem vestrum qui in cœlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis & in angulis platearū stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt. putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Luc. 11. 2
Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen. ‖ *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.*] *Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amẽ dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu*
M.11. 112. *autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunãs, sed patri tuo qui est in abscõso: & pater tuus qui videt in abscõso reddet tibi.*

Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Postquã dominus in superioribus offendit, quibus in rebus Christianorum iustitia excellere debeat iustitiam Scribarum, & Pharisæorum: nunc docet quomodo eandem iustitiam excellere debeat in modo, & intentione faciendi ea, quæ sunt discipulis suis cum illis communia. Docet autem de modo Eleemosynæ, Orationis, & Ieiunij, quod hæc sint præcipua religionis externa opera, in quibus ferè solet vanæ gloriæ pestis nasci, & cõhabitare, & sub quibus omnia externa virtutum opera facile comprehenduntur. Nam Eleemosyna præcipuum est eorum operum, quæ sunt ad proximum. Oratio præcipuum opus cultus diuini, Ieiunium vero præcipuum eorum operum quibus in nobis ipsis carnem castigamus, & spiritui subijcimus. Prius autem quam de singulis horum tractet, in genere docet iustitiam, hoc est iustitiæ opera non facienda propter aucupanda humana gloria, idque secundum nostram lectionem. Nam pro Iustitia, Græci habent Eleemosynam, sed nostram lectionem sequuntur Augustinus & Hieronymus, Annotandum autem quod dicit *attendite*, quo verbo nos mouere voluit, cauere nobis à vanæ gloriæ studio veluti ab insidiosissimo, pernitiosissimo, & pernicios issimo simul serpente, cuius nocumẽtum effugere non possit, nisi qui tota mente prorsus vigilet. Deinde non tandum non vetare dominum ne iustitiam nostram faciamus coram hominibus. Hoc enim cõtrarium esset illi, quod superius præcepit. Luceat lux vestra coram hominibus. Sed vetat iustitiam facere coram hominibus eo fine, eaque intentione, vt videamur ab eis, quod iam non sit contrarium superiori præcepto quo dicitur, Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona. Non enim hoc voluit esse finem operum bonorum factorum coram hominibus, sed id quod adiecit, nimirũ vt glorificent Patrẽ cœlestem. Porro quomodo nõ possimus rectè operari vt videamur ab hominibus oblectat satis dominus in eo, quod addit. *Alioqui mercede nõ habebitis.* Sensus enim est. Alioqui si fecetitis iustitiã eo fine vt videamini, non habebitis mercedẽ apud Patrẽ, vt qui ei non laboratis, quique iam operũ vestrorũ mercedẽ ab hominibus accepistis. Bene autem non dicit, mercedem non habebitis à patre,

sed apud patrem; significans scilicet bonorum operum mercedem iam apud Deum reposítam esse etiam antequam detur: vt tuti de mercede in bonis operibus minus simus segnes. Et bene quidem Patrem semper potius nominat, quam Deum; vt hoc nomine magis non excitet ad studium placendi Deo.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Speciatim *De Eleemosyna.*
iam de his tribus externis bonis operibus actum, ab Eleemosyna auspicatur: quod in fine præcedentis capitis ad benefacienquum, & ad misericordiam inuitauerit exemplo misericordis Patris, &c. De hac ergo vetat, ne eam facturus more hypocritarum tuba canat ante se. Mos enim erat antiquus tubæ sonitu pauperes conuocare ad locum, & tempus eleemosynæ: sed abutebantur hoc more Pharisæi, hac ratione captantes sese commendare hominibus tanquam misericordes. Vnde non simpliciter vetat Dominus tuba canere, sed eo modo quo Hypocritæ faciunt: nimirum vt honorificentur ab hominibus. Est autem nomen Hypocrita Græca dictio, significans idem, quod simulator. Hoc ergo nomine in scripturis maximè Euangelicis appellantur à Domino simulatores sanctitatis. [Sane in proposito bene Hypocrita dicitur, & simulator, qui eleemosynas largitur, vt honorificetur ab hominibus. Non enim id est, in corde, quod exterius simulat, hoc est misericors, sed crudelis potius & immisericors, vt qui non motus misericordiæ affectu, sed laudis auiditate agit, quod agit: eoque ma*Hypocrita qui.*
gis est crudelis, quod ex aliena miseria, & ignominia propriam laudem & gloriam venatur.] Nomen autem Synagogis, hoc & *Synagoga*
sequenti loco, vbi de oratione fit sermo, quamuis possit accipi pro cœtis illis domibus in quibus conuenerant Iudæi ad audiendam legem; rectius tamen videtur accipi generalius pro quibuslibet conuenticulis, qualia etiam in foro & in plateis fieri solent. Quod autem sequitur.

Amen dico vobis receperunt mercedẽ suam. Laudem scilicet humanam, ob quam consequendam operati sunt: non sic accipiendum, quasi illorum fallacia, & simulatio non sit accepturæ à Deo mercedem ipsi debitam, supplicium scilicet æternum: sed quod opus eorum quatenus bonum est, nullã accipiet à Deo mercedẽ præter eam, quam ab hominibus tulit, fallacia vero, quæ coniuncta est ei ipsi à Deo, qui eam solus cognoscere potest, punietur.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, &c. Tropus, quẽ certum est esse in his verbis, nesciat sinistra tua variè explicatur. Simplicius fuerit accipere hanc orationem cum Chrysostomo per hyperbolen, vt sit sensus: Tantum abest, vt aliis ostentes quod agis, vt si fieri potest, ipse nescias, ac tui facti obliuiscaris: eleemosyna tua sic plane sit in abscondito, id est, sit omnino secreta. Dicendum ergo de hac Christi doctrina esse quidem eã

secundum literæ sensum, cautelam, & consilium conueniens maximè infirmioribus, omnibus tamen etiam accommodum, nisi iusta aliqua ratio exigat in manifesto fieri eleemosynam: secundum vero domini præcipuam intentionem, præceptum esse omnibus seruandum, qui Deo placere voluerint. Sic & de his dicendum quæ in sequentibus dicuntur de orantibus, & ieiunantibus. Porro vt de secretæ eleemosynæ mercede sciri simus, adiicit; *Et Pater tuus qui videt in abscondito, &c.* i. qui videt conscientiam tuam, & quæcunque in abscondito facis, *reddet tibi* mercedem, quam nõ expectasti ab hominibus.

De Orationis.

Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ, &c. De Oratione altera parte religionis, quam & ipsi Pharisæi strenuè simulabant, vt patet ex iis, quæ Matth. 23. dicuntur à domino, similia docet his, quæ iam docuit de eleemosyna: nisi quod in præcatione non solum docebat suos alienos esse à vitio hypocritarum Pharisæorum, sed etiã ab altero vitio, ethnicorum scilicet. Bene autem dominus explicare volens affectatam à Pharisæis humanam laudem dicit; *amant stantes orare*, sic enim dictum est amant stantes orare, quomodo postea dicitur; Amant vocari ab hominibus Rabbi, & amant primos recubitus, &c. Porro anguli platearum de quibus hic est sermo, nõ sunt platearum recessus, vt quidam volunt, sed flexus platearum, veluti iuxta compita, & trivia. Benè ergò dicit in angulis, & non in angulis vicorum, sed platearum hoc est latarum viarum. Ibi enim maximum est diuersorum hominum concursus. Quod dicit *stantes orare*, vel significare voluit per stationem eos quæ liuisse videri à plutibus, vel potius ideo stantes dicit, quod stare inter orandum, communis tunc esset orantium situs, quemadmodum apparet ex Parabola de Pharisæo, & publicano orantibus in Templo. Quod autem dicit dominus,

Cum oraueris intra cubiculum tuum, & clauso ostio tuo, &c. Non sic accipiendum quasi in publico orare vetet: sed ũ simpliciter secundum literæ sensum istud accipiatur, dicẽdum hinc Christi doctrinam cautelam esse & consilium quo quis effugere possit vanæ gloriæ pestem, quod quidem consilium dum seruari non expedit ad literam vtpote cum publicè orandum est in fidelium congregatione, & pro officio publicæ præces habendæ sunt, seruandum istud est secundum præcipuam domini in hac doctrina intentionem: nimirum vt veluti soli existentes in publica oratione Deum solum spectemus, alienã laudis humanæ desiderio. Porro in eo quod dicitur.

Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi; Dei misericordia cum admiratione obseruanda, quod pro eo quoque quod rogatur à nobis merces promittitur bonis à Deo dãda. Nõ enim dicitur, Pater tuus donabit tibi, sed reddet tibi, velutt scilicet debitor nobis

factus, & quia illum honoramus orando magno vicissim nos honore remuneraturus.

Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt. Ab altero orationis vitio, quo Ethnici laborant (hoc est externæ gentis homines veri Dei religione destituti) scilicet futili verborum profusione auocat duobus argumentis. Vno quod temere in oratione verba prodigere Ethnicorum sit, stultè putantium se per multiloquium exaudiri. Alterum argumentum quo vtitur, est quod apud Deum Patrem non opus sit multis verbis, vt qui ante quam præcetur noverit, quæ nobis sunt necessaria. Circa primam autem partem obseruandum dominum non præcipere ne multum, diuque oremus. Alibi enim docet semper orandum, & ipse aliquoties in oratione Dei pernoctauit. Rursum non præcipit vt orantes non loquantur, nec rursum absolutè vetat multum loqui in oratione, sed sicut Ethnici faciunt, qui multiloquio suo putant suã causam Deo notiorem fieri, aut sicut hominem ludicem verbis adduci in sententiam, & flecti, eoque orationem versibus mille compositam deferunt ad eum, eique recitant. [Deinde obseruãdæ dictiones Græcè correspondentes dictioni multiloquium, & illi orationi, nolite multum loqui. Non enim hic est *πολυλογεῖν* & *πολυλογία*, quę dictio est apud Septuaginta in Prouerbijs cap. 10. Vbi nos legimus: In multiloquio non deerit peccatum, sed *βαττολογεῖν* & *βαττολογία*. quæ dictio non simpliciter multiloquium significat, sed nugacitatem, & futilem verborum profusionem, qualis est, cum idem frequenter sine causa reperitum inculcatur.] Porro circa secundam partem illam, *Scit enim Pater vester, &c.* Occurrit quæstio quam & Aug. proponit, Si ideo quia Deus Pater omnia scit multis verbis in oratione vtendum non est, cur etiam paucis verbis vtendũ est, vel his saltem, quibus mox postea orare Patrem docet. Deinde quo modo conueniens est hæc ratio qua reijcit multiloquium, Scit enim Pater vester, &c. Dici enim potest, quod quamuis sciat, tamen multis verbis vtendum est, vt flectatur ad dandum id, quod opus est. Dicendum ad primum nullis quidem verbis simpliciter opus esse in oratione ad hoc vt quid à Deo impetremus. Deus enim cum sit spiritus, non verba attendit, sed ardens animi desiderium, sine quo vocalis oratio, non est apud Deum oratio. Paucis tamen verbis orandi formam nobis dominus prescripsit, tum vt illis verbis nos doceret, quas res animo petere deberemus à Deo, & quo ordine, tum quod vtile, & aliquando necesse sit nobis in oratione verbis saltem paucis vti, quibus animus excitetur ad eleuandũ se in Deum, aut animi iam in Deum elati deuotio augeatur, & conseruetur. Ad quod quatenus prolixæ etiam præces adiuuant, eatenus certè laudandæ sunt: nec hic à domino nomine multiloquij, & battalogiæ comprehenduntur. Ad secundum dicendum domi-

Ethnici.

βαττολογήσητε.

num satis significare multis verbis nõn esse opus ad flectendũ Deum, eo quod Patrem eum vocet nostrum, & scire affirmat, quæ opus sint nobis. Non potest enim non Pater bonus rogatus à filijs facile inclinari ad dandum ea, quæ scit esse opus eis.

Sic ergo vos orabitis. Quoniam multiloquium & battalogiam ab Oratione dominus abesse voluit, breuem nobis orandi formã tradidit, qua etiam docuit, quæ, & quo ordine à Deo sint petenda, atque qua fiducia accedendum sit ad Deum in Oratione, nimirum quomodo ad Patrem accedit filius. Dicit autem, *sic vos orabitis*, nõ exigens vt his verbis necessario semper inter orandum vtamur, cum neque vllis verbis necessario vtẽdum sit in Oratione: sed demonstrare volens, & res quę à Deo sint petẽdę, & quali verborũ breuitate sint petendæ. Nõ enim dicit, his ergo verbis vos orabitis, sed sic, id est, ad hunc modum. Porro notanda emphasis pronominis vos, quæ magis aperta est apud Græcos, qui habẽt ὑμεῖς οὖν προσεύχεσθε, id est, sic ergo orate vos. Pronomen enim in fine appositum maiorem facit emphasim; discernens illos, & nos ab Ethnicis, & Iudæis: qui non edocti fuerant dicere in oratione Pater noster: sed domine Deus noster:]. Pulchrę autẽ Dominus Christianæ orationis istud fecit esse principium, & veluti proœmium.

Pater noster qui es in cælis: His enim etsi paucissimis verbis perfecta Dei laus continetur, quæ maximè consistit in prædicatione bonitatis, & potentiæ ipsius. Itaque hoc proœmio comprehenditur tum duo illa epitheta, quæ Deo tribuere solemus dicentes Deus optimus, maximus. Quanquam autẽ videri possit dominus ideo diuisse orandum Patet noster, non autem Pater mi, quod multos simul præsentes doceret orare, ob id exprimens eam formam, quæ est commoda multis simul orantibus: tamen simul quoque in eo admonuit & fraternæ dilectionis, quod ita in genere non vnumquemque priuatim orare docuit. Cum autem dicimus, *qui es in cælis*, admonemur postpositis terrenis rebus eo intendere animum, vbi Patrem nostrum esse dicimus, ac cælestia tantum quærere, cælestemque hæreditatem filiali iure securè expectare. Non enim dicitur qui es in cælis, quasi solum esset in cælis, sed ob causas iam dictas videlicet ad significandum Dei Patris super omnia dominiũ, & ad sublemandum mentes nostras ad cælestia, atque ad discretionẽ Patris terreni, quod apertius significatur articulo, qui est apud Græcos ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

Sanctificetur nomen tuum. Potest sic conuenienter Oratio hæc secari, & petitionum eius ordo conueniens ostendi, vt dicamus eam diuidi in precationẽ bonorum, & deprecationem malorũ. [Quod ad primam hanc attinet petitionem, cũ nomen Dei in seipso non possit esse, aut fieri sanctius, recte Chrysost. sic interpretatur, Sanctificetur, hoc est glorificetur nomen tuum per nos, hoc est, eam da

da nobis viuere vitam, vt per nos nomen tuum glorificetur, & sanctũ habeatur apud omnes homines. Sed rursus rectius intelligitur eo sensu generaliori, quem explicauit Augu. hoc scilicet: Da vt nomen tuum sanctum habeatur ab hominibus, nec quicquam homines putent esse nomine tuo, hoc est, tepido sanctius, hoc est, augustius, integrius, ac proinde nihil magis reuerendum, colendum, & glorificãdum.] Itaque hac petitione in genere optamus, vt cui soli omnis debetur gloria, & sanctitas, in omnibus, & per omnes, & apud omnes sanctificetur; ita vt nemo omnino sit, qui gloriã illi de bonã sibi vsurpet, aut alteri tribuat: nec sit qui sacrosanctum nomẽ eius vel vita, vel lingua, aut quauis ratione dedecore afficiat; & vt ipse dominus per Euangelij prædicationẽ, per iustitiæ, & misericordię, sapiẽtię, ac potẽtię suę declarationẽ se sanctũ haberi faciat.

Adueniat regnum tuum. Et hic quoque videndum quomodo precemur aduenire, vel venire (nam Græcè est ἐλθέτω quod non est ad ueniat, sed veniat) regnum Dei; cum Deus semper regnauerit in omnes à constitutione mundi. Aug & Chrysost. quem sequitur Theophyl. sic hanc petitionem accipiunt, vt intelligamur præcari, vt destructo pœnitus regno diaboli, destructa morte, atque peccato, omnique principatu, ac regno terrestri sublato (quod fiet in secundo domini aduentu, quo iudicaturus est viuos, & mortuos) tunc veniat regnum illud Dei perfectissimũ, quo perfecte beati regnabunt cum Deo omnes filij eius. Atque hoc potius modo regnũ istud esse accipiendum, de eo scilicet, de quo quesierunt discipuli, domine si in tempore hoc restitues regnum Israel, videtur ex eo quod absolutè iubeat dominus præcari, adueniat regnum tuum; cum si intelligatur de regno spirituali quo Deus in vnoquoque nostrum regnat per gratiam suã; oporteat subintelligere, adueniat in nobis regnũ tuum, & nõ esset diuersa hæc petitio. aut nõ multũ à præcedẽte Sanctificetur nomẽ tuũ, aut sequẽte, Fiat voluntas tua, &c. Si autẽ intelligamur præcari, vt contingat nobis posse hãc mortalem vitam peruenire ad regnum Dei, subintelligendũ erit, adueniat nobis regnum tuum. Quanquã autem regnum illud Dei perfectissimum, quod incipiet, & declarabitur in nouissimo domini aduentu, definito tempore veniet siue velimus, siue nolimus: voluit tamẽ dominus nos præcari illius regni aduentũ vt (quemadmodũ habet Aug. ad Probam) desiderium nostrum ad illud regnũ excitaremus, vt nobis veniat, & in eo regnare mereamur. Deinde hac precatione suos dominus admonere voluit, debere ipsos eius esse conuersationis, conscientię, & fiducię, vt non formident regni Dei aduentum, sed confisi testimonio conscientiæ suæ, & bonitati paternæ, securæ illud expectent: non dubitantes se illius fore consortes. Qui verò ob imperfectionem, nondum audet, in hoc sensu precari, Adueniat regnum tuum; istud precetur, in se-

in secundo, vel tertio sensu, qui rectè simul cum primo qui principalis videtur, intelligûtur à domino hac petitione comprehensi: cuius etiam regnum Dei spirituale regnumque beatum, inchoatio quædam est regni perfectissimi.

Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Et in hac quoque petitione videndũ quomodo iubeamur petere, vt fiat Dei volũtas, cum Scriptura dicat, Omnia quæcunque voluit fecit, &, Nõ est qui possit resistere tuæ volũtati: Dũ ergo iubemur præcari, vt fiat voluntas Dei potissimũ sermo est de volutate Dei imperatiua. Voluit enim nos præcari, vt quod Deus iussit, aut cõsuluit nobis, id omnes obediẽdo præstaremus. Intelligitur tamẽ etiã à pletisque de volũtate beneplaciti, quã fieri præcamur, dũ quid à Deo præcũtes solemus aduerere, Nõ mea voluntas, sed tua fiat: quomodo Christus orabat cum calicis amaritudinem deprecaretur. Hic enim nõn est sermo de voluntate Dei imperatiua, sed dispositiua. Nam sensus est; Fiat id, quod disposuisti futurum, aut fieri oportere. Sed de hac voluntate principaliter non esse intelligendam hanc tertiam petitionem, satis patet ex eo quod additur, *Sicut in cælo & in terra.* Nam ea adiectio ostendit dominum nos præcati voluisse, vt quemadmodum in cælis Angeli iussa Dei integrè, & alacriter perficiunt: ita & homines in terris ea exequerentur. De quacunque tamen voluntate Dei intelligatur hæc petitio, oportet semper hanc orationem fiat voluntas tua intelligere phrasi Hebraica in scripturis frequentissimè obuia, vt sit sensus, fiat id, quod vis. Nam propriè volũtas Dei cum sit æterna, & ipsemet Deus, non fit. Ideo autem orámus, vt fiat voluntas Dei, quia vt ea fiat à nobis, opus est nobis gratia, & protectione Dei. Hanc ergo gratiæ diuinæ necessitatem hac postremum petitione, deinde & abdicamus carnis, diaboli, ac mũndi voluntatem, vt sit sensus. da vt à nobis fiat non quod caro concupiscit, non quod diabolus suggerit, non quod mũdus suadet: sed quod tu vis à nobis fieri, cuius solius voluntas rectissima est & sanctissima. Non simpliciter orare nos voluit dominus vt fiat voluntas tua in terris, sed sicut in cælo, & in terra, hoc est, vt ab omnibus fiat in terris, sicut nemo est in cælo, qui diuinæ eius volũtati resistat: deinde vt integrè fiat Dei volũtas, ac non quædã præcepta quædã nõ, postremò vt ex charitate, alacriter, & lubẽter Dei volũtas impleatur. Nec obstat, quod nũquã futurũ sit, vt sic in terris fiat Dei volũtas. Piorum enim est etiã ea desiderare quæ nõ futura sciunt, & tamen fieri debere sciunt. Deinde huiusmodi voto præcamur, vt si nõ omnis inobedientia cesset in mundo: patris tamen benignitate fiat, vt minor sit inobedientia, & pauciores sint, qui eius voluntati per inobedientiam resistant. Bene autem postquam præcati sumus. Adueniat regnum tuum, subiicimus, fiat voluntas tua, &c. tũ quod regnum Dei nobis venire, & contingere non possit, nisi hic interim adim-

pleamus voluntatem, tum vt moneamur hic cælestem meditari conuersationem, dum, ad huc non datur beato illo regno perfrui. Et hactenus quidem tribus petitionibus desiderantur bona spiritualia.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panem quotidianum vocamus, qui quotidie nobis ad vitæ sustentationem est necessarius. Vnde rectius dici puto, Panẽ nostrum quotidianũ quam panem nostrum supersubstantialem, & vtroque rectius Panem nostrum essentialem, vel substantialem, vt sit ἐπιούσιος quasi πᾶν ὑπάρχον Panũ ἐφικτὸν ἀφεκτέον, id est, substantiæ nostri corpõ gruens, aut ad substantiã ἐπιούσιος. nostrã pertinens. Cyprianus hanc petitionem simpliciter intelligit de pane corporali, de quo potissimũ videtur omnino cũ Chrysostomo intelligenda. [Nã si intelligatur de pane illo spirituali Animæ, quo quotidie opus habet & quo quotidie pascitur per meditationem, & operationem mandatorum Dei, de quo Aug. & post eũ Caietanus & Erasmus volunt intelligi: iã hæc petitio eadem est, vel saltem apertè includitur in præcedente, fiat voluntas tua, &c. spiritualis enim animę cibus nobis est facere voluntatem Dei Patris, sicut Christus de se dicit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui est in cælis. Deinde orantes spiritualem Animę cibum, potius dicere debemus, da nobis in æternum, quam da nobis hodie: sicut Domino differenti Ioan. 6. de pane cæleſti dixerunt quidam, Domine semper da nobis panem hunc. Rursum quod nõ possit intelligi dominus hic potissimum locutus de pane corporis sui, non solum conuincit argumentum Augustini, quod si hic panis vocetur à domino quotidianus, consequens erit eum ab omnibus Christianis quotidie sumendum esse: sed etiam multo magis, quod cum hæc dominus suos doceret orare, panis hic nondũ erat institutus: nec de eo quicquam vel Apostoli ipsi cogitabant.] Nec obest argumentum Augustini putantis hanc petitionem non rectè posse accipi pro pane corporali, quod iubeat dominus ne solicitemur, quid edamus, aut bibamus. Non enim prohibetur à domino omnis solicitudo cibi, sed solicitudo mundana, & carnalis: nõ autem pia illa, qua in Oratione nostram necessitatem à Deo subleuari præcamur; quæ solicitudo proprie non est solicitudo. Vt autem nihil sit quod huic intelligentiæ de pane corpori sustentando necessario, obesse videatur: dicendum dominũ dum nos in oratione dicere voluit da nobis hodie; non quidem significare voluisse, non licere Christiano habere aliquid vltra cibum hodiernum: sed perfectionis Christianæ esse vltra illum non requirere alium, & in diem viuere: omnes autem debere esse tales, vt mundana cræstini victus solicitudo absit: & vt singulis diebus ad Patrem pro quotidiano cibo recurrant: cogitantes illum semper homines pascere, & nisi illo singulis diebus dante, nos posse non viuere, etiam de

his

his, quæ iam habemus. [Nec necesse est dicere hanc Orationem, quo ad partes eius singulas, sic esse a domino traditam, vt omni hora diei voluerit eam conuenire Christianis: sed demonstrare cum voluisse, quid singulis diebus, cum est opportunitas, precandum sit. Cū autē conueniat volumus hanc petitionē omnibus diei horis, quomodo hanc orationē passim Christiani quauis hora dicimus: licet illud hodie accipere pro quotidie, & pro tota temporali hac vita: quanquam etiam singulis horis aliquid nobis ad vitam hanc sustentandam sit necessariū: vt meritò sempet dicere debeamus: da nobis hodie panē, id est, id quod huic vitæ est necessarium. Nomine enim panis phrasi Hebraica intelligitur quidquid ad victum pertinet: hoc vero sub nomine isto etiam cōprehenditur quidquid præsenti vitę necessariū est siue in victu, siue in vestitu.] Animaduertendū autem quod Christus etiā orare nos vult panē nostrum, & quotidianū, siue essentialē. Et quidem per nostrū significare voluit, eū qui ex Dei institutione nobis competit, vt secernatur noster panis à cibo reliquorū animalium. Aut etiam per nostrū, alienum cibum refecare voluit, quē manducant, qui ex acquisitis per iniustitiā manducant. & qui omnino in otio viuunt. Per quotidianū vero vel essentialem panē, refecare voluit luxuriosos, & superfluos cibos, volens nos quotidiano & parabili cibo, qui ad sustentandam naturæ essentiā sufficiat, esse contentos. [Porrò quāquam vt dictū est, primò, & principaliter de pane corporali dominus in hac petitione sit locutus: recte tamen per anagogen factam à pane corporali ad spiritum, sub his verbis etiam precamur panem spiritualem: cum verisimile sit dominum eius panis desiderium etiam ex consequenti significare voluisse. Est autem panis mentis spiritualis potissimum ipse Christus homo factus, eiusque incarnatio, atque passio, sine quibus fide participatis nullum Dei verbum, nec ipsa Eucharistia mentem vere satis pascit, & nutrit.]

Et dimitte nobis debita nostra, &c. Per debita intelligūtur peccata, sic dicta, eo quod homine apud Deum debitorē pœne, & vltionis, aut impetrandę gratiæ cōstituant. Vnde Lucas pro ὀφειλήματα, id est, debita posuit ἁμαρτίας, id est, peccata. Proinde cum dicitur. *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Non exigit potissimum peccuniam dimittere debitoribus, sed quæcunque in nos alius peccauerit. Itaque hac petitione dominus salubriter nos memores esse voluit & nostræ infirmitatis, ne efferamur, & paternæ misericordiæ, ne vnquam desperemus. Per hoc autem quod adiecit, *sicut & nos dimittimus, &c.* Et significare voluit rationem, qua maxime possimus Dei indulgentiam obtinere, & charitatis fraternæ necessitatem nobis commendare: dum nos orantes peccatorum nostrorum remissionem hac conditione constrinxit, vt sic nobis debita dimitti postulemus, sicut ipsi dimittimus debitoribus nostris, id est,

id est, his, qui in nos peccauerunt. [Nō sic autem illud est intelligē dum, quasi satis sit nos dimittere debitoribus nostris eū ab eis rogamur, sicut nos Deum pro remissione rogamus. Nam etiam ante quam rogemur dimittere nos debere ex animo debitoribus nostris, docet illud Marc. 11. Cū stabitis ad orandū, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Notandum præterea aduerbium sicut nō denotare hic omnimodam similitudinem. Neque enim petimus æqualem misericordiam Dei cum ea, quam fratri exhibemus, cum frequenter imperfecta satis sit dilectio, qua fratri ignoscimus. Denotat ergo tantum hic simplicem similitudinem videlicet vt & nos nostris debitoribus dimittamus, & Deus nobis, non autem æquali dilectione. Quem sensum indicat satis quod postea explicans dominus subijcit: Si enim dimiseritis hominibus, &c. & quod Lucas habet, dimitte nobis peccata, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Licet autem per debita hoc loco non intelligantur propriē pœnæ peccatis debitæ, cum, vt prius dictū est, pro debitis peccata posuerit Lucas: tamen in hac petitione secundum Augustinum, etiam includitur sensus illorum, qui per debita volunt intelligi pœnam peccato debitam.] *In Euch. cap. 71.*

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen. His præceptis verbis communiter intelliguntur duæ contineri petitiones, vt septem sint huius Orationis petitiones, quarum vnæ postremæ sic distinguuntur, secundum Augustinum, vt priore petamus non induci in malum quo caremus, posteriore vero liberari à malo, in quod tam inducti sumus. Verum simplicius, & rectius docetur duas has vltimas partes vnam constituere petitionem, vt sex tantū sint Orationis huius petiones. Hęc enim petitio liberos nos à malo, eum per aduersatiuam coniunctionem cum superiori connectatur, non rectè potest intelligi noua esse petitio à superiori diuersa: sed dicendum idem per eam rogari affirmatiuè, quod prius rogabatur negatiue: quemadmodū non sunt duę diuersæ petitiones, si quis dicat, domine ne in furore tuo arguas me, sed remitte clementer peccata mea. Videri autē potest hęc sexta & vltima petitio quoad priorē eius partē non cōsona satis multis scripturis; Dauid enim optat tētari à Deo dicēs, Proba me dñe, & tenta me; & Iacobus, Omne gaudiū inquit existimate fratres mei, cū in tētationes varias incideritis, &c. Sciendū ergo quod tē a Deo dū cōsideratur eu fine facta, quo procedit à Deo, bona est, & in scripturis cōmendata, nec viro iusto simpliciter deprecāda. Quatenus vero cōsideratur eū eo fine, quo procedit à diabolo mala est, & omnino deprecāda. Præterea sciendū, secūdū Aug. nō doceri hic nos à Christo, ne tē temur, sed ne à tētatione superemur. Aliud enim est secūdū ipsum tētari, aliud, induci in tentationē; quod secundū eū est, vinci a tēta

tione,

tione idque consentiendo, vel cedendo. Ex commentarijs autem Chrysostomi, & Cypriani patet satis eos intellexisse his verbis nos iussos precari etiam vt ne Deus sinat nobis tentationem obuenire, & non solum vt ne sinat nos à tentatione superari. Quæ quidem intelligentia simplicior est, & scripturæ magis consentiens. Nam cum dicitur in Psalmis: Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, &c. inductum fuisse in laqueum non est superatum iam fuisse a malis, sed simpliciter incidisse in mala, quemadmodum satis patet ex his, quæ sequuntur. Ita etiam iubemur precari ne nos Deus inducat in tentationem, hoc est, ne sinat nos incidere in tentationem, aut tentationem nobis obuenire: idque ideo secundum Chrysost. & Cyprianum orare iubemur, vt memores simus nostræ infirmitatis, nec de nobis ipsis confidentes nos tentationibus ingeramus. Proinde vt perfectus, & integer habeatur huius petitionis intellectus, cõueniens fuerit vtramque expositionem nempe Chrysostomi & Augustini simul comprehendere, vt dum dicimus, Ne nos inducas, &c. intelligamus nos precari ne Deus sinat nos incidere in tentationem, aut ne iam tentatione occupatos sinat ab ea superari. [Bene autem iubemur precari: Ne nos inducas (quod tamen scripturæ more debet accipi pro ne sinas nos induci, nam proprie Deus in neutram tentationem praedictam inducit, considerando eam vt est sollicitatiua ad peccatum quomodo de ea hic est sermo) vt intelligamus aduersarium nihil contra nos posse, nisi Deus ante permiserit, ac proinde omnis noster timor, & deuotio conuertatur ad Deum, vt pulchrè annotat Cyprianus.] Iã quod sequitur, *Libera nos a malo*, quomodo sit intelligendum ex præcedẽti patet explicatione: cum vt dictũ est, ide ipsum petatur affirmatiuè, quod prius negatiue petitũ est. Atque hęc videri potest ratio, quare hæc pars omissa sit à Luca, quod scilicet in superioribus verbis includeretur. Itaque sicut dupliciter inducimur in tentationem, ita dupliciter liberamur à malo. Liberamur enim à malo dum præseruamur ne in malum incidamus, & ruamus, dũ occupati a malo eripimur ab illo vt ne nos superet, & perdat. Potest autem hic ablatiuus, malo, accipi pro diabolo, quomodo accipit Chrysost. & suadet articulus Græcus τοῦ πονηροῦ. Diabolus enim per antonomasiam rectè malus singulariter dicitur, eo quod in extremo malitiæ positus sit, irreconciliabili odio nobis, & Deo contrarius. Aliter etiam rectè ablatiuus malo, ad rem referetur vt accipiatur pro re, quæ mala est, hoc est malitia, qualis est occasio peccati, & afflictiones quæuis, quas docemur nõ deprecari simpliciter, sed quatenus mala quędam sunt, hoc est, impeditiua eius, quod verè bonũ est. Secundum quẽ sensum hæc pars etiã explicat superiorem partem; nimirum quod tentationem non debeamus deprecari, nisi quatenus mala est. Igitur cum quinta petitione deprecati

precati sumus mala præterita, hac sexta, & vltima petitione deprecamur præsentia simul & futura. Quod autem in Græcis codicibus ante Amen, legitur: Quoniam tuum est regnum, & potestas, & gloria in seculorum: à Hieronymo, Aug. Amb. Cypriano factum non fuerit, apparet ex solenni cõsuetudine additum à Græcis: sicut & salutationi Angelicę quædam adiecerunt, videlicet, quia peperisti saluatorem animarum nostrarum.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorũ, dimittet & vobis, &c. Declarat dominus quare remissionem peccatorum petendam docuerit, cum ea conditione, sicut & nos dimittimus: ostendens certe quantum desideret mutuam in nobis peccatorum condonationem, ad fraternæ charitatis conseruationem, & obtinendum peccatorum remissionem planè necessariam; quod ex omnibus sententiis, quibus nos orare præcepit, eam potissimum commendandam & declarandam iudicauit, quæ pertinet ad remissionem peccatorum. Porro quod dicitur Pater cælestis dimissurus, si nos dimiserimus proximis: intelligendum est, quemadmodum omnes aliæ similes promissiones: nisi quid aliud obsit. Rursum quod dicitur: Si vos dimiseritis, & Pater vester dimittet: non sic est accipiendum quasi nostra remissione mereamur Dei remissionẽ, cum hæc sit gratuita. Non enim dicitur, Si vos dimiseritis, & Pater vester dimittit, sed dimittet: eum scilicet illum rogaueritis.

Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Eodem modo iam auocat ab ostentatione Ieiunij, quomodo suprà auocauit ab ostentatione eleemosynæ & orationis. Hic autem notandum primum quod pro tristes, Græcis sit σκυθρωποι, quod non tristitiam animi significat, sed tristitiam vultus, vt rectè verti possit, tetrici: Non enim fieri potest vt non sit tristis animo, qui rectè ieiunet: cum tristitiæ, & mœroris alicuius gratia ieiunium suscipiatur vt in plurimum. Sed vetat dominus ne tristitiam vultu præseratis, nec id tamen simpliciter; sed ne simus tristes vultu sicut Hypocritæ: qui scilicet ea intentione tristitiam vultu præseferunt, vt cognoscant homines eos ieiunare; quos ideo dominus Hypocritas vocat, hoc est simulatores: siue quod tristitiam, quam vultu præseferunt, non habeant in animo, siue quod velint videri carnis suæ castigatores, sobrij, & casti, cũ suo ieiunio nihil intendant præter humanam laudẽ. Notandum secundo quod pro exterminant. Græcè est ἀφανίζουσι quod est corrumpunt, perdunt, vel secundum Hieronymum, demoliuntur: atque in hac significatione fere semper oportet in scripturis accipere verbum exterminare, dum occurrit. Sensus ergo huius loci est, quod facies suas corrumpant, & obscurent, hoc est, quod naturam faciei colorem studiosè immutent, affectato scilicet pallore, ac vultus tristi seueritate. Quod verò sequitur.

De Ieiunio.

Vt pareant hominibus ieiunantes, id est, vt videantur hominibus ieiunare: non sic est accipiendum, quasi vellent videri ieiunare, cùm non ieiunarent: sed quod ieiunium suum omnibus cognitum esse vellent. Quod autem subditur,

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam, &c. Metaphorica est locutio, qua significare vult dissimulandum esse ieiunium. Mos enim Palestinæ terræ erat (vt notauit Hieronymus, & Scripturæ vbique demonstrant) vt qui lugerent, vnguentis, & lotione abstinerent: contra verò, qui lætiores erant vngerentur. Igitur quoniam vnguentis delibuti, & loti, nihil minus quam ieiunare, & lugere videntur: dissimulationem ieiunij per hæc Dominus significare voluit. Itaque non tam quid litera significet observandum hic est (quamuis ad literam obseruatum cautela sit vngere caput, & lauare faciem), quàm quid hoc loquendi modo Dominus significare intenderit.

Docet abijciendam curam rerum terrenarum. Matthæi 6.

CAPVT XLII.

C 12.86. C.11.49 C. 16.95. C.12 86.

NOLITE *thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque erugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* ‖ *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt!* ‖ *Nemo potest duobus Dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ.* ‖ *Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non seruiunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperitus est, sicut vnum ex istis. Si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus,*

aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.] *Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi sufficit dies malitia sua.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Superius quidem etiam ad rerum terrenarum contemptum inuitauit, cum dixit, *Et qui vult tecum in iudicio contendere, &c.* Sed illic illa præcepit propter misericordiam, & dilectionem etiam inimicis exhibendã: hic verò ipsum per se stabilinit facultatum contemptum: ostendens non solum contemnendas rerum terrenarum possessiones propter eos, in quos sit misericordia, sed & propter nos ipsos: adeo vt etiam si nemo fuerit lædens, nemo in iudicium pertrahens, nihilominus præsentia contemnamus, eaque indigentibus dispensemus. Ad quod vt mentes hominum extimularet, primùm pulchra eaque efficaci antithesi vtitur;

Nolite, inquit, *thesaurizare*, id est, ne reponatis vobis thesauros in terra. Quod non est solum eos in terra defossos recondere; sed quomodolibet terrenas facultates hic in mundo colligere, aut collectas apud se seruare. Thesaurizate autem thesauros in cælo, id est apud Deum comparare, & colligere futurorum præmiorum mercta. Quod quidem speciatim fit per eleemosynarum largitionem, generaliter verò per quæuis opera bona; vt thesaurizare in cælo sit diuitem fieri in operibus bonis. Hic tamen specialiter loquitur Dominus de eã thesaurizatione, quæ per eleemosynas fit: vt patet ex eo, quod cum Lucæ 12. similibus verbis ad thesaurizandum in cælo cohortetur, præmittat de eleemosyna dicens, Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis saccum non veteraſcunt thesaurum non deficientem in cælis, &c. Nonnullos autem quod dominus indicaturus incertitudinem terrenorum thesaurorum, tria ponat secundum tres diuersitates diuitiarum. Metalla enim ærugine, vestes tinea corrumpuntur. Sunt autem alia, quæ neque æruginem, neque tineam timent, vt lapides prætiosi, & ideo ponit generale detrimentum, scilicet furem.

Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Alterum hic iam Dominus argumentum profert, à thesaurizando in terra auocans, ad thesaurizandum verò in cælo prouocans. Quod argumentum peritum est à prouerbiali sententia quales plurimum, semper veri sensi obtinent & efficaciæ. Omnino enim videtur tunc prouerbialiter fuisse sententia, quemadmodum & hodie est, vbi est thesaurus, ibi & cor. Et quidem hac sententia idem iam agit efficacius, quod prius egit ostensione damni thesauri terreni, & lucri thesauri

cælestis: significans iam quod etiamsi tutus permaneret in terra repositus thesaurus, nec illo tutior esset thesaurus celestis: non parvum tamen consequatur homo incommodum, si thesaurizet in terra, magnum verò è contrario bonum, si thesaurizet in cælo.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Græcè est absolutè, lucerna corporis, est oculus: quæ absoluta sententia plus habet gratiæ, & dignitatis. Est autem totus hic domini sermo parabolicus, & metaphoricus, quo per conditionem oculi corporalis ostendit cõditionem oculi spiritualis: hoc est mentis: quare primum videndum quomodo litera conueniat oculo corporali, ac deinde quomodo eadem illa applicanda sunt oculo spirituali. Oculus ergo corporalis est lucerna corporis totius, hoc est, fungitur vicæ lucernæ; quia sicut lucerna lumen præbet volentibus quid agere, sine quo nihil rectè agere possent: ita oculus omnibus membris corporis veluti lumen præbet, vt possint singula suis ritè fungi officijs. Si ergo oculus corporis fuerit purus, totum corpus erit lucidum: quia vniuersa corporis membra ita illuminabuntur, vt possint singula rectè sua peragere officia. Si vero oculus fuerit vitiatus, & depravatus: eius vitium cedet in totius corporis perniciem: quia omnia eius membra versabuntur in tenebris, hoc est, nullum clarè, & non impeditè suum munus obibit, sed veluti in tenebris totum corpus palpitabit, & errabit. Porro parabola hæc variè transfertur ad oculum mentis, propter quem certum est exemplum istud de oculo corporali dominum attulisse. Chrysost. enim per oculum intelligit mentem ipsam, quæ, hoc est Animæ, quod oculus est corporis. Hęc si fuerit pura erit etiã totum corpus lucidum, hoc est etiã omnes vires, & operationes hominis erunt clarè, & à peccato puræ. Si vero mens ipsa, quæ reliquis viribus ex sese tenebrosis lumen præbere debet, quæque omnium operationum est causa fuerit vitiata; omnes Animæ vites tenebrosæ erunt, quia nihil rectè agent; omnesque operationes erunt tenebrosæ, quia tenebris peccatorum inuolutę, & lumine rectè rationis destitutæ. Iam quod sequitur.

Si ergo lumen, quod in te est, &c. Hunc habet sensum; Si ergo mens, quæ data est ad hoc vt animam totam illuminaret fuerit tenebrosa, reliquæ animæ vites, quæ ex sese sunt tenebrosæ, quam iam erunt tenebrosæ totæ, hoc est, quam multipliciter, & grauiter omnino versabuntur in tenebris peccatorum. Hanc autem generalem doctrinam, quæ variis locis deseruire posset, Chrysost. præcedentibus sic intelligit subiunctam, vt per eam demonstraretur quantum malum sit cor affixum habere in terra. Secundum Augustinum verò per oculum intelligitur intentio hominis, quæ si munda est, & simplex, nihil quam Deum respiciens, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, clara sunt & lucida, &c. Secun-

Secundum quam intelligentiam hæc Saluatoris doctrina referri potest ad superiora hoc modo; vt quoniam superius docuit thesaurizandum in cælo per eleemosynarum largitionem, iam docens dominus quod qui eleemosynas faciunt cor debeant habere ad Deum, & simplici intentione eas facere. Cęterum quod hic dicit: Si oculus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; nõ sic est intelligendum quasi nihil erroris, aut peccati sit in eo, qui mentem habet puram: sed quod nihil horum sit dominaturum ei & absorbendum sit à prædominante luce, quicquid adhuc remaneat tenebrarum.

Nemo potest duobus dominis seruire. Iam tertio alio argumento à diuitiarum studio auocat, superioribus etiam efficaciore, quo simul excludit cogitationem, qua quis obuiam ire dictis posset. Cogitare enim quidam poterant: Quid si & in cælo, & in terra thesaurizemus, sicque cor & in cælo, & in terra habeamus? Sic enim videbimur non incidere damna tenebrarum. Huiusmodi ergo cogitationi his verbis appositè dominus respondet, ostendens non posse animum in diuersa esse distractum. Videtur etiam hæc sententia desumpta à Domino è sententijs prouerbialibus apud vulgum receptis, & proinde non est specificandum qui sint illi duo domini, quibus nemo dicitur posse seruire. Generalis est enim sententia, ex qua concluditur, quod erat ostendendum. Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Nec necesse est subintelligere, aut addere dominis contrarijs, eo quod dominus hanc sententiam assumserit, vt vulgo iactabatur, qua significabatur non facile posse reperiri duos tam commodis moribus, tamque voluntate vnanimes, vt idem seruus duobus possit satisfacere, & pari studio seruire. Itaque satis habuit dominus hanc sententiã vulgo veram esse, & vt in plurimum, aut semper sic vsu venire apud homines. Porro illud. *Aut enim vnum odio habebit, &c.* in quo videtur vnius & eiusdem esse repetitio, cum satis fuisset dicere: Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, vt bene intelligatur, oportet per vnum in vtroque membro certum aliquem, quem voles ex duobus intelligere demonstratum, & similiter per alterum intelligere vtrobique secundum ab eo, quem mente concepimus demonstratum per vnum. Ad quod significandum vtrique dictioni videtur apud Græcos additus articulus τὸν ἕνα, τὸν ἑτέρον. Itaque hic est sensus, Aut enim hunc odio habebit, & alterum diliget, aut contra illum sustinebit, & alterum contemnet. Adeo autem fusè à Domino hæc sunt dicta, vt id cuius similitudinem explicant, animus auditorum magis infigerent. *Prosustinebit*, Græcis est ἀνθέξεται, quod magis est vni adherebit. Est autem Mammona dictio Chaldaïca, significans idem quod Græcis πλοῦτος, hoc est diuitiæ. *Mammona.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ideo dico vobis, ne sitis soliciti animæ vestræ, quid manducetis, &c. Rursum excludit prætextum necessitatis humanæ, quo plerique excusare solent auaritiæ suæ morbum, dicentes sese consulere fami, & nuditati. Hunc inquam prætextum excludit, dum inferendo ex superioribus dicit, *Ideo dico vobis, &c.* significans huiusmodi solicitudinem etiam cor in terra figere, & proinde lucernam mētis vitiare, pertinere etiam ad seruituteṁ Mammonæ, ac proinde Dei puram seruitutē impedire. Cumque scirret dominus solicitudinis morbum in omniū fere mētibus nimis hærere, nō satis fuit ex superioribus inferre nō oportere nos esse solicitos, sed multis, idque efficacibus argumentis prōsequitur solicitudinis huius vanitatē & indignitatē ostēdere. Cū autē homo ex duabus sit cōpositus partibus, anima scilicet, & corpore, & ob id duplex solicitudo homines teneat, eorū scilicet, quæ ad animā in corpore sustentandā sunt necessaria, & eorū quæ sunt necessaria tegēdo corpori: vtrāq; simul solicitudinē similibus resecat argumentis. Illud tamē quod dicit,

Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis: Non sic est accipiendum, quasi anima indigeat cibo ad sui sustentationem cum sit incorporea; sed secundum Chrysostomum communi more hoc dominus locutus est, quod etsi anima alimentis non indigeat, tamen vt in corpore permaneat, alimentis indiget à corpore sumptis. Aut secundum Augustinum anima more scripturæ, & phrasi Hebraica pro vita ponitur, quemadmodum & in illo. Qui amat animam suam, perdet illam.

Nonne anima plus est, quam esca, & corpus plus quam vestis, &c. Quasi dicat (est enim intellectio) Si Deus nobis sine merito, & labore nostro animam, & corpus vltro largitus est, an non etiam cibum, & vestimentum largietur, quæ illis multo sunt minora: maximè cum illa sic condiderit, vt istis indigeant? Qui enim maiora præstitit, declarauit se & minora præstare & posse, & velle. Et hæc quidem ratio communis cibo, & vestimento sumpta est à maiori; sequens vero ratio cibo propria sumitur à minori. Ostenditur enim etiam nobis Deum velle prospicere de cibo, quia illum largitur volatilibus cæli. Consistit autem vis huius argumenti non solum in comparatione hominū ad aues, sed etiam in diuersa dispositione, & relatione Dei ad vtrosque, quam indicat, cum dicit, *Pater vester cælestis pascit eas.* Cum enim dicit, Et Pater vester, significat Deum, qui volatilia pascit, citra illorum tantùm sit Dominus non Pater, multò magis nos, quorum etiam Pater est pastorum: cum proprium Patris officium sit filijs alimenta prospicere. Cum vero addit cælestis, id sane rectè intelligitur significare non putandum esse Patrem nostrum, eo quod cælestis est, se indignum dicere temporalia, & terrena nobis dispensare, cum nec indignū se putet prouidentiam suam extendi ad volatilia, Porro auium genus,

ritus, quam aliarum bestiarum mētionem facit: siue quod hæc sint minima animalium, siue quod omnium hæc maximè à solicitudine videntur libera occupata fere circa cautum, & veluti obiter cibum sumentia. Ostendit præterea dominus vanitatem huius solicitudinis ex eiusdem inefficacia:

Quis, inquit, *vestrum cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* Vbi pro cogitando Græcis est μεριμνῶν & solicitus existens; participium enim est eius verbi, quod hic sæpè vertitur per solicitum esse. Est ergo sensus; Quis vestrum anxia sua & solicita cogitatione, aut sua solicitudine potest adijcere, &c. Ex quibus verbis satis patet qualem solicitudinem hic Dominus improbet. Hanc autem rationem, quam dominus hac interrogatione vult insinuare magis apparet pertinere ad superiora: vt quemadmodū superius exemplum auium peculiariter à solicitudine cibi auocauisset & hic ratione propria à cibo auocet; Nam mox subijcit, *Et de vestimentis quid soliciti estis?* Significans se postquam dehortatus est à solicitudine cibi velle, & à solicitudine vestimentorum dehortari. Quanquam autem nec palmum, nec digitum homo staturæ suæ addere possit, tamen cubitum dicit: eo quod proprie mensura staturæ sit cubitus, vt annotauit quidam Græcus. Omnis enim homo suorum cubitorum quatuor habet in latitudine, quatuor in altitudine.

Et de vestimentis quid soliciti estis. Considerate lilia, &c. Non hic vertitur exemplo volucrum vt induceret pauum aut cignum, sed potius exemplo florum, vt ex varijs rebus exempla desumens, & viliora etiam proferens, in quibus Dei prouidentia mirè relucet efficacius solicitudinem vestimentorum excuteret; deinde quia in floribus maximè spectatur pulchritudo, quæ illis est loco vestimenti. Liliorum autem inducit exemplum, quod hæc inter omnes flores singularem gratiam, & decorem obtineant. Sed, *ager*, adiecit, quod hortensia lilia nonnihil debere videri poterant curæ humanæ; sicut & prius ideo videri potest dixisse eo volatilibus cæli, vt distingueret ab alitibus. Dictionem autem, crescunt, posuit propter folia, quæ horum vnicuique sunt indumentum. Quod autem sequitur; *non laborant, neque nent*, rectè accipitur, vt prius propter viros sit dictum, secundum propter mulieres, vt vtrosque Dominus hoc exemplo confortet, vt sit sensus; Non laborant quemadmodum viri pro consequendis vestibus, neque nent quemadmodum mulieres: Quibus verbis cum ostendit lilia libera esse ab omni solicitudine, deinde adiungit quanta tamen sit eorum pulchritudo, qua veluti amiciuntur, & vestiuntur; dicens:

Dico autem vobis, quod rectius vertitur. Dico tamē vobis vel attamen dico vobis. Sic enim ingerit maiorem admirationem, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

comparationem immensę, & insuperabilis pulchritudinis cum cæ
rentia omnis solicitudinis. Salomonis autem mentionem intulit,
quod is gloriosissimus omnium Regum apud Iudæos fuerit, om-
nis pulchritudinis amator, & studiosus inquisitor, vt testatur de
Cap. 2. seipso in Ecclesiaste. Dicit autem ad maiorem exaggerationem in
omni gloria sua: hoc est, secundum Chrysostomum toto tempo-
re regni sui: vt non semel atque iterum significetur Salomon su-
peratus à florum decore, sed etiam tota qua tegnauit ætate.
Quemadmodum autem superius, non ad hoc induxit exemplum
de auibus, quod non seminent neque metant, vt doceret etiã
nobis non seminandum: sic & hic non ideo dixit de lilijs,
quod non laborent, neque nent, vt prohiberet laborare, & nere:
sed tantum vt ostendat Deum illa vestire & ornare suo decore, &
vt significaret nobis ex Dei voluntate viuentibus, illius prouiden-
tia non defore nobis vestitum necessarium: etiamsi ad illud vi-
tæ genus vocati fuerimus, quod non sinat nos pro vestitu para-
do laborare, aut nere, quemadmodum, qui ad euangelizandum vo
cantur.

Nolite ergo soliciti esse dicentes; Quid manducabimus, &c. Satis
hic rursum significat, quam solicitudinem, & curam prohibeat, vt
delicet timidam, & anxiam, quæ huiusmodi cogitationibus, ceu
continuis quibusdam æstibus hominem exagitat. Quid edemus,
quid bibemus, &c. semper timorem suggerens, ne ita aliquando
desint. A quali solicitudine rursum duobus auocat argumentis. Pri
mum quod trepidè & solicitè requirere, quę ad victum & vesti-
tum pertinent, Ethnicorum sit, hominum scilicet Deum ignoran
tium, quique cum meliora, ac veriora bona ignorent ista potissi-
mum inquirunt, à quorum moribus dissimillimos esse omnino
conuenit eos, qui in filijs sunt adoptati, Dei cognitione iam dona-
ti, & ad cęlestia bona vocati. Secundum argumentum ductum est
à persona ineffabiliter benigni Patris nostri cęlestis, cum dicit.

Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis, Quę certè sententia magnam habet energiam ad propulsandam solicitudinem ne-
cessariorum. Nam ad hoc vt quisquam posita solicitudine eorum
se alicuius prouidentię committat, nihil aliud requiritur, quam vt
certus sit de illius beneuolẽtia, ac potestate, & scire illum suas ne-
cessitates.

Quærite ergo primum regnum Dei. Græca non habent conjunctionem illatiuam ergo, sed ζητεῖτε τὴν, hoc est quærite autem. Est
enim oppositio ad illud, hæc enim omnia Gentes inquirunt, quasi
dicat, Gentes quidem illa inquirunt, vos autem, qui Deum voca-
tis Patrem, quærite regnum Dei. Quod autem dicit *primum quæ-
rite*, significat quid posterius quærendum sit, videlicet temporalia
nobis necessaria. Non enim ideo dixit.

Et hæc omnia adijcientur, &c. Vt significaret hæc non esse quęrẽda,
cum in oratione à se præcripta docuerit hæc à Deo quærere: sed
vt significaret his, qui primum regnum Dei quęrunt temporalia,
veluti secundaria quædam bona obuentura à Deo, & præcipuo eo
rum desiderio accessura, tanquam quædam necessaria. Igitur pri-
mum quærite, hoc est ante omnia non tempore, sed dignitate, hoc
est, maximè, & præcipuè quærite. Quod tum fit, cum ita regnum
Dei præponimus cęteris rebus, & ita regnũ Dei toto corde quæri-
mus, vt reliqua ad vitæ huius sustentationem necessaria, non quæ-
ramus nisi propter regnum Dei. Est autem *Iustitia Dei* qua coram
Deo iusti sumus per fidem, & mandatorum Dei obseruationem.
Coniunxit autem iustitiam Dei quærendam cum regno Dei, vt
significaret non alia ratione regnum Dei posse obtineri, quam per
iustitiam eius. Porro non dicit.

Et hæc omnia dabuntur vobis, sed adijcientur vobis, vel potius (vt
habent Græca Προστεθήσεται apponentur) ne horum temporalium
suppeditatio videretur esse merces quęrentium regnum Dei: & vt
ei cęteremus inquit Chrysost. eorum quæ in præsenti dantur nihil
esse magnum, si futurorum magnitudini comparenturcum tẽpo
poralia veluti accessoria solum sint, & accedentia.

Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Simpliciter istud intelligendũ
videtur quomodo verba sonãt, nempe solicitudinem non esse ex-
tendendã in crastinum, quod quæque dies sufficientẽ afferat soli-
citudinis afflictionem. Infertur autem istud ex superioribus, in
quibus vniuersaliter dictum est de solicitudine necessariorũ, vt hac
adiectione manifestius fieret, quã solicitudinẽ prohibuerit, nimirũ
auxiam, & superfluam, qualis est solicitudo crastini, hoc est futuri
temporis. Ne enim putaremus quoniã præcepit ne simus soliciti,
nõ debere nos laboribus parare quę ad victũ & vestitũ sunt necessa
ria, quales labores non possunt omnino esse sine aliqua cura, & so-
licitudine: totam hanc de abijcienda solicitudine doctrinam termi
natus, tandem infert.

Nolite ergo soliciti esse in crastinum, quasi dicat, laborandum qui-
dem est, & operis cui incumbendum est, cura habenda, verum cu-
ra hæc non est in futurum tempus extendenda, vt anxiè soliciti si-
tis, quẽ fructum in posterum labores vestri vobis adferãt, aut quid
sequens tempus vobis sit allaturum. Tantum ea, quæ in præsens fa
cienda incumbunt, curate, deponentes curam crastini, hoc est, futu
ri temporis. *Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi*, hoc est, crasti-
nus dies afferet secum sollicitudines conuenientes his rebus, quę tunc
occurrent. Has ergo solicitudines ne præoccupetis, ne superflua cu
ra vosipsos discrucietis. Sufficit enim afflictio, & labor, quem quæ
que dies secum affert. Porro obseruandum dominum pulchre per
prosopopœiam dixisse crastinus dies solicitus erit sibi ipsi, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& sufficit diei malitia, id est, afflictio sua, ipsi diei tribuens solicitudinem, quæ propriè homini competit.

Docet temerè nec iudicandum nec docendum, adhortatur ad orationem, & vt vitatis pseudoprophetis huic doctrinæ inhæreatur. Matt. 7. Lucæ 6.

CAPVT XLIII.

NOLITE iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. [c] Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum. [a] In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. [f] & in qua mẽsura mensi fueritis, remetietur vobis. [c] Dicebat autem illis & similitudinem: ‖ Nunquid potest cæcus cæcum dũcere? Nonne ambo in foueam cadunt? [‖ Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. [f] Quid autẽ vides festucã in oculo fratris tui, ▷ trabẽ autẽ, quæ in oculo tuo est, nõ consideras? † Aut quomodo ‖ potes dicere fratri tuo: Frater sine ejiciã festucã de oculo tuo, [a] & ecce trabs est in oculo tuo. [&] [c] ipse in oculo tuo trabẽ non vides? [f] Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tũc † perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui. [a] Nolite sanctũ dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcẽt eas pedibus suis, & conuersi dirumpãt vos. ‖ Petite, & dabitur vobis. Quærite, & inuenietis. Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quẽ si petierit filius suus panẽ, nunquid lapidẽ porriget ei? Aut si piscẽ petierit, nũquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cùm sitis mali, nostris bona data dare filijs vestris: quantò magis pater vester qui in cœlis est dabit bona petentibus se?] Omnia ergo quæcunque vultis vt faciãt vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. ‖ Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eã. Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitã: & pauci sunt, qui inueniunt eã. Attẽdite a falsis prophetis, qui veniũt ad vos in vestimentis ouiũ, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. [c] Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructũ bonũ. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. [f] Neque enim de spinis colligũt ficus, neq; de rubo vindemiat vuã. [a] Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autẽ arbor, malos fructus facit. Nõ potest arbor bona, malos fructus facere: neq; arbor mala, bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructũ bonũ, excidetur, & in ignẽ mittetur. Igitur ex fructibus eorũ cognoscetis eos.

† c. Eadem quippe mensura, qua A. 15. 60. A. 10. 55. D. 13. 130.

▷ a. c. trabem in oculo tuo non vides

‖ a. dicis

† a. c. vide his ejicere.

C. 11. 83.

C. 13. 90.

‖ a. Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus?

A. 12. 49.

Bonus

homo de bono thesauro cordis sui, profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & nõ facitis quæ dico? [a] Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnũ cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: quia nunquam noui vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. [f] Omnis [a] ergo [f] qui [a] venit ad me & [f] audit ▷ verba mea [a] hæc [f] & facit ‖ ostendam vobis cui similis sit. † [f] Assimilabitur viro [a] sapienti, qui ædificauit domũ [a] suam super petram. [a] qui fodit in altũ, & posuit fundamentũ supra petram. ‖ [f] & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domũ illam, & nõ cecidit: fundata enim erat † super petram. ▷ Et omnis qui audit [a] verba mea hæc [f] & nõ facit [a] ea, [f] similis ‖ erit viro [a] stulto † [f] qui ædificauit domũ suam ▷ super arenã [a] sine fundamẽto, & [a] descẽdit pluuia, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & ‖ [f] irruerunt in domũ illam, & [a] cõcidit [f] & † fuit ruina [a] domus [f] illius magna. [a] Et factũ est cum † [a] consummasset Iesus verba hæc, admirabãtur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum & pharisæi.

C. 13. 90.

▷ a. ser monas me

‖ c. eos

† c. similis est homini

▷ c. ædificanti

‖ c. mũda tione autẽ mundat illi, facta illius est fluminis

† c. facta est.

▷ c. Qui autem audit.

‖ c. est homini

† c. ædificanti

▷ c. supra terrã

‖ in quã illius est fluuius

† c. facta

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Non est dubitandum dominum in hoc prolixo sermone fusius, & explicatius multa dixisse, ac pleraque alio etiam ordine, quam Euangelistæ conscripserunt, simul eadẽ sæpe alias quoque docuisse, quando in his summa pietatis sita sit. Proinde nõ est curiosè nimis ad laborandũ, vt singula superioribus certo ordini obseruato connectãtur, aut ex ordine seruato ab vno Euangelistarum reliquorum narrationes æstimentur. Quod ideò hic monere visum est, quod omnino caput hoc Matt. 7. miscellanea quẽdã cõtineat quę si quis velit certo ordine, aut inter se, aut cum superioribus studiosius, aut curiosius connectere, sibi vltro tenebras effuderit, & implicabit potius quã explicabit. Prohibetur ergo hic primum iudicium, quo quis curiosius obseruans aliena dicta, vel facta in animo suo ea censet, & verbis etiam prolatis condemnat tanquam mala cum sint dubia, aut etiã apertè bona. deinde iudicium, quo priuatus alterius dicta, & facta etiam apertè satis mala notat, non vt emendet aut illum, aut alios, sed vt famæ eius detrahat, denigratoque proximo sibi probitatis opinionem conciliet, Postremum prohibetur iudicium quo quis hominem quædam apertè mala committentẽ condẽnat veluti desperatæ salutis. Porro iudicare est sententiam de re aliqua ferre: verum quoniam hic in malam partẽ accipitur, quomodo iudicare nõ est

aliud

aliud quam condemnate, ideo explanationis gratia additum est *nolite condemnare, vt non condemnemini*. Quoniam autem eiusdem charitatis, ac similis præmij est, nõ condẽnare proximũ, aut proximi dicta vel facta, & peccanti in se fratri ignoscere, atque ob indigentiam aliquid petenti dare quibus opus est, ideo apud Lucã bene subijcitur, *dimitte & dimittemini*, hoc est, remittetur vobis. *Date & dabitur vobis*. Has autem promissiones quidam referunt ad ipsos homines vt sit sensus: Ne iudicetis alios, & sic fiet, vt ipsi vicissim non iudicemini ab hominibus & sic de reliquis. D. Aug. autẽ & Chrys. alijque veteres has omnes promissiones ad Deum referunt, vt sit sensus, Nolite condemnare vestros proximos, & non ob dẽnabiminiã Deo. Remittite alijs quæ commissa sunt in vos, & remittentur vobis peccata vestra à Deo. Date indigentibus & petẽtibus, & vicissim dabit vobis Deus quę postulauerit is ab eo. Sic enim sententiæ istæ sunt absolutiores. Et conueniens omnino videtur vt vtraque intelligentia simul comprehendatur, & sit sensus: Nolite iudicare alios, sic fiet vt & aliorum iniquius iudicium effugiaris, aut saltem vt Dei seuerum iudicium non experiamini.

Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem, &c. Quatuor conditionibus mensurę materialis significare voluit dominus remunerationem copiosissimam ob venturam his, qui superiora præstiterint, hoc est, qui non condemnauerint, qui remiserint, &c. Prima enim mensurę optimæ conditio est vt sit bona hoc est, liberaliter iusta. Secunda vt sit conferta, hoc est, vt magis significat dictio Græca πεπιεσμένον pressa. Tertia, vt deinde sit coagitata, id est, bene concussa. Quarta vt præterea etiam superefluat, nec post compressionem, & concussionem vas contineat rotam mensuram. Si autẽ superiores sententiæ accipiantur secundũ priorem intelligentiam, facile est intelligere quod sit suppositum verbi dabunt, nempe homines quibus benefecistis. Si vero ad ipsum Deum referantur rectè accipietur istud secundum Augustinum secundum eum loquendi modum quo postea de pauperibus dicitur, Recipiant vos in æterna tabernacula, quia scilicet Deus propter illos quibus bene fit suo nomine, recipit in sua tabernacula, & dat præmium copiosum. Aut quod dicitur mensuram bonam dabũt impersonaliter accipietur pro mensura bona debitur. Videtur autem magis hæc sententia solum dicta de remuneratione bonorum operum. Quoniam enim dixit date & dabitur vobis, eam promissionem exaggerare volens subijcit, mensuram bonam. &c. q.d. Nõ solum dabitur vobis, sed etiam copiosa & abũdans fiet vobis remuneratio, proportionata tamen vestrę liberalitati. Ad hoc enim significandum remunerationem vocauit mensuram.

Lib. 2. de quæst. Euang. cap. 6.

In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, &c. Et hæ duæ sententiæ facilem, & apertam habebunt intelligentiam si superiores illæ

illæ sententiæ priori modo accipiantur. Erit enim sensus, Quali iudicio alios iudicaueritis, vicissim ipsi ab alijs iudicabimini, &c. Verum si ad Deum referantur promissiones in superioribus sententijs positæ, intelligendum ideo dictum, In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: quia qui curiosè alienam vitã excusserit, illius vita quoque à Deo exactè dijudicabitur: & qui proximum condemnauerit ipse quoque à Deo condemnabitur. Qui vero æquus fuerit proximorum iudex, æquum quoque & benignum experietur dominum. Et in genere quali mensura mensi fueritis remetietur nobis à Deo: quia si benefecerimus, bona recipiemus ab eo, mala vero si male fecerimus. Hac enim sola ratione dictũ est: In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

Dicebat autem illis & similitudinẽ. Numquid potest cæcus, &c. Quoniam, superius dominus præcepit non iudicare, nec condemnare, & iam occurrere quis posset & dicere, se iudicare & condemnare fratrem suum vt corrigat, & emendet: docet deinceps qualis esse debeat qui hoc fine alium volet iudicare, & reprehendere, & quale iudicium prohibuerit, nimirum quo quis alienę vitæ seuerus est censor, suæ interim negligens.

Numquid inquit potest cæcus cæcum ducere? Quod si tenter, Nonne ambo in foueam cadunt. q. d. Si quis sit qui alterius vitia reprehendere volet, & demonstrare certam virtutis viam, atque in ea ipsum deducere: vidẽdum ei imprimis num & ipse mentem habeat siue errore veritatis, siue praua cupiditate & affectu aliquo excœcatam. Nam si ipse cœcus existens parat se alterius ducem præbere, futurum certe, quod solet contingere, vbi cœcus cæco fit viæ dux, videlicet vt vterque cadat in foueam æternæ perditionis. Ad idem propositum subijcit.

Non est discipulus supra magistrum, &c. q.d. si igitur tu qui doctorem te aliorum præbes ipse fueris in vitio; non est spes meliorem te posse fieri, quem docere paras: cum secundum vulgare proverbium, discipulus non possit esse perfectior magistro suo, in eo scilicet, in quo est discipulus. Eiusdem argumenti est & quod deinde subijcitur,

Quid autem vides, &c. Qua parabola redarguit Saluator maiùs vitium quorundam, qui non solum alium reprehendunt in eo, in quo & ipsi culpabiles sunt; sed minima in alijs notant, cum ipsi ad grauiora sua peccata perspicienda sint cæci, quos bene hypocritas vocat; vel quia sibi sumunt partes iustorum & sanorum cum iniusti sint, & ægroti aliena persona id, quod reuera sunt occultare studẽtes, vel quia prætextu correctionis aliena vitia notãt, cum reuera id agant proposito condemnationis. Per festucã ergo minora peccata, per trabem grauiora peccata hic designãtur. Admonet ergo dominus vt qui aliorum vitia notare voler, prius sibi

aperte

Universidad de Deusto
Biblioteca

apertasua vitia curet. Et tũ inquit perspicies, &c. quãdo scilicet cũ fructu id poteris facere, & sincera correctionis intentione. Nõ prohibetur ergo his verbis domini simpliciter, ne quis alium corripiat, qui ipse vel eisdẽ, vel maioribus obnoxius est criminibus, sed vt ne ex aliorum correctione & condemnatione sanctimoniæ opinionẽ quereremus, aut ne veritatẽ odiosam redderemus: quod fit cum apertis criminibus obnoxius est, qui alium de paruis corripit.

Nolite sanctum dare canibus. Quoniam mox superius docuit, qui non debeant alios iudicare, corripere, & docere: hic iam docet, qui non debeant corripi, & doceri. Dixerat enim: Eijce primum trabẽ de oculo tuo, &c. Ne ergo is qui purus est, & trabem iam iecerit è proprio oculo, putaret se quosuis corripere, & docere debere, quos videt vitijs aliquibus obnoxios, commode hanc doctrinam generalem subiecit, ne sanctum daretur canibus, significans abstinendum ab admonitione illorum, qui admoniti euasuri sunt peiores & potius sunt irritandi, quam sanandi. Rectè autem intelligemus idem vocari sanctum, & margaritam nempe doctrinam veritatis, doctrinam nimirum Euangelicam, quam & postea margaritæ comparat dominus. De hac enim etiam hic potissimũ locutus videtur, quamuis simul, vt est generalis sententia, rectè intellexerimus per sanctum & margaritas significati & sacras quasque res, qualia sunt Sacramenta. Dicuntur aurẽ hæc nẽpe doctrina Euangelica, & Sacramenta simul & sancta & margaritæ. Sancta quidẽ quia diuina, & sanctorum tantum vsui deputata, quæ corrumpere & prophanare nephas est. Margaritæ vero propter inæstimabile eorum pretium. Cæterum per canes, & porcos simplicius fuerit accipere eosdem, nempe eos, qui immedicabili tenentur impietate, quos generali quidem ratione canes vocat & porcos propter ipsorum immunditiam: specialiter verò canes, quod veritati oblatrent, porcos vero, quod viles mundi, & carnis cupiditates spiritualibus, & diuinis bonis præponant, quomodo porcus lutum præfert margaritis. Cum autem sequitur.

Ne forte conculcent eas pedibus suis & conuersi dirumpant vos, &c. Significare voluit dominus duo mala consecutura si diuina, & spiritualia proponantur canibus & porcis. Primum quod illa, quantum in ipsis est prophanabunt, & contaminabunt, deinde quod illorum præbitorem persequentur, calumnijs ipsum impetentes & iniurijs afficientes. Et bene quidem dicitur: Et conuersi dirumpant vos. Primum enim Impij audito sermone veritatis, cognoscentes illum suis affectibus contrarium, sermonem contemnunt, illique detrahunt; deinde vero acuuntur in sermonis auctorem.

Petite, & dabitur vobis, quarite, & inuenietis. Non dixit quid petendum, aut quærendum sit, sed tantum petite, & querite, quia

quia quæ petenda sunt in præcedentibus memorata sunt, & in his ostensum, pro quibus oporteat rogare. Tribus autem his sententijs, vnum & idem significatur: nisi quod congeries sententiarum commendet fidentem, instantem, & ardentem precationem. Nam ipsum petere fiduciam in oratione necessariam significat, quærere vero diligentiam, pulsare ardorem, & perseuerantiam. Quod iam generalibus sententijs Dominus confirmat, subdens.

Omnis enim qui petit, accipit, &c. q. d. Non omnis quidem qui petit ab homine etiam iustissime accipit; nec omnis qui quærit terrenum aliquid, illud inuenit, nec pulsanti ostium domus semper aperitur ab hominibus: verum omnis qui desiderantes petit Patrem cælestem, accipit ab eo quod petit, & qui sedulo quærit ab eo inuenit, & qui assiduis illum precibus pulsat, aperietur ei, hoc est, sine discretione quisquis Deum ex animo diligentes & assiduè precatus fuerit, consequetur omnino, quod petit. Porro generalis illa sententia. Omnis qui petit accipit, sic primum est accipienda, omnis qui petit recta, & rectè, vel qui petit quæ oportet, & quomodo oportet. Rursum cum dicitur: Omnis qui petit accipit, intelligendum accepturum quod petit, nisi magis expediat non accipere. Nam & huiusmodi conditio intelligenda est in omnibus illis sententijs quibus temporale aliquod bonum iustis promittitur.

Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius panem, &c. Generales illas promissiones de exorando Deum confirmat exemplo Patris terreni, vsus scilicet argumento a minori, quo ad orandum cum spe exorandi hortatur, & simul docet, quæ petere Deum oporteat, nempe bona necessaria, vel vtilia. Quo autem efficacius nos certiores redderet de Patris cælestis facilitate, adiecit.

Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris. Non simpliciter a minori argumentans, sed etiam a contrario. Malos autem homines vocat vel comparatione diuinæ bonitatis, respectu cuius humana etiam bonitas quodãmodo malitia est propter magnam dissimilitudinem, vel potius tum quia ad malum omnes propensi sumus ab adolescentia, tum quia nemo inuenitur liber ab omni peccato.

Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, &c. Postquam dominus obiter interuisset de orando Deum sermonem, redit ad id vnde digressus est generali iam sententia concludendo, præcipiens quæ prius diuersis præceperat ad dilectionem proximi pertinentia, qua sententia demonstrat omnium illorum præcedentium præceptorum, quæ pertinent ad dilectionem proximi æquitatem. Nam est hæc sententia iuris naturalis, per seipsa æquissima,

æquissima, vt prius dictum est. Quod autem sequitur:

Hæc est enim lex & Prophetæ, hunc habet sensum: Istud est quod lex Mosaica, & Prophetarum scripta variis præceptis exigunt.

Intrate per angustam portam, &c. Post varia dilectionis proximi, & contemptus rerum huius mundi præcepta, iam deinceps vsque ad finem sermonis adhortatur dominus ad præceptorum horum obseruationem, & acceptationem. Et quidem supra docuit gratia diuina opus esse ad impletionem horum præceptorum, cum orare docuit, hic vero etiam liberi arbitrij, & nostri conatus esse insinuat, vt quæ dicta sunt præstemus, cum nos intrare præcepit per angustam portam: significans conatu & labore opus esse vt angustias portæ superemus. Quanquam autem quidam hic aliud intelligant per portam, & per viam: simplicius tamen fuerit idem per vtrumque intelligere: per portam quidem, & viam angustam, & arctam virtutum operationem, per spatiosam vero & latam viam iniquitatis, hoc est, rationem viuendi iniquè. Potest autem intelligi via virtutis hic vocari arcta, & angusta, quia paucos recipit, & admittit, si fiat comparatio ad numerum eorum, qui ambulant viam iniquitatis, quę ob id etiam spatiosa dicitur. Atque hac ratione vocari hic viam virtutis arctam, sera significare videntur verbi Lucæ quibus dominum dixisse commemorat, Contendite intrare per angustam portam, quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos, &c. Post traditam veræ, & absolutæ pietatis summam, & adhortationem ad ingrediendum viam arctam: commodè nunc subijcitur de vitandis falsis Prophetis, quod hi abducere studeant a vera pietate, & via illa stricta, quæ ducit ad vitam: cum tamen sese profiteantur viæ huius doctores esse & ductores idque callidè simulata quadam sanctimonia præ se ferant à quibus propterea summa vigilantia cauendum esse admonet.

Attendite, hoc est, diligenter, & prouidè cauete vobis à falsis Prophetis, vel, vt habent Græca vnica dictione pseudoprophetis. Hos vocat omnes falsos doctores, qui officium videndi ea, quæ alijs ob sunt manifesta profitentur, siue futura prædicant, siue non. Horum tem falsos doctores pseudoprophetas hic vocat, vel ob id quod hactenus sic vocati erant apud Iudæos, quotquot falsa docerent, & vt huiusmodi appellatione commoneface ret eos malorum illorum quæ Patribus eorum contigerunt per pseudoprophetas. De his ergo omnibus dicit.

Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, ex se scilicet, non missi à Deo. Id enim significat verbum veniunt. Vestimenta verò ouium sunt, quæcunque pertinēt ad externā sanctitatis declarationē, qualia sūt miracula, ieiunia, eleemosyna, oratio, castitas, diuitiarū con-

contemptus, inclamare semper Euangelium, vti sacramentis Ecclesiasticis, & alia quæcunque sanctitatem, & integritatem præ se ferunt.

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces, quia cū sanctitatem & simplicitatem foris ostentent, intus, hoc est in animo & latenter nihil aliud sunt, quam lupis nimirum quia reuera gregem Dominicum, & oues Christi simplices & innocentes dilacerare student. Cæterum quoniam huiusmodi lupi latent, & oues se esse mentiuntur: docet Saluator quomodo dignosci poterunt ab his qui propius eos, & quæ eorum sunt inspexerint.

A fructibus, inquit, *eorum cognoscetis eos*. Hoc est, quantumuis se lupi sibi occultare studeant: tamen facilè deprehendi poterunt ex aliquibus eorum fructibus, quanquam non ex omnibus fructibus. Sunt autem fructus eorum, ex quibus cognosci possunt, duplices, nempe doctrina, & opera. Et quidem ex doctrina eorum non nunquam apertissimè cognoscuntur, videlicet cum manifestè contraria doctrinæ veritatis prædicant. Et de huiusmodi fructu doctrinę videlicet locutum hic etiam dominum, patet ex his, quæ hoc loco subijcit dominus apud Lucam.

Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Alij autem fructus per quos cognosci poterunt, non esse ex Deo, sunt opera exteriora. Nam quantumuis simulent, & dissimulent, tamen alicubi produnt se spiritu diuino esse destitutos, dum si quis vitam, & mores eorū attentius obseruet, reperiet illos sibi placētes, glorię studentes, assentatores, inuidos, maledicos, & obtrectatores, nonnū quam & ventri deditos, & suis temporalibus commodis seruientes, & omnino suum negotium agentes, potius quam veritatis. Itaque si eorum doctrina, & opera exactè perpendantur: aut doctrina condemnabit eorum opera quantumuis in speciem bona, aut opera condemnabunt eorum doctrinam quantumuis in speciem vera.

Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos, &c. Lucas qui sermonem hunc breuiter descripsit, multa etiā hic in medio omisit, & tamen recte per coniunctionē enim hanc similitudinē de arbore bona & mala coniunxit cum eo quod Dominus dixit de hypocritis, hypocrita eijce primum, &c. quia hæc similitudo dicta est à domino contra hypocritas. Nam & pseudoprophetæ, pro quibus dignoscendis hanc similitudinem Matthæus ostendit dominum dixisse, sunt hypocritæ: valetque hæc similitudo ad omnes hypocritas redarguendos & dignoscendos etiam eos qui quasi iussi essent alios volunt docere, cum ipsi sint grauioribus criminibus obnoxij.

Numquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Pro quo Lucas, Neque enim de spinis colligūt ficus, neque de rubo vindemiāt

vuam. Neque curandum vtrum horum dixerit dominus, cum sensus vtriusque idem sit. In specie enim ostendit ex similitudine arborum quomodo pseudoprophetæ & hypocritæ ex fructibus suis cognosci possint. Deinde in genere id ostendit cum dicit: *Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autē arbor malos fructus facit.* Loquitur autem de arboribus fructiferis. Nam alioqui non omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Ne autem putaretur arbor bona bonos simul & malos posse proferre fructus, subiecit per exaggerationem: *Non potest arbor bona malos fructus facere, &c.* Quoniam autem circa applicationem huius parabolæ est nonnulla difficultas: sciendum dominum hic non vocare fructus hominum ea quæ consequuntur ex dictis vel factis ipsorum in alijs hominibus; sed tantum ipsorum dicta, vel facta fructus eorum vocat. Vt exempli gratia: si malus aliquis veritatem prædicet propter quæstum, vel vanam gloriam, auditores tamen ex ea prædicatione ædificentur, ipsa ædificatio non vocatur hic fructus ipsius mali, sed ipsa prædicatio veritatis: quæ quamuis vtilis sit audientibus, & in sese bona, tamen quatenus à malo homine mala intentione procedit, malus est fructus malæ arboris. Quod ergo dicit dominus homines non colligere vuas de spinis, non voluit significare homines nihil boni sibi colligere ab impijs hominibus: sed ideo dixit homines nō colligere vuas de spinis, quia spinæ non proferunt de se vuas; quēadmodū patet ex eo quod sequitur: Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, proinde significare tātum voluit illa sententia malos nō producere fructus bonos, quamuis ex malis illorum fructibus quidam nouerint sibi fructus bonos colligere. Aduertendum autem quod inter arborē, & hominē, qui hic per similitudinē arboris parabolicè designatur, quāuis multa sit similitudo, multa tamen etiā est dissimilitudo. [Itaq; quæ dominus dicit ad literā de arbore bona vel mala, non debent in applicatione parabolæ omnia eodē modo hominibus accōmodari. Nō enim cū dicit: Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, &c. &: Nō potest arbor bona malos fructus facere, &c. Per arborem significat hominē metaphoricè, sed parabolicè. Hoc est ad literā loquitur quidē de vera arbore, sed vult vt simile quid intelligamus de homine, quale experimur in arbore. In parabolarum autē applicatione non oportet in hoc studere, vt quæcunque rei tribuuntur, vnde sumitur in parabola exēplumiēde eodem modo rei adaptētur, & cōueniant propter quā parabola assumpta est.] Itaque per hoc quod dicit dominus, Non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere, &c. quod simpliciter, & absolutè verum est de arboribus vere, de quibus ad literam est sermo; non est intelligendum dominū voluisse significare, ita etiam hominem bonum nūquam facere, aut nō posse facere malos fructus; malū quoque nunquā facere, aut nō posse

posse facere bonos fructus: sed tantùm significare voluisse non posse fieri, vt hominis boni fructus omnes, vel plures, & potiores sint mali; sed cōtra potius debere eius fructus omnes vel plures, & potiores esse bonos. Et similiter nō posse fieri, quin hominis mali omnes vel plures & potiores fructus sint malitia vt facilē sit, saltē ex quibusdam fructibus eius dignoscere falsitatem, & malitiā eius, quantumuis eam conetur tegere multis virtutum speciebus. Hunc enim esse sensum à domino intentum patet ex eo, quod posita similitudine arborum infert. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Certum est enim eum non velle ex singulis fructibus posse discerni pseudoprophetas, sicut ex singulis fructibus potest cognosci arbor: cum veniant in vestimentis ouium per quæ dignosci non possunt. Deinde idem satis patet ex eo, quod dominus explicans parabolam apud Lucam dicit: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum &c. Non enim vult quod solū profert bonum. Aliquando enim ex eo malo quod ei adiacet, profert malum: verum cum thesaurus cordis eius bonus sit, hoc est, plenū sit cor eius sapientia, & virtute: fieri nō potest quin saltē potiores & plures eius sermones sint boni. Sic malus nō semper profert mala ex malo thesauro cordis sui, sed aliquando ex adiacente sibi adhuc bono, aut ex thesauro scripturarum profert bona: fieri tamen non potest, quin frequenter è plenitudine deprauati cordis loquatur mala, & peruersa, quia vbi plurimum os loquitur ex abundantia cordis. Bene ergo concludit dominus: Igitur ex fructibus eorū cognoscetis eos. Ex qua tamen sententia non cōsequitur, omnes eos doctores esse pseudopropheras, quorum fructus sunt mali. Omnes enim quorum fructus sunt mali, ex hoc ipso deprehenduntur, esse mali, sed falsi doctores tunc esse, deprehenduntur, cum hi qui nouam aliquam doctrinam adferunt, iactant eam proficisci à spiritu, aut se afflatos spiritu eam proferre: doctrina tamen eorum & vita inuenitur veritati, & virtuti esse contraria, ac proinde non profecta à Spiritu sancto. Ex falsitate enim quæ inuenitur in eorum doctrina cum scripturis pugnante, deprehenduntur falsi doctores, & tursum ex mala vita cognoscuntur non esse afflati spiritu, quemadmodum gloriantur. Non enim hic à domino datur signum ex quo dignosci possunt omnes veri doctores, sed tantum quo Prophetæ possunt dignosci veri sint an falsi, hoc est, qui se venditant spiritu sancto afflatos, ex quo noua quædam, & inaudita profe-

Falsi doctores quo modo deprehendā tur.

nunt. Quoniam autem dominus pro dignoscendis pseudoprophetis induxerat similitudinem arboris bonæ, & malæ: obiter etiam adijcit eam sententiam, qua prius vsus fuit Ioannes Baptista. Omnis arbor, quę non facit fructum bonum, &c. Qua sententia simul consolari voluit eos, qui à malis arboribus diuexantur, & exterrere eos, qui malis arboribus sunt similes.

Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Iam concluſurus ſermonem docet non ſatis eſſe credere in ipſum, & audire verba ipſius ſed ad ſalutem neceſſarium eſſe, vt quis audita opere præſtet. Quid autem, inquit, vocatis me domine, domine, &c. Eſt autem hæc geminatio ex proprietate ſermonis Hebraici, qui quod exaggerat, congeminatione auget: ſicut in Pſalmis frequenter hæc geminatio reperitur affectus vehementiam ſignificans. Porro quod apud Matthæum dicitur, *Qui facit voluntatem Patris mei.* Lucas vero dicit: *Et non facitis quæ dico*, manifeſte ſignificat vnam, eandemque eſſe Patris & filij voluntatem, & Patris verba eſſe, quæ Filius dicit. Voluntas autem Patris, quam facere debet ingreſſurus in regnum cælorum, in duobus conſiſtit, nempe in fide filij Dei, & dilectione, quæ non poteſt eſſe ſine obſeruatione externa mandatorum Dei. Cum autem dixiſſet, non omnem credentem ingreſſurum regnum cælorum, niſi & vitam condignam habere curaueritsid declarat per aliud quoddam mirabilius, quod addit, dicens: neque eos, qui ſigna ædunt, eo regno dignos futuros, niſi vita correſpondeat fidei.

Multi, inquit, *dicent mihi in illa die*, nempe iudicij, quo reuelabitur regnum cælorum. Hunc enim diem, quia cognitum, & ab omnibus expectatum vocauit illam diē, niſi forte aliquid à Matthæo omiſſum eſt in quo mentio facta fuit diei iudicij. Prophetare autem quamuis hoc loco accipi poſſet propriè, pro eo quod eſt futura prædicere: rectius tamen accipitur generalius, quemadmodum apud Paulum pro eo quod eſt, diſſerere ex afflatu ſpiritus de myſterijs Dei; quomodo propheriā explicare videtur Paulus. Cor. 13. Quod autem hic dicitur *in nomine tuo*, hic accipitur pro eo quod eſt, per virtutem tuam, & numen tuum; niſi quod cum additur verbo prophetauimus, videatur rectius debere exponi, pro eo quod eſt, ex authoritate, & commiſſione tua. Notandum autem quod dicturum ſe dicit dominus malis Chriſtianis, *nunquam noui vos*, hoc eſt, inter meos non agnoui nec approbaui. Notandum enim quod dicit nunquam, hoc eſt, ne tunc quidem vos noui, cum miracula in meo nomine faceretis, & meam cauſam agere videremini. Quod poteſt intelligi dominus dixiſſe de his, qui ſemper fuerāt mali, nec vnquam Deum ex corde dilexerunt; qualem quidā fuiſſe Iudam proditorem exiſtimant: vt ideo intelligatur dominus addidiſſe nunquam quo ſignificaret eos de quibus loquitur, non ideo damnari quia poſt miracula facti ſunt iniqui, ſed etiam quia iniqui erant cum miracula facerent, & prophetarent. Aut ſi intelligitur etiam de illis dictum, qui cum aliquando eſſent boni excidērunt ab illa bonitate, vt omnibus impijs in die iudicij inuenientibus conueniat illud; Nunquam noui vos; dicendum ipſum loqui de nouitia abſolutæ prædeſtinationis. Cæterum non otioſum eſt quod dicit Saluator; *Tunc confitebor illis*. Nam, vt annotauit Hieron. dicit tunc, quia multo tempore ante dicere diſſimulauerat. Quod autē ſequitur,

Propheta vt.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Deſumptum omnino videtur ex Pſal. 7. vbi eadem verba, quamuis ex perſona Dauidis ſequuntur, & conueniunt iſta cū iis verbis, quæ infra Matt. 25. ſe dicturum impijs pronūciat: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Non dicit autem, qui operati eſtis iniquitatem, ne, vt annotauit Hieronymus, videretur tollere pœnitentiam: ſed, qui operamini iniquitatem, non ob peccata, quæ tempore iudicij peragēt, quorum facultas eis erit adempta, ſed vel ob affectum peccandi, qui tum in eis reperietur, vt vult D. Hieronymus, vel potius quia in hac vita toti addicti fuerunt peccatis. Vnde Luc. 13. vbi eadem habetur ſententia eſt ἐργαται ἀδικίας, id eſt, operatij iniquitatis.

Omnis ergo qui venit ad me, & audit verba, &c. Hæc ſimilitudo ad literam ſatis aperta poteſt variè propoſito Saluatoris applicari. Primò enim ſimpliciter intelligi poteſt eum, qui audit Chriſtum, & facit præcepta eius, ſimilem dici viro prudenti ædificanti domum ſuam in profundo ſuper petram, &c. quia talis prudenter ſibi proſpicit, & ſpe nititur firma, non commouendus, vnquam neque in præſenti ſeculo, neque in futuro. Eum verò qui audit quidem & credit, ſed non facit præcepta Chriſti aſſimulari viro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſine fundamento ſuper arenam &c. quia talis etiam ſtultè agit, & malè ſibi proſpicit, nitens fundamento vano, nempe fide, & præceptorum diuinorum auditione, vnde ſit ſubuertendus vel tentationibus huius vitæ, vel ſaltem condemnatione extremi iudicij. Secundum quam explicationem nō erit ſigillatim exquirendum quid domus, petra, arena, imber, flumina venti ſignificent; quæ non eſſe curioſius explicanda in hac parabola, ſicut nec in alijs parabolis ſingula accommodanda ſunt, vel illud ſatis docet, quod Lucas pluuiæ, & ventorum, & arenæ non facit mentionem, ſicut nec Matthæus foſſionis in profundum. [Poteſt tamen ſecundo ſimilitudo iſta ſic applicari, vt plurima ipſius particulariter accommodentur, videlicet vt ideo qui audit, & facit, aſſimuletur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, quia & ipſe ſuam conuerſationem, & vitæ inſtitutum, quod non in vna operatione, ſed in conſtructione vniuerſæ vitæ conſiſtit, fundat ſuper ſolidum fundamentum, nempe ſuper obſeruationem doctrinæ Chriſti Euangelicæ, fodiens prius in altum, hoc eſt intimè, & in profundo cordis Chriſti doctrinam recipiens, & illius profunditatem in ſpiritu perſcrutans. Proinde cum deſcendens pluuia, & flauerint venti, & flumina inundauerint, hoc eſt omnis generis tentationes illi vel à carne, vel à mundo, vel à diabolo

Universidad de Deusto
Biblioteca

obuenerint, non subuerteretur conuersatio eius, eo quod nitatur firmo fundamento. Sed nec per horridam illam nouissimi diei tempestatem deijcietur, sed immobilis persistet ob fundamenti cui innititur firmitatem. Qui vero audit, & non facit, similis est stulto qui ædificauit domum sine fundamento super terram, quia talis suam conuersationem & vitæ institutum fundat super auditione diuinæ doctrinæ, & fidem suam mortuam, vnde ad tempus eius conuersatio habet aliquid decoris, & apparentis stabilitatis. Verum cum ingruerint tentationes huius vitæ, tum demum à fide, cui innitebatur, facile talis deijcietur. Et cum descendet cælo horrida illa nouissimi iudicij tempestas, tum declarabitur, quàm non firmo nixus sit fundamento, quod illum tunc à ruina protegere non poterit.] Considerandum autem quia cum dixit. Qui audit verba mea hæc, &c. Satis significauit istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita formatur, esse perfectum: quem vt adimplere possimus, eius nobis sequendum consilium, qui in eodem sermone dixit, Petite, & accipietis. Porro quod apud Matthæum sequitur de admiratione turbarum, & potestate, hoc est autoritate Domini in docendo, dictum est circa verba Marci. in capite Concordiæ 27.

C7.
C5.
† a. veniès
▷ c. lepro sus.
‖ b. deprecans eum dicit ei.
† f. Et extendens.
e. Iesus.

Curatur leprosus. Matth. 8. Marci 1. Luc. 5.

CAPVT XLIIII.

CVM autem a descendisset de monte [&] c implesset omnia verba sua in aures plebis d secutæ sunt eum turbæ multæ. e Et factum est cum esset in vna ciuitatum b & f ecce † a venit ad eum ▷ b vir plenus lepra. c & videns Iesum. b & b genu flexo c procidens in faciem suam d adorabat eum [&] ‖ b rogauit eum b dicens: f Domine, si vis, f manu te potes me mundare. b Iesus autem misertus eius † b extendit manum suam & tangens eum, ait illi: Volo, mundare. Et b cum dixisset † d statim discessit ab eo lepra. b & mundatus est. Et comminatus est ei, statimq; eiecit illum. c & ipse præcepit ei vt nemini diceret. ▷ c Et ait illi b Iesus Vide nemini dixeris. d sed vade ostende te ‖ sacerdoti. & offer † e pro emundatione tua † d munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis. b Et egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem. e Perambulabat autem magis sermo de illo. b ita vt iam non posset manifestè in ciuitatem, sed foris in desertis locis esse. b Et conuenibant b ad eum vndique e turbæ multæ vt audirent & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum & orabat.

† a. Et factū est
† b. Qua. c. fieri

Cum autem descendisset de monte, &c. Sensus est, Cum descendisset dominus de monte, & deinde sermone hunc præsente turba ha-

ba habuisset, ac illo cōpleto alio migrare vellet, secutæ sunt eum turbæ multæ, nempe illę, quæ prædicantem audierant, & miracula facientem viderant, & aliæ quæ fama nominis eius excitatæ cōfluebant. Quod autem scribit Lucas dominum postquam implesset omnia verba sua in aures plæbis intrasse Capharnaum, non potest intelligi statim intrasse: cum oporteat ex Mat. intelligere priùs contigisse curationem leprosi quam Marcus, & Lucas quoque narrant, sed alio loco.

Et factum est cum esset in vna ciuitatum. Ex luca constat miraculum hoc non contigisse omnino statim ab habito sermone in pede montis, vbi quidam putant leprosum expectasse descensurum Dominum. Lucas enim in vna ciuitatum contigisse aperte dicit. Nec obstat quod secundum legem leprosi excludebantur ab vrbibus, vt patet Leuit. 13. Nam lex exclusionis quantum ad habitationem intelligenda est: nec tam artè excludebantur ab vrbibus leprosi, quin per modum transitus via publica incedere potuerint, sicut etiam iam apud nos illis permittitur. Quod autem hic Leprosus, quem pro exaggeratione miraculi Lucas plenum Lepra fuisse dicit, dicitur à Matthæo adorasse dominum, quomodo sit intelligendum patet ex Marco & Luca. Nam Marcus quidem dicit γονυπετῶν αὐτὸν, id est, accidens ei ad genua, vel vt nos habemus genu flexo. Lucas vero κύπτων ἐπὶ πρόσωπον, id est, procidēs in faciē. Hæc enim propriè significat verbū adorare, vt dictum est circa cap. Matth. 4. Non ergo adorasse dicitur, quia ipsum vt Deum agnoscebat, & præcabatur, sed propter exteriorem illam venerationem, quam per corporis inclinationem, & prostrationem exhibebat ei quamuis certum sit magnificam ipsum de domino habuisse opinionem, vt patet ex verbis quibus ipsum rogabat. Dicebat enim *si vis potes me mundare*, agnoscens potestatē curandi in ipsius voluntate consistere, & proinde proculdubio credens ipsum Christum esse Dei filium.

Iesus autem misertus eius extendit manum suam Bene certè adiecit Marcus Iesus misertus eius, non enim ad ostentationē sui ipsius curauit leprosum dominus, sed quod misericordię affectu motus ad eum conuerteretur in ipsum. Quod autem contactu hunc sanauit, & non solo verbo, primum quidem factum est propter generales illas rationes supertus positas, ob quas frequenter legitur dominus cōrigisse morbidos, quos sanauit, videlicet vt ostenderetur benigna eius tum ratio, & saluifica virtus carnis eius, à qua etiam nobis omnis spiritualis sanitas est expectanda. Secundo vero hic speciali ratione leprosum tangendo sanat, vt ostendat se supra legem esse, quæ vetuit leprosos contingere, ne ex eis quis pollueretur. Præterea hac ratione factū est, vt curatio huius leprosi à maleuolis, & inuidis gloriæ Christi non posset alteri alicui causæ ascribi. Contingēdo

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem leprosum simul etiã dixit dominus, *Volo mundare, &c.* Quibus verbis magnam humilitatem præ se ferentibus, confirmauit fidem leprosi credentis potentiam curandi in sola voluntate consistere, pulchrè respondens illius verbis. Quoniam enim ille dixit: Si vis dicit; volo, & quoniam dixit, potes me mundare, adijcit imperatiuè *mundare*. Porro cur dominus præceperit leproso ne cui diceret, & quod non obstante huiusmodi præcepto rectè fecerit curatus leprosus prædicando miraculum superius dictum est: rãtum restat videre cur ad sacerdotem mittit à se curatum, & quid sit illud *in testimonii illis*. Itaque ad sacerdotem mittit, & vt habet Marcus, principem Sacerdotum (nam verisimile est hunc solum solennem sibi purificandi leprosi ritum reseruasse, vt ostendat se legis esse obseruatorem, nec haberent iustam Pharisæi & Sacerdotes occasionem criminandi illum, tanquam legis preuaricatorẽ. Deinde vt mundatus leprosus non prohiberetur consortio hominum à sacerdotibus. Præterea vt videntes Sacerdotes leprosum domini beneficio curatum, si quidem crederent, saltarentur, si vero non crederẽt, inexcusabiles fierent. Quas rationes intelligunt plerique designari in illo quod additur, in testimonium illis, cõiungentes hãc partem cum verbo offer. Potest tamen hæc pars rectè intelligi coniungi cum verbo præcepit, in hoc sensu. Moyses præcepit in testimonium illis, hoc est, vt esset illis in legem, & statutum. Siquidẽ legem μαρτύριον & testimonium vocari, vel ex Psal. 118. abundè liquet. Itaque sensus erit: Etsi verè mundus sis, volo tamen vt quæ Moyses ex iussu Dei sacerdotibus & toti populo in testimonium & legem statuit, sancta habeas: itaque abi ad sacerdotem & offer munus tuum, vnde illi partem suam habeant, vt neque authoritatis, neque commodi ex meo beneficio iactura faciant, nec me culpent tanquã legis transgressorem, & te veluti immundum abijciant. Quod autem habent Marcus & Lucas *offer pro emundatione tua*, dupliciter potest intelligi. Primum vt sit sensus, offer in gratiarum actionem pro emundatione tua per me tibi exhibita. Secũdo vt sit sensus, pro emundatione tua legali, qua leprosi curati adhuc mundari debebant, & expiari quibusdam sacrificijs, priusquã cum mundis habitare, & conuersari possent. Videtur autem quod hic dicitur a Marco, & Luca de emundatione, posteriori modo potius debere accipi, eo quod planè alludere videantur ad locum Leuitici. Vbi ritus mundationis leprosi describitur. Illic autem frequenter dicitur Sacrificia illa offerri pro purificatione, aut mundatione leprosi & aperte quidem illud, eodem modo quo dicitur hic, pro emundatione tua, dicitur de paupere cui præcipitur vt pro agno, & oue offerat duos turtures, aut duos pullos columbæ. Nam vbi nos legimus: Offeret ea die octauo purificationis suæ, Hebræa habent. Et offeret ea in die octauo pro mundatione sua.

Perambulabat autem magis sermo de illo. Quoniam ex prædicatione huius leprosi fama nominis Christi adeo inclaruit, hæc videri potest ratio, quare Marcus & Lucas in principio miraculorũ Christi istud miraculum non suo loco descripserunt. Quod autem dicitur. *Vt iam non posset manifestè introire in ciuitatem*, intelligendum quomodo voluit aut solitus fuit, sine scilicet turbarum concursu & affluentia. In eo vero quod sequitur, *sed foris in desertis esse*. Subintelligi debet, cogeretur. Porro de secessu Christi in desertum, & oratione eius, dictum est circa cap. Conc. 28.

Sanatur seruus Centurionis. Mat. 8. Luc. 7.

CAPVT XLV.

[T] * *intrauit Capharnaum. Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat morituru: qui illi erat pretiosus.* ª *Cùm autem introisset Capharnaum,* ᵇ *& cùm audisset de Iesu,* ª *accessit ad eum Centurio.* ª *Misit ad eum seniores Iudæorum,* ᶠ *rogans eum* ᵇ *vt veniret & saluaret seruum eius,* ª *& dicens: Domine, puer meus iacet in domo paraliticus, & malè torquetur.* ᵇ *At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè, dicentes ei: Quia dignus est,* † *vt hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.* ª *Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum.* ª *Iesus autẽ ibat cum illis. Et cùm iam non longè esset a domo, misit ad eum Centurio amicos,* ª *& respondens Centurio* † ᶠ *ait: Domine,* ª *noli vexari.* ᶠ *Nõ enim* ᶠ *sum dignus vt intres sub tectum meum.* ᶜ *Propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te* ᶠ *sed* ª *tantùm* ᶠ *dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate* ᶜ *constitutus* ᶠ *habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alio veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* ▷ *Audiens autem* † *Iesus, miratus est* ᵇ *& conuersus* ᶠ *sequentibus se* ᵇ *turbis* ᶠ *dixit: Amen dico vobis,* † *nec in Israel tantam fidem inueni,* ª ‖ *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.*] *Et dixit Iesus Centurioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.* ᵇ *Et reuersi, qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum, qui languerat, sanum.*

* *non* † *audito* ▷ *Quo* † *inuenit tãtam fidẽ in Israël* † C. 13. 29

Et intrauit Capharnaum Centurionis autem cuiusdam seruus, &c. Animaduertendum hic imprimis quam variæ fuerint, & eximiæ virtutes huius Centurionis, quæ hic nobis in exemplum proponũtur. Primũ enim in eo notãtur dilectio & eximia quædam humanitas, quia seruum adeo charum habuit maloque eius fuit tantopere motus, ac pro eius sanitate adeo solicitus. Videtur autem hic ser-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uus fuisse domino suo admodum fidelis, & vtilis, & ob id singulariter de eo dictum quia erat ei *τιμιος*, hoc est, prætiosus, vel potius charus, aut in pretio habitus. Secundo notatur in eo humillima quædam submissio, & modestia. Et humilitas quidem, quod neque adire ipse dominum, neque eum in suas ædes admittere fuerit ausus; agnoscens sese indignum domini consortio, tum quia gentilis erat, tum quia miles. Modestia vero quod primis illis verbis, quibus dominum dicitur rogasse, tantum malum suum, & serui sui proponit dicens: *Domine puer meus iacet in domo, &c.* Non explicitè addens, quid à domino petat. Tertio in eo notatur incomparabilis fides, quod non dubitarit dominum etiam absentem posse solo verbo restituere sanitatem seruo quàmlibet vicino morti, imò iam animam agenti: hoc enim significatur, dum dicitur, Erat enim morituus, &c. Postremum notatur in eo admiranda quædam in gentili, & militè religio erga Deum, non ab hęri, & nudiustertius, sed ab antiquo tempore, eo quod dicatur diligere gentem Iudaicam, & Synagogam ædificasse Iudæis, vt non possit putari religione accensum tum primum fuisse, cum malo serui, quem amabat afflictaretur, quemadmodum multis vsuenire solet. Vt autem his omnibus dores huius Centurionis obseruantur; ita rursum obseruandum ingenium Iudaicum, in his, qui missi à Centurione, sollicitè dominũ rogabant pro illo dicentes: *Dignus est vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, &c.* His enim verbis declarant arrogantiam quandam, & amorem potius sui, quàm Dei. Dicendum enim potius fuerat, Timet Deum, quem & tu colis, quod amore, & studio gentis, & religionis nostræ declarauit. Nunc vero beneficium in ipsos collatum, dignum facere dicunt Centurionem, cui præstetur, quod petit: amorem sui declarantes, & arrogantiam; quasi qui illis benefecerit, dignus esset, cui Deus benefaciat. Verum ante omnia hic Christi exemplum propter quẽ hæc omnia scripta sunt, perpendendum incomparabilis scilicet bonitatis, & humilitatis. Etsi enim Ethnicus esset, cuius negotiũ agebatur, & pro humili seruulo rogaretur, & essent legati non satis apti oratores, præsertim apud Christum, vt oratio ipsorum satis probat: tamen illico non tantum sanitatem exorari passus est, sed & inuiseri Ethnice seruulum volebat, idque sine mora. Nam ita scribit Lucas; *Iesus autem ibat cũ illis. Domine noli vexari. Non enim sum dignus, &c.* His verbis Centurio declarabat & modestiam opinionis de seipso, & incredibilem fidem de Iesu, & magnum affectum erga seruum suum. Quod autem dicit; *dic verbo*, Hebraica phrasi idem est, quod impera. Porro ex seipso coniecturam fecit Centurio posse dominum solo verbo absentem sanare dicens. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus.* Quæ para testè accipietur vt per eam intelligatur Centurio significare voluisse dissimili-

militudinem suæ dignitatis & potentiæ, ad dignitatem, & potentiam Christi, vt indicetur hic argumentum à minori. Iam quod sequitur; *habens sub me milites, & dico huic vade, &c.* Rectius intelligetur simpliciter significare, solo verbo, & iussu Dominum posse, quæ vellet, cum ipsius verbum tam esset efficax: qui tamen longe erat illo dignitate, & potentia inferior. Ex quibus verbis manifestum est Centurionem afflatu diuino credidisse Christum verum esse Deum, aut saltem habere potestatem homine maiorem, & omni creatura superiorem, cui resistere nihil posset.

Audiens autem Iesus miratus est, &c. Fuit etiam in Christo interior quædam admiratio, non ex ea parte, qua omnia ei erant cognita, sed ex ea parte, qua experimentali notitia hactenus ei incognita fuerat tam noua, & insolita fides Centurionis. Potissimum tamen ideo videtur dici fuisse admiratus, quia in modum admirantis vultum suum composuit. Quod autem subijcit dominus.

Nec in Israël tantam fidem inueni, Emphasim habet propter dictionem; Nec dicere enim voluit, ne in populo quidem Israëlitico, qui Prophetarum libris, & suis doctrinis edoctus meritò in fide præcellere debuisset, tantam se reperisse fidem, quantam in homine isto gentili. Quod tamen intelligendum est cum subintellectione, videlicet à tempore prædicationis meæ, propter fidem Patriarcharum, Prophetarum, Ioannis Baptistæ, & D. Virginis. Nisi quis velit intelligere; Non inueni in Israël tantam fidem in proportione, &c. Verum prior intelligentia est simplicior.

Dico autẽ vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, &c. Quoniam hæc Centurionis fides excellens omnium Iudæorum fidem, præludium, & specimen quoddam fuit fidei gentium: Christus huius fidei occasione incipit differere de gentium vocatione, & Iudæorum reiectione. Per eos autẽ quos dicit venturos ab Oriẽte, & Occidente, significat gentes credituras ex omnibus etiã extremis terræ partibus, quemadmodum apertè vaticinatur Isaias cap. 43. Porro dominus suo more etiam hic gaudia regni cælestis significat per Conuiuium, dum dicit.

Recumbent cum Abraham, &c. Significare volẽs eos perfruitores in summa quiete, & securitate gaudijs regni cælestis. Abraham autem Isaac, & Iacob mentionem facit, tum quod his primis legantur factæ promissiones regni, sub typo terræ promissionis, tum quod his Patriarchis Iudæi gloriabantur, reliquas Gentes præ se contemnentes, quod ex illis non essent prognatæ quas, quo magis morderet & commoueret Iudæorum animos, docet contrà Patriarchis coniungendas, ipsos vero ab illis separãdos. Quos Iudęos

vocat

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocat Filios regni; quod nati essent ex ijs, quibus, & quorum semini fuit regnum peculiariter promissum. De tenebris autem exteriorib⁹ varia est sententia. Simplicius autem fuerit comparatiuum exteriores accipere pro superlatiuo, quemadmodum Græcis familiare est: vt tenebræ exteriores intelligantur tenebræ extremæ, vel potius extimæ. Nam Græcis est ἐξώτεραι. Sunt autem tenebræ extremæ vel potius extimæ, quæ ab ipsa luce quam longissimè absunt, hoc est, tenebrę obscurissimæ, & profundissimę. Dicuntur ergo tenebræ damnatorum exteriores, vel extremæ, in comparatione ad tenebras huius sæculi siue spirituales siue corporales, vel certè in comparatione ad tenebras purgandorum. Porro tenebræ istæ exteriores non solum intelligendæ sunt tenebræ sensibilis lucis priuatiuæ, sed sicut lux regni cælorũ intelligenda est & sensibilis, & spiritualis: ita tenebræ istæ infernales intelligendæ sunt & sensibiles, & spirituales. Nam & ibi erit summa obscuritas oculis corporalibus perceptibilis, & summa mentis cœcitas mente scilicet à vera luce quę Deus est maximè elongata. Nec obstat quod in Inferno erit ignis corporalis, qui naturaliter est lucidus. Nam Basilio teste, illuminandi vis ab igne illo auferetur. Quod si autem in inferno aliquid luminis futurum sit, quantum hoc conuenier pro augmento pœnę dãnatorum: dicuntur tamen tenebrę eius extremæ, quia maximè elongatę à lucæ regni cęlorum. Ne autem in tenebras exteriores proiecti putarentur hoc solo puniendi, quod in loco tenebroso concludentur, quo atrocitatem pœnę dominus significaret, quam in tenebris sunt perpessuri, adiecit.

Tenebræ Exteriores.

Ibi erit fletus, & stridor dentium, quæ sententia sępius à Matthęo repetita varie intelligitur a veteribus verum simplicius fuerit intelligere dominum doctrinam suam auditorum carnaliũ captui accommodantem, per fletum, & stridorem voluisse significare dolorem & horrorem summum. Dolorem quidem per fletum, horrorem vero per stridorem, & concussionem dentium. [Nisi quod simul etiam intelligendum est, vt annotat Hieronymus, significari veram corporum resurrectionem. Nam fletus & stridor corporum sunt: quamuis ibi non erit verus fletus, qui in lachrymarum resolutione consistit, poterit tamen esse verus dentium stridor.]

Fletus & stridor dentium qualis in Inferno.

Et dixit Iesus Centurioni, vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Sic & alijs plerisque respondit dominus, volens notare fidei vim, & efficaciam apud Deum.

Resuscitatur filius viduæ. Luc. 7.

CAPVT XLVI.

ET factum est deinceps, ibat Iesus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matri suæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus misericordia motus super eã, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. His autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescẽs, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illũ matri suæ. Accepit autẽ omnis timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem.

Et factum est deinceps, Iesus ibat in ciuitatem quæ vocatur Naim. Naim ciuitas Galileæ, non longe à Capharnaum, duobus milliaribus distans à monte Thabor contra meridiem teste Hieronymo in libro de locis Hebraicis, vbi & suo sęculo perstitisse adhuc ciuitatem hanc scribit. Igitur dominus, qui circuibat ciuitates, & castella, quo latius spargeret semen Euangelicæ doctrinæ, & sanaret languidos multorum e Capharnaum ciuitate, in qua potissimũ residebat & habitabat, ibat aliquado in proximam ciuitatem hanc Naim volens etiam hanc, quamuis humilem, & obscuram præsentia sua, doctrina, & miraculis illustrare. Diuina autem prouidentia factum, vt & dominum concomitarentur discipuli multi, & turba copiosa, & viduę quoq; cui dominus occursurus esset multa adesset turba: vt miraculum in medio tot barum duarũ gestum, multos haberet testes, qui illud in Dei gloriam vbique diuulgarent. Quod autem ex portis ciuitatis efferebatur defunctus sepeliẽdus hunc fuit, quod apud Iudæos, mortui non sepelirentur in ciuitatibus sed foris in agris, & montibus, vt dictum est circa cap. Concord. 31. Bene autem iustam miraculi faciendi occasionem, imo necessitatem indicat Euangelista cum quam flebile esset funus domino obuians describit. Flebile enim erat triplici de causa. Primũ, quod adolescens esset mortuus in ipso flore vitæ ereptus. Deinde quod filius viduæ, quæ filij præsentia sese consolabatur de morte mariti. Postremum quod vnicus esset filius, & quod maius est, vnigenitus: Græca enim habent μονογενὴς. Itaque fieri non potuit quin casu tam miserando, & iustissimis fletibus viduæ moueretur misericordissimus dominus, cuius occursus, & obtutus semper fœlix est, & fastus. Occurrens ergo viduæ, eamque flentem videns, miseretus est eius, & qui viduarum maximè curam gerit, sese illi, quæ consolatorem non habuit, consolatorem efficacem præbuit: & verbis, & re opitulans. Quique fere fide quorundam & precibus ad miraculum commoueri solet: hic iam sola misericordia

mouetur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mouetur, quemadmodum & in curatione paralytici in probatica. Primum ergo verbis eam consolatur dicens, *Mulier, noli flere.* Non enim deflenda erat mors eius, qui mox maiori cum gloria, & lætitia matris erat victurus. Deinde, quoniam exiguæ, aut vanæ est misericordiæ verbis tantum consolari, cui possis re & opere subuenire, ne vana esset eius consolatio, accessit, *Et tetigit loculum,* in quo efferebatur defunctus repositus Christo autem tangente loculum, ilico funeris, portitores restiterunt, domini authoritatem vel prius cognitam habentes, vel iam ex turba ipsum sequente cognoscentes. Iesus autem versus ad adolescentem exanimem, qui vocare potest ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, cum imperij authoritate dixit. *Adolescens tibi dico surge.* Qua in re incomparabilẽ sane potentiam suam, & plane æqualem Patri demonstrauit, & simplici contactu & imperio mortuum ad vitam reuocauit: omnino declarans se verum Deum esse, apud quem solum est imperium vitæ, ac mortis. Itaque adolescens ad vocem domini ilico, velut excitatus à somno, resedit in loculo, quo que certius esset vitæ redditæ argumentum, cœpit loqui, sermone nõ solum vitam, sed etiam vigorem animi declarans. Quumque iam adolescens à loculo exiliisset, ac, vt est veri simile Iesu adherens, per quem intelligebat sibi vitam esse restitutam, gratias ageret, non illum sibi tetinuit, quemadmodum inte potuisset, vt qui vitam iam donauerat, quã à matre non acceperat, sed *reddidit illum suæ matri,* vt cuius iam non erat nisi benignitate domini illi fuisset nouo dono datus. Porro ex conspecto miraculo tria in præsentibus turbis consecuta narrat Euangelista: nempe primo timorem, non quo sibi male à domino metuerent, sed qualis nasci solet ex stupore magno, dum noua aliqua, & insolita res accidere videtur. Deinde glorificationem Dei, *magnificabant, inquit, Deum,* hoc est, glorificabant (nam Græce est δοξάζον) dicentes.

Propheta magnus surrexit in nobis, &c. Dicunt autem magnus, vel quia ex miraculi magnitudine videbant eum alijs Prophetis potentiorem, vel quia intelligebant eum esse illum Prophetam à Moyse promissum Deut. 18. Hoc est, esse Messiam expectatum. Dicunt. *Deus visitauit plebem suam,* hoc est, curam se plebis suæ habere iam declarauit, cum nullos longo tempore nobis mittens Prophetas, visus sit nostri oblitus, nec singularem nostri rationem habere. Postremum narrat Euangelista & tertium quod ex conspecto miraculo consecutum est, nimirum quod, *exierit hic sermo,* hoc est, rumor miraculi huius, vel hic sermo, hoc est, Hebraica phrasi, hoc factum in *vniuersam Iudæam.* Vbi nomen Iudææ generaliter videtur accipiendum vt scilicet etiam Galilæam comprehendat, in qua erat ciuitas Naim.

Mittit

Mittit Ioannes é carcere discipulos. Matt. 11. Luc. 7.

CAPVT XLVII.

[O] †ª T nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. ª Et conuocat duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum [dicens] ª mittens duos de discipulis suis, ait illi, ª dicens: ᶠ Tu es qui venturus es, an alium expectamus? ᶠ Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à languoribus suis, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. ᶠ Et respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis. ª Quia ᶠ cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Et cùm discessissent nuntij Ioannis, cœpit ª Iesus ᶠ dicere ad turbas de Ioanne. Quid existis in desertũ videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus ª vestimentis † ᶠ indutum? Ecce qui ▷ in veste pretiosa & delitijs, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? Vtique dico vobis & plusquam prophetam. Hic est ª enim ᶠ de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. † Amẽ dico vobis, ▷ non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autẽ minor est in regno † cœlorum maior est illo. ‖ ª A diebus autem Ioannis Baptistæ vsq; nunc regnũ cœlorũ vim patitur, & violenti rapiũt illud. Omnes enim prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerũt.] Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est. Qui habet aures audiẽdi, audiat. ª Et omnis populus audiens & publicani, iustificauerũt Deũ, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autẽ & legisperiti consiliũ Dei spreuerũt in semetipsos, nõ baptizati ab eo. Ait autẽ Dominus: ᶠ Cui ▷ ergo similes dicam homines generationis huius? ª & cui similes sunt? ‖ ᶠ Similes sunt pueris sedentibus in foro, † qui clamantes cœqualibus suis dicunt: Cantauimus vobis ª tibijs, ᶠ et nõ saltastis: lamẽtauimus, & nõ ploraſtis. Venit ▷ enim Ioannes ª Baptista ᶠ neque manducãs ª panẽ ᶠ neque bibens ª vinum, ᶠ et † dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibẽs, & ▷ dicũt: Ecce homo ‖ vorax & potator vini, publicanorũ & peccatorum amicus. Et iustificata est sapientia ab ª omnibus ᶠ filijs suis. ª Tũc ▷ cœpit exprobrare ciuitatibus in quibus facta sunt plurima virtutes eius quia nõ egissẽt pœnitentiã. ‖ Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si ‖ ª in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiã egissent. Verumtamẽ dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quã vobis. Et tu Capharnaum, nũquid vsque

† ᶜ. ª. dixit ▷ ª. ª. qui ‖ ª. illis autem ª. abeũtibus Ioannis autem cùm audisset in vinculis opera Christi, † ª. ª. vestũ ★ ª tum ▷ ª. mollibus vestimentis ‖ ª. ª. atiã † ª. Dico enim ª. ª. ▷ ᶜ. maior ª. ª. ▷ ª. autẽ ª. ª. similẽ estimabo generationem † ᶜ. Dei C. 16. 95. ▷ ª. ª. & lotus autem ▷ ᶜ. ª. ad iuuicẽ, & dicẽtibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

vsque in cœlum exaltaberis? Vsque in infernum descendes:] *quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorũ remissius erit in die iudicij, quàm tibi. In illo tempore respondẽs Iesus, dixit:*

C.10.20. *Confiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus. & reuelasti ea parvulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitũ ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filiũ, nisi pater: neque patrẽ quis nouit, nisi filius: & cui filius voluerit reuelare.*] *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me: quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum, suaue est: & onus meum leue.*

Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his, Ioannes autẽ cũ audisset in vinculis opera Christi, &c. De ista Ioannis interrogatione varia est apud interpretes sententia; sed rectius cum Chrisostomo, Ambrosio, Hylario, & alijs intelligitur Ioannem hac interrogatione non sue, sed discipulorum ignorantiæ cõsulere voluisse. Quoniã enim videbat discipulos sibi quam Christo esse addictiores & inuidere gloriæ Christi crescentis quotidie, ac nunciare sibi Christi miracula cum quadam indignatione, & inuidia pro discipulorum suorum correctione simulat ignorantiam, mittitque duos ex discipulis suis, quos fideliores habuit, ad Christum: non dubitans quin in illo visuri essent, & audituri quædam vnde eos certius docere posset & Iesum illum esse verum Christum expectatum ostendere; ac rursum credens maiestate dictorum, & factorũ Christi commouendos esse adexcellentiorẽ de ipso, quã de se opinionem, sicque prouocandos ad sequendum Christum, se relicto, qui iam erat moriturus. Discipulis enim nunciantibus opera Christi, quę fama didicerant, noluit adhuc Ioãnes de Iesu magnifica loqui, præferendo illum sibi, quod scitet illos existimaturos, humilitatis causa sese Iesu inferiorẽ agnoscere, quemadmodũ frustra sæpius illis Iesum commendauerat. Voluit ergo ipsos maiestate dictorum & factorum Iesu conuinci, & quandoquidem ipse moriturus esset in amicitiam Iesu insinuari. Quod autem Ioannes interrogare iussit, an Iesus esset, qui venturus esset: non est intelligẽdum eum interrogate voluisse de futuro aliquo aduentu: sed an ipse is esset, qui iamdiu à Iudæis venturus est expectatus. Non enim quærere iussit: Num ipse esset venturus, sed an esset, qui venturus esset, aut vt habent Græca an esset ὁ ἐρχόμενος hoc est, ille venturus. Porro diuina prouidentia factũ est vt postquam discipuli Ioannis iam aduenissent, dominus illis præsentibus multa miracula operaretur, ex quibus conuenientem haberet occasionem respondendi quæstioni illorum: remittens illos ad Ioannem, non vt ille hinc

hinc instrueretur, sed vt hinc haberet certum argumentum, quo illis ostenderet Iesum esse verum Christum. Ita tamen respondit, quasi Ioannes hinc docendus esset. Nam vt magna prudentia, ac charitatis studio Ioannes in se discipulorum suorum suscepit dubitationem, & ignorantiam: ita Christus magna eis respondet prudentia, eorum dissimulans insciticm, nec eam apertè incessens, vt sic ad se eos suo tempore magis traheret.

Euntes, inquit, *renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis.* Vidistis dicit, aut vt habet Matthæus apud Græcos, videtis propter miracula, quæ oculis suis præsentes viderant. Audistis vero, vel auditis dicit, tum propter auditam à Christo prædicationem, tum propter miracula, quæ à præsente turba audierant Christum etiam prius fecisse. Nam quod dicit *mortui resurgunt,* non tum oculis viderãt, sed alios narrantes audiuerant. Itaque hæc tum visa tum audita Ioanni vult eos renunciare, quæ secundum Prophetarum vaticinia, manifesta erant signa ipsum esse Christum. In illo vero quod dicitur *pauperes euangelizantur* omissis varijs expositionibus huius partis omnium rectissimè accipitur hęc oratio secundum phrasim Græcam, pro eo quod est, pauperes suscipiunt, & audiunt Euangelium, vel pauperibus prædicatur Euangelium. Pauperes autẽ quibus dicitur hic prædicari Euangelium, sunt pauperes spiritu, hoc est animo afflicti, ac de sese humiliter sentientes, qui ijdem necessario etiam sunt mansueti, & nequaquam contentiosi, quẽadmodum erant Pharisæi. His pauperibus & mansuetis dicitur singulariter prædicari Euangelium: tum quod Euangelica prædicatio cõsoletur eos, qui animo sunt mœsto, vnde sequitur apud Isaiam, ad quem alluditur, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, &c. tum quod hi soli capaces sunt Euangelicæ doctrinæ, & obedintiæ fidei. *Isa.* 57.35. 61.

Et beatus est quicunque non fuerit scandalizatus in me. Hac sententia dominus persequi voluit, & mordere conscientiam discipulorum Ioannis, qui in ipso domino scandalizabantur, offensi humilitate conuersationis eius: quod non seorsum ab hominibus illa vitæ seueritate viueret, sicut ipsorum Magister; ad hæc nullo alio, præter illa miracula vitæ splendore insignis esset. Bene ergo generali sententia dicit: Beatus qui non fuerit scandalizatus, hoc est, offensus in me, hoc est, qui nulla in re absterretur, ac repellitur, ne mihi tanquam vero seruatori fidem habeat, mihique iudiciuus adhæreat.

Et cum discessissent nuntij, cœpit Iesus dicere ad turbas, &c. Postquam Dominus per præcedentia satis egit pro curatione discipulorum Ioannis, restabat vt & multitudinem curaret, quæ ex discipulorum interrogatione intelligere potuit Ioannem iam dubitare de Iesu num esset Christus, cui prius tam eximia, &

multa perhibuerat testimonia, & ob id à Christo dictum iam fuisse contra Ioannem beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me, Itaque ne ex illa interrogatione Ioannes putaretur dubitare de eo, quod prius asseruerat, & illa Saluatoris sententia putaretur propter Ioannem dicta; cum Ioannis discipuli abissent (nam illis præsentibus Ioannem laudare non conueniebat, ne multitudo putaret assentatiunculis gratiam Ioannis Christum colligere) cœpit Ioannem multum commendare: eximendo eam de Ioanne suspicionem, quæ propter prædicta in auditorum mente venire potuit. Et primum quidem instabilitatis, ac leuitatis suspicionem tollit, idque non ex sua statim sententia, sed ex ipsorum prius auditorum opinione, ostendens eos non verbis solum, verum etiam factis stabilitatem Ioannis attestatos fuisse: dixit ergo.

Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Ac si diceret: Cur omissis ciuitatibus, atque domibus vestris ad desertum omnes cucurristis? An vt videretis hominem similem calamo, qui omni vento circumfertur & leuitate mentis nunc hæc, nunc illa sentiret? Certè non potuissetis tanto studio in desertum impelli tot, tantarumque ciuitatum populi, nec ita facile omnes ex vniuersa Iudæa effusi ad Ioannem fuissetis: nisi magnum quendam, & mirabilem virum, & adamantinis lapidibus firmiorem Ioannem putassetis, &c. Deinde ne quis putare posset Ioannem siue ambitionis, siue cupiditatis, siue lasciuiæ studio excidisse à sua stabilitate, & opinione, quam de Christo prius habuit, ostendit deinceps ipsum ab his omnibus alienum fuisse; idque ex vestitu rigido, quo amiciebatur, & deserto, quod incolebat. Si enim ambitionis studiosus fuisset, aut terrenorum commodorum, nequaquam desertum inhabitasset, sed Regum & principum potius aulas. Et quod lasciuia eius animum non emollierit, & nobilem fecerit, declarat etiam desertum, declarat vestitus, declarat positremo & carcer, quamuis de eo Dominus tacuerit. Postquam autem Dominus efficacibus interrogationibus ostendit quid Ioannes non esset, nec obnoxium illum esse posse suspicionari vel instabilitatis, vel leuitatis, vel ambitionis & lasciuiæ; ostendit deinceps quid sit; prius quidem opinionem populi, quam de Ioanne habuit, comprobans cũ dicit, *etiam*, hoc est, vtique & certè dico vobis, deinde & suam de Ioanne sententiam pronuncians, cum dicit:

Et plusquam Prophetam. Quod testimonio scripturæ probat, dicens:

Ioannes plus quã Propheta.

Hic est enim de quo scriptum est; Ecce ego, &c. Ex quo patet quare Ioannem dicat esse plusquam Prophetam: nimirum quod reliqui Prophetæ venturum post se Christum, & salutem ab eo spe-

randam obscurius prædixerunt, Ioannes vero subingredienti Christo viam muniit: populum ad pœnitentiam prouocans, eique patientiam Christi attestans. Deinde quod Angelus Dei nuncius in vaticinio Prophetæ appellari nomen commune sortitus cum spiritibus cælestibus, quod dignius est nomine Prophetæ. Tertio quod non solum ipse prophetarit, sed etiam de eo sit prophetatum. Has enim causas videtur indicare voluisse Saluator, cum probaturus Ioannem esse plusquam Prophetam, adducit hoc testimonium de quo testimonio latè satis dictum est circa cap. Matt. 11. Itaque benè ob Ioannis excellentiam Dominus post Prophetæ testimonium sua iam sententia Ioannis præeminentiam paucis est complexus, dicens: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista*, hoc est, vt bene exponit Chrysostomus, non peperit mulier Ioanne vnquam maiorem. Lucas vero dicit *Maior inter natos mulierum Prophèta nemo est*. Proinde & quod habet Matthæus sic oportet intelligere, vt non cum omnibus hominibus, sed cum omnibus Prophetis intelligatur cõparari Ioannes, & subintelligatur, non surrexit maior Propheta inter natos mulierum. Vel potius ideo à Matthæo dictum est absolutè, nullum natum maiorem Ioãne, etiamsi Dominus tantùm dixerit quod habet Lucas, quia eum nulli maiores fuerint Prophetis ante Ioannem, si non habuit Ioannes maiorem se Propheta, nullum etiam absolutè se maiorem habuit. Dupliciter autem intelligi potest Ioannem dici alijs maiorem; videlicet vel ratione prærogatiuarum, quibus diuinitus decoratus fuit, vel quod abundantiore spiritu esset donatus, sic vt perfectior esset in cognitione diuinorum in conuersatione, & meritis. Nec negat dominus surrexisse quosdam, qui maiores forent Ioanne, sed non surrexisse aliquem, qui sit maior. [Porro virgine Deipara non voluit Dominus hac sententia Ioannem pronunciare maiorem: Nam vt comparatio Ioãnis potissimũ cũ Prophetis, & vtis. Nec ex ea sequitur Ioannẽ Christo maiorẽ prouũciari. Non cõprehẽditur enim Christus inter natos ex mulieribus: siue quod nomen mulieris hic accipiatur pro fœmina corrupta, vt distinguatur à virgine, quemadmodum quidã intelligunt; siue quia per natos mulierum intelligit siue Dominus eos, qui tantum sunt nati ex mulieribus, hoc est, tantum sunt homines, aut qui cõmuni more ex cõcubitu viri, & mulieris sunt nati, quomodo intelligit D. Hieronymus. Aut Christus simul & Deipara virgo facilè excludentur ab hac sententia, si intelligamus Dominum dicere voluisse ante illa sæcula nullum maiorem Ioanne natum fuisse.] Ne itaque ex hac magnifica Ioannis commendatione, auditores etiam Christo Ioannẽ putarẽt præponendũ, seipsum apertè excipit, subiungens: *Qui autẽ minor est in regno cælorum maior est illo*. Optimè conuenit proposito, vt cum

Ioannes quatenus alijs maior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chrysostomo intelligatur istud Dominum de seipso dixisse, qui seipsum non apertè præfert Ioanni, humilitatis causa loquens de se in tertia persona. Secundum quam intelligentiam illud *(in regno cælorum)* si ad sequens referatur hoc modo, qui minor est Ioanne, maior est illo in regno cælorum, iam secundum Chrysostomū per regnum Dei designantur bona spiritualia, & vniuersa, quæ ad cælum pertinent, vt sit sensus; Qui autem minor est Ioanne ætate, & minor opinione hominum, hic tamen maior est in rebus cælestibus, & spiritualibus, aut maior reputatus in regno cælorum, ab Angelis scilicet & Deo, qui nouerunt quanta sit mea excellentia supra Ioannem. Atque hæc videtur genuina loci huius intelligentia.

A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur, &c. id est. A tempore prædicationis eius, qui primus regnū cælorū prædicauit, vsque ad istud tēpus, regnū cælorū vim patitur. Dicit autē, vsque nunc, non quod post illud tēpus regnum cælorum vim non esset passurum, sed vt significaret violentiā illam, quę cœpit Ioanne prædicante, semper ab eo tempore perseuerasse; nec per prædicationem suam desijsse, sed continuatam esse; & proinde significat eam etiam vlterius continuandam semper quamdiu eius prædicatio durauerit. Quod autem hic dicitur de vi, quam patitur regnum cælorum, rectè secundum quoties intelligitur Christus metaphorica locutione significare voluisse, quod plerique audita prædicatione regni cælorum auidè cupiebant, & contendebant prædicatū regnum cælorum obtinere, ac à rapere. Itaque regnum cælorum vim pati dicitur primùm propter multitudinem & feruorem confluentium ad cōsequendum illud. Secundo quia illi regnum cælorum contendebant obtinere, quibus non videbatur debitum, & promissum. Nam cum illud expectarent Pharisæi & Scribæ, qui sibi videbantur iusti, illis exclusis, peccatores, publicani, & meretrices illud veluti præripuerunt; & postmodum etiā Gentes fide occupauerunt, quod Israēli rātum, aut potius videbatur debitum. Quam rationem indicat D. Hilarius. Sēd rectè & Chrysostomi superior (illam enim indicat) & hęc posterior Hilarij simul comprehenditur. Sic ergo regnum cælorū dicitur vim pati, quomodo merx aliqua noua, ad quam turmatim magna mercantium multitudo accurrit, vt quasi vi irruāt in mercem illam desideratam, & quisque alium præuertere studeat pro desiderio. Porro regnū cælorū hoc loco sic accipi debet, quomodo accipiebatur in eo, quod Ioannes auspicando prædicationē suā dixit: Appropinquauit regnum cælorum.

Regnū cælorū quomodo vim patitur.

Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannē prophetauerūt. Enim, hic dicit causam, quare a diebus Ioānis exepta sit prædicatio regni cælorū, & vim illud cœpit pati. Hic autem locus alioqui obscurus videtur congruere cū eo Lucæ loco, quo hæc eadem à domino dicta alibi describuntur. Nam cap. 16. habet Lucas; Lex & Prophetę, vsque ad Ioannem, ex eo regnum Dei Euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Per Prophetas autem in illa sententia non intelligentur homines prophetantes, sed Prophetarum scripta, quemadmodum semper solet ea dictio accipi quoties coniungitur nomini legis, vt cum dicitur, hæc est enim lex, & Prophetæ, & oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me. Cum ergo omnino sit verisimile etiam in hoc loco eundem sensum dominum significare voluisse, quem in dicto loco Lucæ, sensus huius sententiæ erit, Omnes Prophetæ, hoc est, omnium Prophetarum scripta, & lex prophetarum vsque ad Ioannē, hoc est, Dei voluntatem homines docuerunt cum futurorum promissione, quę ad Messiam pertinerent. Verum à diebus Ioānis cœpit noua quædam perfectior, & efficacior doctrina, qua scilicet regnum Dei prædicatur iam approquinquasse non sine magno fructu. Atque hæc est maxima commendatio excellentiæ Ioannis, qua demonstratur iam aperte esse aliquid plus, quàm Prophetam & maior omnibus Prophetis, qua & demonstratur iā venisse Messiam, qui promissus erat futurus autor nouæ legis, & noui Testamenti.

Nec mirum videri debet quod verbum prophetauerunt exposuimus prædicto modo. Nam nomen Prophetæ, & verbum prophetare in scripturis sacris non solum ponitur. Vbi significatur fit futurorum prædictio vel occultorum reuelatio, sed etiam cum significatur doctrina morum, & voluntatis diuinæ, maximè, quæ ex singulari afflatu spiritus procedit, de cuiusmodi Prophetis loquitur Paulus. 1. Cor. 14.

Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est, &c. Aliam iam Dominus Ioannis addit commendationem simul ostendens & alio signo iam aduenisse tempus Messiæ. Quomodo autem & quare Ioannes dicatur Elias, satis patet ex his, quæ dicta sunt circa illud Lucæ, quod dictum est ab Angelo; Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ. Dicit autem; *si vultis recipere*, siue vt significaret se neminem ad fidem cogere velle, vt indicat Chrysostomus; siue potius quia Ioannes non erat Elias secundum sensum literalem & proprium illius testimonij Malachiæ, quo promittitur mittendus Elias ante aduentum Messiæ secundum ante quem venturus est Elias in propria persona iuxta receptam sententiam. Tamen quia Ioannes præcessit Domini aduentum primum in spiritu, & virtute Eliæ, qui præcessurus est secundum Domini aduentum, ob id Dominus etiam eam scripturam in Ioanne adimpletam dicit; constituens tamen id in libera auditorum acceptatione: [quo nos docuit optimus

Magister, ne ad sensus mysticos in scripturis non satis expressos præcipuè, sacræ scripturæ cogeremus auditores; sed eis, vtrerentur ad ædificationem eorum, qui lubenter audiunt & proficiunt ex sensibus mysticis quique varietatem sensuum sacræ scripturæ iam sunt edocti.] Quoniam autem quod dixit Ioannem esse Eliam mysticum est, & magna indiget intelligentia; ideo quo ad illius intellectum quærendum prouocaret, adiecit hoc more.

Qui habet aures audiendi, hoc est, ad audiendum, audiat. Loquitur autem de auribus mentis, quas non omnes habent expeditas ad audiendum, id est, intelligendum veritatem. Non solum autem hac sententia prouocare vult audientes vt intelligant quomodo Ioannes dicatur Elias, sed etiam ex eo deinceps vult intelligere aduenisse iam Christum. Nam dicens Ioannem esse Eliam, demonstrauit simul Messiam aduenisse.

Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt Deum. &c. Si intelligantur hæc esse verba euangelistæ, quemadmodum potius debet intelligi, adeo vt si non legantur ea verba, Ait autem Dominus ante illud quod sequitur, Cui ergo similes dicam homines generationis huius, quod quidam codices Græci & Latini habent, tamen sibi intelligi debeant, sensus erit iste, Et omnis populus & Publicani audientes hanc à Domino Ioannis cõmendationẽ, Publicani, inquam baptizati baptismo Ioannis, iustificauerunt Deum, hoc est, iustum, æquum, & rectum eum prædicauerunt, quod ferè aliud non est, quam glorificauerunt Deum tanquam qui bene, & rectè fecerit, mittendo eis talem virum per quem saluti ipsorum prouidit. Phariſæi vero & legisperiti non quidem omnes, sed qui non erant baptizati à Ioanne, cum hanc Ioannis commendationem audirent, non commoti sunt ad pœnitẽtiam, quod tali Prophetæ non parnerint, sed consilium illud Dei iustissimum, & rectissimum, quo per baptisma & pœnitentiam inuitauit homines ad remissionem peccatorum, aut consilium Dei, quo iam post legem & Prophetas statuit noua prædicatione regni cælorum mundum donare, contempserunt. Christi verba superius dicta non approbantes. Porro illud in semetipsos, intelligi potest contra semetipsos, vt significetur in propriam pernitiem ipsos sprevisse Dei consilium. Aut potius, in semetipsos positum est pro in semetipsis, aut intra semetipsos ut sæpius pro in sæculo, vt significetur Phariſæos apertè non ausos contradicere verbis Domini.

Cui ergo similes dicam hominas generationis huius. &c. Simpliciter fuerit sine specialis alicuius indi imaginatione exemplum hoc intelligere secundum consuetudinem communem puerorum, qui in foro, & latioribus locis ciuitatum congregati inter se studentes ludendo

ludendo effingere quidquid ab alijs vident serio agi. Itaque aliquando nuptias effingunt, & nuptiales lætitias tibiarum, aut aliorum instrumentorum cantu imitantur, aliquando vero funeralia obsequia exprimunt, in quibus apud Iudæos planctibus, & lamentatione quorundam, ac lugubrium decantatione, solent homines ad tristitiam, & fletum prouocari. Hæc dum imitantur pueri, fit frequẽter, vt quod ioco agunt, non sit efficax vel ad tripudia nuptialia, vel ad fletus funerales prouocandos. Huc respiciens Dominus dicit pueros dicere ὐλίσαμεν, id est, tibia cæcinimus vobis, læta scilicet lamentauimus, hoc est lamentati sumus, & planctum fecimus, vel lugubria cecinimus vt prouocaremus ad fletum. Est enim Græcè ὐλιασμὸς. Quod verò ad exempli huius applicationem attinet, quæ alioqui difficilior videtur, de hac ora-tione generatio hæc similis est pueris, vt habet Matthæus, vel homines generationis huius similes sunt pueris, &c. vt habet Lucas: dicendum est sicuti de multis alijs similibus locutionibus sequentibus. Cum enim postea dicitur, Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios, aut homini regi qui fecit nuptias, &c: sensus est. In regno cælorum tale quid contingere: Ita & hic sensus est. In generatione, vel hominibus generationis illius tale quid contigisse, quale contingit cum pueri in foro dicunt sodalibus suis: Cantauimus, & lamentauimus, &c. Hunc enim sensum indicat Saluator exemplum proposito suo applicans. Ostendit enim non solum Ioanni & sibi euenisse, quod pueris in foro canentibus & plorantibus; sed etiam aliquid deterius: videlicet quod non solum frustra prouocauerunt Iudæos diuersa vitæ ratione, sed quod etiam calumniam ex beneficijs suis, & prouocatione ad meliora retulerunt. Benè autem se & Ioannem Dominus pueris comparat propter vitæ innocentiam, & simplicitatem

Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis. Hæc sententia ex variis interpretationibus diuersorum, duplicem potissimum habet conuenientem expositionem. Priori enim modo hic rectè intelligitur iustificata accipi pro honorata, & laudata, quemadmodum supra, iustificauerunt Deum, & erit sensus; Quanquam vos præfracti Iudæi, Dei consilium, & sapientiam contemnitis, qua diuersis vijs per me, & Ioannem vos conatus est ad meliora adducere: tamen hæc Dei sapientia suscepta est, obseruata, & honorata ab omnibus filijs sapientiæ, hoc est, his qui verè sunt prudentes, & intelligentes, vel his qui à Patre sunt electi, vt sapientiæ Dei sint participes. Hi enim dicuntur filij sapientiæ, sicut filius pacis, qui electus est à Deo vt paucis sit particeps, vel dicitur ab his filijs sapientia Dei iustificata magis secundum propriam vocabuli exigentiã, quia ab eis habita est iusta, &

irreprehensibilis, vt quæ nihil omiserit eorum, quæ ad salutem hominum conducere potuerunt, feceritque quod debuit vt qui pereunt non possint iuste de Dei sapientia conqueri. Altero modo per filios sapientiæ intelligi possunt Ioannes & Christus, à quibus Dei sapientia iustificata est, hoc est, absoluta ab impiorum condemnatione, & reprehensione, dum nihil prætermiserunt, quod vtile esset saluti hominũ. Atque hic sensus videtur esse magis genuinus, ac superioribus magis conueniens. Tantum obstare videtur illud omnibus à Luca additum. Illo enim constat non tantis hic Christum locutum de se & Ioanne. Sed rectè intelligitur etiam reliquos Prophetas, & doctores simul comprehendere voluisse, quorũ quidam blandis promissionibus alij asperis commationibus ad pietatem prouocantes nihil apud multos profecerunt. Ab his ergo omnibus, & per hos Dei Sapientia sic est iustificata, vt non fit locus expostulationis cum ea. Illi enim cõpetit illud Esaiæ. Quid vltra facere debui vineæ meæ, & non feci ei? Si enim sapientiam Dei culpare quidam velint in Ioãne, quod doctorem dederit, quæ humana fragilitas imitari non queat, cur Christo non crediderint? Quod si in hoc offendit eos vitæ communitas, quare ergo Ioanni non adhæserunt? *Esaiæ 5.*

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, &c. Post generalem Iudæorum reprehensionem subiungitur hic à Matthæo specialis quarũdam ciuitatum reprehensio & exprobratio, nempe Chorozaim, Bethsaida, & Capharnaum, quod post multas virtutes, & miracula in ipsis à Domino facta non essent commoti ad fidem, & pœnitentiam. Erant enim hæc oppida lacui Genezareth adiacentia, in qua parte Galileæ Dominus frequentius egit. Et quidem de miraculis factis in Capharnaum, vbi suam mansionem Dominus potissimum delegerat, frequenter meminerunt Euangelistæ: miracula autem in Chorozaim & Bethsaida facta, comprehensa sunt superius in generali narratione, qua frequenter dicitur Dominus circuisse ciuitates, & castella, curans omnem infirmitatem. His ergo præfert Tyrum, & Sidonem ciuitates gentilũ Galileæ cognatas, & vicinas, quod pœnitentiã actura fuissent, si contigisset apud eas miracula illa fieri quæ in his facta erant: ideoque & tolerabilius fore ipsorum iudicium pronunciat, quod pauciores, & minores pœnitentiæ occasiones habuerint, quodque legem tantum naturalem transgressæ sint: hi vero præter præuaricationẽ legis & naturalis, & scriptę, etiam prędicatione Christi & miraculis prędicationem confirmantibus non sunt ad pœnitentiã cõmoti. Quod autem dicit *in cilicio, & cinere, &c.* respexit ad modum pœnitendi tunc receptum, quo pœnitentes se, & sua capita, aspergere solebant cinere humiliatis causa, & induere se cilicio, vel sacco vt habẽt Græca, causa afflictionis, & castigationis. [Vbicunque

cunque autem in veteri Testamento interpres vertit cilicium Hebraicè est Sac dictio Germanis etiam vsitata, vnde & Græci & Latini nomen σάκκος saccus mutuati sunt. Significatur autem vestis aspera, & carnis afflictiua.] Porro quod non dicat solum Tyrum & Sidonẽ pœnitentiam acturas fuisse, sed addit olim, & in cinere & cilicio, significans & mox, & insigniter pœnitentiam acturas: ad maiorem exaggerationem obstinationis harum ciuitatum dictũ est. [Quod autem ad quęstionem attinet quæ ex his domini verbis moueri posset: dicendum certè nõ esse dubitandũ quin & Tyro, & Sidonis non defuerit Deus, vt non eis multa fecerit, quæ eos promouebant ad eorum salutem, cætera vero silentio sunt veneranda. Temerariũ enim est hominem velle omnium iudiciorũ Dei scire rationem. Dici etiã potest dominũ hęc de pœnitentia & conuersione Tyri, Sidonis, & Sodomorum, de quibus mox sequitur, non dicere tanquam præscium eorum, quæ futura essent, si illis prædicatum fuisset, sed tantum vulgariter hæc vulgo locutum, quomodo frequenter solet, vt huiusmodi comparatione insignem obstinationem animi ciuitatum quibus prędicauerat significaret, quomodo dicere solemus; Si tantum beneficij alteri exhibuissem, gratiorem proculdubio expertus fuissem.] *Sidoni, &c.*

Et tu Capharnaum, numquid vsque in cælum exaltaberis? In Luca sine interrogatione legimus: Et tu Caphatnaum vsque ad cælum exaltata, vsque ad infernum demergeris. Græcę autẽ huius lectionis quæ apud Lucam est nobis integra, hic est sensus; Et tu Capharnaũ, quæ præsentia mea, & miraculis vsque ad cælum es exaltata, hoc est, maxima gloria, & honore decorata, propter impœnitentiam tuam vsque ad infernum descendes, maxima scilicet ignominia pro summo honore affecta. Nostræ autem lectionis in præsenti loco istæ est sensus commodus, & vos habitatores Capharnaũ, num putaris vos, vestramque ciuitatem apud homines, & Deum semper sublimes fore, meisque miraculis claros, & insignes semper permansuros? Vtique dico vobis, quod quantumuis illi clari sitis, tamẽ propter impœnitentiam vestram à summa vestra gloria, qua ornati estis per me, & à salute vobis proposita detrahemini vsque ad Inferos, extrema ignominia, & æterna damnatio ne afficiendi, eaque grauiore quam Sodomitæ, vt quibus estis peiores, & magis inexcusabiles. Sodomorum autem hic mentionẽ indicit, comparans Capharnaum cum Sodomis: quod Sodomorum scelera propter horribilem de eis sumptam vltionem, celebratissima essent, tanquam ipsi pessimi omnium fuerint: vt huiusmodi cõparatione grauitatem peccati Capharnaum ostenderet. [Notandum autẽ quod Græca non habent, forte mansissent, sed ἐμείναν, id est, mansissent vtique. Nam ἄν cõiunctio est non dubitantis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed expletiua, aut potentialis quàm supra Interpres reliquit intactam, cum vertit, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.]

In illo tempore respondens Iesus dixit, Confiteor tibi, &c. In Euangelijs, verbum respondere frequenter ponitur vbi non solum nulla præcessit quæstio, sed nec cuiusquam verba, quibus respondeant ea quæ dicuntur quis respondere. Sæpe enim respondere tantum est occasione aliquorum dictorum, vel factorum aliquid dicere, aut subiungere dictis. [Sicut in Trasfiguratione Domini, cum Moyses & Elias apparerent cum eo loquentes, dicitur: Respondens autem Simon Petrus dixit ad Iesum, Domine bonum est nos hic esse.] Ita & in proposito respondisse Dominus dicitur, quod hæc superioribus commodè subiecerit. Vbi enim secum reputasset æquissimum, & saluberrimum mundo iudicium Dei, quo Euangelicæ doctrinæ mysteria nolens reuelare Scribis, & Pharisæis, & superbis Capharnaitis, dignatus est reuelare humilibus discipulis, & Publicanis vt vetus homo fuit, & affectibus viuis, sed ad gloriam Dei comparatis, exilijt præ lætitia, ac gestijt animus eius, erumpens illico in gratiarum actionem erga Patrem. Vnde cum Lucas hæc Dominum dixisse commemorat, dicit: In ipsa hora exultauit in spiritu Iesus, & ait, Confiteor tibi, hoc est, gratias ago tibi, vel laudo te. Hebraismis enim est frequentes in Psalmis occurrens, vt confiteri accipiatur pro gratias agere, & laudare. [Verum hic occurrit quæstio, quomodo Christus tantus humani generis amator Patri gratias agit, quod cognitionem sui quibusdam abscondit, cum id potius lachrymis dignum esset. Ad quam quæstionem respondet D. Chrysost. confessionem hanc non debere referri ad vtrunque, abscondisti, & reuelasti, sed tantum ad secundum: vt non intelligatur gaudere & gratias agere eo quod sapientes non agnouerint, sed quod paruuli perceperint, vt sit hebraismus hunc habens sensum: Gratias ago tibi Pater, quod cum abscondaris hæc a sapientibus, & prudentibus, reuelasti tamen ea paruulis. In quali sensu intelligendum est illud Pauli, Gratia autem Deo quoniam fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde, &c. Estque hinusmodi locutio frequens apud Hebræos. Potest tamen, & quidem, vt apparet, rectius intelligi Dominum etiam de vtroque gaudium, & gratias egisse, aut laudasse Patrem. Impiorum enim & Superborum excæcatio, ac condemnatio, quamuis tristitia afficiat sanctos, quatenus considerant illos esse homines ad imaginem Dei creatos; tamen quatenus considerant illorum excæcationem, ac condemnationem iusto, optimoque Dei iudicio ordinatam, & ad gloriam Dei illustrandam non parum facere, non possunt nō de ea gaudere, eū Dei voluntatem, qua nihil potest excogitari melius, adimpleri videant. Hinc in Psalmis frequens præcatio ob vindictam malis inferendam, & exultatio ob vindictam illis illatam. Neque repugnat

Respõdere

Confiteri pro gratias agere vel laudare.

hat hoc dilectioni proximi: sed iudicium est animi æquitatem iudicantis Dei animaduertentis, & commendantis.] Sūt autem illa. *Domine cæli & terræ*, & repetita vox Patris, indicia animi sancta voluptate perfusi, Diuinaque quadam lætitia gestientis. Cumque Dominum Patrem vocat Dominum cæli, & terræ, significat illum & omnia, quæ vult in cælo, & in terra facere posse, & nihil iniustum esse posse, quod de quibuscunque creaturis decreuerit; vt qui omnium sit Dominus, omnia habens in manu sua. Per sapientes autem & prudentes intelligit Scribas, & Pharisæos, & omnes similes, qui sapientia, & prudentia rerum diuinarū, vel humanarum apud homines elati habebantur. Et si quidem intelligendum est omnibus sapientibus abscondita hęc fuisse: oportet intelligere de his qui sapientes sunt in oculis suis, aut qui acquisita sapientia sibi placent, aut inflati sunt. Si vero in genere loquitur de sapientibus, intelligendum est, vt in plurimum hęc sapientibus fuisse abscondita; quod vt in plurimum sapientes sibi præ alijs placeant, & res sola fide apprehendendas secundum rationes suæ sapientiæ & prudentiæ discutere velint. De quibus Paulus. 1. Cor. 1. Abscōdere autem Sapientibus dicitur Deus non apponendo velamen, sed subtrahendo lumen, hoc est abscondit, quia non reuelat. Porro pro paruulis Græcè est νηπίοις quæ dictio proprie quidem infantes significat, & eos qui per ætatem adhuc loqui non possunt, nec sapere. Transfertur tamen & ad animū, & significat stultos, ineruditos, ac vsu rerum carentes. Et videri potest ea dictio magis hic vertenda per stultis, aut insipientibus, quod opponatur sapientibus, & prudentibus. Quomodo si accipiatur hic dictio græca intelligendum est Dominum loqui non de verè stultis, sed de his, qui mundo sunt stulti: sicut non de verè sapientibus loquitur, sed de his, qui mundo sunt tales. [Interpreti verò magis placuit propriam vocabuli sequi significationem, quam & Chrysost. sequitur, qui annotauit dictum esse non stultis, sed paruulis, hoc est, simplicibus, vt ostenderetur quibus sapientibus, & quare abscondita sint Euāgelica mysteria, scilicet ob superbiæ fastum. Paruuli enim & infantes de quibus Christus loquitur sunt, qui humiles erant in oculis suis, quique veluti infantes ineruditi erant in mundo, quales erant piscatores, quos delegerat Dominus.]

Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Quod dicit ita, vel certe pater, est vehementer approbantis, & confirmantis id, quod dictum est. Illud autem quoniam, dupliciter hic potest accipi. Primo modo vt Græco more abundet, & sit sensus: Certe Pater, sic fuit placitum ante te. Altero vt accipiatur causaliter, & sit sensus: Certe Pater sic factum est, eo quod sic fuerit beneplacitum tibi. Secundum vtrumque autem sensum, sed apertius secundum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum posteriorem docemur his verbis exempla humilitatis ne temerè superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione præsumamus discutere: persuasi iniustũ esse non posse, quod placuit Deo, atque contenti hac suprema causa, quoniam sic placuit, imò beneplacuit Deo. Præsentibus autem, & audientibus discipulis hanc gratiarum actionem habuit ad Patrem, tum vt intelligerent summum Dei beneficium ipsis gratuitò præstitum, tum vt studiosè omnem inflationem vitarent, ob quam significauit dominus Sapientibus mysteria diuina esse abscondita, & reliqui omnes auditores intelligerent opus sibi esse, vt deposito fastu parvuli fierent in oculis suis, si vellent mysteriorum diuinorum esse participes. [Quoniam enim consequens erat vt de se magna saperent, qui dæmones abigebant, hac confessione discipulorum animos reprimit & præmunit, dum quod eis factum est, reuelatione eis contigisse dicit, non eorum studio, & Dei beneplacito, non ipsorum merito, & sapientibus idem negatum ob ipsorum inflationem.]

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit filium, &c. Ne ob id, quod Patri gratias egit, & illum dixit reuelasse mysteria parvulis, putaretur ipse hac virtute priuatus: ob id hæc subiecit, quibus significat Patrem non reuelare sine filio, imò non nisi per filium. Sensus autem huius sententiæ est. Omnium rerum potestas, & dispensatio mihi tradita est à Patre meo, omniaque mea potestati, & voluntati sunt ab illo subiecta, vt nihil nisi per me faciat Pater, nec quicquã sit quod à me perperam, & iniquè fieri possit. Iam quod dicuntur omnia tradita Filio à Patre, quanquã possit intelligi de filio secundum eius diuinitatem, secundum quam omnia filio tradita sunt non in tempore, sed ab æterno, per generationem: tamen vt dictum est circa illud Ioan. 3. Omnia dedit in manu eius: rectius intelligimus his sententijs etiam significari omnia Filio tradita secundum ipsius humanam naturam diuinitati vnitam in vnitate personæ. Filio enim Dei, cui tanquam Deo omnia ab æterno tradita sunt per æternam ex Patre generationẽ idẽ etiã tanquam homini omnia in tempora tradita sunt per hypostaticã vnionem deitatis cum humanitate, sed non essent omnia homini tradita, nisi ea ab æterno tanquam Deus habuisset, vnde in vltimo sensu priores etiam includuntur. Quoniam autem propositum Saluatoris erat ostendere, quare Patri tribuerit reuelationem mysteriorum Euangelicorum, & quomodo Pater reuelat ea, quibus beneplacitum fuerit ei, nempe per filium: ideo commode post prædictam generalem sententiam, subiecit.

Et nemo nouit filium nisi Pater, &c. Cum enim solus Pater filium noscat, bene ei tributum reuelatio filij, & eorum mysteriorum, quæ ad filium pertinent, & cum solus filius Patrem cognoscat, eique vt cætera omnia, etiam hoc concreditum sit, vt reuelet quibus vult, solus

solus ergo filius est, per quem Pater paruulis reuelat, quæ reuelat. Solus autem Pater filium, & solus filius Patrem nouit notitia naturali, quæ scilicet est ex natura, & non ex gratia reuelationis, notitia item perfectè comprehensiua rei, qua scilicet rei natura intimè, & absolutè cognoscitur, vt dictum est circa illud Ioannis, Deũ nemo vidit vnquam. [Hic tamen in verbo nouit, non potest subintelligendo addi, notitia comprehensiua, aut naturali. Nam sic non posset addi, & cui voluerit filius reuelare. Hic enim reperendũ est verbum nouit. Ea tamen adiecta particula satis significat aliã esse notitiam, qua filius cognoscit Patrem, & Pater filium, & aliam qua homines cognoscunt Patrem, & filium: videlicet quod horum sit per reuelationem non per naturam, illorum verò per naturam.] Lucas autem hanc sententiam paulo significantius extulit dicens: *Nemo nouit* quis sit Filius nisi Pater, & nemo nouit quis sit Pater, nisi Filius. Nam cum dicit, quis sit, significat quidditatem, & essentiam Patris à filio, & filij à Patre solum comprehendi. Cum autẽ dicitur, *Et cui voluerit filius reuelare*, referendum est ad vtramque sententiæ præcedentis partem, vt sit sensus, & cui voluerit Filius reuelare Patrẽ, & seipsum. Ideoque priori parti, qua dicitur, *nemo nouit filium nisi Pater*, nõ additur, & cui voluerit Filium Pater reuelare, sed Filio iam appropriatur reuelatio vtriusque: tum quod prius reuelatio Patri fuerit tributa, tum quod Pater non reuelet nisi per Filium, ad hoc in mundo missum, vt nomen Patris manifestaret hominibus sicut ipse dicit Ioan. 17. Manifestaui nomen tuũ hominibus, &c. Porro cum vel solus filius dicitur nosse Patrẽ, vel solus Pater Filium, non excluditur Spiritus sanctus: sicut nec significatur Patrem non nosse seipsum, aut Filium seipsum. Regula enim Theologica est, quod dictio exclusiua, vel exceptiua addita vni personæ, non excludit in essentialibus alteram personam, sed tantum creaturas.]

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego, &c. Rectè dominus postquam sibi à Patre omnia tradita dixit, & se solum donare homines cognitione Dei, & diuinorum mysteriorum, iam ad se inuitat, vtpote bonorum omnium largitorem, & illius doctrinæ authorem, quæ requiem præstat animæ. Laborare autẽ, & onerarium esse, recte & simpliciter accipientur sine discrimine, vt laborare hic quemadmodum sæpe in Scripturis, accipiatur pro affligi, defatigari, aut molestias aliquas perpeti. Sicuti labor etiam frequẽter ponitur pro afflictione, & molestiarum perpessione. Itaque laborantes, & oneratos vocat ad se, hoc est, eos, qui quacunque ratione defatigati sunt, & miserè affecti. Dicit ergo, venite ad me omnes, qui vel afflictionibus, vel curis, aut vitiorum conscientia, aut Mosaicæ legis onere degrauamini, & delassamini. Omnes vocat cuiuscunque conditionis, & gentis, significans se sine personarum

narum discrimine paratum quosuis suscipere siue Iudæos, siue Gentiles. Quo autem veniant blanda promissione inuitat dicens; *Et ego reficiam vos*, significans se solũ esse, qui illos exonerare, & recreare possit, Verbũ enim reficere hic simpliciter debet exponi per recreare, quæ est propria verbi significatio, quãuis rectius verteretur requiem vobis præbebo. vt sit correspondentia cum sequenti, & inuenietis requiem. Nam postquam dixit ἀναπαυσω ὑμᾶς, id est, requiẽ vobis præbebo, docet quomo requies illa parari possit per ipsum, ab ipso.

Iugum Christi.

Tollite, inquit, *iugum meũ super vos, &c.* Et hac ratione inuenietis requiẽ, quã promitto, ab omnibus laboribus & oneribus vestris. Iugũ vocat legẽ suã & Euangelicã doctrinã, quia in iugi modũ superponitur accedentibus ad Christũ, cõprimens, eos, & vincies, vt nõ quocunq; vult caro vagẽtur, sicut quæcunq; lex, & impetiũ in gũ dicitur in scripturis, vt dirũpamus vincula eorũ, & proiiciamus à nobis iugũ ipsorũ. Itaq; quod dicit, Tollite iugũ meũ super vos, nihil est aliud, quã subijcite vos Euangelicæ meæ doctrinæ. Quod autem sequitur *Et discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, dupliciter intelligi potest. Cõmuniter enim intelligitur Dominum his verbis velle, vt hoc ipsum quod mitis sit, & humilis corde ab eo discamus, hoc est, vt discamus in illo imitari mansuetudinem, & humilitatem: vt coniunctio, quia, pro quod posita sit, & non accipiatur causaliter. Alter sensus est vt coiunctio, quia, accipiatur causaliter, & intelligatur Dominus per mansuetudinem, & humilitatem suam omnes prouocare ad suscipiendum iugum suum, & doctrinam suam, Atque hunc esse veriorem huius loci sensum, ex eo videtur, quod per illud, discite à me, velit explicare quod dixit, Tollite iugũ meũ super vos. In suscipiendo autẽ iugum Christi, nõ solum includitur, vt humiles simus, & mites, quamuis in his maior pars iugi Christi consistat. sed etiam vt sobrij simus & casti, & super omnia, vt Deũ prę omnibus & omnes propter Deũ amemus, ita vt si quid à se discendum esset singulariter explicare voluisset, dicendum potius fuerit; discite à me quod charitatem ad omnes habeam. Nam hęc est vnicum illud mandatum, quod in nouissima cœna discessurus Dominus sui exemplo discipulis commẽdauit, & in quo Paulus dicit adimpleri legẽ Christi. Deinde cũ dicit;

Et inuenietis requiem animabus vestris, Non loquitur de ea requie, & tranquillitate mentis, quæ consequitur discessũ, & naturaliter humilitatem, & mansuetudinem: sed de ea, quæ partim in hac vita habetur in Deo ex fiducia remissionis peccatorum, & bonitatis diuinæ; & quę perfectè obtinetur in futura vita, quando liber erit homo ab omni malo. Opponitur enim requies ista de qua est sermo, illis oneribus, quibus onerati sunt, qui vocantur ad Christum. Hæc autem requies ex vniuersę

Euan-

Euangelicę legis obseruatione paratur, non sola humilitate, & mãsuetudine. [Porro sunt qui inter iugum Christi, & onus eius sic discriminant, vt per iugum præcepta, per onus consilia doctrinę Christi intelligant verum commodius, & simplicius est eandem doctrinam Euangelicam & iugi, & oneris nomine significatam accipere. Iugum enim est, quatenus ea veluti vinculo quodam ligamur, vt secundum ipsam viuere, & incedere debeamus: onus verò est quatenus ipsam ferendi, siue implendi nobis imposita est necessitas.]

Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Dicitur hic iugum Domini suaue quia commodum, & humanum. Est enim hic non χρηστος sed χρηστος quæ dictio non significat dulcedinem ad gustum pertinentem, sed propriè significat commodum, placidum & humanum, vnde iam intelligere licet, quã aperte Dominus & iugo & oneri sua addidit epitheta, dicens iugum non leue, sed suaue, vel commodum, onus vero non suaue, sed leue. Solet enim iugum magis asperitate, & incommoditate vexare animalia sub ipso incedentia, quam grauitate, cum sit iugum non magni ponderis. Onus verè grauitate solet esse molestum. Vnde difficultatem omnem volens adimere Saluator, ne quisquam deterreatur, dicit iugum suum non esse molestum asperitate, sed suaue, & commodum esse, onus etiam non esse graue, & molestum, sed leue & portatu facilè. Dicit autem Dominus suum iugum suaue, & suum onus leue, ad distinctionem illorum onerum & iugorum de quibus supra dictum est, nempe oneris afflictionum, & curarum huius seculi, quod Ecclesiasticus iugum graue vocat impositum filijs Adæ, & vocari potest iugũ mundi. Oneris quoque legis Mosaicæ, quod Petrus dicit fuisse importabile; oneris quoque diaboli, aut peccati, de quo impij sapientię quinto, lassati sumus in via iniquitatis & perditionis &. Oneris Pharisaicarũ traditionũ, quod Saluator testatus est fuisse importabile. Postremũ oneris conscientię ex agnitis peccatis, quo grauatum se conqueritur Psalmista.

Mulieri peccatrici remittuntur peccata. Lucæ 7.

CAPVT. XLVIII.

ROGABAT autem illum quidam de Pharisæis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus qui vocauerat eũ, ait intra se dicẽs: Hic esset propheta, sciret vtique quæ

& qualis

Universidad de Deusto
Biblioteca

& qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquod dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Simon, dixit: Æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intrani in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis terſit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxisti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul discumbebant dicere intra se: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, vade in pace.

Rogabat autem illum quidam de Pharisæis, &c. Recte à Luca hæc Historia superiori sermoni Christi subiuncta est, quanquã forte non ita statim post prædicta contigit, sicuti ab eo etiam narratur sine temporis, & loci significatione. Hac enim historia iam recepta ob oculos ponit, quod verbis docuerat, videlicet Publicanos, & peccatores in gratia Euangelica prælatos Pharisæis, ac illos in Christo Dei sapientiam approbasse, hos verò reprobasse. Hæc enim apud Lucam præcesserant. Deinde & hac historia astruitur, quod proximè præcesserit ex Matthæo, Christum scilicet reficere, & refocillare omnes oneratos venientes ad ipsum.

Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Apud veteres magna fuit quæstio de hac peccatrice, num fuerit eadem cum ea muliere, quã Matthæus cap. 26. & Marcus cap. 14. & Ioannes cap. 12. vnxisse dominum scribunt iminente iã passionis tempore. Origenes Theophylactus putant fuisse tres diuersas mulieres. Quam sententiam sequitur D. Augustinus existimans vnam, eandemque esse mulierem, quæ ab omnibus quatuor Euangelistis scribitur dominum vnxisse, sed hanc bis dominum vnxisse, quam sententiam probat ex illo Ioannis, Maria autem erat, quæ vnxit dominum vnguẽto, & extersit pedes eius capillis suis. His enim verbis vult Augustinus Ioannem notare vnctionem illam cuius meminit Lucas, non autem eam, quæ facta est in Bethania circa tempus passionis. Nam hæc tum necdum facta fuit cum ea contingerent, quæ eo capite scribit. Cum præterea aliquam vnctionem videatur Ioannes notare velle. Sequitur & hanc sententiam D. Gregorius, nihil dubitãs quin peccatrix ista fuerit Maria Magdalena soror Marthæ. Secuta est hanc sententiam post Gregorium, imò & ante Gergorium, vniuersa

De vnica Magdalene.

per orbem Ecclesia, in Ecclesiastico etiam officio Mariæ Magdalenæ tribuens ea, quæ hic à Luca narrantur. [Et licet ratio Augustini non est omnino efficax: potest tamen ex eisdẽ verbis Ioannis, Augustini, & communis sententia aliter probari: Nam cum Ioannis ad specificationem personæ dicat, Maria autem erat, quæ vnxit dominum vnguento, &c. satis significauit solam Mariam Domini pedes vnguento vnxisse, & capillis capitis sui extersisse. Si enim alia etiam mulier id fecit, non satis hac nota personæ qualitas significatur. Itaque cum Origenis opinionem existimantis tres diuersas fuisse mulieres, non sit probabilis vel ob id, quod verisimilius omninò sit eandem esse vnctionem de qua Matthæus & Marcus, cum ea de qua Ioannes, vt post probabitur & Chrysostomi opinio putantis duas fuisse mulieres vnctrices eadem ratione sit improbabilis, quatenus diuersam dicit vnctionem, de qua apud Matthæum, ab ea, de qua apud Ioannem; quatenus verò eandem putat mulierem de qua Matthæus, & de qua Lucas cum communi faciat sententia, Hieronymi verò & Ambrosij sententia à communi non abhorreat, Augustinus, & Gregorius eam apertè asserant, & confirment, eademque Scripturis non aduersetur, sed magis consentiat, & communi consensu sit recepta, Ecclesiastico officio approbata, fama eorum qui à Patribus suis vitam, moresque cum corpore suscepere sit celebrata, & tituli sepulchralis inscriptione corroboratat non est ab ea sententia temere recedendum, aut contra eam contentiosè disputandum.] Quod autem Lucas hanc mulierem non nominet loco isto, honestatis causa fecit: quemadmodum supra Matthæum non vocauit proprio suo nomine, cum de vitio eius fieret sermo. An autem Simon Pharisæus, in cuius domo à Luca narratur hæc vnctio, sit idem cum illo Simone, qui dicitur leprosus, in cuius domo in Bethania Matthæus, & Marcus scribunt suam vnctionem factam non constat, sed nec multum refert. [Augustinum enim magis vult non esse eundem Simonem; eo quod hæc historia videatur non contigisse in Bethania, sed in Galilæa. Alij verò eundem volunt esse Simonem, ex personæ identitate, & familiaritate huius vnctricis mulieris, colligentes etiam fuisse eandem mulierem de qua Matthæus, & de qua Lucas. Nisi enim fuisset huic peccatrici mulieri familiaritas aliqua cum hoc Simone, nequaquam, vt est verisimile, ausa fuisset intrare conuiuij tempore, domum eius.] Dum autem hæc mulier peccatrix vocatur: significari videntur peccata carnis, à quibus propriè infamari solẽt mulieres. Putatur tamen Magdalena non publica fuisse meretrix, sed primùm traditam viro in castello Magdalo cum eo aliquandiu vixisse, postea vero voluptatibus seductam, marito aut derelicto, aut mortuo captam fœdo, & alieno amore, non publicè qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem se prostituentem, sed illicitis deditam amplexibus. Porro obseruande hic peccatricis huius virtutes, & primum in ipsa hoc admirandum quod cum reliqui omnes à Christo sanitatē corporalem requirerent, hæc sola in omnibus Euangelijs mentis sanitatem, & peccatorum remissionem requisiuit, nec requisiuit verbis, sed solis lachrymis satis putabat dominum cognituru, quod petebat. Forte Ioannem audierat dicentem: Ecce qui tollit peccata mundi: aut ab ipso Domino audiuit illud, quod proxime habitum est ex Matthæo, Venite ad me omnes onerati, & ego reficiam vos. Secundo in hac muliere obseruanda est pœnitentiæ ipsius veracitas, & perfectio, quæ in eo ostenditur, quod præ nimio remissionis peccatorum consequendæ desiderio nihil cunctata, & neminem verita super conuiuantes ingressa sit, quod præ summa verecundia, & humilitate retro ilabat iuxta pedes Domini, quod præ doloris magnitudine, & per detestationem peccatorum largiter adeò fleuit, vt lachrymis etiam rigaret pedes Domini, quod præ nimia erga Dominum charitate, & affectus pietate capillis capitis sui terserit eius pedes, eosque ex via puluerulentos osculatus sit, atque vnguento pretioso, quo capita vngi solitum erat, vnxerit plusquam humano modo eum honorans, qui plusquā homo erat. Postremum quod illis omnibus in obsequium Christi, & pœnitentiæ suæ declarationem vsa sit, quibus prius abusa erat ad seruitium peccati, & carnis. Circa literæ autem verba sciendum quod Alabastrum dictio Græca significat vas vnguentarium, factum ex alabastrite lapide marmorei generis, quem lapidem etiam onychen vocati, & cauari ad vasa vnguentaria autor est Plinius lib. 36. Quia autem dicitur quod stans cœperit rigare, conijcere licet triclinium more veterum in ædito fuisse, ita vt stans attigerit pedes Iesu. Non est autem existimandum tantam fuisse lachrymarum copiam, vt potuerint pedes Christi lauari veluti in situla: sed tantas fuisse lachrymas, vt per eas pedes domini sint multum humectati, vt maiores sordes ablui potuerint. Vnde dicitur quod rigauerit pedes Iesu, non quod lauerit. Porro vnguenti pretiositas quo hæc mulier est vsa, ex vasis pretiositate colligi potest. Hinc ergo etiam colligi satis potest, non fuisse hanc mulierem plebeiam, vt aliqui putant.

Alabastrum.

Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, &c. Quemadmodum in muliere ista peccatrice declaratur exemplum, & vis vitæ pœnitentiæ: ita in hoc Pharisæo cognoscere licet superbi Pharisaici arrogantiam; qua Pharisæi sibi de iustitia placentes peccatores fastidiebant, & contemnebant. Existimabant enim Pharisæi virum iustum contaminari colloquio, & contactu peccatoris. Vide autem iudicij huius multam iniquitatem prodeuntis ex falsa opinione mentem præoccupante. [Quomodo enim contactus peccatoris iustum contaminabit: cum omnis immunditia spiritualis a voluntate sola contrahatur. Quomodo autem peccatrix hæc habenda erat, quæ tot ostendit pœnitentiæ non vulgaris signa? Quomodo denique non videtur Propheta, quia non videtur scire qualis esset mulier, quæ tangit eum. An Prophetæ est omnium hominum scire mentem, & discernere posse omnes bonos, & malos. Non enim omnes Prophetæ omnia occulta cognoscunt, sed quantum illis à Deo conceditur. Quomodo autem non videtur scire qualis sit mulier, quia admittit contactum. Nam contra, quia admittit mulieris huius portentosam, & inauditam contingendi se rationem, nec turbatur nouitate rei, & lachrymarum profusione: declarat se scire quæ & qualis sit, quidue peritum venerat.]

Et respondens Iesus dixit ad illum: Simon habeo tibi aliud, &c. Hac prudenti responsione sua Dominus, & suam admissionem iustam esse ostendit, & mulierem ab iniquo iudicio liberat, & Pharisaicæ superbiæ medetur: iudicans illū quoque peccatorem esse, & venia indigere, & longè in dilectione superari à muliere, quàm præ se cō temnebat. Reprehensurus autem dominus Pharisæum, qui ipsum inuitauerat: non mox in illum inuehitur, sed hospiti suo ciuiliter deferens, prius dicendi postulās potestatē, paradigma deinde proponit, sub quo re, quæ gerebatur, expressa ipsemet Pharisæus sententiam pronuncians, & seipsum condēnaret, & Iesum ac mulierem absolueret. Est autem parabola aperta satis, nisi quod nomen fœneratoris hic magis accipi debet simpliciter pro mutuatore, vel creditore, quemadmodum sæpe in scripturis verbū fœnerari. Magis autem hic conuenit nomen creditoris, quia de beneficio remissionis debiti agitur, quale non solent fœneratores suis debitoribus conferre. Deinde vbi nos habemus verbum præsentis temporis dilige, Græcis est futurum *ἀγαπήσει*. i. diliget, vt sit sensus: Ergo vter horum eū plus diliget? Nā quis hic pro vter positum est. In applicatione autē Parabolæ dominus significat esse similem illi creditori, de quo Parabola, qui veluti duo debitores habuit, Simonem scilicet, & Mariā, quorū hæc plus dilexit Dominum, quòd maius debitum agnosceret, & sibi remitti postularet: ille vero minus; quod minus debitum suum esse putaret. Dominus tamen Parbaolam, quatenus ad se spectat humilitatis causa non apertè attingit, sed tā tam indicat se vtriusque veluti creditorem esse: apertè autem & eleganter ostendit maiorem dilectionem peccatricis, quam Phariſæi, idque tribus pulcherrimis oppositionibus, quarū prima est;

Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis tersit. Vbi antitheſis consistit in aqua simplici scilicet & communi, & lachrymis. Deinde vis est in eo, quod non dicat, aqua pedes meos non abluisti, sed nec

sed nec dedisti eā, vt per tuos, vel meos pedes mei lauari possent. Vis item in eo quod dicit, capillis suis tersit, re scilicet cuius ornatum maximè quærunt mulieres, & quam minimè sustinent fœtari. Secunda antithesis est;

Osculum mihi non dedisti, hec autem ex quo intraui non cessauit osculari pedes meos. Vbi antithesis consistit in osculatione pedum, & osculo proprie dicto, quod est oris basium, quod apud Iudæos vulgare erat amicitiæ signum. Deinde oppositio quædam significatur in eo, quod dicitur, non cessauit osculari. Significat enim illum ne vnum quidem dedisse ori osculum, cum hæc frequentia oscula pedibus infixerit. Tertia antithesis est;

Oleo caput meum non vnxisti, &c. Vbi oppositio duplex est, inter oleum scilicet simplex, & vnguentum, quod non simplex est oleum, sed oleum odoriferum, & vt in plurimum diuersorum odorum commistione confectum. Et inter caput, & pedes. Notandum & illud quod ad contemplandam mulierem vocat Simonē, dicens: *Vides hanc mulierem?* quasi dicat: Non poteris hanc velut adhuc peccatricem auersari, & indignam meo contactu censere, si eam probè contemplatus fueris: imo te longe ab ea superari inuenies, si conferas tua in me officia cum illius officijs. [Videsne lachrymis oppletam, sparsis capillis, prodigam vnguenti sui, prodigam osculorum, ac toto corporis habitu pœnitentiæ imaginē præ se ferentem? quomodo ergo vt peccatricem aspernatis. Videsne quot indicijs suum in me amorem testetur, ac tuum amorē quantoperè superet? quomodo ergo meo contactu indignam cēses, qui te non indignum putas me hospitem habere?]

Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniā, &c. Quod attinet ad veritatem huius conclusionis dupliciter respōderi solet. Nam quidam intelligunt hic dominum loqui de plena, & perfecta peccatorum remissione, qua scilicet peccata remissa quoad culpam, remittuntur etiam quoad pœnam omnem. Remissionē enim pœnæ meretur dilectio magna. Alij vero intelligunt eā hanc sententiam de remissione culpæ, & hanc tribui dilectioni tāquam causæ; non quia meritoria sit, aut disponens ad remissionē, sed quia perficit eam tanquam causa formalis; vt sic dictum sit, remittuntur ei peccata, quoniā dilexit, quomodo diceremus. Aqua desijt esse frigida, quia facta est calida. Itaque secundum priorē intelligentiam sermo est de dilectione, quæ consequitur iustificationem: secundum posteriorem sermo est de dilectione, quæ infunditur in ipsa iustificatione. Quod verò attinet ad huius conclusionis congruentiā cū parabolæ exigentia, docte respondet Caietanus potuisse quidem dominum etiam inferre; quoniam remittuntur ei peccata multa, ideo dilexit multum. Nam vtrumque verum est, & quod remissio peccatorū multorū sit causa multæ dilectionis, & quod

quod magna dilectio sit causa remissionis multorum peccatorū: sed dilectio tanquam causa perficiens remissionem, remissio vero tanquam causa disponēs, & prouocans dilectionem. Prouocamus enim ad amandum eum, quem consideramus sua benignitate nobis remittentem debita nostra. Quoniam ergo in materia remissionis, hæc duo sese conuertibiliter consequuntur: vtrumque inferri potuit, imò vtrumque dominus intulit. Nam in priori sententia, dilectionem causam facit remissionis, in secunda vero, cui autem minus dimittitur, &c. remissionem causam facit dilectionis. Et quanquam parabola videbatur exigere, vt inferretur; quoniam remittuntur ei peccata multa, ideo dilexit multum, maluit tamen Dominus inuersam facere conclusionem, vt ostenderet similitudinem de remissione debitarum pecuniarum non per omnia coincidere cum remissione peccatorum. Remissionem enim debitarum pecuniarum amor non perficit, sed eam tantum consequitur ex nostra voluntate. Remissio vero peccati non perficitur sine dilectione, & dilectionem ipsam auget, & prouocat. Itaque ad hoc solum adhibita est parabola illa de duobus debitoribus à Saluatore, vt ostenderet etiam in remissione peccati esse maiorē dilectionem, vbi est maioris debiti remissio, minorem vero vbi est minoris debiti remissio: non autem ad hoc vt significaret dilectionem, vtrobique eodem sese modo habere. Sciendum autem quod si secundum priorem intelligentiā sit hic sermo de remissione pœnæ, optimè conuenit verbum præsentis temporis, remittuntur, si vero de remissione culpæ intelligatur, verbum remittuntur, pro præterito accipi debet remissa sunt, quomodo & Græca habent. Et præstat de vtraque remissione complexim accipere, vt dilectioni hic ideo tribuatur remissio tanquam causæ, quia ad eam concurrit, & tanquam causa perficiens, & tanquam meritoria. Tollit enim inimicitiam inter Deum & homines, tollit & pœnę reatum ex iustitia debitum pro commissis peccatis

Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Non voluit Dominus hic generalem proferre sententiam, sed Simonem, aliosque ei similes notare voluit: qui quoniam parum sibi remittendum putarent, parum etiam diligerent eum à quo, vel per quem remissionem expectabant. Notaturus autem dominus Simonem in tertia loquitur persona, ciuilitatis causa hospiti suo deferēs, nec acerbius inuehens in eum, quem videbat non omnino malum. Quod si autem placet sententiam hanc accipere veluti vniuersalem; oportet intelligere vt in plurimum sic fieri, vt qui pauca admisit peccata, & minori indulgentia opus habet, minus cuam diligat, segniusque ad Deum conuertatur, & conuersus frigidius Deo seruiat. Prima tamen huius loci explicatio, & minus habet difficultatis, & magis conuenit proposito domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dixit autem ad illam, Remittuntur tibi peccata, &c. Absolutè dicit peccata, nec iam addit multa, significare volens omnia ei simul remitti peccata. Non enim alia condonat Deus, alia reseruat: sed semel condonat omnia; nihil prioris vitæ imputans ex animo pœnitenti. Nam quod prius dixit; Remittuntur ei peccata multa, non ideo dixit multa quasi non omnia, sed quod omnia quæ ei remittebantur essent multa. Cum autem ita verba sua Dominus hic rursum, quemadmodum cum remitteret peccata paralytici temperaret, vt apertè non significaret ipsum sibi potestatem remittendi peccata vendicare: tamen rursum Pharisæi, qui simul cum domino accumbebant, calumniari cœperunt dominum, & tacitis apud se cogitationibus obmurmurare, dicentes: Quis est hic, qui tantam sibi sumit authoritatem, vt etiam peccata remittat, cum sit soli Deo proprium? Cum autē dominus horum cognosceret cogitationes, & mulier adhuc hæreret in vestigijs Christi, expectans quid ab eo facere præciperetur; rursus Dominus illam alloquitur, magis eius animum confirmans, & pro mœsta lætam remittens domum.

Fides, inquit, tua te saluam fecit: vade in pace. Quibus verbis inuidiam illorum contra se minuere voluit, dum non se, sed fidem illius salutis causam facit, & simul docere quæ sit fidei vis, vt sic ad fidem & alij inuitarentur. Et quidem frequenter curationem morborum corporalium Dominus fidei tribuit; hic vero etiam sanitatem animæ eidem fidei tribuit: eisdem hic vsus verbis, quibus prius ad curatam à se mulierem à profluuio sanguinis; significans scilicet ad vtramque curationem fidem similiter concurrere. Fides autem quæ dicitur saluam fecisse hanc mulierem, est, qua credidit Iesum esse Christum, & eum qui posset tollere peccata, simpl cum fiducia consequendæ remissionis ab eo. Et go cum cuiusmodi fides etiam spem in se includat, & supra Dominus remissa dixerit peccata ptopter dilectionem: docemur hic remissionem peccatorum non fieri, nisi concurrant Fides, Spes, & Charitas, hoc est non fit nisi per fidem, quæ per dilectionem operatur qualis fortè fides non erat necessaria in assequenda sanitate corporali. Cum autem prius dilectioni Dominus remissionem tribuerit, quod sic propositum exigeret propter assumptam parabolam: hic iam eam tribuit fidei, propterea quod hæc omnis salutis sit origo, vtpote ex qua spes, & charitas procedunt. Quod autem dicitur.

Fidei tribuitur remissio peccatorum.

Vade in pace, hunc habet sensum, vade iam animo consistens tranquillo, quæ ob peccata tua fuisti multum sollicita, & multo dolore sauciata.

Curato

Curato dæmoniaco cœco & muto confurantur Pharisæi Matth. 12. Mar. 3. Lucæ 11.

CAPVT XLIX.

[a] T veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non possent neque panem manducare. [b] Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cœcus & mutus. [c] Et erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium locutus est mutus, [d] & curauit eum, ita vt loqueretur & videret, [e] & admirati sunt, [d] & stupebant omnes [f] turbæ [g] & dicebant: Numquid hic est filius Dauid? [h] Et cum audissent sui exierunt tenere eum: dicebant enim: Quoniam in furorem versus est. [i] † Pharisæi autē [k] audientes [l] & scribæ qui ab Hierosolymis descenderant [l] ▷ dixerunt: [h] Quoniam Beelzebub habet, & quia [i] in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. [k] Hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. [l] [c] Iesus autē sciēs [m] cogitationes eorum, [n] [h] conuocatis eis, in parabolis ▷ [l] dixit eis: [h] Quomodo potest satanas satanam eijcere? [||] [l] Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & [m] omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit: [sed] [c] domus supra domum cadet. [h] Et si satanas contra semetipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, [n] quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? [o] [h] Non poterit stare, sed finem habet. ▷ [l] Et si ego in Beelzebub eijcio [||] dæmones filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. [p] Si autem ego in [q] spiritu [&] [r] digito [s] Dei eijcio ▷ dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei. [||] [s] Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis et vasa eius diripere, nisi prius [t] alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet? [u] Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens, vicerit eum: vniuersa arma eius auferet in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. [t] Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, ▷ spargit. [q] Ideo [h] amen [q] dico vobis, [h] quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemiæ [h] quibuscunque blasphemauerint: [q] spiritus autem blasphemia nō remittetur. [||] Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. [c] qui autē [q] dixerit contra spiritum sanctum [&] [h] blasphemauerit in Spiritum sanctum. [||] [q] non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. [h] Sedebit reus erit æterni delicti, quoniam dicebant: Spiritum immundum habet. [||] [s] Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. siquidem ex fructu arbor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cùm sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono the-

[a] Quidam autē ex eis. ▷ [h] dicebant. [c] Ipse autem. [d] vt videt [d] [h]. & ▷ [h] dicebat. [||] [h] Et si regnum in se diuidatur, non potest regnū istud stare. Et si domus super semetipsam diuidatur, non potest domus illa stare. [t] [h]. [o]. dispartitur, & [k] & [c] Si autem fortior illo superueniens. [||] [c]. [o]. de monia. [o]. Portio. [c]. [o]. de monia. profectō. [||] [h]. Nemo potest vasa fortis ingressū domū diripere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

†*. alliget
*. colligit.
▷ *. dis pergit.
‖*. omne peccatum et blasphemiarum
‖*. non habebit remissionem
*. Qui.
†*. ait.
A. 16. 64.
B. 8. 64.
▷ *. hae
‖*. Iona
†*. generatione ista.
▷ *. eam
A. 5. 39.
B. 4. 51.
C. 8. 51.
A. 6. 42.
†*. inquosa.

no thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. * Et alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo. * Turbis autem concurrentibus, * respondens † cœpit dicere illis. * Generatio hæc, generatio nequam est: * mala & adultera: * signum quæritur & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. * Nam sicut fuit Ionas signum Ninivitis: ita erit & filius hominis generationi huic. * Sicut enim fuit Ionas in ventre cœti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. * Viri Ninivitæ surgent in iudicio cum generatione ▷ ista' & condemnabunt eã: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus quàm ‖Ionas' hic. Regina Austri surget in iudicio cum † viris generationis huius' & condemnabunt ▷ illos', quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. ‖* Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum vt qui ingrediuntur, lumen videant. ‖ Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum:] & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. Cùm * autem * immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca † arida' quærens requiem, & ▷ non inuenit. Tunc dicit': Reuertar in domum meam vnde exiui. Et ‖ veniens' inuenit eam * vacantem, * scopis mundatam * & ornatam. * Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & † intrantes habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. * Sic erit & generationi huic pessimæ.

▷ *. nõ in ueniens dicit.
‖ *. cùm uenerit.
†*. ingressus.

Et veniunt ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non possent neq; panẽ manducare. Tunc oblatus est ei dæmoniũ habẽs, cæcus et mutus. Hic dæmoniacus non tantum mutus, sed & cæcus fuit. Chrysostomus vero etiam surdum fuisse intelligit. Nam dictio κώφος quæ hoc loco est apud Matthæum, & Lucam, Græcis & surdum significat, & mutum. Sed pro muto debere hic accipi, patet manifestè ex eo quod dicitur, & cũ eiecisset dæmoniũ locutus est mutus. Quibus verbis etiam satis significatur, quod cæcitas, & sermonis impedimentũ nõ fuerit in hoc homine aut naturaliter, aut ex alio simili defectu: sed tantũ ex præsentia dæmonis, qui illi & oculorũ vsum, & linguæ sustulit: atque ob id dæmoniũ illud Lucas mutũ vocat, quod scilicet in homine illo nũ loqueretur, & hominẽ illũ mutũ fecisset.

fecisset. Tria ergo simul in hoc homine perpetrata sunt miracula. Nam possessus a dæmone liberatur, cæcus videt, mutus loquitur: Porro obseruanda est diuersitas hominum triplex ab Euangelistis significata, quorum vna pars Dominum propter suam doctrinam, & miracula est admirata, reliquæ verò duæ in Domino sunt scandalizatæ. Vulgus enim & turbæ, quæ Iesum prius familiariter non nouerant, nec scripturarum scientia, aut opinione sanctitatis sibi placebant, *Admirabantur Dominum, & Filium Dauid*, hoc est, Messiam esse facile crediderunt. Cognati verò Christi, (eos enim significat Marcus cum dicit: *Et cum audissent sui.* Vbi pro sui, Græce est οἱ παρ' αὐτοῦ, id est, qui ex illius erant familia, aut cognatione) ob familiaritatem, quam cum ipso habuerant, nihil magnificum de ipso sentire valentes: quod experti essent ipsum prius communem vixisse vitam, & à reliquis nihil differentem; cum audirent quæ de ipso nuntiabantur, insolita esse, & supra modum humanarum virium, furore quodam, & dæmone agi dixerunt, atque hinc fieri vt noua, atque inaudita doceat, & faciat. Itaque quoniã erant cognati, iuxta leges humanas putabant esse sui officij, vt mentis impotem, & à spiritu quopiam arreptum cohiberent: metuentes ne fortè etiam ne rebus per Iesum nouatis, tota simul cognatio perderetur, & profligaretur: cum meritò hi Christum primum suscipere debuissent, vt qui eius innocentiã à puero cognouissent, & eius gloria magnificè erant illustrandi, & cohonestandi. Pharisæi similiter & Scribæ, quorum illi sibi placebant sanctitatis opinione hi scripturarum intelligentia, & ipsi quoque, cum primi debuissent agnouisse, & cuius vita, & doctrina omnis, sanctitatis erat exemplum, & cui scripturæ testimonium perhibebant, contra dominum inuidia sunt commoti; adeo vt non vererentur miraculũ illud quod vulgus admirabatur ascribere potestati dæmonis: grauius certè peccantes, quam cognati: Siquidẽ illi vulgari potius crassitudine peccabant, quam impietate, quod scilicet nihil præclari de Iesu ob familiaritatem sentire possent. Hi verò inuidia & odio excæcati dolebant suam gloriam Christi gloria obscurari. Et illi quidem non tam in miraculis offensi videntur, quam in nouitate doctrinæ, quæ multos post se trahebat. Solent enim furiosi, & amẽtes noua, & insolita loqui, quæ nunquam didicerunt, & nouitate illa rudem plebem ad se trahere. Pharisæi verò & Scribæ miracula apertissima calumniabantur, & quoniam negare non potuerunt, quin humanis viribus maiora essent, quæ dominus fecit expellendo dæmones, nec tamẽ voluerũt diuinæ virtuti ascribere, dæmonia ex virtuti attribuunt; asserentes eum potentem, & insignem aliquem dæmonem habere, *in quo*, hoc est, per cuius virtutem eijciat dæmones. Porro Marcus Scribas, qui calumniabantur Christum in principe dæmoniorum eijcere dæmonio dicit ab *Hierosolymis*

Cognati Christi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lymis descendisse, siue significare volens hos præcipuos fuisse Scribarum, quos ob insigniorem legis cognitionē oportuisset magis ex factis Iesu intellexisse illum esse Christū, ac sic horum impietatem exaggerans: siue significans illos ob id è Ierusalem descendisse in Galilęam, vt populum quem audierant bene affici Iesu, & in magna multitudine illum sequi, ab eo auerterent. De Beelzebub autem, sciendum quod nomen hoc quod nunc Bel, nunc Beel, aliàs Baal profertur, vnum sit, & putè Hebraïcum, quod pro diuersitate punctorum sic variatur, & significat propriè maritum, vel dominum, ideoque dij gentium hoc nomine appellati sunt, quod domini essent illarum gentium, à quibus colebantur. Pro distinctione enim diuersorum idolorum, quæ colebantur ab aliis & aliis gentibus, huic nomini varia apponuntur, vt dicatur Baalphegor, vel Beelphegor, Deus scilicet Moabitarum, qui tamen in Numeris etiam absolutè dicitur Baal. Sic Baalberith nomen Idoli, sic & Beelzebub Deus erat Accaronitarum, interpretaturque Idolū muscæ. Nam zebub muscam significat. Itaque, vt inquit Hieronymus, Iudęi principem dęmoniorū ex spurcissimi idoli appellabant vocabulo, qui rectè musca dicitur, quia exterminat suauitatem olei. Quod autem Lucas dicit; *Et alij tentantes signum de cælo quærebant ab eo*, per præoccupationem dictum est ab eo. Ex Matthęo enim constat, quando signum tale quæsierint à Domino.

Beelzebub

Iud. 9.
1. Reg. 4.

Iesus autem sciens cogitationes eorum, conuocatis eis, in parabolis dixit, &c. Quamuis Pharisęi & Scribę de domino malè non solum cogitarent, sed etiam apud populum calumniarentur, & dicerent in principe dæmoniorum eum eijcere dęmonia: dicitur tamen Dominus scire cogitationes eorum, & ipsis cogitationibus respondere: quia quod huiusmodi dicebant, non aliunde sciuit, quam quia eorum cogitationes cognouit. Deinde quia perpendit quo animo hæc dicerent, nimirū vt populum ab ipso auerterēt. Proinde quādoquidem calumnia hæc non in suā tantum personam recidebat, sed & blasphemia erat in Deum, & ad populi subuersionem vergebat, non potuit Dominus eam silentio præterire: sed validis, & varijs rationibus calumniæ huius absurditatem ostendere voluit. Vtitur autem quatuor potissimum rationibus quæ omnes penè à popularibus, & communibus exemplis sunt desumptæ. Prima ratio desumpta est ab experta frequenter, & ab omnibus cognita instabilitate regni, vel Domus dissidijs, & seditionibus diuisæ, habetque hunc sensum. Experientia ipsa passim docet, omne regnum quamuis benè munitū, ac firmum fuerit, mox collabi, & desolari, si factionibus intestinis diuisum fuerit. Et quid de regno loquor? Adeo nihil est stabile, vbi regnat seditio, vt nec ciuitas, nec priuata quidem domus diu consistere possit: si mutuis odijs inter se dissideant inhabitantes. Si ergo quemadmodum vos calumniamini Satanæ

Satanas Satanā ejcit, consequitur dęmones inter sese seditionibus diuisos esse: quod si verū est, iam Satanas ipse ea aget, quę ad proprij regni desolationē faciunt: cum tamen ipse callidissimè & studiosissimè regnum suum confirmare adlaboret: cū omnibus suis in hoc vnū conspirans, vt hominibus Dominetur, eosque sibi subiectos detineat. Ex hac explicatione patet quomodo intelligi debeat illud, quod pro inconuenienti dominus infert; *Quomodo ergo stabit regnū eius?* Inconueniens enim planè est Satanam ipsum suū regnum destruere velle, quod omnibus modis studet stabilire.

Et si ego in Beelzebub ejcio dæmones, filij vestri in quo ejciunt, &c. Hæc est secunda ratio, qua iam manifestius Pharisæos refellit, dum ostendit vnum, idemque opus in se calumniari eos, quod in alijs laudarent, & diuinæ virtuti aseriberent; satis iam etiam significans vnde calumnia hæc proficiscebatur: nimirum quod non ex ignorantia veritatis, sed ex sola malignitate, & inuidia. Per filios Iudeorum dæmonia etiam ejicientes, rectius intelligūtur exorcistę gētis Iudaicę, qui & ante Christū fuerūt apud Iudęos ex institutione Salomonis: quales fuerūt illi, de quibus Act. 19 septem filij cuiusdā Sceuę Principis Sacerdotum. De huiusmodi ergo exorcistis (qui multū distabant à modo ejciendi, quē Christus cum suis observabat, vt videre est apud Iosephum) intelligendus videtur hic locus, tum quia cum hæc diceret Christus, nondum missi fuerant Apostoli ad prædicandum, tum quia etiā similem calumniā passus est Apostolos suos Christus pernunciat dicens, Si patrem familias Beelzebub vocauerunt; quanto magis domesticos eius? Hi autem exorcistæ dicuntur fore Iudices Iudeorum, quia per eos condemnabuntur, & declarabuntur iusto Dei iudicio condēnandi: vt qui in Christo noluerint commēdare, quod in ipsis commendauerūt. Postquam autem dominus prima ratione prouauit se non in Satana ejicere dæmonia, secūda vero ratione amplius etiā probauit, videlicet quod per Spiritū Dei ejceret, per quē omnes confitebātur exorcistas Iudaicos ejicere: iā ex secunda hac ratione obiter infert & aliā conclusionē, contrariā ei conclusioni, quā statuere volebant Pharisęi. Siquidē hi asserētes in virtute dęmonis dominū ejicere dęmonia, volebāt eū regnū dęmonis velle stāruere, & cōfirmare. Cōtra ergo Dominus ex eo quod probatū est eū ejicere in Spiritu Dei, infert per se regnū diaboli destrui, & regnū Dei adferri: significās nō solū nullā esse dignā causam odij cōtra se, sed potius se omnibus modis ab ipsis amplectendū esse, & promissum regnū Messię, quod illi agnoscere noluerūt iā aduenisse. Porro pro eo quod habet Matthęus in *Spiritu Dei*, qui opponitur principi dęmoniorū, hoc est, Spiritui malo, Lucas habet, *in digito Dei*, quę locutio videri potest deriuata ab eo, quod Magi Egipty, cū nō possent arte sua magica imitari Moysen & Aarō, educētes cyniphes dixerūt, digitus Dei, est hoc,

Sicuti

Iudæorū exorcistæ

Antiqui.

lib. 8 c. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicuti autē in scripturis secundum simpliciorem sensum, per manum & brachium Dei, significatur Dei potestas, & virtus: secundum sensum autem secretiorem, & altiorem ipse Dei filius eiusdem cum Patre naturæ: ita similiter dicendum est de digito Dei, quod secundū primū, & simplicē intellectū significatur Dei potestas secundum mysticū tamen sensum per digitū Dei significatur Spiritus sanctus, qui hac appellatione designatur etiam eiusdē esse naturæ, substantiæ, & potentiæ cum Deo, & à Patre simul & Filio procedere. Itaque secundum mysticam acceptionem digiti Dei, idem est in Spiritu Dei, & in in digito Dei: secundum simplicem autem acceptionem, etsi non idem omnino sit Spiritus Dei. & digitus Dei, tamē cōcidut in Spiritu Dei, ejicere, & in digito Dei ejicere. & regnum autem Dei rectè accipitur in ea significatione, qua propriam habet, & in scripturis frequentem pro eo scilicet regno, quod Ioannes, & Christus prædicauerunt venisse, dicentes. Appropinquauit regnum celorum. Corporalis enim & sensibilis illa dæmonum electio ad hoc fiebat, vt per eam omnes intelligerent ipsum esse eum, qui ex animis hominum venerat electurus dæmones, per incredulitatem, & peccatum dominantes mentibus hominum: ac ob id infert regnum Dei venisse, non solum ob sensibilem illam dæmonum electionem, sed multo magis ob spiritualem, quā illa sensibilis adumbrabat.

Digitus Dei.

Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, &c. Tertia hęc est ratio posita ab omnibus tribus Euangelistis qua non solum probatur id, quod precipuè erat probandum videlicet Satanam non ejicere Satanam, sed etiam peruenisse iam in Iudęos regnum Dei, quod proximè præcedit. Vnde bene Matthæus continuādo subijcit: Aut quomodo, &c. pro eo quod est, Alioqui nisi sic fit quemadmodum dixi, quomodo potest, &c. In hac autem parabola primum obseruandum dominum comparare Satanā forti principi, qui aulam spolijs plenam custodit longo tempore in pace, se verò comparate principi fortiori. Maior est enim, inquit Ioannes, qui est in vobis, quam qui est in mundo. Secundo obseruandū, dominum in hac parabola significare se eripere spolia diaboli: quod tamen non solum nec potissimum dicit ob electionem dęmonum è corporibus obsessorū: sed multo magis quia doctrina sua multorum animos illius tyrannidi eximebat, ad fidem ac virtutem eos instituens: cuius spiritualis liberationis specimen quoddā fuit corporalis dæmonum electio. Iam ingressus in regnum diaboli, recte intelligetur manifestatio Christi per prędicationem & miracula. Tunc enim veluti ingressus est in regnum diaboli ad diripiēdum, & spoliandum, tuncque primum illum cœpit alligare, & potestatem illius comprimere. Quod autem iam tum Dominus significat se diabolum alligasse, & arma illius abstulisse: intelligendum est iam

iam ex parte illud factum, & tunc cœptum fieri, quod postea per crucem, & Apostolorum prædicationem perfectius fecit. Porro distributio spoliorum diaboli, quæ significatur facta à Christo, dū dicitur, *Et spolia eius distribuet*; vel intelligenda est facta Patri cui Christus spolia illa obtulit, & assignauit; vel intelligenda est facta Angelis bonis, aut Apostolis, eorumque successoribus, quibus oues suas Dominus custodiendas commisit.

Qui non est mecum, contra me est. Quarta hic ponitur ratio vt omnium breuissima, ita & efficacissima: vt qua dissoluitur quidquid contra præcedentes rationes obijci posset. Sed circa veritatē huius sententię occurrit difficultas. Dicendum proinde dominum non voluisse hic generalem sententiam proferre, sed quemadmodū docet Hieronymus de diabolo dicta est singulariter hęc sententia, videturq; dominus huc sensum voluisse significare: Diabolus cuius virtute dicitis me ejicere dæmonia, non solum non est mecum, sed etiam contra me est; & non solum non congregat mecum homines in horreum Dei, sed eosdem etiam dispergere studet per varios errores, elongando eos à Deo. Vnde ex operum diuersitate, & contrarietate cōstat inter me, & inter Satanam nullā esse concordiā. Attamen etiā generaliter vera est hęc sententia: Qui nō est mecū, contra me est, &c. Eo quod nō sit mediū inter amare Deū, & aduersari Deo. Quicunq; enim illū nō amat, necesse est mū do, diabolo, & carni seruiat, ac proinde necessario aduersatur Deo.

Ideo, amen dico vobis, quoniam omnia dimittētur Filijs hominum, &c. Postquam varijs rationibus Pharisæorum impietatem coarguit, modo quanta sit eorum impietas ostendit, asserens eā, quod fit in Spiritum sanctum blasphemia, irremissibilem esse. Circa quem locum grauis occurrit difficultas, adeo vt D. Aug. putet in omnibus scripturis nullam forte maiorem quęstionem, aut difficultatem inueniri. Videndum ergo & quid dicatur blasphemia in Spiritum sanctum, & quomodo sit ea irremissibilis. Primum certum est hic dominum loqui non de quouis peccato, quod dici possit singulari aliqua ratione commissum in Spiritum sanctum, sed peccato quod in verbis consistit. Blasphemia enim propriè est contumelia alicui verbis illata. Nec dicit, Omnis qui peccauerit in spiritum sanctum, sed, qui dixerit verbum contra Spiritum sanctū, aut, vt habet Marcus, qui blasphemauerit in Spiritum sanctum. Quod non intelligendum de verbo cordis sicut Aug. intelligit, patet ex eo quod Marcus adijciat quoniam dicebant, Spiritum im mundum habet. Deinde ex ijsdem Marci verbis certum est Dominum notare voluisse Pharisæos, quod in spiritum sanctum peccauerint, non tamen ob impœnitentiā, aut impugnationem veritatis semel acceptæ, aut desperationem, aut præsumptionem (quod D. Aug. varijs locis interpretatur in Spiritum sanctum) sed quoniam

De peccato in Spiritum sanctum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

niam Spiritui immundo tribuebant eiectionem dæmonũ factam virtute Spiritus sancti. Itaque magis amplexãda Hietonymi, Chrysostomi, Ambrosij, aliorumque veterum expositio, qui intelligũt blasphemiam in Spiritum sanctum esse eam, qua quis malitia aliqua permotus, quę manifestè sunt Dei, tribuit dæmonibus, vt eam eiectio dæmonum. Itaque nomen Spiritus Sancti non necessario hic accipi debet, vt significetur tertia in diuinitate persona, & discretio insinuetur inter peccatum in Spiritum, & peccatum in Patrem, aut in Filium. Sed nomen Spiritus Sancti ponitur pro tota diuinitate, vt blasphemare in Spiritum Sanctum sit penè idem, quod blasphemare in Deum. Ideo autem positum est nomen Spiritus Sancti, quod hoc directè opponatur Spiritui immundo, cuius virtute dicebant Dominum eijcere demonia. Item quod Spiritui Sancto proprie tribuitur operatio virtutum, & miraculorum in scripturis, blasphemia autem in filium hominis, est qua aliqui calumniabantur Christum, tanquam vini potorem, & voracem, amicum publicanorum, offensi scilicet humanitate eius: hoc est, blasphemia in filium hominis fuit, qua calumniabantur facta eius humana, aut quæ speciem aliquam mali videri poterant habere: qualia erant, edere cum peccatoribus, soluere sabbatum, remittere peccata. Blasphemia in Spiritum, qua facta calumniabantur, quæ apertè erant diuina tribuentes ea dæmonibus. Secus autem quod dicitur.

Blasphemia in Filium hominis.

Omne peccatum & blasphemia in filium hominis, remittetur, hominibus. Non sic est intelligendum quasi semper cunctis hominibus remittatur, sed quod facile remittatur: ita quod dicitur. *Blasphemia spiritus*, id est, in Spiritum sanctum non remittenda, intelligendum quod regulariter non remittatur, & quod difficulter obtineatur. Vbi notandum non dicere dominum, blasphemia Spiritus est irremissibilis, sed non remittetur, non negans remissionis possibilitatẽ, sed euentũ. Vt in plurimũ enim nõ sequitur tale peccatũ remissio: eo quod ob criminis ipsius enormitatem qui sic peccãt tradãtur fere in reprobũ sensum: aut quod huiusmodi crimen ex reprobo sensu, in quem traditi sunt, procedat, vnde fit vt dignam non agant pœnitentiam, ac proinde nec remissionem consequantur. Aut blasphemia in Filium hominis dicitur remittenda quia venia digna est, eo quod habeat causam excusantẽ, nempe infirmitatem hominis assumpti, qua offenditur quis; blasphemia vero Spiritus non remittenda dicitur, quia nullam habet causam excusantem, ac proinde non meretur veniam. Iam vero illud quod subiungitur; *neque in hoc seculo, neque in futuro*: etsi videri possit illud (in futuro) additum esse ad exaggerationem, quasi plus sit peccatum non remitti in futuro, quam non remitti in præsenti; cum commune sit omnibus peccatis, quæ dicuntur mortalia,

Quomodo irremissibilis blasphemia Spiritus Sanctum.

talia, vt quæ non sunt remissa in præsenti, non remittantur etiã in futuro: Sed dicendũ tamen, Dominum cum significare vellet peccatum hoc nullo tempore remitti, ideo postposuisse neque in futuro, quod futurum seculum sequatur præsens. Non enim conueniens est eorum explicatio, qui hac duplicatione nihil aliud significatum volunt quã quod est apud Marcũ, *in æternum*: Nã hac in te nõ Matthęus per Marcũ, sed contra Marcus, qui breuius, per Matthęum, qui copiosius, est explicandus. Cum autem apud Marcum redditur ratio, quare dominus notauerit eos blasphemię in Spiritum sanctum, *Et dicitur quoniam dicebant, Spiritum immundum habet*, videtur supplendum in cuius virtute eijcit dæmones; Nam alioqui simpliciter ea ceptum, videtur esse blasphemia in Filium hominis, potius quam in Spiritum Sanctum.

Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, &c. Locus hic dupliciter intelligitur, sed eorum magis sequenda est interpretatio, qui arborem bonam, & fructum ad Christum referunt in hũc sensum: Cum iuxta communem etiam sensum, de fructu dignoscatur arbor; cur vos arborem calumniamini, cuius fructum non approbare non potestis? Aut me simul cum operibus laudate, aut me tanquam arborem malam vnà cum operibus damnate. Iam vero contra cum eijcere dæmones, reliquaque miracula, quæ facio non possitis negare quin bona sint opera, me tamen veluti malum calumniamini. Porro post hanc parabolam de arbore bona & mala, commodè iam subijcit Dominus, vnde hæc improba, & irrationabilis calumnia profecta sit, nimirum ex eo quod cum arboribus malis similes essent, non possent non malos fructus proferre, & mala loqui, eo quod mali essent. Bene autem Dominus sicut & Ioannes eos vocat, *progeniem viperarum*, quod in parentibus gloriarentur: significans eos nihil minus esse quàm progeniem Patriarcharum, & Prophetarum. In eo autem. *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali*, Significatur potius difficultas, quam impossibilitas bene faciendi, vel loquendi. Illi autem sententiæ.

Ex abundantia cordis os loquitur, consonũ est illud Eliu, Plenus sum sermonibus, & coartat me spiritus vteri mei, &c. *Iob.* 32.

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti, &c. Otiosum verbum dupliciter accipitur, vt annotatum est à Chrysostomo. Nam ipse quidem verbum otiosum intelligit verbum calumniosum, & mendax, quasi vacuum veritate. Alij vero intelligunt verbum otiosum, quod vanum est, etiam si non planè sit sceleratum. Otiosum verbum est (ait Gregor.) quod aut ratione iustę necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis *Lib. 7. mor. cap. 25.* caret. Secundum hanc autem verbi otiosi acceptionem. Christus quo magis terreret blasphemos Pharisęos argumento vtitur à minori,

De verbo otioso.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minori, vt sit hic sensus: Cum tanta sit verborum hominis apud Deum ratio, vt etiam de otiosis verbis sint homines Deo reddituri rationem: quanto magis vos, qui opera Spiritus sancti calumniamini, reddituri estis rationem calumniæ vestræ. Porro quanquam verbi otiosi nulla possit reddi ratio (nã ideo otiosum dicitur quod ratione careat) dicuntur tamen homines de eo reddituri rationem, quia de eo examinabuntur, & ratio ab eis exigetur, quam quia reddere non poterunt, condemnationem excipient. [Verum si verbum otiosum dicitur omne verbum vanum, quomodo de verbo otioso ratio exigetur in nouissimo iudicij die, quando solum punientur mortalia crimina damnatione æterna? Dicendum ergo, vel intelligendum hunc locum de particulari vniuscuiusque iudicio, quod excipitur in morte, vel si ad nouissimum iudicij generalis diẽ illud referatur, intelligendum malos quidem & damnatos etiã punierados in æternũ pro venialibus peccatis, quę commiserunt, sicut perpetua quadam carnificina mentis torquebuntur, recogitantes non solum impie, & peruerse à se dicta, vel facta, sed etiam otiosa quę locuti sunt verba. bonos vero, quod iam satisfecerint Deo siue per pœnitẽtiam, siue in purgatorio non reddituros tum rationẽ otiosi verbi, nisi intelligamus ideo eos etiam reddituros rationẽ, quia minor erit eorum beatitudo, qui plura otiose locuti sunt.] Confirmat autem prædictam sententiam Dominus cum subijcit,

Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condẽnaberis, Cuius sensus est; Non tantum ex operibus quisque vel iustificabitur, vel condemnabitur, sed etiam ex verbis suis: vt ne quis putet verborum non habendam rationem, vt plerique sibi persuadent. Et accipitur hic iustificati non pro iustum fieri, sed pro pronunciari, & declarari iustum, quẽadmodum patet ex contrario vero condemnandi.

Tunc responderunt ei quidam de scribis & Phariseis, &c. Istos fuisse alios ab his, qui calumniabantur eiectionem dæmonum tanquam factam virtute Satanæ, testatur Lucas, qui & maligno spiritu petiisse signum significat, cum dicit; Et alij tentantes signum quærebant, &c. Proinde quod Magistrum vocant Christum, certum est per simulatam venerationem, & hypocrisim illos dixisse. Quod autem dicunt *Volumus*, intelligit Caietanus notari horum arrogantiam, potest tamen simplicius accipi positum pro cupimus, quia sequitur, Generatio hæc signum quærit, &c. Porro cum dicunt *Volumus à te signum videre*; non est intelligendum eos simpliciter quærere miraculũ aliquod; sed quærere signum aliquod, quo declararetur ipsum esse Deo charum, & Messiam, & virtute Dei facere quæcunque mirabiliter faceret, quomodo Ioan. 2. dicuntur dixisse: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis. Rursus ex Luca constat eos non qualecunque huiusmodi signum petiisse,

isse, sed signum aliquod è cælo, quod & alio tempore rursum eos petisse scribit Matth. cap. 16. & Mar. 8. Tentantes autem petierũt huiusmodi aliquod signum nimirum quia periculum facere voluerunt potentiæ Christi, vt si tale signum ædere non posset, iam haberent iustam occasionem calumniandi ipsum.

Turbis autem concurrentibus respondens ait illis; Generatio, &c. [Quomodo dicitur, nõ dabitur ei signum, nisi signum Ione Prophetæ, cum multa alia signa sint data à Christo, quibus Iudæi potuerint intelligere ipsum esse Messiam.] Intelligendus est hic locus hoc modo. Non dabitur ad petitionem generationis huius signum aliquod è cælo quale petunt. Et dictio exclusiua, nisi, accipienda est simpliciter pro sed, quomodo accipitur ad Galat. cum dicit Paulus, Scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Sensus ergo est, Non dabitur eis petentibus signum quale petunt; sed aliquando dabitur eis signum omnino diuersum ab eo quod petunt, nimirum non signum è cælo, sed è profundo terræ. Aut si dictio exceptiua (nisi) propriè accipienda est: intelligendum est Dominum in hac responsione respexisse ad illud quod olim Iudæis petentibus signum (vt scribitur Ioan. 2. signum hoc Ionæ eis dederit, dicens: Soluite templum hoc, & in tribus diebus rexdificabo illud. Itaque sensus erit iste, qui omnium videtur conuenientissimus: Generatio hæc rursum quærit signum, ego vero dico, eis aliud signum à me non assignandum, aut constituendum, præter illud, quod olim eis constitutum. Hoc autem est signum resurrectionis, quod vocat signum Ionæ, quia in Iona præfiguratum. Quod signum solum Dominus petentibus Iudæis signum semper assignauit, eo quod illud omnium efficacissimè demonstraret quisnã ipse esset: & vt prædicatione huiusmodi signi resecaret probabilem occasionem scandali Iudæorum in cruce, & morte sua, ac resurrectionis suæ infidelitatem. Porro quomodo dixerit signum Ionæ dandum Iudæis, declaratur apud Lucam hoc modo.

Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti. Apud Matthæum verò sic.

Sicut enim fuit Ionas in vẽtre cœti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Ex qua diuersa duorum Euangelistarum collatione patet quomodo vtriusque declaratio debeat intelligi, videlicet quod Ionas fuit signum Niniuitis, per hoc quod fuit in ventri cœti tribus diebus, ac deinde viuus redditus, & quod ideo fuit in ventre cœti tribus diebus, vt esset Niniuitis signum ipsum missum esse à Domino ad prædicandam pœnitentiam: sicque significatur etiam filius hominis ob id in sepulchro tribus diebus quieturũ, ac deinde resurrecturum, vt sit signum Iudæis, ipsum missum fuisse à Deo

ad prædicandam pœnitentiam. Non tamen in hoc solo est similitudo inter Ionam & Christum, sed etiam in aliis, videlicet, quod quemadmodum Ionas sponte sese tradidit in mortem pro sedanda tempestate: ita & Christus sese vltro obtulit in mortem pro placãda ira Patris. Et quomodo Ionas relictis Iudæis sua prædicatione Niniuitas subitò conuertit: ita & Christus post resurrectionem suam relictis obstinatis Iudæis per Apostolorum prædicationem multas gentes ad fidẽ & pœnitẽtiam subito conuertit. Cum autem dicit Dominus se futurum in corde terræ *tribus diebus & tribus noctibus*, est Hebraismus, valens perinde ac si dixisset tantũ tribus diebus naturalibus, quibus synecdochicè Christus fuit in sepulchro: cum fuerit in eo vno die integro, ac duorum dierum aliqua parte. Sicut & illud in *corde terræ*, Hebraismus est, pro eo quod est in imo terræ, aut in ima terra, quomodo dicitur in Psalmis: *Transferentur montes in cor maris*, pro eo quod est in profundum maris.

Viri Niniuitæ surgent in Iudicio cum generatione ista, &c. Postquam Dominus se Ionæ, & Iudæos Niniuitis comparasset: ostendit simul quanta sit diuersitas inter se, ac Ionam, & inter Iudæos, ac Niniuitas. Ne enim aliquis existimaret talia per Christum futura in Iudæis, qualia per Ionam contigerãt Niniuitis, vt sicut Ionas illos conuertit, & ciuitas fuit liberata, ita illi post resurrectionem cõuertentur: Dominus nunc contrarium ostendit, videlicet non secuturum talem fructum in Iudæis per se longe maiorem, & maioribus signis commendatum, qualis fructus secutus fuit in Niniuitis per Ionam longe Christo inferiorem. Proinde bene dicitur,

Et ecce plusquam Ionas hic, hoc est in hoc loco. Benè etiam dicitur Niniuitas condemnaturos generationem Iudæorum, minimè quia suis factis, & pœnitentia declarabunt iustam esse Iudæorum condemnationem. Porro ad apertiorem declarationem impietatis Iudaicæ addidit Dominus & aliud gentilis pietatis, & religionis exemplum; videlicet quod ea quæ mulier erat, & gentilis, & regina, ac ob id multis negotijs occupata: tamen amore sapientiæ etiam a remotissimis terræ partibus Salomonem adierit fola fama excitata; cum Pharisæi veritatis & Sapientiæ ex professione studiosi coram admonentem, & diuina virtute contestantem se esse filium Dei nõ audirent. Hæc autem Regina Austri ea est, quæ tertij Reg. 10. vocatur Regina Saba, non illius quidem Saba quæ est in Arabia, sed alterius quæ est in Æthiopia. *Regina Austri.*

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, &c. Hatum parabolarum sensum, ex his quæ circa Matthæum in sermone illo qui dicitur sermo in monte, dicta sunt intelligere licet: tantum videndum quomodo proposito loco hæ seruiant. Apparet secundum quosdam hanc parabolam dictam à Saluatore de scipso, vt significaret lucis suæ claritatem non occultari debuisse Iudæis propter illorum impœnitentiam, & obstinationem, de qua superius dixit. Quoniam enim obijcere quis posset quorsum prædicaret Iudæis obstinatis: ideo videtur subiecisse hanc parabolam; ostendens ob quorundam excœcationem non supprimendam veritatem, cuius cognitio plurimos esset adductura ad salutem æternam. Lucernam enim accensam non ponendam sub modio, sed supra candelabrum, vt lumen præbeat, si non his qui ingredi domũ nolunt, saltem illis, qui ingrediuntur domum, aut qui sunt in domo. Quoniam autem lucernæ facta est mentio in hac parabola, ob id Dominus huic captæ occasione aliam parabolam de lucerna adiungit, qua notat Pharisæos, significans ex vitiato oculo mẽtis eorum proficisci tam iniqua iudicia; nec posse fieri vt bene vel loquantur, vel faciant, quandiu oculum illum non purificauerint. Vbi aduertendum de alia lucerna locutum Dominum in prima parabola, & de alia in posteriore. Siquidem in priore sermo est de lucerna cõmuni accensa ad illuminationẽ aliorum ingredientiũ domum: in posteriore vero sermo est de lucerna vnicuique propria, non relata ad aliorum illuminationem, sed ad proprij corporis claritatem. Nec in eo solum differt lucerna hæc a superiores sed etiam in illo quod lucerna illa solum est lux: lucerna vero hæc potest esse lumen & tenebræ. Porro quoniam apud nos conclusio illa;

Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquã partem tenebrarum, Erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te, videtur esse absurda; eo quod idem inferatur ex seipso: sciendum est Græca habere aliter vltimã illam partẽ, nempe hoc modo, ὅταν ἀστραπὴ φωτίζῃ σε, i. erit corpus totum sic lucidum, vt cum lucerna fulgore illuminat te: ista vt inferatur modus quo corpus erit lucidum.

Cum immundus spiritus exierit ab homine, &c. Pro intellectu huius loci de Spiritu immundo exeunte, & redeunte, quãdoquidem valde variè tractatur; sciendum imprimis ex intentione Saluatoris, ea quæ hic dicuntur non restringenda ad quosuis homines, sed ad populum Iudæorum: quemadmodum patet ex eo quod Matthæus in fine subiecit. Sic erit & generationi huic pessimæ, &c. Cuius partis omissio apud Lucam, dedit quibusdam occasionem aliter explicandi hunc locum, quam intentio Saluatoris requirit. Ex qua parte etiam patet, hunc sermonem esse Parabolam, vel exemplum, nec illud potissimum significare, quod significare Saluator voluit; sed aliud propter quod parabola, vel exemplum assumitur. Proinde pro simplici & genuino parabolæ postea applicandæ intellectu; sciendum Dominum in duabus illis locutionibus (nẽpe cum dicitur diabolus expulsus ab homine ambulare per loca

Universidad de Deusto
Biblioteca

arida, ibique non inuenire requiē, cum ariditas loci diabolum vt pote incorporeum, non posſit offendere; deinde cum dicitur inuenire domum ſuam vacantem, ſcopis mundatam, &c loqui de dæmone tanquam de homine per anthropopathiam. Arida enim loca, hoc eſt deſerta, & ſqualida, inepta ſunt loca vt habitentur ab hominibus; domus vero vacua purgata, & ornata, non ſolum eſt parata vt habitetur ab homine, ſed etiam prouocatiua, & illicitiua ad ſui inhabitationem. Itaque ſimilitudine ab hominibus mutuata ſignificatur, quemadmodum homo non inuenit ſibi requiem in locis arentibus, & deſertis, ſed mauult in ornata domo agere: ita dæmones nullam ſibi requiem inuenire, cum ab hominibus ſunt expulſi, niſi rurſum inueniant hominem aliquem qui eis bolo paratus in ſeipſo locum, eumque veluti inuitauerit. Priori ergo illa locutione allegorica ab homine deſumpta ſignificauit, omnem habitationem immundo ſpiritui ſqualidam eſſe, & deſertam præ habitatione hominis, nec aliud malle dæmones, quàm agere apud homines, vt illos inſeſtent: poſteriori vero locutione ſignificatur, non eſſe diabolo locum in homine, niſi homo domū ſuam alijs vacuauerit, ac diabolo locum fecerit, & inuitauerit veluti ſi quis cupidè excepturus aliquem hoſpitem, domum alijs euacuauerit, tum & ornauerit, ac purgauerit, quo magis illi libeat in eam ſeſe recipere. Quod autem dicitur:

Tunc vadit, & aſſumit ſeptem. Hoc eſt multos alios ſpiritus *nequiores ſe, &c.* Intelligendum ad literam dæmonem inuenta commoda habitatione, a qua ſemel erat expulſus, alios multos ſibi adiungere: ſiue quod inuenta commoditate ſolus nolit frui, ſiue potius ne iterum inde expellatur facilè. Iam quod ad applicationem parabolæ ad gentem Iudaicam pertinet, Diuus Hieronymus intelligit Dominum hac parabola ſignificare voluiſſe populum illum ſemel à diabolo liberatum in traditione legis, tamen propter ſuam malitiam à pluribus dæmonibus firmiſſimè poſſidendum. Chryſoſtomus vero duo intelligit Dominū ſignificare, videlicet & populum Iudaicum peius iam ſe habiturum ſub Romanis, quod ad externas attinet calamitates, quam vnquam prius vel ſub Ægyptijs, vel ſub Aſſyrijs, vel ſub Antiocho: & ſecundò eum populum a prauis ſpiritibus magis, & firmius occupandum, quam vnquam prius.

Applicatio parabolæ.

Matri & fratribus carnalibus præferuntur verbi Dei obſeruatores. Matth. 12. Mar. 3. Lucæ 11. & 8.

CAPVT L.

Factum eſt autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Ad hæc illo loquente ad turbas, ecce venerunt ad illū mater eius & fratres. [&] ſtabāt foris quærentes loqui ei: & nō poterāt adire eū pra turba. Et foris ſtantes miſerunt ad eū, vocantes eū. Et ſedebat circa eum turba. Dixit autem ei quidā: Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant volentes te videre [&] quærentes te alloqui. At ipſe reſpondens dicenti ſibi ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et circumſpiciens eos qui in circuitu eius ſedebant: extendens manum in diſcipulos ſuos dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Dei patris mei qui in cœlis eſt, ipſe frater meus & ſoror mea & mater eſt. Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

C. 11.

Factum eſt autem cum hæc diceret, extollens vocem, &c. Aptiſſimè mulier muliebri more beatificat vterum, & vbera, quod hæc ſint muliebria; volens hac ratione beatificare matrem, & nutricem, quæ talem, ac tantum virum protulit, & aluit. Obſeruādum certè & illud quod cum Spiritus ſancti hæc fuerit vox, non parentes Ieſu à muliere beatificantur, ſed venter tantum portantis, & vbera lactantis, quod vnum tantum in terris haberet parentem. Itaque mulier quidem muliebri more muliebria laudat: Spiritus verò ſanctus per eam & veram Chriſti humanitatem, & vnius parentis ſingularitatem aſtruit. Quid autem Dominus ad hæc?

Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Generoſe certè, de more patrum ſemper tribuens cognationis affectui. Eſt autem quinimò (pro quo Græcè eſt μενοῦνγε, quod etiam verti poteſt certè) coniunctio, qua non negatur quod dictum, ſed cum affirmatione dicti infertur quod eſt certius. Itaque non negat hoc reſponſo Dominus Matrem ob conceptum ſui, & enutritionem eſſe beatam: ſed confirmans mulieris ſermonem, ſubiungit potiorem beatitudinis rationem; quæ niſi beatæ virgini competiſſet, nihil ei partus Chriſti ad veram beatitudinem profuiſſet. Bene autem dicit:

Qui audiunt & cuſtodiunt. Eo quod neutrum ſine altero beatificare poſſit. Nec dicit, qui audierunt, & cuſtodierunt, ſed qui audiunt, & cuſtodiunt, vt intelligamus ſolos perſeuerantes in audiēdo, & cuſtodiendo, eſſe beatos.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce veniunt ad illum mater eius. Ex Marco apparet ſimpliciter iſtum nuntiaſſe Domino ſiquidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

arida, ibique non inuenire requiē. eum ariditas loci diabolum vt pote incorporeum, non possit offendere, deinde cum dicitur inuenire domum suam vacantem, scopis mundatam, &c. loqui de dæmone tanquam de homine per anthropopathiam. Arida enim loca, hoc est deserta, & squallida, inepta sunt loca vt habitentur ab hominibus; domus vero vacans purgata, & ornata, non solum est parata vt habitetur ab homine: sed etiam prouocatiua, & illicitiua ad sui inhabitationem. Itaque similitudine ab hominibus mutuata significatur, quemadmodum homo non inuenit sibi requiem in locis arentibus, & desertis, sed mauult in ornata domo agere: ita dæmones nullam sibi requiem inuenire, cum ab hominibus sunt expulsi, nisi rursum inuenant hominem aliquem qui diabolo parauerit in seipso locum, eumque veluti inuitauerit. Vnde ergo illa locutione allegorica ab homine desumpta significauit, omnem habitationem immundo spiritui squallidam esse, & desertam præ habitatione hominis, nec aliud malle dæmones, quam agere apud homines, vt illos infestent: posteriori vero loco significatur, non esse diabolo locum in homine, nisi homo domum suam alijs vacuauerit, ac diabolo locum fecerit, & inuitauerit: veluti si quis cupidè excepturus aliquem hospitem, domum alijs euacuauerit, tum & ornauerit, ac purgauerit, quo magis illi libeat in eam sese recipere. Quod autem dicitur:

Tunc vadit, & assumit septem. Hoc est multos alios spiritus *nequiores se, &c.* Intelligendum ad literam dæmonem inuenta commoda habitatione, à qua semel erat expulsus, alios multos sibi adiungere: siue quod inuenta commoditate solus nolit frui, siue potius ne iterum inde expellatur facilè. Iam quod ad applicationem parabolæ ad gentem Iudaicam pertinet, Diuus Hieronymus intelligit Dominum hac parabola significare voluisse populum illum semel à diabolo liberatum in traditione legis, tum propter suam malitiam à pluribus dæmonibus fœdissimè possidendum. Chrysostomus vero duo intelligit Dominū significare, videlicet & populum Iudaicum peius tam se habiturum sub Romanis, quod ad externas attinet calamitates, quàm vnquam prius vel sub Ægyptijs, vel sub Assyrijs, vel sub Antiocho: & secundo eum populum à prauis spiritibus magis, & firmius occupandum, quam vnquam prius.

Applicatio parabolæ.

Matri & fratribus carnalibus præferuntur verbi Dei obseruatores. Matth. 12. Mar. 3. Lucæ 11. & 8.

CAPVT L.

F. ACTVM

ACTVM est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Ad hæc illo loquente ad turbas, ecce * † veniūt, ad illū ▷ * & mater eius & fratres. [&] stabāt foris quærētes loqui ei: & nō pote vāt adire eū præ turba. Et foris stantes miserunt ad eū, vocantes eū. Et sedebat circa eum turba. | Dixit autem ei quidā: Ecce mater tua & fratres tui foris stant volentes te videre [&] † quærentes te. Qui respondens dicenti sibi ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei. Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, & extendens manum in discipulos suos || dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Dei patris mei qui in cœlis est, ipse frater meus & soror mea & mater est. Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

C. 11. † ✱. venerunt autē ▷ ✱. mater & fratres eius. C. 8. || Et dicunt ei. ✱. Et nuntiatum est illi. † ✱. quærunt. ▷ ✱ Et respondēs ait. ✱. Qui respondēs dixit ad eos || ait † ✱. Qui

Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem, &c. Aptissimè mulier muliebri more beatificat ventrem, & vbera, quod hæc sint muliebria; volens hac ratione beatificare matrem, & nutricem, quæ talem ac tantum virum protulit, & aluit. Obseruādum certè & illud quod cum Spiritus sancti hæc fuerit vox, non parentes Iesu à muliere beatificantur, sed venter tantum portantis, & vbera lactantis, quod vnum tantum in tertis haberet parentem. Itaque mulier quidem muliebri more muliebria laudat: Spiritus vero sanctus per eam & veram Christi humanitatem, & vnius parentis singularitatem astruit. Quid autem Dominus ad hæc?

Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Generosè certè, de more patrum semper tribuens cognationis affectui. Est autem quinimo (pro quo Græcè est μενοῦνγε, quod etiam verti potest certè) coniunctio, quia non negatur quod dictum, sed eius affirmatione dicti infertur quod est certius. Itaque non negat hoc responso Dominus Matrem ob conceptum suū, & enutritionem esse beatam: sed confirmans mulieris sermonem, subiungit potiorem beatitudinis rationem; quæ nisi beatæ virgini competisset, nihil ei partus Christi ad veram beatitudinem profuisset. Bene autem dicit:

Qui audiunt & custodiunt. Eo quod neutrum sine altero beatificare possit. Nec dicit, qui audierunt, & custodierunt, sed qui audiunt, & custodiunt, vt intelligamus solos perseuerantes in audiendo, & custodiendo, esse beatos.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce veniunt ad illum mater eius. Ex Marco apparet simpliciter istum nuntiasse Domino siquidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem dicit fratres foris stantes misisse ad eum, qui eum vocarent. Quare autem Mater, & fratres Domini, hoc est consanguinei Christum accesserint; vt non satis ex Euangelio constat, ita varie à diuersis dicitur. Verum si præcedentia consideremur, maximè ea quæ Marcus dicit, nempe quod ob multitudinem affluentis turbæ, non esset Christo otium cum suis manducandi panem, & quod exierunt sui tenere eum: verisimile est quosdam consanguineorum ob id iam adijsse Dominum, vt quasi in furiam versum putabant, è turba tollerent ob causas superius dictas: Matrem vero Domini, in quam pietas non sinit talem cadere suspicionem, cum quibusdam forte consanguineis melius de Domino sentientibus, amoris magis compassione accessisse: nimirum quod malè illi pro affectu meuerent à calumniantibus eum inuidis Phariſæis, quadque à laboris onere cuperet eum alleuiare, ac sumendi cibi occasionem præbere. Negari tamen non potest, quin importunitatis cuiusdam speciem habere videbatur, quod interpellabant doctrinæ diuinæ prædicationi intentum: sed si cuius mali speciem interpellatio videri poterat habere, id in virgine saltem matre ab omni peccato liberat, & excusat materna pietas: nisi forte interpellatio hæc fratribus tantum Domini tribuenda sit; quamuis ab Euangelista etiam matri tribuitur, quod fratribus Domini coniunctissima esset.

At ipse respondens dicenti sibi ait; Quæ est mater mea, &c. Non negauit matrem iuxta Marcionem & Manichæum vt de saltamate natus putaretur, nec fastidiuit matrem suam, qualis putauerit eum ipsius, & cognationis suæ, nec maternæ refutat obsequium pietatis: sed ideo solum illa dixit, vt Apostolos carnali cognationi præferret, & vt Ambrosij verbis vtar, paternis se ministerijs amplius quàm maternis affectibus debere monstraret. Porro quod Saluator dicit eos qui faciunt voluntatem Patris sui esse Fratres, Sorores & Matres suas: simpliciter hic est intelligendum, vt ideo dicat Fratres, & Matres, quod non solum eos diligat tanquam Fratres, & Matrem: sed quod eos etiam Fratrum, & Matrum loco habeat, ob cognationem spiritualem, quæ contrahitur cum ipso ex adimpletione voluntatis Patris cælestis.

Proponitur parabola seminantis. Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.

CAPVT LI.

IN illo die exiens Iesus de domo, sedebat secus mare, & iterum cœpit docere ad mare. † Et congregate sunt ad eum turbæ multæ, ita vt ▷ in nauiculam ascendens sederet in mari, & omnis turba ‖ stabat in littore. Cum autem turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eũ, ✶ locutus est eis. & docebat eos in parabolis multa, † & dicebat illis in doctrina sua per similitudinem. Audite ecce exijt ▷ qui seminat seminare semen suum. † Et dum seminat † aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & ‖ volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit super petrosa, vbi non ▷ habuit terram multam, & ‖ statim exortum est, quia non habebat altitudinem terræ. ▷ Et quando exortus est Sol, exæstuauit, & ‖ natum † aruit, ▷ eò quod non habebat radicem [&] quia non habebat humorem. ‖ Et aliud cecidit inter spinas, & ascenderunt spinæ, & ‖ simul exorta spinæ suffocauerunt illud, & fructum non dedit. ▷ † Et aliud cecidit in terram bonam, & ‖ dabat fructum ascendentem & crescentem, & afferebat † vnum trigesimum, & ▷ vnum sexagesimũ, & ‖ vnum centesimum. Hæc dicens clamabat, & dicebat † Qui habet aures audiendi audiat. Et cùm esset singularis, † accedentes discipuli dixerũt ei: Quare in parabolis loqueris eis? † Interrogãs autẽ eum discipuli eius hi qui cum eo erãt duodecim, ▷ quæ esset hæc parabola? ‖ Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse † mysteria regni cælorum, reliquit autem illis qui foris sunt non est datum [sed] in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant & non videant, & audientes audiant & non intelligant, nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: & qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: & adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clausерunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos. Vestri autem beati oculi, quia vident: & aures vestræ quia audiũt. Amẽ quippe dico vobis, quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. † Et ait illis: Nescitis hanc parabolam? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Vos ergo audite parabolam seminantis. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. † Qui seminat, verbum seminat. † Qui autem secus viam hi sunt, qui audiunt, & ibi seminatur verbum: & cũ audierint, deinde venit ▷ satanas, & ‖ aufert verbũ quod seminatum est in cordibus eorum, de corde illorum, ne credentes salui fiant. † Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur: qui cùm audie-

† b. Cõgregata est ad eum turba multa. ▷ b. nauim, ‖ b. circa mare super terrã erat. ✶ a. Et † a. dicens † a. dixit. ▷ b. a. sedẽs. † a. minãs ad seminandum. † a. quædã ceciderũt. b. a. circũq. ‖ a. ea, Alia autem ceciderunt ▷ Aliud autem. † c. petrã. ▷ b. hoc habent. ‖ a. continuo exorta sunt quia non habebant ▷ b. Sole autem or to, æstuauerunt. † a. aruerunt. b. a. exaruit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

audierint [b] verbum statim [b] cum gaudio ▷ acceperunt [c] illud [c] verbū non habent radicem [b] in se, sed temporalem sunt, [c] quia ad tempus credūt, [b] deinde orta tribulatione vel persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. [c] & in tempore tentationis recedunt. [†] Et [b] qui in spinis seminatus est, hi sunt qui verbum audiunt, & a sollicitudine seculi & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentia introëuntes suffocant verbum & sine fructu efficitur. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui [b] audiunt verbum & suscipiunt [c] in corde bono & optimo audientes verbum, retinent [b] & ▷ fructum afferunt [c] in patientia, [b] unum trigesimum, unum sexagesimum & unum centesimum.

Quæ Marcus & Lucas pluraliter,
Matthæus singulari numero narrat hoc modo:

OMnis qui audit verbum regni, & non intelligit (venit malus & rapit quod seminatum est in corde illius) hic est qui secus viam seminatus est. Qui autē super petrosa seminatus est, hic est qui verbum audit, & cōtinuò cum gaudio accepit illud: non autē habet in se radicem, sed est temporalis. Facta autē tribulatione et persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbū Dei audit: & sollicitudo seculi istius & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui verò in terra bonam seminatus est, hic est qui audit verbum & intelligit: & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero trice simum. [b] Et dicebat illis: Nunquid venit lucerna, ut sub modio ponatur, aut sub lecto? Nonne ut super candelabrum ponatur? [c] Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase aut subtus lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. [b] Non est enim [b] aliquid † [b] absconditum quod non manifestetur: nec [b] factum est ▷ [b] occultum, quod non [c] cognoscatur & [b] in palam veniat. [b] Videte quis habet aures audiendi audiat. Et dicebat illis: [b] Videte [c] ergo [b] quid auditis. [b] In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis [b]. Qui enim habet, dabitur illi: & [‖] quicunque non habet, etiam quod † putat se habere [c] auferetur ab eo.

In illo die exiens Iesus de domo sedebat secus mare, &c. Voluit hac parabola Dominus significare non satis esse audisse verbum Dei, neque omnes, qui illud audiunt inde meliores fieri; sed varie illud recipi, atque in paucis suos facere fructus, idque non ex vitio seminantis, aut seminis, sed ex vitio eorum, qui semen excipiunt. Adiungit autem & alias huic parabolæ similes, quibus omnibus natura, vis, & fructus & præmium verbi Dei declaratur. Cum autem in principio doceret adhuc in littore, vt ex Marco satis paret, postea ob nimium hominum confluxum consensa navi, ex ea cœpit docere, quoniam à turba præmebatur in littore, & ab

omnibus conspici, & audiri posset. Mare autem istud procul dubio lacus est Genesar in cuius littore legitur Dominus crebro docuisse: forte quia opportunus erat locus, in quo multi conuenire bant. Pro Parabolæ autem primæ literali intelligentia observandum quod prima pars seminis, quæ scilicet excidit circa viam, infructuosa est duplici nomine, videlicet tum quia conculcatur ab itinerantibus, tum qua volucres cœli veniant, & auferant illud, ita vt semen illud nihil germinauerit, nec vel spem aliquā fructus dederit. Secunda vero seminis pars germinans quidem, ac spem fructus præbens, sed solis calore arescens, duplicem etiam habet causam suæ infructuositatis, videlicet quia non habet profundam terram in qua firmā mittat radicem, & quia non habet humorē sufficientem, quanquam hoc ex priori consequatur. Cuius seminis & illa conditio notanda, quod statim exoriatur. Loca enim saxea cooperta modica terra cito vegetant semen in herbam ex magnitudine caloris, quia calor ibi non imbibitur in profundo sicut in reliqua terra, sed reflectitur à saxo. Deinde quoniam non potest deorsum radices mittere, sursum erumpit. Nam hanc causam indicant Matthæus & Marcus. Tertia seminis pars, quæ & ipsa exurgens spem dat fructus, perit ob spinas suffocantes. Quarta verò sola pars fructum expectatum profert, sed eum varium. Nam quædam centesimum, quædam sexagesimum, quædam tricesimum, hoc est quædam magnum, quædam mediocrem, quædam fructum ptimum ptoferunt. Quoniam autem hæc Parabola opus habent diligenti animaduersione ad intelligendum eam, nec potuerit intelligere eam nisi cui datum esset, ob id Dominus suo more, cum dixisset parabolam clamabat.

Qui habet aures audiendi, audiat, hoc est, audiat is, cui à Deo datum est, vt audita intelligat. Quibusdam enim non dari aures audiendi docet Moyses Deut. 29. Non dedit inquit, vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possint audire. Porro discipuli non quidem statim audita hac parabola, sed postea cum soli essent cum Christo, vt patet ex Marco, duo quæ sunt. Nam & pietate quadam commoti pro auditoribus soliciti quæsierunt, vt habet Matthæus, quare Dominus in Parabolis loqueretur, non dubitantes illas rudi populo non esse intellectas, quæ nec ipsi intelligebant; & desiderio intelligendi rogant Dominum, vt testantur reliqui duo, quæ esset Parabola iā dicta, hoc est, quid illa significaret. Est enim, hic ponitur pro significare, quemadmodum & ibi, Petra autem erat Christus. Quoniam ergo discipuli quærebant, non quare in Parabolis loquebatur, sed quare in Parabolis loquebatur eis, turbis scilicet, quæ Domino non credebant, quas à se discipuli separabant: Dominus appositè non reddit rationem quare in vniuersum vteretur Parabolis, sed tantum quatenus

pertinebat ad reprobos, & infideles: Hac ratione etiam demonstrans fœlicitatem discipulorum qua præ alijs Dei munere sunt donati. Cum autem dicit Dominus se ideo loqui in Parabolis vt videntes non videant, &c. vt, non accipitur hoc loco vt denotet causam, sed tantū consecutionem, & euentum, quemadmodum frequenter in Scripturis. Quod si iam quęratur quomodo ratio reddita apud Marcum & Lucam conuenit cum ea, quę redditur apud Matthæum, Ideo in Parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, &c. Dicendū est, prouidentia Spiritus sancti factum esse, vt Marcus quidem & Lucas dicerent in Parabolis Dominum locutū, vt videntes non viderent, Matthæus vero quia videntes non vident; sicut & vtrumque verisimile est Dominū dixisse: quo intelligeremus partim demerito hominū, partim iustæ voluntati diuinę tribuendū quod reprobi isti audita res non illuminarētur. Quod autē Marcus & Lucas dicunt vt videntes non videant, nō sic accipiendū, quasi iam tū tales non fuissent, sed vt tales esse perseuerarent. Vtrāque hanc causam videlicet, & finem propter quem in parabolis Dominus loquebatur, & causam ob quam illi hoc meruerant. Matthæus cōplexus est illa sententia, *Qui enim habet, dabitur illi, & abundabit; qui autē non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Quoniā enim Dominus dixerat, vobis est datū, illis vero non est datū (quod significat à diuinę gratiæ dono pendere mysteriorum cognitionē, ne eam suis meritis tribuere possent discipuli) ne intelligeremus donum illud gratiæ contingere sine libero nostro arbitrio: ideo commodē hanc sententiam Dominus subiunxit, qua ostendit hanc diuinę voluntatis dispositionē esse congruā ex parte ipsorum hominū, & quodammodo eos, qui mysteriorum cognitione donatur, eā promeruisse: illos vero, qui ea non donātur, eā demeruisse. Cū ergo dicit, Qui nō habet, & quod habet, *auferetur*, per hoc quod dicit, qui non habet, significat causam de meritorū: per hoc autem quod dicit, auferetur, significat se ideo turbis loqui in parabolis, vt nō donarentur illuminatione, quā demeruerant, hoc est, vt videntes non viderent. Cęterū illa sententia, Qui habet dabitur ei, &c. Videtur à Domino è prouerbialibus, & vulgo iactatis sententijs desumpta, qua significare voluit etiā in regno suo, aliquousque impleri, quod vulgo dici solitū fuit. Communis autem illa & vulgaris sententia, cum ad propositū Domini varie à diuersis explicetur, commodē sic videtur explicanda. Qui habet id quod debet habere, dabitur ei amplius, ita vt etiam abundet; & qui non habet, quod debet habere, id quod habet, aut habere videtur, auferetur. Sic enim explicata hæc sententia, Deseruit & huic proposito, & omnibus aliis locis, vbi à Domino hęc repetitur. Presenti quidē loco deseruit in hunc modū, vobis, quoniā habetis fidem, & studium discendi, perfectior mysteriorū diuinorum

rum cognito dabitur: Illi vero qui foris sunt, quoniam suo vitio non habent illā in me fidem, quam merito habere deberent, nec simplex illud cognoscendi veritatē studiū, & desiderium, ob id auferetur ab eis etiam id quod habent, aut videtur habere diuinę cognitionis, vt magis magisque efficiant traditi in reprobū sensum. Sic explicata hæc sententia includit etiam omnes aliorum explicationes. Porro Isaię testimonium, quod in reprobis Iudęis adimpletum testatur Dominus, adducitur hic à Matthæo non secundum Hebraicam veritatem, sed secundum versionem 70. quemadmodum idem testimonium citatur & à Luca Actuum vltimo, & ex parte aliqua à Ioāne cap. 12 & rursum ex parte à Paulo ad Rō. 11. Ad verbum autem Hebręa sic habent, nam sunt quedam, quæ rectius verti possunt, quam habet versio Hieronymi. Audite audiendo, & ne intelligatis; videte videndo, & ne cognoscatis. Impingua cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanatio sit ei. Itaque quoniam Hebraica veritas significat Deum iussisse, vt videntes non viderent, & audientes non audirent: Septuaginta sic verterunt, vt rantum significetur Deum prædixisse, audientes non audituros, & videntes non visuros: eo quod sermonis diuini ea sit proprietas, vt mali alicuius iussio, aut imprecatio, nihil fere sit aliud quam prænūciatio mali illius à Deo irato permittendi; quomodo dictum est Iudeis: Soluite templum hoc, & Iudas: Quod facis, fac citius.

Vestri autem beati oculi, quia. Vident, &c. Perficit iam differentiam inter discipulos suos, & alios, ostendens ipsorum beatitudinē, & fœlicitatem non solum ex comparatione cum reprobis Iudeis, sed etiam ex collatione ipsorum cum sanctis Prophetis, & iustis hominibus. Quæ beatitudo, vt rectè intelligatur: oportet per oculos videtes & aures audientes, non solum intelligere, oculos, & aures corporales (sic enim & incredulis Iudæis eadem competeret beatitudo) nec rursum tantum oculos, & aures spirituales, quia his Prophetæ, & Iusti etiam viderunt, & audierunt eadem, quę Apostoli. Sed oportet hic, quemadmodum & in præcedentibus, quod dicitur de oculis, & auribus simul intelligere de auribus & oculis corporalibus, & spiritualibus: vt quemadmodum in superioribus oculi non videntes, & aures non audientes, sunt oculi & aures quibus corporaliter visa, & audita non intelliguntur: ita oculi videntes, & aures audientes sint quibus corporaliter visa, & audita intelliguntur. Itaque discipulos Iudæis præfert incredulis ob mentis spiritualem visionem, Prophetis vero ob corporalem visionem. Notandum autem, quod Dominus nō dixerit solū Prophetas, & Iustos cupiuisse videre, & audire, quę discipuli viderūt, & audierūt, nec tantū dicit multos cupiuisse videre; sed multi inquit,

Prophetæ,

Prophetę,& Iustũ Lucas verò: multi Prophetę & Reges. Sic enim significatur incomparabilis gratia discipulis facta, vt quibus nullus vel dignitate eximia vel rara Sapientia, aut iustitia insignibus essent concessa, quæ plerique Domino commendati & hominibus, ac diuinorum cognitione, aut insigni iustitia, aut regali dignitate diuinitus eis concessa celebres non sunt assecuti, etiamsi illud tum operè cuperent.

Est autem hæc Parabola. Semen est verbum Dei. Qui seminat, &c. Explicatio parabolæ abunde ab ipso Domino reddita est, quamquam circa eam intelligendam quędã à nobis obseruanda, & dicenda sint. Cum Dominus explicans quid per seminantem intelligat in Parabola dicit apud Marcum.

Qui seminat, verbum seminat. Patet Dominũ non voluisse hanc Parabolam pertinere ad se tantum, sed ad omnes verbi diuini prędicatores. Porrò messores Angeli hi sunt, quibus dicitur Ioel. 3. Mittite falcem, quoniam maturuit messis. Pro explicatione autem reliquorum, quibus Dominus exponit cętera præassumptę parabolæ sciendum imprimis, quod cum Dominus in Parabola dixerit semẽ in quatuor partes, in explicatione parabolę apud omnes tres Euangelistas, non verbum Dei, quod est semen, sed auditores verbi diuini diuidit in quatuor ordines: cum tamen isti quadruplices auditores, verbi non proprie significentur per quadripartitum semen, sed magis per terram quadripartitam in quam semen cadit. Intentio enim Domini erat per parabolã hanc demonstrare varietatem audientium vnum idemque verbum Dei. Nec est inter Euangelistas aliqua notabilis diuersitas, nisi quod Matthæus iã singulariter loquitur, reliqui vero duo pluraliter: cũ contra in Parabola ipsa Matthæus pluraliter, reliqui vero duo singulariter sint locuti. Quoniam autem apud Marcum, & Matthæum dicuntur homines ipsi seminati secus viam, super petrosa, in spinis, in terram bonam; quæ locutiones durę videntur: sciendum secundo quòd esse seminatũ duobus modis dicitur. Dicitur enim & semen seminatum, & ager seminatus, quia scilicet semen in ipsum iactum est. Sic ergo & homo hic dicitur seminatus, quia semen verbi Dei in se susceptt. Aut potius, sicut Hebraica Phrasi dicitur, verbum Dei esse semen, quia per semen in ipsa parabola designatum: ita homo dicitur seminatus secus viam super petrosa, &c. quia significatus per semen seminatum secus viam, super petrosa, &c. Hæc enim explicandi has orationes ratio & tollit incõmoditatem illã, quam afferunt illæ partes secus viã, in petrosa, &c. & magis conuenit cum eo quod Lucas in tertio, & quarto membro dicit quod autem in spinas ceciderit, hi sunt qui audierunt &c. & quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono, &c. Vbi dicit semẽ ipsum esse homines, quod proculdubio intelligendum

digendũ est, semen ipsum significare homines tales, vel tales. Non quod propriè semen homines significet, vt dictum est, sed quod semen in hãc, vel illam terram cadens, mentì suggerat tales, vel tales, veros auditores. Ex his patet quomodo intelligendum quod Lucas dicit in primo, & secundo membro, Marcus autem in primo: hi sunt qui circa viam, &, qui autem supra petram. Sensus enim est, hi sunt qui significati sunt per semen cadens circa viam, aut per semen cadens supra petrosa. Cæterum orationis illa incommoditas, quę est apud Matthęum cum dicitur, Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde illius, hic est, qui secus viam seminatus est, sic tolli posse videtur, si illud, Omnis qui audit, & nõ intelligit, intelligatur positum absolutè pro cum quiuis audit, &c. His pro litteræ intelligentia præmissis ad totius tractationem explicationis descendendum est. Quatuor ergo facit Dominus genera auditorum Euangelij. Primi audiunt quidem, sed nulla mente, nulla animaduersione, aut intelligentia, alio nimirum per Satanam detorto eorum animo; quo fit vt nulla omnino auditi verbi adhęreat vel cogitatio: multò minus ex audito verbo nascatur vel fides, vel indicium alicuius fructus. Hi similes sunt terræ, quæ iuxta viam est durę & ab omnibus conculcatæ. Habent enim & ipsi cor induratum, vt intra illud non recipiatur verbum Dei, & conculcatur cor eorum simul & verbum Dei, quia a strepitu mundanarum cogitationum præmitur. Et quoniam ab eis obiter tantum, & oscitanter auditur verbum Dei, nec intra cor recipitur, subito aduolans diabolus, velut auicula quædam, sublegit exanimis eorum quidquid audierunt priusquam inhærescat: immissis scilicet diuersis cogitationibus alio animum trahens, vt iam nihil referat audisse. Bene autem quem Lucas Diabolum vocat, Marcus Satanam, Matthæus antonomatice malum, appositò apud Græcos articulo, per volucres cæli designatur, eo quod in caliginoso huius mundi aëre hos cæli dęmones morentur cum volucribus cęli. Deinde propter subtilitatem naturæ ipsorum, velocitatem, atque superbiam: sed omnium maximè ob eam causam, quæ hic a Domino indicatur, quod semini insidiantes summa cum velocitate illud à cordibus hominum auferunt, cum intra illa non recipitur. Alij præter hoc quod Euangeliũ audiunt, mente etiam illud reuoluunt, bonumque iudicantes auide illud arripiunt, idque aliquando nimis immaturè restantur, tum verbo tum facto, ita vt semen in eis subito enascatur, & per herbam fructum polliceatur. Verum quoniã quod audierũt, non pęnitus defixum est in cordibus eorum, ac in illis non est profunde radicatum, ob id sunt temporarij, hoc est, ad tempus obtemperant sermoni diuino, sed ad exortam malorum procellam desciunt deserentes bene cæpta. Hi ergo similes sunt terræ petrosæ,

Diabolus

volucres

hos cæli

cur com-

parauit

non

non ob cordis duriciem, sed tum quod in eis verbum Dei nimis præpropere enascitur, tum quod in eis non sit ita radicatum, nec tantum habens humorem gratiæ diuinæ vt sustineat exortum persecutionum, & tribulationum: quæ vt in multis scripturæ locis, ita & hic per solem æstuantem significantur. Porro illud, *propter verbum*, quod est in Matthæo, & Marco, quanquam posset cum iungi cum sequenti verbo *scandalizantur*, vt significetur eos scandalizari in verbo semel recepto cum gaudio: rectius tamen coniungitur cum præcedenti orta tribulatione, vel persecutione, vt significetur tribulationem illis inferri propter verbum ab illis receptum. Quid autem sit illud *scandalizantur*, quod est apud Matthæum & Marcum, Lucas exponit dicens.

Et in tempore tentationis recedunt. Scandalizantur ergo, hoc est, offenduntur, vel impediuntur quo minus verbo firmiter adhæreant. Tertij sunt, qui & ipsi verbum non audiunt solum, sed & intelligunt, & mente recipiunt, ac spem aliquam fructus præbent, sed quemadmodum illos, qui petrosæ terræ assimulantur ab Euangelio Crux auocat: ita in istis cupiditas, & cura superflua rerum præsentium facit vt prorsus enecetur, & intereat verbum Dei, antequam in herbam iustam enascatur. Vbi notandum Lucam, & Marcum tria numerare, quæ spinis compatantur, videlicet solicitudines (pro quo apud Marcum legimus ærumnas, cum apud Græcos vna, eademque sit dictio μεριμναι) diuitias, & voluptates, pro quibus apud Marcum, deceptio diuitiarum (hoc est, Hebraïca phrasi, diuitiæ deceptrices) & circa reliqua concupiscentiæ, hoc est, reliquarum rerum concupiscentiæ, in quibus tribus comprehenduntur illa tria, quæ Ioannes dicit esse in mundo, nempe concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Matthæus vero duo tantum ponit, solicitudinem seculi, & fallaciam diuitiarum, hoc est, fallaces diuitias: rectissimè sic dictas, quod blanda quadam specie promittant id, quod præstare non possunt; quodque homines frustrentur plerum quesalute æterna. Quod autem apud Lucam dicitur, *A solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur*: sic accipiendum est, suffocantur à curis, &c. Euntes, supple, post eas, hoc est, dum sequuntur eas, vel euntes, hoc est, processu temporis, vt sit phrasis Hebraïca. Quarti sunt, qui audientes verbum suscipiunt illud in corde bono, & susceptum, retinent, in quibus, quoniam radices agit, nec inuenit spinas, fructum profert etsi varium, secundum quod alij alijs spiritu locupletius donantur. Centesimum enim fructum afferunt, qui perfectam, & summam vitam agunt. Sexagesimum verò, qui mediocrem. Trigesimum, qui inferiores sunt, fructum tamen bonum afferentes pro suis viribus. Apud Lucam nulla gradus fit

fit mentio: sed eum in parabola centeni fructus fecerit mentionem, hic tantum dicit.

Et fructum afferunt in patientia, hoc est, per patientiam, vel patientem expectationem mercedis. Est enim Græcè ὑπομονὴ quod magis significat expectationem, & longanimitatem, quam aduersitatum tolerantiam. [Porro dubium hic esse potest, an per fructus hic designentur bona opera, an merces, quæ bonis operibus redditur. Pro mercede enim quæ maior redditur perfectioribus debere accipi videtur, ob id, quod etiam hi qui in spinis, & petrosa terra semen excipiunt, fructus bonorum operum ad tempus proferunt, cum tamen hic non dicantur fructum adferre: nisi dicamus bona opera non vocanda fructus, nisi quæ vsque ad messis tempus, hoc est, tempus retributionis perdurant. Alioqui enim potius tenetæ herbæ sunt similia.]

Et dicebat illis; Numquid venit lucerna vt sub modio ponatur. Locus iste sic intelligitur, vt per parabolam lucernæ Dominus significet, quare mysteria regni cælorum sub parabolis latentia discipulis suis aperuerit, nimirum vt suo tempore eadem Discipuli alijs, qui iam adhuc non erant capaces reuelarent, vt ne putarent ea, quæ seorsum ipsis aperiebantur, semper à se occultanda esse. Est ergo sensus. Sicut nemo accendens lucernam operit eam vase, sed super candelabrum ponit, vt lumen præbeat ingredientibus: ita non putetis me, quæ secretò vos doceo velle semper esse occulta. Ideo enim lumine diuinæ Sapientiæ vos accendo, & illumino, vt suo tempore veluti supra candelabrum positi lumine vestro alios etiam illuminetis. Non enim aliquid Euangelicæ doctrinæ meæ est, quantumuis adhuc hominibus incognitum, & occultum, quod non sit toti mundo propalandum, idque per vos imprimis. Quoniam autem Dominus hic rursum parabolicè discipulis locutus est, eaque locutus est, quæ animis eorum voluit esse infixa, iterum adiecit;

Si quis habet aures audiendi, audiat. Et quo magis eos excitaret ad vigilantiam in audiendo ea, quæ per eos alijs erant prædicanda, ac significaret prædictam parabolam propter eos esse dictam, rursum intulit;

Videte ergo quid auditis, hoc est, curate, vt quæ auditis, memoriæ mandetis.

In qua enim mensura vos mensi fueritis alijs, remetietur. Vobis à Deo, imo & adijcietur vobis. Nam si fueritis ignaui, aut parci dispensatores doctrinæ, quam vobis impertio: parcam etiam sentietis in vos Dei benignitatem in cognitione diuinorum, alijsque Dei donis. Contra verò si larga mensura alijs dispensaueritis, largam etiam experiemini in vos Dei remunerationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In regno enim cælorũ aliquoutque impletur, quod vulgo dicit, & fieri solet, vt multum habenti, multum detur, parum habenti, non solum nihil detur, sed etiam ab eo tollatur, quod habet. Nam quæ dona diuina, quæ ei offeruntur vere habet (habet autem qui, quæ accepit se habere declarat eis vtens) ei amplius à Deo dabitur: quæ vero, quæ debet habere, & quæ offeruntur ei diuinitus dona non habet (non habet autem qui defossum thesaurũ apud se seruat) relinquetur ab eo etiam, quod videbatur habere. Cæterum quod apud Marcum legimus.

Nec factum est occultum, quod non veniat in palam. Oratio est imperfecta hoc modo supplenda. Neque factum est aliquid occultum (Græce enim est δυὸ λεγόμενα ἀπόφασις) vt maneat occultum, sed vt aliquando manifestetur.

Parabolæ zizaniorum, seminis crescentis, grani sinapi & fermenti Matthæi 13 Marci 4.

CAPVT LII.

ALIAM *parabolam proposuit eis, dicens: Simile factũ est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius: & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autẽ creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonũ semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis igitur imus, & colligimus ea? Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticũ. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* ᵇ *Et dicebat: Sic est regnum* †ª. *dicens Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat:* C.1.39. *& exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.* ▷ ᵇ *Simile. Vbi enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde granũ de plenum frumentum in spica. Et cùm ex se produxerit fructus, statim* ‖ᵇ ᵃ. *mittit falcem, quoniam adest messis.* ᵃ *Aliam parabolam proposuit eis* ᵇ ᵃ *dicens*: ᵇ *Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ* † *autem comparabimus illud?* ▷ ᵃ *Simile est regnum cœlorum grano sinapis,* † ᵃ. *minimus quod* ᵃ *accipiens homo seminauit in agro suo, quod* ᵇ *cùm seminatum* ‖ *est omnibus seminibus* ᵇ *quæ fuerit in terra* ‖ ᵃ *minimum* ᵇ *quidem* ᵃ *est omnibus seminibus* ᵇ *quæ sunt in terra, & cùm seminatum fuerit* [&] ᵃ *cùm* ✻ *creuerit,* † ᵃ *omnibus oleribus & fit* ‖ *cendit in arborem, & fit maius omnibus oleribus* ᵇ *& facit ramos magnos,* ᵃ *ita vt* ᵇ *possint sub vmbra eius aues cœli habitare,* [&] ᵃ *volucres*

cœli veniant, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier, abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum. C. 13. 19
Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, ᵇ *& talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire,* ᵉ *sine parabola autem non loquebatur eis,* ᵇ *vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* ᵇ *Seorsim autem discipulis suis disserebat omnia.* ᵉ *Tunc dimissis turbis venit in domum, & accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est filius hominis. Ager autem mundus. Bonum verò semen, hi sunt filij regni. Zizania autem filij sunt nequam. Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Messis verò consummatio seculi est. Messores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburũtur: sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.*

Aliam parabolam proposuit eis dicens; simile factum est regnum cælorum homini qui seminauit, &c. Superior Parabola desumpta est à semine, quatenus significat verbum Dei, hæc vero desumpta est etiam à semine bono, sed quatenus significat bonos homines vt ipse Saluator etiam postea dignatus est aperire. Porro imprimis hic dicendum de hac oratione; Simile est regnum cælorum homini qui seminauit, &c. quales multæ sequuntur postea, vt cum dicitur regnũ cælorũ simile grano sinapis, fermento, sagenæ, &c. Itaque in his locutionibus plerique regnum cælorum variè accipiunt: sed conuenientior, & facilior est explicandi eas locutiones ratio, quæ supra est indicata, circa cap. Concordiæ 47. vt regnum cælorum dicatur simile huic, vel illi rei, quia in regno cælorum tale quid contingit, quale de huiusmodi re narratur. Hinc Marcus in sequẽti parabola dicit, Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram; pro quo Matthæus dicturus erat, Simile est regnum cælorum homini, qui iecit sementem in terram. In præsenti autem Parabola, sicut & in aliis parabolis Euangelicis, non opus est pro explicatione sensus, quem intendit Saluator, singula accommodare, & excutere, quomodo rei ad quam spectat parabola, conueniant: sed satis est secundum ea quo Dominus pro parabolæ explicatione aperuit, generaliter adaptare exemplum parabolę ad eam rem, propter quam assumpta est, hoc nimirum modo: Sic contingit in regno Dei, quemadmodum si homo aliquis seminet bonum semen in agro suo, contingat inimicũ

eius inuidia commotum postea superseminare zizania, nec tam ille velit ea postquam apparere cœperint à seruis suis eradicari, sed vult ea sinenda crescere vsque ad messem, ne in eradicandis zizanijs conculcetur & perrat, aut etiam simul eradicetur & triticum. Qui cum messis tempus aduenerit iubeat messoribus suis vt triticum à zizanijs separantes, zizania quidem alligent in fasciculos comburendos, triticum vero congregent in horreum ipsius. Sic enim & in regno Dei filius hominis tum per se, tum per suos seminante, passim in hoc mundo tanquam in agro suo, homines ad cæleste regnum prælectos veluti semen bonum diabolus infestissimus hostis humanæ salutis passim etiam superseminat, semperque seminabit impios homines veluti zizania, vbique cum iustis permiscens, qui etsi indigni sint iustorum societate, tamen propter eorum bonum sinendi sunt semper in congregatione eorum vsque ad congregationem seculi, quando omnibus hominibus ex agro huius mundi per sanctos Angelos demissis, & collectis, iusti ab impijs separati recondentur in horreo cælestis regni; impij vero veluti in fasciculos collecti, tradentur igni infernali comburendi. Sic explicata hæc Parabola eam adfert vtilitatem, ob quam prius dictum est eam assumptam esse.

Et dicebat, Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo &c. Tertia hæc parabola, quæ est apud solum Marcum etiam à semine desumpta, à præcedenti differt, quod in hac nulla zizaniorum fiat mentio; deinde quod illa assumpta est ad significandum permixtionem malorum cum bonis, hæc verò ad significandum modū, quo Euangelicum semen fructificet. Et in illa quidem semen accipitur pro filijs regni, hic verò rursum quemadmodum in prima, potius accipitur pro verbo regni, hoc est doctrina Euangelica. [Porro in hac parabola, quod attinet ad literam, verbum illud exurgat, cum dicitur; *Et exurgat nocte, & die*, referri potest ad hominem, ad quem referrur præcedens verbum dormiat, vt ablatiuus nocte referatur ad verbum dormiat, & die referatur ad exurgat, & significetur semen crescere tam dormiente in nocte, quam satagente in die, eo qui seminauit. Potest & referri ad semen, vt significetur illud exurgere nocte, & die homine dormiente, hoc est illo amplius nihil agente, imo nesciente, aut non sentiente hoc præmisso.] Parabola hæc generali applicatione potest intentioni Saluatoris sic accommodari, vt nihil aliud intelligatur per eam significare voluisse, quam præter hominum opinionem, ac ne sentientibus quidem illis Euangelicam doctrinam passim enascituram, & fructificaturam, non subitò quidem, sed ordine quodam, donec ad perfectum fructum suum perueniat. Itaque hic erit sensus, Ita in regno Dei vsuenier, quemadmodum

Parabola applicatio.

dum cum semen ab homine iactum in terra, vltrò citra eius qui seminauit operam, imò eo ignorante, nec sentiente, & aliud quiduis siue die, siue nocte agente è terra enascitur, & quidem primum in herbam, mox in spicam vacuam, demum in spicam frumento plenam fructificans, quo facto demetitur. Sic enim & Euangelica doctrina per me iam cœpta spargi, ac latius per meos spargenda in cordibus hominum, & agro mundi huius, præter hominum opinionem subitò fructificare incipiet, sensim tamen ad perfectum & prædestinatum à Patre omnium electorum fructum perringet: quo iam producto, consummatio seculi veluti messis aderit, quando demessus Euangelicæ prædicationis maturus, & perfectus fructus, collectis scilicet iam omnibus electis, reponetur in horreum cælestis. Secundum hanc explicationem non est inquirendum quis sit ille homo in Parabola significatus, qui semen iacit in terram, quo dormiente, imò nesciente, semen ipsius fructificat. [Sequitur autem hæc explicatio eam constructionem literæ, qua verbum exurgat, refertur ad hominē qui seuit: quamuis possit etiam similiter parabola explicari sequendo alteram constructionem, vt facilè patet.]

Aliam Parabolam proposuit eis dicens; Simile est regnum cælorum grano sinapis, &c. Ante quartam hanc parabolam præmittit Marcus, qui eandem cum Matthæo habet hoc loco: *Cui assimilabimus regnū Dei? aut cui parabolæ cōparabimus illud?* Qua quæstione dum veluti hæsitabat cui rei potissimum conferendum esset regnum Dei, magis attentos voluit reddere Dominus auditorum animos. Cum autem superiori parabola Dominus significauerit modum incrementi regni cælorum, hac iam parabola, & sequenti significat vim regni cælorum in crescendo: nimirum quod ex paruis & humillibus initijs mox processurum esset ad maxima. Porro citra literam in priore parabola granum sinapis minimum dicitur omnium seminum, quia inter omnia semina est valde paruum. Dicitur etiam Sinapi ascendere in arborem, & facere ramos magnos, tum quod lignescat eius stipes, tum ob ramorum multitudinem, quanquam Marcus arboris non faciat mentionem, sed tantum dicat ascendere, & fieri maius omnibus oleribus. Quod verò ad sensum in hac parabola à Saluatore potissimum intentum spectat, dubium est quid pertinens ad regnum cælorum hic voluerit significare per ipsum granum sinapi, an scilicet ipsam doctrinam Euangelicam, de qua intelligit Diuus Hieronymus, an ipsum Ecclesiam primitiuam, de qua Diuus Chrysosto, an ipsum regnum Dei, quo per Euangelium cœperat tum regnare Deus in hominibus credentibus. Nam his tribus potest optimè exemplum sinapis accommodari. Quoniam autem & præcedentes ferè parabolæ, & sequentes dictæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt de doctrina Euangelica: videtur & hæc potius de ea esse intelligenda: quanquam in hac intelligentia includantur & duæ superiores explicationes. Siquidem in incrementō doctrinæ Euangelicæ constitit & incrementum Ecclesiæ, & regni Dei, vt parum referat cui horum trium exemplum sinapi accommodetur. Porro applicatio generaliter sic fieri potest. Sicut granum sinapis quantitate quidem minimum est inter omnia semina, tamen seminatum in terra exurgit supra omnia oleta, fitque arbuscula, in cuius ramis habitent voluces cæli: ita Euangelium regni cælorum à me iam seminatum in terra, vile quidem habetur, & contemptibile, & omnibus alijs disciplinis inferius; sed tamen breui exurget longè lateque: ita vt & omnium doctrinam superet, & in eo quamplurimi quiescant ei adhærentes. Cæterum quod Marcus dicit de grano sinapis, quod cum seminatum fuerit minus est omnibus seminibus: non sic accipiendum quasi antequam seminetur non sit minus alijs, sed videtur Marcus respexisse ad id, quod per parabolam significatur. Tum enim doctrina Euangelica videbatur minor alijs, cum seminata esset, & prædicari cœpta, cum prius non agnosceretur.

Applicatio Parabola generalis.

Aliam parabolam locutus est eis; Simile est regnum cælorum fermento, &c. Eodem spectat hæc Parabola, quo & præcedens, atque ob id & hic sunt tam variæ intelligentiæ, quam in præcedenti: Si autem per fermentum intelligantur significati Apostoli, conuenit hoc cum eo quod Paulus accipiendo nomen fermenti in malam partem. Corinthum illum incestuosum vocat fermentum, dicēs, Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Si vero intelligatur significari Euangelica doctrina, quemadmodum potius debet, conuenit cum eo, quod è cōtrario dominus hypocrisim, & doctrinam Pharisęorum vocat postea fermentum. Quoniā enim immutatio alterius ratione cuius nomen fermenti alicui tribuitur, & in bonum & in malum fieri potest: hinc nomen fermenti nunc in bonum, nunc in malum, accipitur, sicut pleraque alia. Porro quia in litera dicitur, *in farinæ satis tribus*: sciendum hic nomen, satis non esse participium à serendo, sed nomen est substantiuum, quod neque Latinum est, neque Græcum, neque Hebræū, sed potius Syrum; significans Palestinæ mensuræ quoddam genus, cui nomini apud Hebræos correspondet Saah, quam dictionem D. Hieronymus in veteri Testamento aliquādo vertit sarum, aliquando modium. Quod ergo hic dicitur in farinæ satis tribus, idem est, ac si dixisset, in farinæ modijs tribus. Propterea autem de tribus satis potius, quam de quatuor aut duobus fit mentio, quod mulieres cocturæ panem, vt in plurimum Ephi, hoc est, tria sata commiscerent. Si enim tria sata commiscuit Sara, sic de Ephi coxit panes azymos Gedeon, sic Anna Ephi farinæ attulit Do-

lit Domino oblatura filium. Potest autem generalis applicatio Parabolæ fieri in hunc modum: In regno cælorum tale quid accidet, quale fit cum modicum fermentum abditur sub magna aliqua farinæ conspersione, ibique reliquitur donec illa massa exigua totam farinæ vim affecerit, atque in suam traxerit naturam. Sic enim & regni cælestis doctrina, & si in speciem exigua ac paucos adhuc habens sectatores, tamen permixta toti orbi, clanculum, & occulta quadam vi, eum totum transformauit in suam naturam: nec prius desinet vim suam exerere, quàm vi sua omnes affecerit, qui prædestinati sunt, & electi. Itaque secundum hāc explicationem non erit excutiendum, quid per mulierem, cuius fit in Parabola mentio, significetur; quidue per numerum ternarium sātorum farinæ.

Applicatio Parabola fermenti.

Hæc omnia locutus est Iesus in Parabolis ad turbas, &c. Marcus hic alteram indicat causam, ob quam Dominus in Parabolis loqueretur ista turbis, cum dicit; *prout poterant audire*, quo significat Dominum voluisse aptare suum sermonem ad captum auditorum: & ob id locutum in parabolis, quod mūdi sermonis nondum essent capaces: ac parabolas suas desumpsisse à rebus vulgaribus, per quas idiotę vtcunque induci, & parari possent ad mysteriorum captum. Vnde constat rationem illam superius à Domino redditam, ad reprobos tantùm spectare, vt dictum est. Illud autē quod habent Matthæus & Marcus; *Et sine parabolis non loquebatur eis*, Recte eū Chrysostomo intelligitur significare Dominū nunc sine parabolis, hoc est præter parabolas nihil locutum: quanquam alijs temporibus pleraque sine parabolis doceret turbas. Sequitur eum;

Seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. Omnia ergò quæ tum fuerat locutus Parabolæ erant, quæ explicatione opus habebant. Porro quomodo Matthæus dicat in Christo illud Psalmi, *Aperiam in Parabolis os meum, &c.* Impletum, & locutum ideo in Parabolis Dominum, vt illud adimpleretur: cum illud dictum sit in sensu longè diuerso ex persona Asaph Prophetæ, qui his verbis præfatur prolixo illi carmini, in quo miracula Dei populo Israelitico exhibita decantat: dictum satis est circa cap. Concordiæ 11. Ex his enim quæ ibi dicta sunt, patet dupliciter hunc locum, ac similes intelligi posse. Priori modo simpliciter, vt impleta dicatur in Christo hæc scriptura, quia in ipso verificata, eique competens. Itaque sensus erit; In Parabolis loquebatur Dominus omnia, ita vt ei vere competeret, quod dictum est per Prophetam, &c. Secundū hunc enim sensum coniunctio, vt, debet accipi consecutiuè. Altero modo, magis propriè hæc scriptura intelligi potest dici impleta in Christo, si intelligamus Asaph Propheta sic quidē istud dixisse ex propria persona, vt tamen etiā hoc dicens typū Christi gereret:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sicut Christus ferè in omnibus figuratus est, quę in veteri Testamento aliquibus laudi tribuuntur. Itaque sententia hæc quanquā suo modo impleta sit in Asaph: tamen perfectissimè impletur in Christo, vt cui excellentiori modo competit, & qui in Asaph fuit figuratus, tanquam absolutissimus Doctor. Ideo enim videtur Matthæus dixisse per Prophetam: vt significaret ex intentione Spiritus sancti ad Christum pertinere hanc scripturam, & nō solum per accommodationem. Secundum hunc ergo sensum cōiunctio vt, potest accipi vt causam, & finem denotet. Hæc autem scriptura aliter conuenit Asaph, aliter Christo. Asaph enim dicit se locuturum parabolas & ænigmata ab initio, hoc est, quæ olim contigerunt, eo quod admiranda essent, quæ narrabat, & recondita quædam in illis lateret sapientia (accipitur enim nomen parabolæ sæpè in Scripturis generaliter pro omni sermone tecto, ac sententiis grauioribus quæ non cuiusuis intelligentiæ sunt expositæ) qua per ea, quæ olim contigerunt, populum suum Propheta instruere volebat; & quædam etiam ad futurum Messiam spectantia in typo canere. Christo verò competit verius hæc sententia, eo quod in propriè dictis parabolis (proprie enim parabola significat collationem, aut comparationem, qua res diuersæ ostenduntur in aliquo esse similes; vt cum Saluator comparat regnum cælorum fermento, grano sinapis, decem virginibus, &c. os suum aperuerit, & eplenitudine cælestis sue Sapientiæ eructauerit ea, quæ ab exordio mundi fuerunt abscondita hominibus. Vnde patet illud, *ab initio*, pro quo Euangelista habet à constitutione mundi, hoc est ab eo tempore, quo mundus constitutus est, & fundamenta eius iacta sunt) non eodem modo debere accipi cum hoc testimonium Asaph, & cum Christo tribuitur. Euangelista enim parum mutato testimonio, sic illud eitauit, quomodo proposito suo maximè quadrabat, & peculiariter Christo competebat.

Parabola

Tunc dimissis turbis venit in domum, &c. Explicatio hæc parabolæ satis est plana, vt non sit opus dicere multa circa eam, nisi quod in ea quædam sint notanda. Et primùm quidem quod electi per bonum semen significati, dicuntur Hebraïca phrasi *Filij regni*, pro eo quod est, homines ad cæleste regnum præparati. Deinde quod reprobi pernitiosa significati, vocantur similiter Hebraica phrasi filij nequam, hoc est diaboli (nam est Græcis τοῦ πονηροῦ, vnde patet ne quam esse genitiui casus) nimirum quia illius imitatores, & sectatores, non autem quod ab eo creati, & geniti. Idem postea scandala vocantur. Quid enim per scandala intelligat, significat cum subditur. *Et eos qui faciunt iniquitatem*, Nam hoc coniunctio, &, accipitur expositiue, vt scandala sint hi qui operantur iniquitatem, hoc est, vt prius dictum est operatij iniquitatis, & dediti iniquitati: qui ideo dicuntur scandala, quia siue verbo, siue

siue vita valde offendunt veritati, vel pietati impedimentū præbentes. Vel quia ex eorum cum bonis permixtione, & fœlicitate plerique scandalizantur, & humanum aliquid patiuntur. Tertio notandum quod dicit Dominus: *Tunc iusto fulgebunt, &c.* Benè enim dicit, Tunc fulgebunt, quia tunc liberati erunt à malorum permixtione, à miseriis huius vitæ, ab omni errore, & peccato, per quæ omnia eorum fulgor & gloria hic obscuratur. Postremo & illud notandum quod dicit *in regno Patris eorum*. Cum enim prius dixit. Mittet filius hominis Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala; regnum sibi tribuit: Hic vero regnum Patri tribuit, significans æqualem suam cum Patre potestatem, cum quo habet regni consortium. Sed de regno Dei loquens, quod in terris est vsque ad iudicij diem, malos habens bonis permixtos, bene sibi tribuit regnum; Patri vero, cum loquitur de regno Dei, quod erit post iudicium. Nam regnum Ecclesiæ peculiariter à Patre accepit filius, quandiu in eo humanitatis suæ meritis agit, interpellando pro nobis, & Spiritum suum impertiendo, mortēq; superando. Cum autem inimica mors destructa erit, & subiecta erunt ei omnia, & cuncta peracta erunt, ob quæ homo factus est; tunc, inquit Paulus, & ipse filius subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, vocabiturque deinde Dei regnum.

Parabolæ thesauri, Margaritæ & sagenæ. Matthæi 13.

CAPVT LIII.

SIMILE est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuēnit homo, abscōdit: & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autē foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam Domine. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regnum cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Simile est regnum cælorum Thesauro abscondito in agro. Præcedentibus duabus parabolis vltimis declarata est vis Euangelicæ

doctrinæ, at duabus iam sequentibus eiusdem prætiũ significatur, & quanto studio meritò eam quisq; sibi parare debeat, indicatur. Quanquam enim plerique similitudinem thesauri, & margaritæ adaptent, ad alia nempe ad Euangelicam perfectionem, vel vitã, aut ad Christum ipsum aptissimè tamen aptantur hæ similitudines ad idem, ad quod præcedentes: nempe ad Euangelicam doctrinam, vel sapientiam, ad quam accommodari potest priot Parabola hoc modo. Simile quid in regno Dei accidere cõuenit, quale est cum quispiam inuento thesauro abscondito in agro alieno, vt illo potiatur primùm diligenter eum abscondit, ne illi præripiatur, deinde omnibus suis bonis distractis, emit agrum illum. Sic enim & in regno cælorum, veluti thesaurus quidam est in agro abscõditus, cælestis scilicet sapientia, hominibus quidem recta & incognita, nec cuiuis facilè obuia, sed tamẽ cum omnibus mundi huius bonis non conferenda. Hanc ergò qui inuenit (inuenit autem qui eã agnoscit) si frugi homo fuerit, & solicite prospiciet ne eam semel inuentam amittat, & vt perfectè possideat, etiam omnium bonorum suorum temporalium distractione, & renuntiatione eam sibi comparare non cessabit, exonerans se secularibus negotijs, vt totus inteudere possit Sapientiæ Euangelicæ. Secundũ hanc explicationem non erit excutiendum, quid sigillatim significetur per agrũ, in quo thesaurus est absconditus, quemque emit, qui thesauri erat cupidus. Deinde nec quomodo abscõdat quis thesaurum Euangelicum repertum. Porrò per hoc quod dicitur in Parabola homo thesauro inuento vendidisse omnia quæ habebat, idque cũ gaudio & sic emisse agrum illum: videtur Dominus significare voluisse, conuenire vt & propter Euangelicum thesaurum assequendum quis omnes facultates suas vẽdat, & distrahat, idque cum gaudio, persuasus se hac ratione non iacturam facere, sed lucrum: vt hæc parabola & sequens ad perfectionis studiosos pertineat: quales erant discipuli, quibus hæc, & sequentes parabolæ videntur esse scriptum dictæ. Cæterum sequens parabola de vna prætiosa Margarita omnium bonarũ dispendio cõparata ad idem significandum assumitur, ad quod præcedẽs: sed hoc interest, quod in superiori proponitur thesaurus casu inuẽtus, in hac vero proponitur Margarita studio & inquisitione inuenta tandẽ. Itaque sicut superiore significauit cælestẽ sapientiã non inueniri, nisi ab eo, cui veluti casu oblata fuerit, hoc est, diuinitus mõstrata: ita hæc significauit vigiles & solicitos esse debere ad inueniendũ Sapientiã. Potest autẽ & huius parabolæ explicatio generalis, quæ sufficiat intẽtione Domini fieri in hunc modum. Quemadmodum negotiator aliquis margaritarum bonarum studiosus, postquã inuenit prætiosissimã aliquã margaritã, nõ dubitat etiam vniuersam suam possessionẽ, si opus sit, vẽdere, vt eam sibi mercari possit: ita in regno cælorum fieri cõuenit, vt quis-

vt quisquis veritatis, & sapientiæ est studiosus, post inuentũ margaritum illud cælestis Sapientiæ, per Euangelicam prædicationẽ iam omnibus oblatum, quo non est aliud prætiosius, etiam vniuersorum bonorum temporalium dispendio illud non cesset sibi comparare: persuasus scilicet illud omnium facultatum prætium longè superare. Secundum quam explicationem non erit anxiè quærendum quis significetur per hominem illum negotiatorem, de quo in Parabola significatur enim quid quemque huius exemplo facere oporter. Sic nec quid per bonas margaritas.

Iterum simile est regnum cælorũ sagenæ missæ in mare. Tertia hæc Parabola non multum differt à parabola zizaniorum, nisi quod in ea per zizania tritico permixta significantur omnes mali bonis in toto mundo permixti, etiam qui nunquam fidem, & Euangelium susceperunt: hic vero de eis malis tantum est sermo, qui sunt in Ecclesia, aut in ea aliquando fuerunt, quos scilicet sagena, hoc est, Euangelica prædicatio, collegit simul cum bonis quanquã quidam non male intelligant per sagenam significari Ecclesiam, quæ ex omni genere homines in se congregatos habet. Diximus superius satis esse Parabolam seu similitudinem constare eatenus, quatenus requirit intentio Domini. Ea autem est, vt ostendat in Euangelico reti bonos simul cum malis permixtos fore, eosque in fine seculi demum separandos, nullo habito respectu, quales prius fuerint, antequam reti Euangelico caperentur. Itaque mali, qui cum bonis capiuntur non tantum hic sunt intelligendi, hi qui fictè, aut coacte ingrediuntur Ecclesiã, & Euangelium, ac fidẽ non ex animo suscipiunt: sed etiam qui bono animo, & sponte suscipientes, deinde incœpta virtutis via non perseuerant. Porro Parabola hæc explicatione, aut applicatione non eget, quoniam eam explicat, & applicat Dominus, quanquam tantum ex parte altera, ea scilicet qua dicitur in parabola, quod educta è mari sagena plena, piscatores eligunt bonos in vasa sua, hoc est, repositoria, malos, & inutiles foras mittunt. Sed ex hac explicatione apertum satis reliquit, quid per alteram parabolæ partem sit intelligendũ, qua dicitur sagena missa in mare, ex omni genere piscium congregare vsque dum implera fuerit: videlicet quod Euangelica prædicatio missa in mari huius mundi pleno tempestatibus, instabilitate, ac multa amaritudine, collectura esset, & captura ex omni genere hominum cuiuscunque gentis, conditionis, aut ætatis, vsque dum haberet plenum credẽtium numerum, quo impleto erit consummatio seculi, ac rectè Euangelicum è mari huius mundi educetur, quando cessabit capere homines. Reliqua huius parabolæ in applicatione sunt omittenda, tanquam intentioni propter quam parabola dicitur, impertinentia: vt quid significetur per littus, aut per sessionem eorum, qui eligunt bonos in vasa

Universidad de Deusto
Biblioteca

sua, & malos foras mittunt, &c.

Intellexistis hæc omnia? Non interrogat Dominus num intelligant, quasi ignorans: sed vt ex eorum responsione commodam haberet opportunitatem eos docendi, hæc quæ intelligerent in fidelis memoriæ penuario recondenda esse, quo alijs aliquando possent ea depromere. Proinde subijcit & alteram parabolam, qua illud docet, quæ hoc modo videtur intelligenda. Ideo, quia scilicet hæc intelligitis, *scitote quod omnis scriba doctus in regno cælorum*, similis esse debet Patrifamilias, qui è thesauro, & repositorio suo profert noua, & vetera, hoc est, qui affatim quæ uis, & varia profert, quæ diuersorum palato, & desiderio satisfaciant. Hoc enim ad literam significatur per noua, & vetera, quæ profert paterfamilias, cui assimilatur doctor Euangelicus: qui quèadmodù Paterfamilias diuersa simul & liberalis ex abundantia diuitiarùm suarum profert, cum opus est noua simul, & vetera, hoc est, res varias, omnigenamque substantiam: sic ille è corde diuite spiritualium opum, debet in tempore suo proferre sermonem varium, copiosum, ac diuersis hominum ingenijs congruum, & nunc quidem apertum, nunc involutum variis parabolis, & similitudinibus. Non enim eadem semper dicenda, nec eodem modo, eo quod non omnes eisdem communicentur: atque ob id opus est diuite quodam thesauro, omni disciplinarù genere instructo. Hęc videtur esse genuina loci huius explicatio, optimè deseruiens proposito Saluatoris. Porro Scriba doctus in regno cælorum, vel, vt habent Græca, ad regnum cælorum scilicet prædicandum, est prædicator Euangelicus, qui scriba dicitur non à scribendo, sed potius à scripturarum sanctarum intelligentia, & enarratione. Additur autem doctus in regno cælorum, ad differentiam Scribarum, quos habuerunt Iudei, qui tantum vetera ex veteribus proferre potuerunt, vt intelligatur perfectior doctrina requiri à Scriba Euangelico.

Docens in Nazareth Dominus incredulitatis eam condemnat Matt. 13. Marc. 6. Luc. 4.

CAPVT LIIII.

†ª Et venit. ▷ª synagogam. ‖ª accedebat.

FACTVM est, cùm cõsummasset Iesus parabolas istas, transiit inde, ª *& egressus inde abijt in patriam suam, & sequebantur eum discipuli sui.* †ª *Et venit* ª *in patriam suam* ᵇ *Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbathi in synagogam,* ᵇ *& falla sabbatho cœpit* ª *in* ▷ *synagoga* ᵇ *eorum* ‖ª *docere eos* ᵇ *& surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare*

contritos corde, predicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, predicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et †ᵇ *omnes* ᵇ *audientes* ᶜ *testimonium illi dabant, & mirabantur* ᵇ *in* ᵇ *doctrina eius* [&] ᵃ *verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipsius,* ‖ᵇ *& dicebant* ᵃ *: Vnde huic* † *sapientia hæc & virtutes* ᵇ *& quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficuntur? Nonne hic est* ᵃ *filius Ioseph,* ᵇ *fabri filius? Nonne hic est faber filius Mariæ frater Iacobi Ioseph & Iudæ & Simonis?* ᵃ *Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph, & Simõ & Iudas?* ▷ *& sorores eius nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia istæc* ª *& scandalizabantur in eo.* ‖ᵇ *Iesus autem dixit eis:* ᵃ *Vtique dicetis mihi hanc similitudinẽ: Medice cura teipsum: quæcunque audiuimus facta in Capharnaũ, fac & hic in patria tua. Ait autem. Amẽ dico vobis,* ᵇ *quia* ᵃ *nemo propheta acceptus est in patria sua.* ᵃ *Nõ est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua,* ᵇ *& in cognatione sua.* ᵃ *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel quando clausum est cælũ annis tribus & mẽsibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarũ missus est Elias nisi in Sareptã Sidonis ad mulierẽ viduã. Et multi leprosi erãt in Israel sub Eliæo propheta, & nemo eorũ mũdatus est nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerũt & eiecerũt illũ extra ciuitatem, & duxerũt illũ vsque ad supercilium mõtis sup per quẽ ciuitas illorũ erat ædificata, vt præcipitarẽt eũ. Ipse autẽ transiẽs per mediũ illorũ ibat.* ᵇ *Et nõ poterat ibi virtutẽ vllã facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit.* ᵃ *Et nõ fecit ibi virtutes multas propter incredulitatẽ illorũ.* ᵇ *& mirabatur propter incredulitatẽ eorũ.*

†ᵇ *multæ* ▷ª *ita vt mirarentur* ‖ª. *& dicerent.* ᵇ. *dicentes hæc omnia* ▷ᵇ *Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt* ‖ᵇ. *Et dicebat illis Iesus.* ª. *& ait illis.*

Et factũ est cũ cõsummasset Iesus Parabolas istas transiit inde. Tantũ hũc Christi in Nazareth cõtigisse post prædictas parabolas ex Matthæo manifestissimũ est; *Et intrauit secundũ consuetudinẽ suam die sabbathi in, &c.* In Synagogis, quas singulę ciuitates habebãt apud Iudęos, Dominus solitus erat intrare, idque die Sabbathi, quo solo Iudęi illuc cõuenerãt audituri legẽ, & Prophetas: obseruãs scilicet tẽpus, & locũ doctrinæ accõmodum. Cum autẽ Dominus audisset in Synagoga alios de lege disserẽtes. *surrexit & ipse.* hoc gestu significãs, se quoque ex Spiritu habere, quod loqui vellet apud multitudinẽ. Hic enim videtur apud Iudæos fuisse mos, vt in synagoga nõ vnus tantũ faceret ad populũ verba sed liberũ esset diuersis sue cessiuè concionari; quod patet 1. Cor. 14. Porro quod Dominus stans legerit Prophetã, datum est autoritati diuinę Scripturæ, cui æquũ est omnem humanam dignitatem assurgere: quod verò expleta lectione sederit docturus, singularem eius in docendo au-

thoritatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

thoritatem significasse videtur. Apparet enim alioqui morè fuisse
Iudæis standi, non tantum cum legerent, sed & cũ lecta explana-
Act. 13. rent, & docerent. Non autem fortuitò sed diuina prouidentia ac-
2. Cor. 14. cidit, vt & traderetur Domino liber Isaiæ Prophetæ, & aperien-
ti occurreret locus ille, quem Dominus hic legisse memoratur.
Nemo enim Prophetarum clarius est vaticinatus de Christo, & de
doctrina Euangelica, quam Isaias: nec alius quispiam locus Isaiæ
magis quadrabat huic tempori, & loco, quam iste, in quo ipse Pro-
pheta loquitur non in sua, sed Christi persona: & per quem Do-
minus Nazarenis commodè ostendere potuit se longè alium esse
quam opinarentur, imò esse expectatum Iudæis Messiam. Nam
in hac Prophetia cũ dicitur, Propter quod vnxit me, ponitur pro
verbo vnxit apud Hebræos verbum vnde dicitur Messias. Cæte-
rum pro solutione difficultatum, quæ circa hanc Prophetiam oc-
currere possunt: sciendũ imprimis hanc non rectè satis distingui,
siue dum eam hic legimus apud Lucam, siue dum legimus apud
Hieronymum in Isaia, cùm recta distinctio, quam indicant accen-
tus Hebraici puncta sic se habeat, vt verbum vnxerit connunga-
tur cum sequenti, ad annuntiandum, in hunc modum: Spiritus Do
mini super me eo quòd, vel (propter quod) vnxit me ad euangeli-
zandum (vel annuntiandum) pauperibus (vel mansuetis) misit me
vt mederer contritis corde, vel sanarem contritos corde, &c. Se-
cundum hanc distinctionem apertior est & cõuenientior prophe
tiæ huius sensus. Nam secundum Septuaginta lectionem (secun-
dum quam magis hic citatur à Luca, & quæ hanc distinctionem
magis requirit, quam Hebræa) sensus est: Quoniam Spiritus Domi
ni singulari ratione, & ex ipsa Natiuitate est super me, ideo Domi
nus me suo spiritu vnxit, hoc est, consecrauit, & deputauit ad Eua
gelizandum pauperibus. Euangelium enim hoc non potuit pri-
mum ab alio prædicari, quam ab eo, qui præuentus esset diuina
benedictionibus, & Spiritu Dei omnino plenus. Secundum alte-
ram autem, nempe Hebraicam lectionem sensus est: Ideo Spiritus
Domini super me peculiariter requieuit, quoniam Dominus me
suo Spiritu vnxit, & consecrauit, ad Euangelizandũ pauperibus.
Vel, ex eo constat Spiritũ Domini esse super me, quod Dominus
me vnxerit ad Euangelij prædicationem. [Ex quibus constat quo
modo vtraque lectio habet verum sensum. Si enim legatur eo
quod (quomodo est magis vertendum, cũ non sit Hebræa altera
id est, propterea, sed Iam) oportet per verbũ vnxit, intelligere sig
nificari vnctionem, qua in vtero matris Dominus est vnctus, cum
diuina natura humanæ est vnita. Si vero legatur, propter quod in
telligendum est verbo vnxit, significari eam vnctionẽ, qua Chri-
stus in Baptismo visibiliter vnctus est, hoc est, consecratus, & de-
putatus ad Euangelij prædicationem, quando descendit in eum
Spiri-

Spiritus sanctus visibiliter in specie columbę.] Dicitur autẽ Chri- *Christus*
stus vnctus ad Euangelizandum, quia per diuinam vnctionẽ con- *vnctus est*
secratus, & deputatus ad illud officium, sicut dicuntur quidam vn *ad Euãge*
cti in Reges, quia vnctione consecrati, & deputati ad regnandum. *lizandũ.*
Sed alij quidem dicuntur vncti ab hominibus, quod visibilis eorũ
esset vnctio: Christus verò à solo Deo vnctus dicitur, vnde signifi-
canter Hebræa addunt nomen Dominus, eo quod vnxerit me Do
minus, non homo scilicet visibilis visibili vnctione: sed Deus inui- 2. Cor. 6.
sibilis inuisibili vnctione. Est autem oleum, vel vnguentum, quo
Pater Filium vnxit, ipse Spiritus Domini, sicut hoc testimonio sa-
tis indicatur, ad quod proinde alludẽs Petrus Act. 10. vnxit inquit
eum Deus Spiritu sancto, & virtute. Pro intelligentia autem reli-
quorum, quæ in Prophetia sequuntur, sciendum in sequentibus
Christum de se loqui, tanquam de aliquo, qui missus esset ad con-
solandum leto quodam nuncio eos, qui omni humano essent de-
stituti præsidio, ac carceris, aliarumque miseriarum malis præme-
rentur ab Inimicis suis. Porro *annum acceptum*, vocat Propheta,
tempus illud totum, quo Christus docendo, & pro nobis patiendo
opus nostræ redemptionis peregit, aut potius totum tempus Euã-
gelicæ prędicationis à Christo vsque in finem mundi. Nam Pau-
lus dicit, Ecce nunc tempus acceptabile, &c. Ideo autem tempus
hoc intelligunt plerique vocati annum, vel tempus acceptũ, quia
gratũ est, & iucundum fidelibus, ob ea, quæ in eo annunciantur.
Sed Hebræa alium planè sequuntur sensum, nimirum vt acceptũ,
vel vt est Græcè δεκτὸν, accipiatur potius actiuè, & annus sit ac-
ceptus, tempus quo Deus gratuita sua bonitate homines in gra-
tiã recepit per mortẽ filij sui. Est enim Hebraicè dictio ratson quę
eis significat, quod Græcis εὐδοκία, hoc est, beneplacitũ, & gratuita
voluntas. Vnde benè vertit D. Hieronymus annum placabilem.
Illud porro, *diem retributionis*, quod Græca tamen hoc loco non ha
bent, quanquam plerique intelligant de die Iudicij, quo retribue-
tur vnicuique secundum opera sua, vt præcedentia pertineãt ad
primum Domini aduentum, hæc verò pars ad secundum: tamen
magis debet intelligi de retributione illa vltionis, qua Deus per Fi
lium vltus est nos de Inimicis nostris dęmonibus, iudicando prin-
cipem huius mundi & eijciendo eum foras. Idẽ ergo tempus est
& dies acceptus & dies retributionis: sed annus acceptus ratio-
ne fidelium.

Et omniũ in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Post lectionẽ
Prophetæ omnes in Iesum intentè respiciunt, partim quod admi-
rarentur illum posse legere, quem sciebant id non didicisse, quod-
que è diuino eius vultu gratia quędam fulgeret, omnium facilè
in se conuertens oculos, sed multo magis ob id, quod aliude expe-
ctarent noua quædam audire ab eo, de quo mira audierãt. & cuius

humilem

Universidad de Deusto
Biblioteca

humilē conuersationem prius erant experti. Quod autem dicitur à Domino, *Scriptura impleta in auribus vestris*, phrasis est Hebraica, pro impleta est vobis audientibus. Dicitur autem Scriptura tunc primum impleta in illorum auribus, cum ab ipsa eius incarnatione, aut saltem a tempore predicationis impleta esset, quia tunc primum audiuerunt eam pronunciari ab eo, de quo loquitur, & in cuius persona erat scripta. Significare enim his verbis Dominus voluit, se esse eum de quo loquitur recta scriptura.

Et omnes testimonium illi dabant, hoc est, cum commendabant, & laudabant, & bonum de illo perhibebant testimonium, tum ob miracula iam ibi & alibi gesta, tum quod audirent eum Scripturas tanta cum authoritate, mansuetudine, & prudentia explanantem. Vnde additur: *Et mirabantur in verbis gratiæ*, hoc est, de verbis gratiosis, aut gratia, & acceptatione plenis. Verū si omnes illi testimonium dabant quomodo dicunt Marcus, & Matthæus, ipsos scandalizatos in eo. Quomodo etiam Lucas mox subiungit Domini obiurgationem? Certè apparet in principio plerosque auditis miraculis, & verbis Christi, rectè de ipso sensisse, & promptos fuisse ad credendum illum esse verum Messiam; quosdam tamen inter eos fuisse, qui considerantes humilitatem familiæ & generis ipsius, cęperunt doctrinæ, & miraculorum eius authoritatem eleuare: & à recta illa de Iesu opinione auocare etiam eos, qui in principio rectè sentiebant de ipso. Cum ergo dicuntur omnes illi testimonium dedisse, omnes, pro plerisque positum videtur, quemadmodum in scriptura sæpe accipitur. Et cum hi qui testimonium dabāt dicuntur apud Lucam dixisse, *Nonne hic est filius Ioseph?* Intelligendum quosdam illud dixisse in laudem Iesu, & admirationem eius: agnoscentes plane diuinum esse debuisse, quod homo tā alioqui ignobilis subito ad tantam sapientiā esset euectus, alios vero idem dixisse ex contemptu, & cum offendiculo, existimātes ipsum non posse esse Messiam, qui tam humilem patrem, & progeniem haberet, nec doctrinam eius, aut miracula posse esse diuina, qui inter doctos non fuerat versatus. Porro cum Dominus non solum dictus sit hic à Nazarenis filius fabri, vt est apud Matthæum, sed etiam faber, vt est apud Marcum in omnibus ferè libris: apparet Dominum cum Ioseph fabrilem artem etiā exercuisse, vsque ad prædicationis tempus, quanquam intelligi possit, vt indicat D. Aug. eum ideo vocatum fabrū quia creditus filius fabri. Incertū autem est quam artem fabrilem exercuerit cum nomen faber, sit & Græcis, τέκτων generale, sit ad omnes pene artifices, qui ex quauis materia aliquid faciunt, exceptis plastis.

Christus aut fabrilem exercuerit artem.

Iesus autem dixit eis, Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, &c. Duo erant, quę offendebant Nazarenos, scilicet humilitas generis, & miraculorū paucitas: quā secundā offensionis causam Saluator præoc-

præoccupans dicit, vtiq; , hoc est, omnino, & certè (est enim Græcè, πάντως) *dicetis*, mihi hanc similitudinem, hoc est, parabolam, & prouerbium. Interpres enim noster hic posuit nomen similitudinis pro prouerbio, sicut suprà dictū est nomē, Parabola, in Scripturis pro accipi pro prouerbio. Apparet autem comune prouerbium fuisse apud Iudæos. *Medice, cura teipsum*: quo vsi fuerunt contra eum, qui quod alijs pollicebatur, aut præstabat, sibi, suisque præstare vel non potuit, vel neglexit. Quod prouerbium in quo sensu dicturi essent in se, Dominus exponit, cum subiungit. *Quanta audiuimus facta in Capharnaū, &c.* Qua illorum calumnia proposita responsionem subijt dicens,

Amēdico vobis nō est Propheta acceptus in patria suo, hac sententia reijcies simul vtrique scādalo. Quoniā cū in progenie Domini scā dalizabantur, & calumniabantur paucitatē miraculorū Dominus hac sententia significat nihil noui se ab eis pati, sed cōmune sibi hoc esse cū omnibus prophetis, quod nō honorentur in patria a ciuibus suis: significat & ob id nō facere se ibi multa, aut magna miracula quod nō esset ibi acceptus, & honoratus, & proinde ipsi indigni essēt, & capaces miraculorum vt postea dicitur. Hanc autē sententiam vehementius efferūt Matthęus & Marcus dicentes: Nō est Propheta sine honore nisi in patria sua, cuius sensus est. Non est Propheta vsquam contemptior, & magis inhonoratus, quam in patria sua, & inter notos. Porro generali hac sententia præmissa, duobus exemplis sacræ scripturæ, desumptis à duobus maximi nominis Prophetis sibi mutuo succedentibus, & in miraculorum operatione alios omnes excellentibus, pergit ad calumniam secūdam respondere: ostendens non ex sua impotentia prouenire paucitatem miraculorū in Nazareth, sed ipsorum demerito, & quod nō ita esset illis acceptus sicut in alijs ciuitatibus: quemadmodum etiam Elias, & Helizeus, ambo miraculis variis clari prætermissis suis ob ipsorum demerita, exteris ea beneficia leguntur impendisse, quibus & sui indigebant. Itaque horum exemplo sese Dominus purgat, idque eo magis quod significat hos Prophetas, non propria, sed diuina voluntate, suis prætermissis, beneficisse exteris. Hoc enim significat, cum dicit in priori exemplo.

Et ad nullam illarum missus est Elias. In horum autem duorum exemplorum priore, notandum quod tempus illud annotum tium, & mensium sex, quo dicitur hic cœlum fuisse clausum, non potest haberi ex scriptura veteris Testamenti, vbi hæc historia scribitur: vnde dicendum est, quod Dominus tempus hoc cognouit æterna illa sua cognitione, qua nullum præteritum ei fuit incognitum vel, quod ex antiqua traditione apud omnes vulgatum esset iam Iudęos, quantum fuisset tempus siccitatis in diebus Eliæ. Hinc in Iacobus in Epistola sua,

siue secutus hanc Domini traditionem, siue antiquam, & receptam opinionem, dicit, tempore Eliæ non pluisse annos tres, & menses sex. In vtroque autem exemplo notandum, quod coniunctio, nisi, debet accipi pro, sed tantum. Non enim exceptiue potest accipi, cum id quod excipitur, non contineatur sub eo, vnde fit exceptio.

Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Mirabilis hæc mutatio. Cum enim omnes in principio illum docentem, & explanantem scripturas admirarentur, & commendarent, & quia in illo vel ob generis humilitatem, paritatem, vel ob miraculorum claritatem scandalizabantur, nondum auderent ipsum aperte incessere, postquam summa cum modestia atque admodum ciuiliter & se purgasset, & illos incredulitatis notasset, & indignationis, non solum non receperunt purgationem, nec ad respiscentiam, & agnitionem sui morbi sunt commoti, sed mox deposito ergo ipsum animo bono, ac inuido murmure quorundam non amplius sese continente, omnes in manifestam indignationem accensi sunt, atque ad extremam etiam impietatem designandam propensi.

Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Hæc oratio sic est ordinanda, vt illud, per medium illorum, coniungatur cum participio, transiens, non cum verbo, ibat. Quibus verbis significatur cum libertate quanta, & potentia elapsus sit manibus illorum, non scilicet subuolando in altum aut meticulose currendo, sed intrepidè pertranseundo per ipsos medios. Potest hic transitus autem dupliciter intelligi contigisse aut per hoc quod mentem illorum, aut mutauit, aut obstupefecit, vt vult Beda, adimendo scilicet illis vires, quemadmodum cum ante captiuitatem suam posstauit eos, qui cum Iuda venerant ad capiendum ipsum. Aut per hoc quod se illis inuisibilem reddidit, qua ratione omnino videtur de bis liberasse apud Ioannem, semel scilicet cum lapides volebant Iudæi iacere in eum, & semel cum volebant eum apprehendere. Cæterum eum dicit Marcus, *non potuit illic virtutem vllam facere*, non significatur Christi imbecillitas, sed illorum incapacitas. Non potuit enim non quod deesset ei potentia, & virtus, sed quia illi non erant capaces.

Mittuntur ad prædicandum duodecim Apostoli Matthæi 9. & 10. Marci 6. Lucæ 8. & 9.

CAPVT LV.

ET factum est deinceps, [1] & [c] ipse [a] Iesus [1] circuibat [a] omnes [f] ciuitates & [f] castella [b] in circuitu [a] docens [a] in synagogis eorum, & [f] prædicans [a] euangelium regni, [c] & euangelizans regnum Dei. [a] & curans omnem languorem & omnem infirmitatem. [a] & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ [a] spiritibus malignis & infirmitatibus. Maria quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. [a] Videns autem turbas, miserius est eis quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem ‖ Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. [b] Et vocauit duodecim, [a] & [1] conuocatis [c] Iesus [1] duodecim ▷ [a] discipulis suis [b] cœpit eos mittere binos, & ‖ [a] dedit illis [c] virtutem & [1] potestatem [1] spirituum immundorum. [a] vt eicerent eos, [f] & [c] vt ▷ [1] curarent omnem languorem [a] & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius, Thomas & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi & Thaddæus, Simon Cananæus & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Hos duodecim misit Iesus [b] & præcepit eis, ne quid tolleret in via nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis. [c] Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos [a] præcipiens eis. & dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eicite, gratis accepistis, gratis date. [c] Nihil tuleritis in via. [a] Nolite possidere aurum neque argentum, [1] neque pecuniam [a] in zonis vestris, [f] non peram [a] in via, [c] neque panem, [1] neque duas tunicas [c] habeatis, [a] neque calceamenta, [f] neque virgam. [a] Dignus enim est operarius cibo suo. In quamcunque autem ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, [1] & ▷ [b] in quamcunque domum intraueritis [1] ibi manete [1] donec exeatis [b] inde. [a] Intrates autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. [1] Et quicunque non ▷ receperint vos, [a] nec audierint [a] sermones vestros, [1] & exeuntes [b] inde [a] foras [1] de [a] domo vel [f] ciuitate illa, eiicite [1] pulueres pedibus vestrorum excutite [a] de pedibus vestris [b] in testimonium ‖ super illos. [a] Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quam illi ciuitati. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis [b], illis & in

A. 9. C. 8. [1] c. iter faciebat per

C. 10. 20. languores curarent

C. 10. 20. [1] c. Nequæ virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis

▷ [b] quocunque introieritis in domum, illic [1] & inde exite ▷ [a] recepe rit vos neque audierit

B.13.122. & in synagogis suis flagellabunt vos: & ad præsides & reges ducemi-
C.21.122. ni propter me in testimonium illis & gentibus. Cùm autem tradent
vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim
B.13.122. vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini,
C.12.85. sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autē frater fra-
& 21.122. trem in mortem & pater filium. & insurgent filij in parentes. & mor-
te eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen me-
um. Qui autē perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Cùm au-
tem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vo-
bis non consummabitis ciuitates Israël donec veniat filius homi-
C.6.43. nis. ‖Non est discipulus super magistrū, nec seruus super dominū suū. Suf-
D.13 &. ficit discipulo vt sit sicut magister eius: & seruo, sicut Dominus eius.]
15. Si patrē familiæ Beelzebub vocauerūt, quantò magis domesticos eius.
B.4.51. Ne ergo timueritis eos. ‖ Nihil enim est opertū, quod nō reueletur & o-
C.8.51. cultū quod nō sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &
& 12.85. quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui oc-
dūt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum
qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Nónne duo pas-
seres asse vaneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine pa-
tre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nol-
B.8.66. te ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. ‖ Omnis ergo
C.9.66. qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre
C.12.85. meo qui in cœlis est. Qui autē negauerit me coram hominibus, negabo
C.12.89. & ego eū coram patre meo qui in cœlis est. ‖Nolite arbitrari quia pacē
venerim mittere in terrā: non veni pacē mittere, sed gladiū. Veni enim
separare hominem aduersus patrē suū, & filiā aduersus matrē suā, &
nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.
C.14.92. ‖Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.
& qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non
A.16.66. accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. ‖ Qui inuenit
B.8.66. animam suam, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter
C.9.66. me, inueniet eam. ‖ Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit,
D.12.111. recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophe-
B.9.70. tæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iu-
C.9.50. sti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex pusil-
lis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, amen dico
A.11. vobis, non perdet mercedem suam. ‖ Et factum est, cùm consum-
masset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde vt docu-
†b. Et ex eunstes ret & prædicaret in ciuitatibus eorum. †b Egressi autem circuibant
per castella euangelizantes & curantes vbique. [&] bprædicabant vt
pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo
multos agros, & sanabantur.

Et factum est deinceps & ipse Iesus circuibat omnes, &c. In huius cir-

cuitionis Domini descriptione primum notanda Domini & benignitas, & potestas. Benignitas enim eius qua omnibus prodesse voluit, in eo relucet, quod circuierit non solum omnes ciuitates, sed & castella, non existimans aliquem locum, quantumuis humilem, se indignum: ac docens veri pastoris esse, omnium sibi creditarum ouium curam agere, discurrendo, & visitando singula loca quantumuis humilia, & abiecta. Potestas vero eius simul cum benignitate rursum in eo notatur, quod dicitur curasse omnem languorem, & omnem infirmitatem, hoc est quoduis genus morborum, & egritudinum. Porro duodecim Apostolos secum circumduxit Dominus, vt in te doceret eos, quomodo & ipsi paulo post sese in prædicationis Euangelicæ negotio gerere deberent. Mulieres quoque aliquot Dominus secum circuire passus est, quæ beneficijs ab ipso affectæ, ei de suis facultatibus ministrarent, sed vltro se ad hoc offerentes: vt ostenderet Dominus suam pro nobis susceptam paupertatem, & facto suo doceret, quod mox erat docturus verbo, operarium scilicet Euangelicum dignum esse mercede sua, nec desiderare vnquam spontaneam liberalitatem bonorum, eis, qui sincero animo toti essent in negotio Euangelico. Porro ex eo quod prima earum mulierum quæ hic nominantur, dicitur Maria, quæ vocatur Magdalena, patet satis vnam tantū esse mulierē, quæ in Euangelijs vocatur Maria Magdalena. Cū enim dicit Lucas, *Maria quæ vocatur Magdalena*, vtique ad distinctionem huius Mariæ ab alijs eodem nomine appellatis, adiecit illud, quæ vocatur Magdalena. [Quod autem hæc Maria, quæ in Euangeliis vocatur Magdalena, sit ea Maria, quę fuit soror Marthæ & Lazari, licet ex Euangeliis apertè probari non possit; tamen cum recepta ab Ecclesia sententia habeat Mariam sororem Marthæ fuisse eam Mariam, quæ dicitur in Euangelijs Magdalena, & eam etiam quæ apud Lucam cap. 7. Dicitur peccatrix, vt supra ostensum est: non est temerè contra hanc sententiam sentiendum.] Quod autem dicitur à Luca hoc loco, septem Dæmonia Dominum eiecisse ab hac Maria Magdalena: intelligendum esse de corporali dæmonū iectione, patet satis ex eo, quod in Lucæ præcedit.

Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ a spiritibus malignis. Proinde *Magdalene* dicendū videtur cum Ostensi & alijs quibusdā, mulierē hāc de me *ne possessione* peccatorū suorū à diabolis aliquādo possessam, ac posteaquā *sa aliquid* à Domino fuisset liberata peccatorū suorum magnitudinē cœpisse *dolore damnis* agnoscere, eorundēq; remissionē lachrymarū profluuio impetrasse, ac tum deinceps indiuulsam Christo adhæsisse, & opes suas in illius ministerium, & vsum cum alijs mulieribus quibusdam impendisse, pro duplici beneficio corporali scilicet & spirituali, quo affecit eam Dominus. Porro mulier secundò nominata, nēpe *Ioanna*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Susanna

Ioanna cuius Lucas meminit etiam cap. vltimo, dicitur à Luca fuisse vxor Chuzæ procuratoris Herodis, vt significaret mulieris locupletis opes, & deuotionē non solum ipsius, sed etiam mariti, qui permiserit vxorem suam comitatu Iesu, in quo vtique Dominus eam non admisisset, nisi viro permittente. Sic & Susanna quædam nominatur, quod eo tempore esset mulier nota & celebris nomine.

Videns autē turbas misertus est eis, quia erāt vexati, & iacētes, &c. Notandum quod pro vexati Græca habent ἐκλελυμένοι, quod est dissoluti, aut dissipati à χέω, quemadmodum legit Theophyl. & maxime videtur conuenire illi, quod sequitur. *Sicut oues non habentes pastorem*. Quædam tamen Græca habent ἐκκεκλασμένοι hoc est contusi, & vexati, quomodo legunt Chrys. Hiero. & Hilarius, & bene etiam conuenit ei quod sequitur, Sicut oues, &c. Iam proiacentes Græce est ἐρριμμένοι quod magis est sparsi, fugue dissecti. Vexati ergo dicuntur hi quibus Christus misertus est, quia variis malis afflicti, primum à Scribis, & Phariseis, qui pro Pastoribus lupos potius agebant, & suis humanis traditionibus & Iudaicis opinionibus onerabant, & à veritate Euangelica eos auocabant. Deinde & à demone per ignorantiam veritatis, & necessaria ipsos suo imperio subiugante, & corporalibus morbis affligente. Dissoluti vero, aut dissipati dicuntur, quia varia sectantes, in modū destitutarū omnium per diuersa vagantiū. Iacētes verò, quia ab omnibus neglecti. Benè autē ouibus carentibus Pastore eos cōparat, eo quod non sit aliud animal destitutius, & magis pendēs à præsidio Pastoris, quam ouis: Deinde hac cōparatione significatur populi innocentia, digna cōmiseratione, & Scribarū grauissima, & maxime impia negligentia: Cæterum cū Dominus populis prouidere ex affectu misericordiæ vellet, prius discipulos suos excitat ad petendū Pastores hominum a Deo: non quod hoc nō esset in sua situm potestate, sed vt doceret diuinum esse donū quod hominibus etiam veritatis auidis dentur boni Pastores, idque precibus à Deo obtinendum. Itaque dicit, messis quidem multa, &c. Messem multam vocat homines multos iam prōptos ad recipiendū Euangelicam doctrinam per quā veluti demessi deserantur in horreū Dei, quod est Ecclesia Dei, & consortium sanctorum. Operarios autē paucos dicit, quia solus Ioannes & Christus ipse sincere tunc populum docebant. Necdum enim Apostoli missi fuerant ad operandum in messe Domini, & qui operariorum locum tunc obtinebant Scribæ, & Pharisæi, operariorum officio non fungebātur. Notandum autem quod dicit, *Vt ejiciat operarios, &c.* (sic enim legendum esse, & non, mittat operarios, docent antiqua exemplaria scripta, & cōuenit Græcè dictioni ἐκβαλῇ. Significatur ergo orandū, vt citò mittat, ac vel inuitos, & coactos extrudat in opus Dei. Significatur etiam vis imperij & gratiæ Dei, quæ cunctantes etiam

Vexati

Dissoluti aut dissipati

Messis multa

Operarij pauci.

etiam ad hoc impellit, nec alios demum vtiles esse colligendę huic messi, quam qui ad hoc à Deo protruduntur.

Et vocauit duodecim, &c. Dixerat rogandum Dominum messis, vt ejiceret operarios plures scilicet alios, in messem, mox tamen ipsemet non expectatis eorum præcibus præparat, & mittit operarios. Quare primum quidem significauit se esse verum Dominum messis, quod ex superioribus verbis non ita potuit intelligi. Deinde & hoc significatum est, Deum non ideirco velle rogari, quod minorem is, quam nos ipsi curam nostri gerat: sed vt aptiores simus agnoscendæ, & recipiendæ diuinæ beneficentiæ. Præuenit enim Deus frequenter sua beneficientia nostras orationes. Itaque vocatis ad se duodecim Apostolis suis, quos olim ad hoc delegerat, ac deinde indiuulse sibi adhærentes singulariter verbo, & exemplo suo formauerat ad prædicandum quandoque alijs mittere tam cœpit eos, vt secundum doctrinam quam ab ipso audierāt, & ad exemplar vitæ, quod in præceptore conspexerant alij alibi verbo, & exemplo docerent populum. Ac ne doctrina eorum propter nouitatem eius, & personarum idiotarum humilitatem contemneretur, imo pluris fieret, quam Scribarum doctrina; dedit etiam illis potestatē, quam à Patre accepit & ad ejiciendos dæmones in nomine suo, & ad curandos omnis generis morbas corporales: hac certè potestatis communicatione rursum declarans se verè esse Dominum messis Patri æqualem, neque vsurpare sibi præsumptuosè potestatem mittendi operarios in messem diuinā. Binos autem mittit Dominus Apostolos vt testatur Marcus, idque fecit in commendationem fraternæ charitatis, in mutuam consolationem, mutuamque custodiam operum, & doctrinæ: Deinde etiam in certiorem prædicandæ veritatis contestationem, quia in ore duorum, aut trium testium, stabit omne verbum. Quoniam autem bini missi sunt Apostoli ob id, vt prius dictum est, vi dentur hic per iuga recenseri à Matthæo, quasi volente significare quomodo cōiuncti fuerint per paria. Porroin Catalogo Apostolorum à Matthæo hic posito, notandum quod Matthæus Petrum, non solum primo loco ponat, vt alij Euangelistæ, sed etiam primum vocat. Hinc enim efficaciter satis probari potest primatus, & excellentia quædam Petri inter alios Apostolos. Cū enim non possit dici primus ob vocationem: certè non videtur quomodo dictus sit primus, nisi ob peculiarem aliquam excellētiam. Cæterorum autem Apostolorum ordinem non sic significat Matthæus dicens, secundus, & tertius, &c. quod reliquorum ordinē nō ita teseretet scire, atque ad Christianam religionem attinebat scire primatum Petri, imo quod reliqui omnes in authorite pares essent.

Binimissi Apostoli

Petri primatus.

Hos duodecim misit Iesus præcipiens eis, & dicens: In viā, &c. Sunt à Matthæo posita octo hic potissimū præcepta peculiariter pertinentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vbi prædicandũ ab Apostolis

nentia ad hanc missionem, quorum primum est de loco prædicationis, quod solus Matthæus memorat. Inhibentur ergo prædicandi gratia ire in viam Gentiũ, hoc est, quæ ad Gentes ducit, & in ciuitates Samaritanorũ qui etsi reuera etiã essent Gẽtes, tamen quia ex parte receperunt Iudaïsmũ, & Deum Iudeorũ videbãtur colere, ideo de eis specialis fit mẽtio, tanquã qui essent mediũ quid inter Iudæos & Gẽtes. Præcipitur autẽ eis vt potius eant ad oues domus, id est, populi Israël, *quæ perierunt*, hoc est, ad oues perditas. Oues autem perditas domus Israel vocauit Dominus electos ex Iudæis, Dei cognitione adhuc destitutos. Quod electi essent, oues vocauit, quod ignaros adhuc Dei, oues perditas.

Oues perditæ

Quid prædicandũ

Euntes autẽ prædicate dicentes, quia appropinquauit regnũ cœlorũ. Secundũ præceptum est de eo, quod prædicandum est, quod itẽ solus Matthæus apertè explicat. Voluit ergo Dominus suos ad eundẽ modũ Euangelicam prædicationẽ auspicari, quo & ipse, & Ioannes eam auspicati sunt. Nam etsi hic non addatur Dominũ iussisse vt ad pœnitentiam agendam inuitarent, & dicerent, pœnitentiam agite: tamen etiam hoc esse iussos à Domino, patet ex Marco, qui postea dicit: Et exuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent.

Tertium præceptũ Apostolis datum

Infirmos curate, mortuos suscitate, &c. Tertium præceptum etiã à solo Matthæo expresse positum in 12. Apostolorum missione: quanquam illud præceptum non nudum est præceptum, sed simul etiam efficax traditio potestatis factiuæ miraculorum.

Quartũ

Gratis accepistis, gratis date Quartum præceptum à solo irẽ Matthæo positum, necessario autem superioribus adiunctum, tum ad supetbiæ, tum ad detestandæ auaritiæ repressionem. Porro referri potest istud ad vtrumque præceptum præcedens, vt significetur & gratis prædicandum, & gratis miracula facienda. Aut potius potest tantum ad præcedẽs referri, vt significetur munera pro præstita sanitate nõ esse venãda, aut accipienda. Nam eius magis poterat esse periculum, quã ex prædicatione. Itaq; sensus erit. Accepistis potestatem faciendi miracula gratis, hoc est, sine aliquo prætio, vel merito, gratis ergo etiam conferte per cõcessam vobis potestatem, alijs sanitatem.

Quintũ

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniã, &c. Quintum præceptum, quo statuitur, quomodo se gerere debeãt in via, & quomodo ipsis sit eundum. Prohibentur autem quinque secũ in via assumere. Primo prætium pro viatico, cum dicitur, *nolite possidere aurum, &c.* Vbi notandum non simpliciter prohiberi Apostolis possessionẽ auri, vel argenti, vel cuiusuis pecuniæ; sed ne iã profecturi ad prædicandum, hæc haberẽt in via pro viatico. Vnde additur, *in zonis vestris*, hoc est, in crumenis vestris. Loquitur enim iuxta veterem morẽ, quo pecunia ab itinerantibus, maximeque à militibus solẽt deferri in zonis, hoc est, in cingulis. Prohibet ergo nec

nec aurũ possidere, hoc est, habere, & ferre, vt habet Lucas, nec quod minus est argentũ, & quod his adhuc minus est, ne ęs quidẽ. Pro pecunia enim rectius interpres vertisset æs, cum Græcè sit χαλκὸς. Secũdo prohibet circũferre cibos, & repositoriũ ciborum cũ dicit, *neque peram, neque panẽ*. Nã hoc postremũ addunt Lucas, & Marcus, cũ posset panis circũferri pera. In his autem intelligendũ est Dominũ prohibuisse non tantũ omnẽ cibũ, aut ciborum repositoria, sed etiam potũ, aut potus repositoria; ita vt & lenticulam vinariam prohibuerit, etiãsi non expressérit. Posiquã autem his duobus prohibuit, quę ad victũ pertinẽt, prohibet deinde duobus præceptis, quę pertinẽt ad tegendũ corpus. Tertio ergo prohibet duas tunicas. Quo nõ est intelligendum Dominum prohibuisse ne duobus induerentur vestimentis in via, quandoquidem ipsum Dominũ constat pluribus vestibus indutum fuisse: sed per duas tunicas oportet intelligere secundũ Hieronimum, duplex vestimentum, aut vt alij dicunt in eodem sensu, vestes mutatorias, intelligaturque prohibitum, ne prætet vestes quibus irent induti, alias secum deferrent, quas induerent, alteris sorditatis: quemadmodum fieri passim solet ab hominibus. Nec obstat huic intelligentiæ quod habet Marcus, *& ne induerentur duabus tunicis*. Vult enim Marcus his verbis significare prohibitum illis fuisse non ne simul duabus induerentur vestibus pallio scilicet & tunica, sed ne vicissim nunc hac, nunc illa vterẽtur tunica. Vnde nõ dixit *duabus vestibus*, sed *duabus tunicis*, vsus nomine speciei, & per illud significans non duplicandas cuiusuis alterius etiam speciei vestes, ita vt vna induatur, altera futuro tẽpore seruata deferatur. Quartò prohibet calceamenta. Cui contrarium videtur quod habet Marcus, permissum illis fuisse, vt essẽt calceati sandalijs. Verũ cum Lucas dicens cap. 22. Dominũ in vltima cœna dixisse Apostolis, Quãdo misi vos sine sæculo, & pera, & calceamẽtis, &c. Satis significat in totũ calceamenta illis prohibita, & deinde Marcus dicens permissum, vt calceatẽtur sandalijs, significat aliquod calceamentorũ genus illis interdictũ dicendũ cũ Augustino calceamẽta ea esse prohibita, quę totũ pedem tegerẽt, sandalia vero cõcessa, quę plantã pedis quidẽ defenderent ab occurrẽtibus vię incõmodis, verũ superiorẽ partẽ sinerẽt nudã. Nã huiusmodi calceamẽti genus vocari sandalia, indicat Aug. Non autẽ ideo prohibet Dominus calceamẽta & cõcedit sandalia, quod illi curę fuerit quo calceamenti genere sui vterentur: sed quoniam, vt est verisimile, Christus, & Apostoli, pro more illius regiõnis maximè recepto à pauperibus vtebantur sandalijs, noluit Dominus suos iam profecturos mutare sandalia: & quemadmodum itinerantes facere ibi solebant, calceamenta, quæ totum defenderent pedem assumere: volens eos non aliter ire instructos ad prædicandum, quàm sicut cum

Quid per duas Tunicas intelligatur

Cuiusmodi calceamenta Apostolis permissa

adessent illi, eumque concomitarentur. Dominum enim non plane nudis incessisse plantis verisimile est, quod hoc non conueniret asperitati, & caliditati illius regionis, per quam assiduè discurrebat, & circumabulabat. Sandaliis verò tantùm fuisse vsum vel ex eo constat, quod peccatrix mulier, quę lachrymis rigabat eius pedes, vtique reperit superiorem pedum Domini partem nudam. Prohibitis his, quæ ad victum, & vestitū pertinent, prohibet quintò quod spectat ad defensionem in via, cum dicit *à virgam*. Cui rursum aperte contrarium videtur quod dicit Marcus, *nisi virgam tantum*. Cuius apparentis contrarietatis dissoluendæ facilior, & simplicior modus fuerit, dicere de alia virga loqui Marcum, quam Matthæum, & Lucam. Est enim quædam virga, quam sustentandi lassi corporis causa assumimus, quæ Hebræis dicitur Mischan, à verbo Schan quod est innixi. Et est virga quam virolandi, aut defendendi gratia gerimus, quæ Hebræis dicitur Schebeth. Hanc ergo Apostolis interdictam accipiendum est, illam verò permissam, quod satis patet ex eo quod postea dicit Dominus, vbi in speciem hanę suam constitutionem videtur reuocare, cum dicit: Nunc qui habet sæculum tollat, similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Gladiū enim hic opponit virgæ olim à se prohibitę. [Quod autem noluerit Dominus prohibere virgam, quæ itineris labore alleuaret: satis patet si scopū Domini in his præceptis spectemus. Non enim voluit profectionem illis reddere onerosiorem, sed expediciorē. Itaque Marcus veluti præcauere volens, ne quod Matthęus scripsit malè intelligeretur, sicut scripsit sandalia Apostolis concessa, significans quælia calceamenta eis essent prohibita: ita & virgam concessam fatebit, sed cum non satis habuit dicere nisi virgā, sed adiecit nisi virgam tantum: satis significauit se de alia virga loqui, quam de qua locutus erat Matthæus, nempe de virga aliqua parui momenti, & quæ tantum virga esset, aut baculus.] Intentio ergo Saluatoris erat hoc præcepto statuere, ne Apostoli, iturі ad prædicandū, prætergā, quę planè essent necessaria, paratent sibi quę ad victū, & vestitū & defensionē solent sibi itinerātes prouidere, & coassumere, sed his omnibus nudi abirent, nullis onusti sarcinis, nullis districti curis terrenis, sed in omnibus pendentes à Dei prouidētia: tū vt ad legationem susceptā essent expeditiores, & toti vacarēt delegatæ functioni: tū vt iam inciperent discere, quam tuta res sit totā vitam præsentis curam commendare optimo Patri: tū vt declarantes suo exemplo quā esset à cupiditate lucri, ac vindictæ alienus, plures lucri facerent, ab omnibus habiti admirationi. Fuit autem præceptum hoc non solum personale, pertinens scilicet ad Apostolos, sed etiam temporale, respectu earundem personarum, sicut & sequens de loco in quo prędicare iussit. Igitur in præsenti profectione

Dominus an nudis incesserit plantis

Cuiusmodi virga illis interdicta

Intentio Christi in huiusmodi præcepto.

Præceptū hoc personale fuit, & tēporale.

ne omnia vt missi erant præstiterunt: postea autē vbi deerat Domini ruffio, non ita, sed relicti suæ libertati fat habuerunt præcipuum Domini in his præceptis scopum spectare, & obseruare: nimirum vt omnem solicitudinem mundanam indignam certe Euangelico doctori reijcerent, vt inermes sese vbique exhiberent, vt simplicitatis, sobrietatis, & paupertatis exempla præberent, vt semper à diuina prouidentia in omnibus pendere se declararent.

Dignus est enim operarius cibo suo. Quoniam Apostoli auditis superioribus præceptis dicere poterant, Si gratis vis nos & docere, & sanare, nec quicquam in via deferre, vnde ergo nutriemur, aut vestiemur? Num vis vt ex mendicato viuamus? Dominus preueniens eorum quæstionem hac sententia apparentem præceptorum seueritatem temperauit, ostendens quare nudos illos mitteret nimirum quod quæ ad victū, & vestitum ipsis essent necessaria eis deberentur à discipulis eorum: vt sine omni rubore & verecundia ab eis illa possent accipere, nec necesse esset harum rerum onere, & solicitudine se grauare.

In quamcunque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, &c. Sextum præceptum quo primùm quidem docet multam faciendam diligentiam pro diligendo hospite, ac deinde hospitium non temerè susceptum, non temere etiam mutandum. Itaque iubet vt ingressi ciuitatem, vel castellum, hoc est vicum, vel pagum, non intret hospitia meritoria, sed inquirant non quis in eo loco sit diues, aut quis habeat bonum hospitium, sed quis sit dignus, hoc est quis sit probitate vitæ commendatus, aut quis per testimonium probæ vitę dignus est regno cælorum, aut vestro hospitio. Ideo autem huiusmodi viri hospitium deligere eos volunt, idque fama, & iudicio populi, ne prædicatoris, & prædicationis dignitas suscipiētis infamia deturparetur, sed contra potius ex commendatione hospitis & prædicator, & prædicatio esset commendatior, deinde vt hospitij mutandi causa non suppetat, talemque habeant hospitem, qui lubens, ac promptus illi necessaria præbeat. Digno autem aliquo hospite inuento, iubet secundò in eius domo eos manere, hoc est, non mutare hospitium, donec exeant, ex illo loco scilicet, migraturi in aliam ciuitatem vel vicum: idque tum ne instabilitatis notarentur, & tanquam vagabundi habeantur; tum ne iniuria primus hospes afficiatur, & scandalizetur, aut contristetur, si videat præter rationem eos ad alios transire.

Sextum præceptū.

Intrantes autem in domum salutate eam dicentes, Pax huic domui: Septimum præceptum, quo statuitur quid in inuentum hospitium ingredientibus sit faciendum. Est autem hæc salutandi forma propria Hebraico sermoni, ne quis eam nouam putet, & à Christo primùm inuentam. Nam Hieronymo teste quomodo latini salutantes dicunt Aue vel salue & Græci χαῖρε: ita Hebræi, & Syri

Septimū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Syri dicunt scalom lach, id est, Pax tibi, quo imprecantur homini omnia læta & tranquilla. Itaque Dominus vulgata vsus est, & suo vti voluit salutatione: sed quã tamen, vt patet satis ex sequentibus, aliò traheret, nempe ad imprecandum pacem Euangelicam & diuinam. Dominus igitur suis ingressuris hospitium præcipit, vt non expectata salutatione Patrisfamilias, ipsi priores domum salutent: partim volens eos per humilitatem præuenire alios in honore: partim volens eos per huiusmodi imprecationem & benedictionem præuenire hospitem in benefaciendo, vt prius illi impenderent spiritualia, quam ab eo corporalia acciperent. Quod enim his verbis non simpliciter salutare eos voluit, & communem pacem communi more imprecari, sed precari diuinam pacem, quã missi erant prædicare, & signum dare digni hospitij, patet exequentibus.

Et siquidẽ fuerit domus illa digna, pace scilicet Euangelica, quam illi precamini veniet pax vestra, hoc est, pax cælestis, & diuina, ob quam pax mundi, super eam domum, hoc est, hi qui domum illam inhabitant, mox pacem vestram acceptabunt, & simul vos lubenter accipient, si secundum famam populi verè digni fuerint pace, hoc est, ad eam præordinati à Deo.

Et quicunque nõ receperint vos, nec audierint sermones vestros, &c.

Obstauum præceptũ. Obstauum præceptum, quo statuitur quid faciendum eis, cum non recipiuntur in domo aliqua, vel ciuitate; nimirum vt egredi palam excutiant puluerem è pedibus suis. Huius autem præcepti, quod Paulus & Barnabas seruasse leguntur, multiplex potest assignari ratio. Primo enim ideo conueniebat eos excutere puluerem è pedibus, vt ostenderent laborem itineris se pro illis quidem suscepisse, & prædicationem Euangelicam etiam ad ipsos peruenisse, sed sine fructu. Secundo vt hac pulueris excussione indicarent se in nullo cum eis communicare velle, propter maledictionem, & condemnationem, quæ maneret illos. Tertiò in protestationem, & signum, quod non causa terreni alicuius commodi accesserint ad eos. Quas duas rationes postremas esse potissimas, patet satis ex eo quod Lucas adiecit dictionem, etiam; *Etiam puluerem*, inquit, pedum vestrorum excutite, q.d. adeò eos detestemini, & execremini tanquam maledictos, vt nec puluerem loci illius sinatis vobiscum illis esse communem, vel adeo ostẽdatis nihil desiderasse vos terreni commodi ab eis, vt nec puluerem vilissimum velitis vobis imputari. Proinde quod additur in Marco, & Luca *in testimonium illis*, vel supra illos, id est, aduersus illos, hunc habet sensum: vt huiusmodi excussio testetur illis, nihil quæ illorum erant vos desiderasse, aut nihil vos cum illis tanquam execratis velle habere commune. Ad istud autem postremum Dominum potissimum respexisse in hac pulueris excussione, omnino apparet ex eo quod sequitur apud Matthæum: *Amẽ dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij quam illi ciuitati*; Vbi sub ciuitatis nomine quilibet locus intelligitur, & per locum synecdochice homines ipsius loci; sicut per terram Sodomorum, & Gomorrheorum ipsi incolæ Sodomitæ, & Gomorrhei. Nam terra eorum iam olim exusta est, nec in nouissimo iudicij die singulari aliqua Dei vltione vindicabitur. Intelligendum est autem grauius peccare eos, qui Apostolos & Euangelium non recipiunt, quam peccauerunt Sodomitæ, primùm quia plures habuerunt occasiones pœnitentiæ, quam Sodomitæ, qui si easdem habuissent, in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent, vt supra dixit Dominus. Secũdo quia tam salutarem prædicationem gratis illis oblatam, & miraculis cõfirmatam reiecerunt; cum Sodomitæ tantum peccauerint in legẽ naturalem. Postremùm & ob id grauius punientur, quod longo tẽpore expectati ad pœnitentiam non resipuerint: cum Sodomitas subitò vltio diuina exceperit: quæ ob id minor erit illis in die iudicij, quod tam grauis fuerit illis in præsenti vita. Non enim ob id maximè horrenda fuit illorum vltio, quod nullo seculo peiores fuerint: sed vt illorum supplicium exemplum esset eius supplicij, quod manet post longam Dei expectationem impios in die iudicij, vt habet Petrus 2. cap. Ex. 2.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, &c. Multa superioribus adiungit Matthæus, quibus Dominus Apostolos præmuniuit contra aduersitates, & persecutiones quæ eis ob prædicationem imminebant: verum hæc non pertinent ad primam istam Apostolorum legationem, sed ad secundam illam, qua post ascensionem Domini ituri erant ad prædicandum Euangeliũ longè, latèque in vniuerso orbe. Satis tamen probabile est, & certum primam hãc sententiam, qua admonet suos ad prudentiam serpentinam, & simplicitatem columbinam hoc loco dictam à Domino, quod Lucas in missione Septuaginta ea etiam verba commemoret imprimis dicta à Domino. Itaque hic rectè intelligimus poni notium præceptum datum Apostolis in prima ista legatione, quo docẽtur quomodo sese gerere debeant inter eos, ad quos mittebãtur. Cui præcepto quoniam optimè conueniunt ea, quæ sequuntur de persecutionibus: visum fuit Matthæo hęc aduertere. Dicit ergo Dominus. *Ecce ego mitto vos, &c.* quasi dicat: Nõ mitto vos sicut canes inter lupos, aut vt lupos inter lupos, aut vt leones inter lupos, sed vt oues inter lupos, vt scilicet inter eos mansuetudinẽ, & simplicitatẽ exhibeatis, omnibus prodesse studeatis, ac Pastoris vestri prouidentiæ vos totos committatis. Dicẽs autem inter lupos, i. veritatis hostes, aut in medio luporum: significat vndiq;, & vbiq; eiusmodi lupos ipsis imminere, vt eo magis eos cautos, & prospectos esse debere insinuet. Obseruãda est itidẽ emphasis, quę est in pronomine

Ego

Ego, dum dicit, Ego mitto vos; quasi dicat, Ego cuius erga vos ca-
ritatem, cuius item potentiam expetti estis, qui proinde non
sem missurus, nisi ita vobis, & alijs expediret: quique pro mea po-
tentia efficere facile poteto, vt nihil mali etiam inter lupos
neatis, vtque non solùm non lædamini ab eis, sed multos etiam
ex eis adducturi eò sitis, vt abiecta lupina feritate vobiscum
reddantur. Porro ad quem finem istud sit dictum aperit sequens
sequens:

Estote ergo prudentes sicut serpentes, &c. Quoniam enim inter lu-
pos mittebantur, prudentia opus erat, & astutia quadam, quo-
am autem vt oues mittebantur, opus erat simplicitate. Proinde
ne hæc duo ex inferioribus veluti necessaria inferuntur; bene
hæc duo coniungenda præcipiuntur: quod prudentia vitiosa
sit si desit simplicitas, & rursum simplicitas vitiosa, si desit
tia. Bene quoque serpentinam requirit prudentiam, & simplici-
tem columbinã, potius quàm quorumuis aliorum animalium, quod
sicut inter omnia animantia, nihil est prudentius, & astutius ser-
pente: sic & inter omnia animantia nihil candidius nihilque sim-
plicius, quàm columba, nulli nata struere dolos, aut insidiari, ve-
rens felle amaritudinis, nec opponens sese, aut insequens eos, qui
iniuriam inferunt, aut pullos subripiunt. Itaque prudentiam ser-
pentinam præcipit & simplicitatem columbinam, vt per pruden-
tiam caueant aliorum læsiones, & insidias; per simplicitatem vi-
lædant, dum læduntur, nec malum malo rependant: & rursum vt
per prudentiam captent opportunitatem alios lucrifaciendi, & per
trahendi ad veritatem; per simplicitatem vero id agant sine om-
ni malo dolo.

Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in, &c. Declarat
Matthæus quorsum præce, erit dominus prudentes eos esse iussit
serpentes, nimirum vt caueant sibi ab hominibus, hoc est, vt cauto
sibi prospiciant quibus hominibus se credant, & cautè studeant ho-
minum persecutiones deuitare, cautè etiam aduigilent ne homi-
num suasionibus, minis aut persecutionibus à vero abducantur.
Et ratio cauendi subijcitur ob mala, quæ eos ob prædicationem
manent, quæ gradatim hic describuntur. Primò enim, inquit, ho-
mines plerique mali, tradent vos in suis concilijs examinandos,
ac iudicandos, ac deinde etiam vos flagellabunt in Synagogis suis.
Postremo quoniam nec flagellis homines impij erunt contenti,
etiam præterea ducemini ad Reges & Præsides, vt mortis senten-
tia ab eis contra vos dicatur. Nam hoc Regum, & Præsidum à
Romanis constitutarum erat. Quod autem additur;

In testimonium illis & gentibus, Dupliciter potest accipi. Primò sim-
pliciter, vt sit sensus: hæc vobis contingent, vt ipsis Iudæis & Gen-
tilibus testimonium de me perhibeatis quod eo erit maius, quo

pto me plura pati fueritis parati. Secundo sensus esse potest; hæc
vobis contingent, vt sint testimonium contra Iudæos, & Genti-
les; & per hæc perspicuum fiat eos suapte vitio perire, qui tot be-
nelicijs, ac miraculis, tam obuia doctrina, tantaque vestra lenitate
prouocati, tam odiosè eiecerunt salutem oblatam.

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid, &c. Nõ
semper cogitare quid loquendum sit prohibet, sed *cum*, inquit, *tra-
dent vos*, significans in huiusmodi periculo, in quo inuitatur, quid
à iudicibus quæretur, ad humanum studium non esse confugien-
dum; sed promptam tantùm voluntatem Christo, & Spiritui san-
cto offerendam. Deinde non simpliciter Dominus vetat quamli-
bet de defendenda veritate cogitationem, aut etiam meditatio-
nem; sed solicitam tantum anxiã, & trepidantem. [Græcis enim
est μὴ μεριμνήσητε, id est, ne sitis anxij, & soliciti: Non ergo negli-
gentes defensionis suæ reddere voluit, sed securos; non meditatio-
nem veritatis fidelem eis eximere, sed diffidentem solicitudinẽ.]
Vnde rectè subiecit.

Nõ enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, &c. Qua-
si dicat, Causa non est vestra, vnde neque patrocinium vestrum
erit: quare neque pro defensione vos solicitos esse conuenit. Cau-
sa patris est, patronus Spiritus sanctus, qui in vobis, sicut olim in
Prophetis, loquitur: ita vt vos eorum quæ dicitis, nõ sitis præcipui
autores, sed organa potius Spiritus cæleitis.

Tradet autem frater fratrem in mortem, &c. Prædicit etiam gra-
iora mala ipsos manere, idque dupliciter. Primum quia à con-
sanguineis suis etiam propinquissimis suos persecutionem passu-
ros prædicit: significans pietatis, aut charitatis naturalis non habẽ-
dam rationem in his, qui diuersæ sunt fidei. Secundò quia omni-
bus generaliter odio habendos esse asserit. Vbi intelligendum est
omnibus, positum esse pro multis, aut omnibus odio habendos di
cit, quia omni hominum generi, Iudæis scilicet, & Gentibus, Sa-
pientibus & insipientibus, principibus & plebæis, consanguineis,
& extraneis. Rursum autem duo Dominus adijcit, quibus consola
tur eos contra prædictorum malorum grauitatem, dum primum
dicit, *propter nomen meum, &c*, ac deinde subijcit. *Qui autem per-
seuerauerit vsque, &c.* Vbi notandum Græcè non esse qui perseue-
rauerit, sed ὑπομείνας, id est, qui sustinuerit aduersitates, & perse-
cutiones scilicet, nec illis aliquando cesserit. Vnde hæc sententia
ex Domini intentione intelligenda est de perseuerantia patientiæ,
non de perseuerantia bonorum operum, quamuis etiam de ea
æquè sit vera.

Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam, &c.
Quod hic statuitur de fuga dupliciter potest accipi, secundum di-
uersas considerationes. Nam quatenus per fugam declinantur

per-

persecutiones, doctrina hæc Domini non tam præceptum est, quã licentia, & permissio; non tantum ad Apostolos, sed ad omnes eam pertinens Christianos. Quatenus autem per fugam Euangelij prædicatio indignis subtracta, dignis profertur, & latè dissemi-natur, non solum permissio est, sed magis præceptũ ad Apostolos, Apostolisque similes, nempe prædicatores pertinens. Verissimile autem est vtraque consideratione Dominum istud de fuga suis statuisse: quanquam magis videatur respexisse ad hoc, vt per fugam, aut migrationem, Euangelium latè spargeretur, quàm indignis subtractum dignis prædicaretur: tum propter sequentem sententiam, qua significatur semper locum aliquem inueniri posse in quo prædicetur Euangelium, tum quia non absolutè dicitur fugite, sed fugite in aliam ciuitatem, vt in ea scilicet prædicetur Euangelium.

Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec. &c. Pro intelligentia diuersarum expositionum, quas habet sequens sententia, propter suam nimiam obscuritatem; sciendum primò illud, non consummabitis, vel vt habent Græca ὁυ τελέσητε, hoc est ad verbum, non perficietis, dupliciter accipi posse. Aut vt sit sensus, non perambulabitis, vel percurretis omnes ciuitates Israel. Aut vt sit sensus, vestra doctrina non reddetis perfectas omnes ciuitates Israel, nec ad fidem omnes eas conuertetis, quod est eas perficere. Secundò sciendum quod si aduerbium donec non hic positum sit vt significetur post aduentum filij hominis Apostolos consummaturos ciuitates Israel, sed pro antequam sit positum: dupliciter etiam illud aduerbium potest exponi. Primò, vt significetur tum primùm consummaras fore ciuitates Israel, cum venerit filius hominis, hoc est Apostolos aliquando consummaturos ciuitates Israel, sed non ante aduentum filij hominis. Secundo, vt non significetur aliquando Apostolos consummaturos ciuitates Israel, sed tantum quod prius veniet Filius hominis, quàm ciuitates illas consummauerint: vt per negatiuam hanc locutionem, non consummabitis donec, vel antequam veniat, significetur hæc affirmatiua, prius veniet filius hominis, quam consummaueritis ciuitates Israel. Secundum vtramque intelligentiam magis pro consummabitis, & veniat, vertendum fuerant verba coniunctiui modi, qualia sunt apud Græcos, non consummaueritis ciuitates Israel, donec venerit, &c. Aduentus autem filij hominis variè accipitur, & intelligitur à diuersis, sed huiusmodi intelligentijs obstare nimis videtur, quod cum in Euangelio alibi fit mentio de aduentu filij hominis, semper significetur secundus eius ad iudicium aduentus. Proinde Diuus Hilarius accipiens verbum, consummare posteriori modo, & donec priori modo intelligit significati ideo semper fugiendum de vna ciuitate, in aliam

aliam quod ciuitates Israel, hoc est, populus Israeliticus non sit perficiendus in fide, nisi postquam plenitudo gentium intrauerit, & iam adsit tempus secundi aduentus Domini. Rupertus verò & ipse de eodem aduentu locum hunc intelligẽs, per ciuitates Israel accipit, non tantum pro ciuitatibus Israel carnalis, sed omnibus ciuitatibus fidelium, qui sunt Israel spiritualis. Quoniam enim Dominus in solis ciuitatibus Israeliticis dixerat prædicandum esse, & rursum præcepit fugere de vna ciuitate in aliam: occurrere poterant Apostoli, & dicere: In quam fugiemus si ab omnibus expulsi fuerimus? Ideoque secundum Ruperti intellectum, velut obiectioni satisfacturus respondet Dominus, vsque ad diem iudicij semper fore aliquas ciuitates Israel ad quas confugere possint, nec prius eos omnes ciuitates Israel perambulaturos, quã ia aduenerit tempus iudicij. Oportet enim Euangelium prædicari in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio. Quem sensum videti poterit significasse Aug. cum lib. 2. contra secundam Epist. Gaudentij cap. 12. intelligit hac sententia Dominum promisisse, vsque ad finem seculi non defutura loca, quo confugiant prædicatores. Itaque de illis ciuitatibus Israel loquetur hic Dominus, de quibus Psalmista, Ædificabuntur ciuitates Iudæ, & inhabitabunt ibi & hæreditate acquirent eas.

Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super, &c. Vanitijs iam argumentis confirmat illos ad tolerantiam; & primum exemplo sui, vulgatas ad hoc sententias assumens quibus significat non expetendam à discipulo maiorem fœlicitatem, & honorem apud populum, quam sit in Magistro, vel Domino. Itaque ad quem sensum eis sententijs vulgaribus hic iam vsus sit. (Nam & Luc. 6. & Ioan. 13. & 15. aliter isdem vsus est) aperit cum subiungit.

Si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, hoc est virum Satanicum, quique Beelzebub haberet propitium, quanto magis domesticos eius similibus conuitijs incessent. Vbi sententias has generales aperte tantum accommodat ad ferendas contumelias exemplo sui.

Ne ergo timueritis eos, Nihil enim opertum, &c. Ergo, inquit, quia satis esse debet discipulo, vt sit sicut magister, &c. Ne metuatis eorum conuitia & persecutiones. Porro sententia, quæ sequitur videtur etiam hic potius intelligenda quomodo superius cap. Conc. 51. intelligendam diximus, vt per eam significetur nihil Euangelicæ doctrinæ esse, quantumuis hominibus incognitum, quod non sit suo tempore mundo detegẽdum, idque per Apostolos imprimis: atque ob id eos non debere metuere homines, quod ex officio eorum esset tectam veritatẽ hominibus annũciare, & manifestare. Nisi dicamus quod quia generali sententia

Dominus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominus vsus erat significās omnia hominū facta occulta aliquā do manifestanda, ob id obitet intulerit de libera, & manifesta prædicatione eorum, quæ seorsum ab eo audierant, eo quod & hoc ex generali illa sententia consequatur. Cæterum in illis locutionibus; *in tenebris*, *in lumine*, *in aure*, *super tecta*. Hyperbolæ est & metaphora. In tenebris enim dixit, & in aure pro priuatim & secreto. Sic in lumine, & super tecta, pro palam, & omnibus.

Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem, &c. Quod dicit animā, non possunt occidere nō est intelligendū dictum, tum propter animæ immortalitatem quam habet ex sua natura, sed etiam quod non possint auferre vitam animæ, quæ est peccatum, nec mittere eam in damnationem æternam, quæ est Animæ mors secunda. Porro cum dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, non omnem illorum timorem prohibet. Debetur enim illis, timor reuerentiæ, sed & naturale est, vt illos metuamus sicut & mortem ipsam. Verum prohibet timorem inordinatum, quo scilicet quis talibus cædat, & à veritate, ac virtute deficiat. Ita etiam cum dicit. Timete eum qui potest & animā & corpus perdere in gehennam, non vult suos seruili timore, qui non est in charitate, obtemperare Patri cælesti, sed vult inordinatum illū timendi timorem reprimi, & superari, consideratione, & timore eorum malorum, quæ Deus infligere potest: qualis timor etiam esse potest in eo, qui habet Dei charitatem, si modo non præcipitet & potissimum ob illorum malorum timorem à malo sibi temperet, & bonum operetur. Vnde non absolutè timorem Dei, quatenus damnationem æternā inferre potest præcipit, sed potius, inquit, illum timete, significans illum, si quis timendus sit, magis esse timendum, & illius timorem alium quemuis debere superare.

Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet, &c. Alitera ratio, qua suos Dominus monet, & confirmat ad ferendam etiam mortem corporis ob testimonium veritatis; sumpta est à prouidentia, & cura Dei, eo quod nihil illis possit accidere sine voluntate optimi Patris: quod probat argumento à minori duplicitter, tum quod etiam passerculi adeò viles, vt duo vendantur asse, nummo minimo, *non cadant in terram*, hoc est, non moriantur, aut capiantur sine nutu, & voluntate Dei: tum quod etiam capillos sanctorum, rem scilicet hominis vilissimam, omnes Deus habet numeratos, vt sine eius voluntate, & cognitione nullum ex eis pereat. Habet autem emphasim etiam illud *sine Patre vestro*, quasi dicat, Pater vester est non passerculorum: qui potest igitur minorem vobis, quàm passerculis curam impendere? Porro as, vel, vt habent Græci nomine diminutiuo, assarion, nummi æræi genus est, qui libella etiam dictus est, quod libræ pondus haberet, quales decem

decem valebat denarius, nummus argenteus. Huius nummi duplum diceb atur dupōdius. Vnde apud Lucam cap. 12. pro duobus assibus, vel assarijs, vertit noster interpres, dupondio; Nonne passeres quinque væneunt dupondio; cum Græcè sit δύο ἀσσαρίων δύω. Conuenit ergo illud Lucæ cum isto Matthæi. Si enim duo passeres asse vendebātur, ergo quatuor vel quinque duobus assibus. [Videntur tamen hæc loca non intelligenda de assibus talibus, quales primum cudebantur pondere vnius libræ; sed de assibus septuncialibus, aut vncialibus, & ob id Euāgelistas vsos voce diminutiua, quā Erasmus vertit, per minutum assem. Nam alioqui nō valent assem duo passeres. Docet autem Budeus libr. 5. de asse aliquando apud Romanos ob penuriam asses factos sextantarios, ac deinde etiam vnciarios. Et ἀσσάριον secundum Euthymium non assem significat, cum sit eius diminutiuum, sed genus minimi nummi, & obolij.] Quòd autem dicitur *capilli numerati sunt*; debet intelligi cum exclusione imperfectionis, quam significat verbum numerare. Numeramus enim quorum numerum, & multitudinem succisiuè cognoscimus. Numerati ergo dicuntur à Deo, quia Deus veluti numeratos habet, hoc est perfectè, & exactè eorū multitudinem cognoscit: vt hic non simpliciter Dei cognitio extendens se ad omnes capillos significetur; sed etiam prouidentia singularis, qualem gerere solemus de his, quæ sub numero custodimus.

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, &c. Coniunctio ergo non tam accipitur hic illatiuè, quàm continuatiuè. Alia ergo hic ponitur ratio qua ad prædicandum intrepidè veritatem suos animat intuitu præmij, & honoris incomparabilis, qui manet cō fitentes, ac supplicij & ignominię, quę manet negantes. Quanquā autem hæ duæ sententiæ dictæ sunt à Domino ad literam de testimonio oris, quo testamur ipsum esse Christum, & Deum, idque potissimum apud infideles, & impios. (Nam Matc. 8. additur, in generatione ista adultera, & peccatrice) tamē etiam generaliter sunt intelligendæ, tum de testimonio cuiuslibet veritatis, quod ore fit: tū de testimonio operis, quo videlicet ipso opere testamur nos Christū agnoscere pro Domino nostro, cui prę alijs in omnibus sit obediendum. Qui ergo vel propter ruborem, & irrisionem impiorū, vel propter lucrum mundanum, & amicitiam quorundā Christi mandatis obedire neglexerit, hominumque gratiam vel suā cōmodum temporale Christo prætulerit; quoniam factis illum negat, negabitur & ipse à Christo, hoc est, non agnoscetur ab ipso inter suos, coram Patre, & Angelis Dei.

Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Quoniam dixerat confitendum nomen suum coram hominibus, atque ex ea re scitet in mundo varios tumultus exorituros: rursum quia dixit superius; tradet autē frater fratrē in mortē, &c. Ne ob hęc Apostoli

scandalizarentur, potissimum quod parum conuenire viderentur ista cum plerisque Prophetarum vaticinijs, quibus mirifica pax, & rerum tranquillitas in regno Christi futura prædicitur: præoccupat Dominus obiectionem, quæ fieri poterat, docens ob pacē cum hominibus seruandam, non esse desistendum à confessione nominis sui, nec turbari debere ob exorta in mundo dissidia, quod ad ipsa mundo immittenda venerit. Cum autem dicit; *Non veni pacē mittere*, intelligendum pacem omnimodā, aut mundanam, & externam, quāque mundus desiderat. Atque ob id videri potest addidisse *in terram*; vt significaret se de terrena loqui pace. Pax autem de qua Prophetæ vaticinati sunt, pax est mentis, & pax fidelium inter se, & cum Deo, ac Angelis eius, quam sequitur æterna illa pax cælestis, quæ ab omni tumultu erit libera. Porro gladium, vocat bellum, separationem, & discordiam, fidelium scilicet, & infidelium inter se. Hunc gladium dicit se missurum venisse, eo loquendi modo, quo dicitur positus in ruinam multorum, & tradere aliquos in reprobum sensum: nimirum quia ex eius in hunc mundum aduentu, & prædicatione, secutura esset ipsō sciente, & volente, aut permittente huiusmodi separatio. Nam alioqui quantum in se erat omnium hominum concordiam in fide optasset. Cæterum quantum sit illud bellum quod missurus venit, aperit Dominus in subsequentibus, quibus ostendit pluspuam seditiosum, & ciuile fore, nimirum etiam domesticum. *Veni*, inquit, *separare hominem aduersus Patrem suum, &c.* Recenset autem Dominus tria coniunctissimorum parium, in quibus quinque personæ continentur, quæ in vna domo familiariter, & arctissimo cōsanguinitatis, & affinitatis vinculo cohabitare vt in plurimum solent, nempe filius, Pater, Filia, Mater, quæ eadem & socrus est, & vxor filij, hoc est nurus. Postro persona quæ dicitur separanda contra aliam, videtur semper esse intelligenda persona infidelis, vt sit sensus; veni separare filium infidelem aduersus Patrem suum fidelē. Et sic in reliquis. *Et inimici hominis, domestici eius*: accipiendum de homine fideli. Nam fideles non gerunt se tanquam infidelium inimici, nec aduersus eos insurgunt aut bellum gerunt, sed quantum in ipsis est, pacē habent cum omnibus hominibus. Si tamen quod dicitur de personā separanda contra aliam, intelligere quis velit etiam de persona fideli: intelligendum personam fidelem separandam aduersus personam infidelem, non quod eum ea contendet, eamque persequetur, sed quia ab ea in sententia, fide, & religione dissentiet. Sic etiā infidelis hominis domestici fideles sunt ei inimici, quia ei sunt in sententia contrarij, nec acquiescere volunt.

Gladium in terrā quatenus misit Christus.

Qui amat Patrem, aut matrem plus quā me, non est, &c. Hoc est, meo consortio, & meo nomine indignus est. Itaque primùm affectum filiorum erga parentes, deinde etiam illo potentiorem affectum parentum ergà filios docet esse suo amori postponendum: per hos duos affectus potentissimos significans, omnes affectus hominis ad hominem debere cedere suo amori. Tertio postea loco adhuc prædictis affectibus potentiorem vult suo amori credere debere, dum subijcit;

Et qui non accipit Crucem suam, &c. Quo significat amorem proprium, & propriæ etiam vitæ postponendum amori suo. Accipit autem crucem suam, qui quemuis cruciatum, & mortem quantumuis contemptibilem, quæ illi propter Christum intenta tur ab impijs Deo permittente, non recusat subire propter Christum. Addidit autem, *& sequitur me*, quo significaret, eos qui accipiunt crucem, quæ eis infertur, se hac in re secuturos, qui propriè dictam crucem non esset recusaturus. De tolerantia enim cruciatuum propter nomen Christi locum hunc propriè intelligendum patet ex sequentibus: *Qui inuenit animam suam perdet illam*, Hoc est, qui in periculo vitæ constitutus vitam suam lucratus est per negationem nominis mei, is perdet vitam. Et contra, qui perdidit vitam suam propter confessionem nominis mei, inueniet vitā in futuro seculo. In priorienum sententia oportet subintelligere per negationem mei, aut qui inuenit animam suam posthabito, me, aut simili aliquo modo. Nam tale quid subintelligendum indicat illa pars, propter me, in secunda sententia.

Accipere crucem quidē

Qui recipit vos, me recipit. & qui me recipit, recipit eum qui, &c. Post præcepta, & pericula ad legationem & prædicationem pertinentia; conuenienter iam vltimo loco dicitur de præmio recipiendis Apostolos. Primùm itaque manifestat præmium hospitum, à dignitate personæ receptæ; quia qui eos recipit, ipsum Christum recipit, & non ipsum solum, sed etiam ipsum Deum, qui misit eum: quo honore & præmio quid potest esse maius. Porro qui Apostolos recipit, Christū recipit, & qui hunc recipit, recipit Deū Patrem: non solū quia Christus erat in Apostolis, & Deus in Christo sed potius ob id, quod Apostoli Christi negotium agebāt, & legatione pro eo fungebantur, sicut & Christus negotiū Patris sui egit. Qui enim legatum Regis nomine Regis suscipit, quodāmodo regem suscipere dicitur, vndē regium illi defert honorem, eumq; veluti sibi exhibitum Rex mittens reputat, & acceptat. Deinde vero præter honorem recepti hospitis manifestat hospitum præmium, à mercede quam consequetur: significans non solum magni esse honoris recipere Apostolos, sed etiam magnum parare hominem fructum, & mercedem.

Qui, inquit, *recipit Prophetam, in nomine Prophetæ, &c.* Hoc est eo nomine, & titulo, quia Propheta est, non nomine cōsanguinitatis, aut alio simili, *mercedē Prophetæ accipiet* Quod dupliciter potest intelligi: Aut vt simpliciter accipiatur, significari hospitē Prophetę

Universidad de Deusto
Biblioteca

sua beneuolentia æquari propemodum in præmio apud Deum, vt sit sensus: Talem accipiet à Deo mercedem qualem Propheta. Aut vt accipiatur significari, hospitem Prophetæ participem fieri eorum, quæ salubriter Propheta docet, & facit: vt qui cooperetur ipsi dum eum sustentat, quo suum officium exequi possit. Sic & de sententia generaliori sequente (nam gradatim Dominus ascendit) dicendum. *Qui recipit quemuis iustum* etiamsi Propheta non sit, eo nomine quia iustus est, mercedem iusti accipiet: siue quia hac sua beneuolentia æquat se iusto apud Deum, siue quia participem se facit meritorum illius iusti. Itaque illud in nomine Prophetæ, & in nomine iusti; additum est ad excludendum alios titulos hospitij conceptl. Et tamen his etiam particulis significare voluit Dei, & sui respectum habendum in recipiendo Propheta, iusto, vel discipulo, quemadmodum patet ex eo quod Marci 9. id quod hic postremo loco dicitur, sic effertur: Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Nam sui causa Propheta, aut iustus, aut discipulus non est suscipiendus, sed propter Deū, & Christum, hoc est quia Dei Propheta est, aut Deo seruiens, aut Christi discipulus. Itaque cum duabus sententijs præcedentibus significauerit, quantum sit præmium primùm quidem recipientium Prophetas, deinde generalius recipientium quosuis iustos intuitu Dei, iam tertio loco magis prouehens suum sermonem, docet magnum præmium manere etiam eos, qui suo nomine infimos fidelium, vel minimo aliquo afficiunt beneficio: quale est præbere potum aquæ frigidæ, quod etiam pauperrimus est concessum, cum recipere hospitio, & præbere vitæ necessaria non sit omnium. Dicit autem *frigida aqua* secundum Hieronymum, ne & in calida sumptus lignorum causari quis posset. Porro dictio tantum, referri potest vel ad superiora, vt sit sensus, sufficere si quis vel frigidam donaxat aquam exhibeat, vel ad sequentia, vt intelligatur satis esse quiduis, modo id fiat tanquam discipulo.

Et factum est cum consummasset Iesus præcipiens, &c. Illud cum consummasset præcipiens, Græca phrasis est, qua participium ponitur pro infinitiuo hoc sensu, cum finem fecisset præcipiendi. Sequitur in Matthæo; *transiit inde vt doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum.* Transijt, inquit, inde hoc est à loco in quo hæc præcepta dederat, separans scilicet se ab Apostolis, vt semoti à præceptorum periculum facerēt. Porro cum dicitur *in ciuitatibus eorū*, rectum intelligit relatiuum hoc referri ad Iudæos: vt significetur Christum in eis ciuitatibus prædicasse, in quibus Apostolos prædicare præceperat nempe Iudaïcis. Dicit autem, vt doceret, & prædicaret; nulla miraculorum facta mentione: siue quia doctrina præcipuum Domini erat opus ad quod venerat, siue quia à miraculis faciendis abstineret, quandiu prædicabant, & miracula ædebant missi Apostoli, quo illorum maior esset authoritas, quomodo intelligit Theophylactus.

Egressi autem circuibant per castella, euangelizantes, &c. Marcus explicatius narrat quid fecerint Apostoli, dicens quid prædicauerint, & quæ miracula fecerint. Dæmonia, inquit, multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur, vel potius sanabāt. Quod autem attinet ad vnctionem olei, qua Marcus dicit Apostolos vsos fuisse ad sanandū, primò certum est Apostolos id fecisse ex instituto, & præcepto Domini, etiam si non dicantur à Domino iussi vt sic facerent. Deinde & illud certum, quod oleum hoc nō naturaliter sanabat ægrotos, nec adhibebatur ab Apostolis veluti naturale pharmacū. Nā quomodo eodē pharmaco quis mederi possit omnibus morbis? Sed ex Domini institutione vnctionem hāc sequebatur sanitas, ac curādi virtutē habuit oleū, quod Dominus ad curationē adhiberi voluit: tū vt declararetur hanc ratione Apostolos legatos esse Messiæ, qui ab vnctione sic dictus est; tum vt sicut sanitas corporalis ostendebat iam adesse eum, qui hominū mentes sanare posset, & vellet; ita per corporalem vnctionē ostenderetur, & qua ratione, quouè pharmaco sanitas mentis reparari posset, nēpe per vnctionē olei inuisibilis, qui est Spiritus sanctus.

De vnctio ne olei aut hibita ab Apostolis.

Describitur Ioannis decollatio, & fama Iesu apud Herodem. Matt. 14. Marci 6. Luc. 9. CAPVT LVI.

[b] T [a] *in illo tempore* [b] *audiuit* ✱ [b] *rex* [b] *Herodes* [c] *tetrarcha* [a] *famam Iesu* [&] [c] *omnia quæ fiebant ab eo* [a] *manifestum enim factum est nomen eius*) [c] *& hæsitabat hanc.* *eò quod* † [b] *diceretur à quibusdam*: *Quia Ioannes* [b] ▷ *Baptista* ▷ [b] *surrexit a mortuis* [b] *& propterea virtutes operantur in illo.* ‖ [b] *A quibusdam verò, quia Elias apparuit: ab alijs autem, quia propheta vnus de antiquis surrexit.* [b] *Quo audito* [c] *ait Herodes: Ioannem ego decollaui, quis est autem hic?* *ste de quo ego talia audio?* *Et quærebat videre eum.* [a] *Et* [b] *Herodes* [a] *pueris suis:* [b] *Quem ego decollaui Ioannem, hic a mortuis resurrexit.* [a] *Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit a mortuis, & ideò virtutes operantur in eo.* [Nam] ✱ [b] *cùm dies opportunus accidisset,* [a] *die natalis Herodis,* [b] *Herodes natalis sui cœnam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ. Cùmque introisset* [a] *filia* [b] *ipsius* [a] *Herodiadis,* [a] *saltauit in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo.* [b]. *Et* [cùm] *saltasset & placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete a me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi: Quia quicquid petieris* ✱ [a]. *amēt.* [c]. *autē.* [a]. *et dicebant.* [b]. *re surrexit.* ‖ [b]. *Alij verò dicebant:* [c]. *Et quærebat videre eum.* [a]. *Et Herodes Elias est.* [a]. *Alij verò dicebant:* ✱ [a]. *quia pro natalis.* [a]. *quasi vnus ex prophetis.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exiisset dixit matri suæ
†ᵇ. cũque Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ. ᵇ At illa præmota
▷ ᵃ. Da mihi inquit. a matre sua † ᵇcum' introisset statim cum festinatione ad regem petiit
▷ ᵃ dicens': Volo vt protinus des mihi ᵃ hic ᵃ in disco caput Ioannis
Baptistæ. Et contristatus est rex. Propter ‖ iusiurandum' ᵃ autem ᵃ &
‖ᵃ.ᵇ. iuramentum. ▷ propter simul discumbentes' ᵇ noluit eam contristare, sed missso spiculatore † ᶜ præcepit' afferri [&] ᵃ dari ᵇ caput eius in disco. ᵃ Misitq; &
▷ ᵃ.ᵇ. eos qui simul recumbebant. decollauit Ioannem in carcere. Et ▷ attulit' caput eius in disco: &
‖ dedit illud' puellæ, & † puella dedit' matri suæ. ᵇ Quo audito ▷ ᵃ
†ᵃ ᵇ iussit ▷ ᵃ. allatum est. ‖ᵃ. datum est. †ᵃ. illa attulit ▷ ᵃ & ᵇ discipuli eius' venerunt & tulerunt corpus eius, ᵇ & posuerunt illud in monumento, ᵃ & sepelierunt illud, & venient es nuntiauerunt Iesu.

Et in illo tempore audiuit Rex Herodes Tetrarcha. &c. Quod fuerit illud tempus, quo audiuit Herodes famam Iesu patet satis ex præcedentibus, nimirum quod circa tempus Paschæ tertij, cum iam plus quàm totum vnum annum in Galilæa Christus prædicasset post traditionem Ioannis in carcerem: vt mirum sit post tempora primum Herodem de Christi factis audiuisse: nisi quod hinc adiicere licet erassam Tyranni huius negligentiam. Quod autem Herodem hunc, quo fuit filius Herodis maioris, Marcus ἐγῶ vocet, cum Matthæus eum vocet Tetrarcham; in causa est, quod Tetrarchatus, quædam potestas erat, regiæ dignitati non multum absimilis. Sed difficultas est quomodo Matthæus dicat Herodem dixisse pueris, hoc est famulis suis, Iesum esse Ioannem à mortuis redeuntem, quod & Marcus eum post aliorum sententias auctas asserit affirmasse: cum Lucas dicat eum hæsitasse, & hæsitando dixisse, Ioannem ego decollaui, quis est autem iste de quo ego talia audiol Ad quod tripliciter respondeti potest. Aut enim dici potest Herodem prius quidem hæsitasse, sed deinde cõfirmatum affirmasse Iesum esse Ioannem, & negasse eum vulgo loqueretur, eum esse Ioannem, ne ad eum concurrerent, & contra se seditionem concitarent: affirmasse autem seorsum famulis suis, quibus cõfidenter sententiam suam, atque timorẽ aperuerit. Verisimile enim est ipsum iam magis timuisse, ne Ioannes ex mortuis resurgens, & potentior effectus ipsum magis argueret, ac cum huiusmodi timore dixisse seorsum famulis suis, quod narrat Matthæus. Aut dicendũ verba Herodis apud Matthæũ, & Marcũ, esse pronunciãda more hæsitantis, & interrogãtis, vt sit sensus, Num hic est Ioãnes Baptista? Nõ ipse surrexit à mortuis? Aut quod eode fere recidit, intelligẽda sũt verba Herodis apud Matthæũ & Marcũ dicta esse per ironiã, vt interpretatur Hieronymus. Porro quomodo Herodes, & populus putarint Iesum esse Ioannẽ à mortuis resuscitatũ, aut vnũ aliquẽ antiquorũ Prophetarũ; omnino ea videtur esse causa, quæ dicta est ca cap. Cõcor. 16. Nẽpe quod pleriq; Iudæorũ quæ de resurrectione mor-

mortuorũ ex scripturis didicerunt confundentes cum Philosopho rum, & Græcorum dogmatibus crediderint μεταγγενεσίαν & μετ Iudæi ex τεμψύχωσιν, hoc est iteratã generationẽ, & trãsanimationẽ, seu un debat μετdum doctrinam Pythagoræ. Similẽ enim hæresin tribuit Iosephus τεμψύχω Pharisæis lib. 2. de bello Iud. cap. 7. Itaque Herodes Ioannẽ credi- ων & ως dit resurrexisse à mortuis, non quomodo nos credimus futuram ἀναστα- mortuorum resurrectionẽ in eodem corpore, quod deposuerunt: σιαν. sed quia anima ipsius aliud corpus esset ingressa. Propter merita autem vitæ anteactæ, credidit ad vitam reuocatum, & tum propter ea merita, tũ quod ex alia vita diuiniore redijsset, credidit eum, qui prius nullum fecit miraculum, iam veluti diuiniorem effectum ædere opera, quæ essent supra humanas vires. Vnde dicit;

Et ideo virtutes operantur in illo. Per virtutes autem hic oportet intelligere virtutes angelicas, aut potius potestates edendi miracula, vt sit sensus: virtutes ædendi miracula sunt in illo efficaces, & vim suam in illo, vel per illum exerunt. Est enim, ἐνεργοῦσι.

Cum dies oportunus accidisset, die natalis Herodis, &c. Oportunitas ista referri potest ad Herodiadem, vt significetur Herodiadem insidiantem Ioanni obseruasse diei huius oportunitatem. Aut referri potest ad Dei ordinationem, qui hunc diem ordinauit tanquam oportunum, & idoneum neci Ioannis. Decuit enim impij Regis natalem, sanctissimi viri morte funestare, luxumque, ac delicias aulicas crudeli morte inquinari. Cum igitur magno luxu, & fastu cœna natalitia instructa exhiberetur principibus Galileæ. Deo sic volente, vt plures haberet suæ crudelitatis testes, ingressa est conuiuium puella adulteræ matris inuerecunda filia, quæ nec de matris adulterio, nec de ignominia Patri, ac sibiipsi illata erubuit, imò & gaudere se demonstrauit: quæque cum pro virginum honestarum more virorum aspectus fugere debuisset, non solum inuerecundè se omnibus videndam exhibuit, sed etiam indecora, lasciuaque saltatione fluduit delectare conuiuas, histrionis vilissimas partes suscipiens, cum Regis esset filia. Quo turpius saltabat, hoc est tripudiabat, & gesticulabatur, quemadmodum in choreis fieri solet (hoc enim significat dictio Græca ἐξορχήσασθαι) hoc magis placuit conuiuis, & Regi iam bis insano, vt qui præter amorem incestæ mulieris etiam vino incaluerat. Itaque regali magnificentia, sed superbe, & temeratè dixit puellæ: Posce à me quidquid voles, & frustra nõ poteris. Dabo enim tibi, quidquid id fuerit quod postulaueris, modestiæ certè, & iustitiæ nimis oblitus, vt qui alioqui dicere debuisset, & si iustum fuerit, quod poposceris, atque in mea potestate fuerit, dabo tibi. Quoque maiorem fiduciam adderet puellæ petendi quicquid collibuisset, temulentum, ac superbum promissum iureiurando cõfirmauit, atque etiã se dimidium regni paratũ petẽti præbere

Universidad de Deusto
Biblioteca

significauit. At puella, quemadmodum hanc fabulam instinctu matris agere cœperat, non audet ilico pronunciare quid peteret, sed egressa è conuiuio consulit matrem. Illa iam nacta occasionem id perficiendi à quo hactenus erat impedita, cum meritò hæsitandi locus esset, quid in tam exposita Regis liberalitate esset petendum; sine omni cunctatione docet filiam, petendum esse caput Ioannis Baptistæ: declarans nihil magis animum eius cruciare, quàm huius vitam, nec quicquam chatius illi esse posse morte sanctissimi viri; nihil deterrita sceleris vel magnitudine, vel horrore indigno lætitiæ coenæ natalitiæ. Submouit & hoc mater, vt filia properaret, & sine omni dilatione peteret sibi dari caput Ioannis: metuens nequando feruor animi regij postea refrigesceret, ac magis sobrius factus, testibusque iuramenti remotis à promissione resiliret. Itaque filia nimis ad flagitium docilis, ac morigera ingressa in conclaue, inuerecundè petit sibi dari protinus caput Ioannis, idque in disco; vt ipsum velut missum vnum mensæ regiæ acciperet. Non enim satis fuit Matri Ioannem occidi, sed caput sibi missum dari voluit; tum vt certior esset cædis ipsius, tũ vt illuderet capiti illo, cuius lingua adulterij illius fuerat reprehensum, seseque ex illius conspectu satiaret, quasi quæ luxu regiæ mensæ quàtumuis variæ satiari non potuit, sed tantum viri huius iamdudum desiderata morte. Iam autem vide præposteram impij Regis huius religionem. Cum enim nulla religione reuocaretur ab impietate in fratrem, & vxorem commissa, cum pro re vanissima non horruerit promissionem iureiurando confirmare: hic iam irreligiosa religione putat se stultissimi iuramenti vinculo ita constrictum, vt non possit negare, quod petebatur iniquissimè, præsertim quoniam tot talibusque testibus iurasset, apud quos noluit habere periurus: cum potuisset duplici via subterfugere petitionis concessionem, primum dicens se promissione illa generali facta non astringi, nisi ad id, quod esset licitum, deinde dicens etiam in malis promissis, quantumuis iuramento firmatis rescindendum esse fidem. Contristabatur quidem, partim quod Ioannem ea parte reueretetur, & horreret virum Deo, & hominibus charum nulla ex causa iusta morte afficere, partim quod seditionem aliquam à populo mouendam metueret, cum res nota facta esset. Sed vicit hunc mœrorem partim libido, & amor incestæ mulieris, cuius filiam noluit contristare, partim stulta persuasio iuramenti se constringentis, ex cuius adimpletione magis voluit hominibus, quam Deo videri religiosus, vnde dicitur; *Et propter simul discumbentes, noluit eam contristare*, vel vt habent Græca, spernere, aut contemnere. Itaque Herodes petitioni puellæ volens satisfacere, sine mora mittit carnificem, ac per eum decollauit Ioannem occultè in carcere, propter populum scilicet,

cet, verius illum publicè supplicio vltimo afficere allatum quæ est caput innocentissimi viri, velut missus quidam in disco. Traditur puellæ, puella ad matrem. Horum malorum artificem, & fontem defert, nimus charius dimidio regni. Cæterũ Herodias accepto capite illi illusit, linguam acu transfodiens, quę illicitas nuptias arguebat, quemadmodum Fuluia capiti occisi Ciceronis illusit teste Hieronymo contra Ruffinum. Porro cum facti huius tumor peruenisset ad Ioannis discipulos, abstulerunt corpus eius, & honorificè dedere sepulturæ. *Herodias abscisso capitis Ioannis illusit.*

Quinque panibus pascuntur quinque milia hominum Matthæi 14. Mar. 6. Lucæ 9. Ioan. 6.

CAPVT LVII.

[1] Vbi cùm audisset Iesus, [2] & [3] reuersi [4] Apostoli [5] conuenientes ad Iesum, † [6] renuntiauerunt ei omnia quæ egerant, [7] & docuerant. Et ait ellis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant. [8] Et [9] post hæc Iesus [10] assumptis illis, ▷ [11] secessit [12] inde [13] in nauicula [&] [14] abijt [15] seorsum in desertum locum [16] qui est Bethsaida [17] trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis. [18] Et videruntq; eos abeuntes, cognouerunt multi. [19] Quod cùm cognouissent & cũ audissent [20] turbæ, ‖ secutæ sunt eum [21] multitudo magna, quia videbãt signa quæ faciebat super his qui infirmabãtur. [22] Et [23] pedestres de [24] omnibus [25] ciuitatibus [26] concurrerunt illuc, & præuenerunt eos. [27] Subijt ergo in montẽ Iesus & ibi sedebat cũ discipulis suis. Erat autem proximũ † pascha dies festus Iudæorũ. [28] Et exiens vidit turbã multã Iesus & misertus est † super eos [29] quia erat sicut oues non habẽtes pastorẽ. [30] Et cepit eos [29] & cœpit illos docere multa, [31] & loquebatur illis de regno Dei, [32] eos qui cura indigebant, sanabat. [33] Dies autem cœperat declinare. [34] Vesp[ere] autem facto, [29] Et cùm iam hora multa fieret, † ‖ accesserunt [35] ad [36] discipuli eius [37] duodecim † [38] dicẽtes [39] illi: [40] Desertus est locus [29] hic, [41] & hora iã preterijt, [42] dimitte ▷ turbas, euntes in ‖ † castella [29] villas, quæ circa sunt [43] diuertant, & inueniant escas [&] [44] emant sibi † cibos [29] quos manducent. [45] quia hic in loco deserto sumus. [29] Et respondens [46] Iesus ▷ [47] ait illis: [48] Non habent necesse ire. Vos [49] date illis manducare. [50] Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & dabimus illis manducare. [51] Cùm subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum [52] dicit ad Philippũ: Vnde emamus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse [53] autem enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicũ quid accipiat. [29] Et dicit eis: Quod panes habetis? ite & videte. Et cum cognouissent, [54] illos

[1] Mt. narrat uerunt. [2] ei quæcunque fecerunt [3] abierunt [4] quebatur [5] cum. [6] eis ▷ [7] curauit [8] languidos [9] eorum ‖ [10] Et accedẽtes [11] dixerunt ▷ [12] illos [13] ‖ proximæ uil [14] los & uicos [15] ascẽdentes in nauim [16] Et uidelicet [17] Et [18] Et [19] Et [20] Et [21] Et [22] Et [23] Et [24] Et [25] Et [26] Et [27] Et [28] Et [29] Et [30] Et [31] Et [32] Et [33] Et [34] Et [35] Et [36] Et [37] Et [38] Et [39] Et [40] Et [41] Et [42] Et [43] Et [44] Et [45] Et [46] Et [47] Et [48] Et [49] Et [50] Et [51] Et [52] Et [53] Et [54] Et

‖ᵃ. dicūt: sent. ‖ᵇ dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Quinque & duos pisces Est puer vnus hic qui habet quinque panes ordeaceos & duos pisces, ᵈ sed hæc quid sunt inter tantos? [Et] †ᵉ illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes & duo pisces, ᵉ nisi forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem fere viri quinque mi

†ᵃ. At †ᵇ. Respō derunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces ‖ᵈ dicit ergo. †ᶜ. illos. ▷ ᵈ. Discubuerūt ergo. ✶ᵉ autem ‖ᵈ. Accepit ergo Iesus panes ▷ ᵇ. ᵉ intuens. ᵉ ἐμβριμησάμενος ὁ ἰησοῦς, id est, & cum audiuisset Iesus, sine aliqua relatione, rectius hoc referetur ad id, quod in præcedentis capitis principio dictū est, nempe quod Herodes arbitratus est Iesum esse Ioannē resuscitatū, vt intelligatur Matthæus interposita obiter intersectione & sepultura Ioānis redisse ad id vnde cœperat, & sit sensus: Cū audisset Iesus, quod Herodes arbitraretur se esse Ioannē. Sic enim intelligit Theophyl. Matthæus ergo qui missionem Apostolorum iā multò ante scripserat, & ob id nō potuit ita cōmodè secessus hu

ᵃ. & ‖ᵉ. dedit †. ᵇ eos ▷ ᵈ. & ex piscibus ‖ᵉ. tulerunt e superflatū est quod super fuit illis, fragmēto rū 12 cophini, † ᵇ Erant antē qui manducā sunt. ius Dominici occasionē tribuere reditui Apostolorum, tribuit ea existimationi Herodis de Iesu, Marcus verò & Lucas eā tribuunt reditui Apostolorum, quorum missionē paulo ante narrauerāt: vt hinc intelligere debeamus, duplicē occasionē secessus simul cōcurrisse, quā vtrūque etiā Lucas satis significat, cū præmittit ante secessū, Herodē cupidū fuisse videndi Iesum. Igitur partim propter Herodē siue vt illius furorē declinaret, vetū se hominē declarans, siue potius quia ab illo videri noluit, qui indignus erat videre, quē curio se videre cupiuit partim & multo magis propter reuersos Apostolos secessit Dñs, tum vt illis vanæ gloriæ occasionē subtraheret, & fugiendā doceret, tū vt testatur Marcus, vt refocillarētur à tātis laboribus

ribus itineris, & prædicationis, ac à turba vndique cōfluēte aliquādiu temissionem haberent, quæ adeo nullum quietē Apostolis ex itinere lassis permittebant, vt nec spatium māducandi haberent.

Et post hæc Iesus assumpsit illis secessit inde in nauicula, &c. Quod vltra stagnū locus ille fuerit manifestè patet, nō solùm ex eo quod Ioannes dicit Dūm abijsse trās mare Galileę, sed etiā multo magis ex eo quod peracto miraculo Dñs iussit suis, vt transnauigarent rursū ad Bethsaidā, vt habet Marcus, postquā transnauigationē venerūt in terrā Genesar, vt habet Matthæus, & in Capernaū, vt habet Ioā.

Et præuenerūt eos. Videtur omnino istud intelligendū de quibusdā ex turba, nō de omnibus, aut magna multitudine: ac Dominum cū suis aliquandiu hęsisse in mari quietis gratia. Aut potius dicēdū illud, præuenerūt, eos significare turbas citius, quā putasset Apostoli sibi adfuisse, & occupasse eos inopinatos. Iā quod dicunt Matthæus & Marcus;

Et exiens vidit turbam multam. Magis cōuenit vt intelligatur de exitu è secretiori deserti loco, ac è secessu Domini, vt intelligatur Dominus turbis venisse obuiam: quod sanè optimè congruit ei, quod dicit Lucas, *Et excepit eos. Vespere autem facto.* Matthæus vesperam factam dicit & ante miraculum, & rursum post miraculū, cum dimissa turba, nauicula in medio mari iactaretur fluctibus: cum inter duo illa tēpora aliquot horę necessario intercesserint: sed priore loco vesperam factam dicit, eo quod iamdiu esset vltra meridiem, hoc est, quia vt dicit Lucas dies cœperat declinare, & vergere ad occasum, & vt dicit Marcus, hora multa facta erat, hoc est, multum diei prætierat. Posteriore verò loco vesperam factam dicit, eo quod iam sol occiderat, & vt dicit Marcus, sero factum erat. Porro Matthæus, Marcus, & Lucas dicunt Apostolos suggessisse Christo de turbarum dimissione. Ioannes verò videtur significare Dominum prius de cibandis turbis fuisse solicitū, cum dicit eum conspecta hominum multitudine interrogasse Philippum, *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Sed hanc apparentem historiæ, & narrationis diuersitatem bene soluit Aug. Docēs intelligendū prius quidē Apostolos Domino suggessisse, ac deinde Dominū dixisse. *Nō habēt necesse.* date vos illis māducare. Postmodum Dominū è monte in quo sedebat cum suis sustuliisse oculos, ac vidisse turbam multam venisse, & cōtinuò venire ad ipsum, ac tunc humano more tentasse Philippum. Nec in eo iudicanda est aliqua contrarietas, quod Ioānes Andreā respondisse dicit de quinque panibus, & duobus piscibus, reliqui verò eam responsionē omnibus tribuāt Apostolis, eo quod etiā si solus hoc dixerit Andreas, omnium tamen nomine hoc dixerit. Sic nulla cōtrarietas in eo est, quod Marcus Apostolos dixisse refert. Euntes emamus ducētis denarijs panes, & dabimus illis manducare; Ioannes verò dicit

Philip-

Philippum respondisse, ducentorum denariorum panes non sufficturos, vt vnusquisque modicū quid acciperet. Verisimile enim est prius Apostolos hoc dixisse, quod Marcus refert veluti sententes panes ducentorū denariorum posse eam turbam satiare; ac deinde Philippū quod illi dixerant magis auxisse: ita vt assereret ne tot quidem panes posse sufficere. Deinde illis verbis apud Marcum non voluerunt significare Apostoli eam pecuniæ summam posse sufficere, sed tanta saltem opus esse, quantam satis sciebant Dominus cognoscere apud se nō esse, nō enim, vt quidam intelligit, his vebis significauerūt Apostoli apud se tantū esse pecuniæ; sed potius non esse tantum, quantum ea turba requireret; quod satis patet ex Luca, qui dicit: Nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas: & subijcit, Erant autem ferè viri quinque milia: significans Apostolos illud de eundo, & emendo escas dixisse præ nimio stupore quod Dominus præcepisset illis turbam tanta cibare. Ita & verba illa Marci sunt accipienda, quasi ex stupore, & per ironiam quandam dicta. Ducenti autem denarij secundum Budei supputationem, efficiunt florenos aureos 25. aut quod idem est Rhenenses 35. Quod autem Dominus etsi maxime moueretur erga turbas misericordia, non tamen prius ad miraculum venit, quam à discipulis illi suggeretur turbæ necessitas: factum est ob id, vt ne videretur ad miraculi operationem ostentationis gratia prosilire; atque vt miraculum ipsis Apostolis & alijs esset commendatius, & testatius. Simili ratione Dominus non dicit Apostolis: Ego pascā eos, hoc enim arrogantiæ videretur fuisse: sed nō habēt necesse ire, vos date illis manducare, vt illis se nō habere sustantibus magnitudo miraculi notior fieret; & illis impotentiam obtendentibus, ipse velut necessitate coactus faceret iam quod futurum erat. Cæterum quemadmodum Apostoli suam sollicitudinem, & misericordiam ostenderunt, cum Christo suggesserunt turbæ necessitatem: ita iam iussi à Domino pascere turbam, præ se ferūt prōptum ad obediendum animum, sed dolent non adesse ipsis facultatem, dum dicunt: Non habemus hic nisi quinque panes, &c. Et per hanc item ipsorum responsionem Apostolos magis præparauit ad miraculi fidem, & admirationem, vt qui iam testati erant ciborum penuriam, & turbam pascendā innumerabilem. Quod autem Ioannes refert Andream dixisse, Est puer vnus hic qui habet quinque panes, &c. non est contrarium quod alij dicunt Apostolos respondisse se habere illos panes. Primo enim intelligi potest à puero illo Apostolos emisse hos panes. Deinde puer ille potest intelligi fuisse vnus ex Apostolis, quomodo Christus post resurrectionem suam Apostolos piscantes vocat pueros dicens, Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Bene autem Dominus Philippum tentans dicit, vnde ememus panes, hoc est, quibus pecuniis, aut

Ducenti Denarij.

ex quo loco, quo cum simus in deserto. His enim verbis Dominus omnem viam emendi panes illis occlusam significauit. Quod autem Ioannes tēpus huius miraculi designat dicens, *Erat autem proximum Pascha dies festus Iudæorum*: Potissimum ob id factum videtur, vt ex supputatione Paschatum, & aliorum festorum Iudaicorum intelligeremus tempus prædicationis Christi, quod ab alijs non fuit significatum Euangelistis.

Et præcepit illis vt accūbere facerent omnes secundū cōsubernia, &c. Præcepit Dominus turbas discumbere, idque in sodalitia numero centum, aut quinquaginta: tum vt omnia ordinatè, & sine tumultu fierent, tum vt ex huiusmodi distributione numerus manducantiū cito percipi posset ab Apostolis, quorum etiam ministerio ob hoc hoc, est, vsus vt ipsi etiam manducātes melius aduerterēt miraculi magnitudinem, & veritatem. Quod autem Lucas dicit Dominum dixisse: *Facite homines discumbere per cōuiuia quinquaginta*; non est contrarium illi, quod habet Marcus in quibusdam Italijs fuisse centenos. Lucas enim partem tantum dixit, Marcus vero totum. Et quod Ioannes dicit numerū virorum fuisse quasi quinque milia, & Lucas, fere quinque milia: non est contrarium illi quod in Marco, & Matthæo legimus eos qui manducauerunt fuisse quinque milia. Primū enim mos scripturæ est, in numerorū descriptione non anxiè certū ipsum ponere numerum, nec curare si paulo minus aut plus sit: vt cum annos hominum describit, qui in aliquod mēsibus, aut defecerunt aut exuperauerūt. Deinde sciendum apud Græcos in Matthæo, & Marco etiam addi eam dictionem, quæ in Ioanne & Luca additur circa numerum manducantium, numerum ὡσεί, hoc est ferme, vel circiter. Eadem enim hæc dictio est in omnibus Euāgelistis, qua significare voluerunt numerum quinque milium non fuisse completum. Porro circa panes, & pisces quos ab Apostolis Dominus accepit propter miraculi certitudinem, obseruandū est Dominū quatuor fecisse. Primo enim suspexit in cælum, ipso gestu demonstrans vnde haberet potestatem huius miraculi. Secundo, vt habet Ioannes gratias egit Deo Patri pro donis scilicet ipsius humano generi in cibum præstitis, & singulariter pro accepta ab illo potestate faciēdi præsens miraculum: docens non tantum post sumptum cibum, sed etiam ante Deo gratias esse agendas à nobis. Tertio, *benedixit illis*, nempe panibus. Hæc autem benedictio erat imprecatio diuinæ gratiæ, quæ hīc non simplex erat, sed efficiens panum benedictorum multiplicationem. Quarto fregit panes, ac distribuit Discipulis, vt distribuerent, turbæ. In qua fractione, ac distributione intelligenda est facta mirabiliter panum multiplicatio ad eum modū quo per multiplicationem ex costa vnaAdę facta est Eua, & quo hydria farinę nō deficiebat, nec lecythus olei minuebatur, quales

Exo.

2. Reg. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

les multiplicationes non possumus intelligere, nisi per additionem materiæ, idque vel per creationem, vel per cõuersionem. Verisimile autem est hanc multiplicationem panum non solum factam in manibus Christi, sed etiam in manibus discipulorum, atque turbarum. Sic enim miraculum erat & certius, & maius. Ceterum cum iam cibo expleta esset multitudo, iussit Dominus discipulis vt colligerent fragmenta, & collegerunt duodecim cophinos: in quam fragmentorum multitudinem augeri voluit Dominus exilem commeatum quinque panum, & duorum piscium: tum vt & hoc argumento procuraret certitudinem, & admirationem miraculi, tum vt doceret non oportere parcam esse in pauperes beneficentiam, & Dei benignitatem largam esse in sibi hidentes, eamque largiter multiplicaturam bona eius qui in pauperes est beneficus.

Ambulat Iesus super mare & Petrus. Matt. 14. Marci 6. Ioan. 6.

CAPVT LVIII.

[image_ref id="1" box="0.195,0.481,0.260,0.555" />

ESVS ergo cũ cognouisset quia venturi essent vt raperent eum & facerent eum regẽ, * [e] statim † compulit [a] * discipulos suos ascendere ▷ in nauiculam, ‖ vt præcederent [a] eum transfretum [b] ad Bethsaidam, † [e] donec [a] ipse [e] dimitteret ▷ turbas. Et ‖ cùm dimisisset eas, [b] abijt [d] fugit iterum [&] [a] ascendit [m] in montem [c] ipse [a] solus [a] orare. [d] Vt autem serò factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et cùm ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus. Mare autem vento magno flante exurgebat. † [e] Et cum serò esset [a] erat nauis in medio mari, & ipse [e] solus [a] erat ibi [b] in terra. [a] Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. [b] Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus cõtrarius [b] eis) & ▷ [e] circa quartã vigiliam noctis venit ad eos ambulans super mare. [d] Cũ remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, & proximum naui fieri. [b] & volebat præterire eos. † [a] At illi vt viderunt eum ambulantẽ supra mare, [b] putauerunt phantasma esse. [d] & timuerunt, [&] [a] turbati sunt dicentes: Quia phantasma est, [c] & [a] præ timore ▷ clamauerunt. [b] Omnes enim viderant eũ, & conturbati sunt. ‖ [a] Statimque [a] Iesus [e] locutus est [b] cum [e] eis, † [m] & dixit eũ: ▷ [a] Habete fiduciam, [m] ego sum, nolite timere. [a] Respondens autem Petrus dixit illi: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de naucula ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit: & cũ cœpisset mergi clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum, apprehendit eũ, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? [d] Valuerũt ergo

* & † [b.] [c.] coegit ▷ [b.] [c.] nauim ‖ [a.] [c.] & præcedere † [b.] [c.] donec ▷ [b.] [c.] populum ‖ [c.] dimissa turba † [c.] vespere autẽ facto ▷ [c.] quarta autem vigilia † [b.] [c.] [c.] videntes ▷ [b.] exclamauerunt † [c.] Et statim

ergo accipere eum in nauim. [b] Et ascendit ad illos in nauim. * Et * cum † [c.] dicens ascendissent in nauiculam * cessauit ventus, [d] & statim nauis fuit ad d. Ille terrã in quã ibant. * Qui autẽ in nauicula erant, venerũt & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es. [b] Et plus magis inter se stupebant. eis Non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum. * ▷ [b.] [c.] Cũ Et cum transfretassent, venerunt in terram † Genezareth', [b] & applicuerunt. Cumque egressi essent de naui, continuò agnouerunt eum. * Et † [a.] [c.] Gecum cognouissent eum viri loci illius, [b] percurrentes [a] miserunt in * nezar vniuersam regionẽ illã, & obtulerunt ei omnes malè habẽtes. [Et] [b] ▷ [a.] [c.] rocœperũt in grabatis eos qui se malè habebant circumferre vbi audiebãt eum esse. Et quocunque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates in ‖ [a.] Quãplateis ponebant infirmos. [b] & ▷ deprecabantur' eũ vt vel fimbriam eunque te vestimenti eius tangerent. Et ‖ quotquot tangebant eũ, salui fiebant'. tigerunt

Iesus ergo cum cognouisset quia venturi essent vt raperent, &c. Dixerat Ioannes turbas vitoligno dixisse: Hic est verè propheta, qui venturus erat (sic enim versum fuisset rectius, quam est) in mundum, quibus verbis significare voluerunt Christum esse insignem illũ Prophetã, est enim Græcis articulus ὁ προφήτης) quẽ in Moyse, & aliis Prophetis sibi promissum audierunt, hoc est, esse ipsum Messiam expectatum. Christum enim Prophetam dicunt non ob futurorum, quæ ab eo audierant prædictionem, sed propterea quod ex miraculo intellexerant eum esse datum a Deo hominibus doctorem. Quoniam ergo putauerunt ipsum esse expectatum illum à Iudeis Prophetam, vt verè erat, & ex Scripturis intellexerãt illũ fore Regem Iudæorum: hinc tam commouebantur turbæ, vt Dominum etiam vi raptum in Regem suũ deligerent, & agnoscerẽt. Verum Dominus quoniam iamdudum à Patre Rex erat constitutus, ac natus erat Rex Iudæorum, ab hominibus non debebat Rex fieri, aut ordinari, nec adhuc tempus erat vt à populo, pro Rege colererur: maximè quod Regnũ Messiæ isti somniarent regnũ esse terrenũ, & corporale quale fuit regnum Dauidis. Ideoque vt turbatum temerarium, insipiens, & seditiosum factum impediret, & Regni sui manifestationem suo tempori reseruaret; Dominus discipulis dimissis primũ, ac deinde etiam turba abijt in montẽ, secedens è turba: hoc suo secessu docens populatem laudem non esse. Pastoribus affectandam, sed fugiendam. Non secessit autem Dominus, vt inertì vacaret otio, sed vt orationi intentus esset, cui & tẽpus, & locum conuenientem delegit pro suo more, nimirum extra turbam, in monte, & in nocte orans ac docens prædicatorem à prædicatione & externo ministerio ad orationem debere confugere, eaque se ab externis occupationibus in Deo colligere, ac munire contra inanis laudis affectationem, & Deo commendare profectũ prædicati verbi Dei in auditoribus. In eo autẽ quod dicunt Matthæus, & Marcus Dominũ coegisse suos, vt præcederẽt

eum

Universidad de Deusto
Biblioteca

eum trans fretum; significatur & Dominum festinasse vt à turbe dimitti posset, & Apostolos ab amabili Domino inuitè diuelli potuisse: tum quod cuperent illi semper adesse, tum quod sua naui illum vellent transuehere; præter quam sciebant ibi nullam aliam esse, qua transuehi posset. Quod autem Ioannes postquã dixit Dominum fugisse, vel vt habent Græca, secessisse in montem de discipulis subiungit: *Vt autem sero factum est, descenderunt Discipuli eius ad mare*, Intelligendum est Ioannem illud dixisse recapitulando, vt annotauit Aug. sicut & quod sequitur: *Et cum ascendissent nauem venerunt trans mare in Capharnaum*. Dictum est præoccupando. Nec repugnat quod de aduentu in Capharnaum dicit Ioannes ei, quod dicit Marcus præceptum fuisse discipulis, vt præcederent ad Bethsaidam. Intelligendum enim Ioannem non designasse primum locum in quem venerint post transfretationem, sed eum in quem venerunt ex Bethsaida & alijs aliquot vicinis locis.

Et tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus mare, &c. Obseruandum quod dicit Marcus, Dominum cum iam descendisset rursum è monte, & stare solus in littore vidisse, etsi tenebræ essent, Apostolos laborantes in remigando, cum nõ videretur ab eis. Eo enim docemur, quod quanquam ad tempus Dominus videtur suos destituere, eosque relinquat in multis periculis, & laboribus, nequaquam tamen auertit oculos suos ab eis, sed eorum labores considerat, etiamsi seipsum illis needum ostẽtet. Itaque & hic tandem suos accedit opem illis latutus, sed priusquam id faceret, rursum alia ratione timorem illorum auget, vt eorum fidem magis probaret, & suam virtutem declararet. Ideo enim ambulando super mare, ac simulando se eos velle præterire, permisit eos existi mare se esse phantasma, hoc est, spectrum, & terriculamentum ali quod, quale in nocte apparere solet, ex dæmonis illusione: credentes non posse fieri, vt graue, & solidum hominis corpus liquidum elementum sustineret, ac ob id vulgari timore ac vano exclamauerũt instar trepidorũ & timidorũ. Vbi autẽ hæc cõtigerint ostendit Ioannes dicens, cum remigassent ergo stadia vigiti quinque, aut triginta, vident Iesum, &c. Quo significat eos emẽnsos fuisse plusquam dimidium lacus, siquidem hunc Iosephus testatus fuisse stadiorum quadraginta in longitudine. Cum ergo Dominus duplici iam ratione fidem suorum tentasset, nempe immissa tempestate, & vana spectri nocturni existimatione, quorum illud verum periculum asserebat, istud vanum timorem incutiebat: volens eos simul & à periculo, & à timore liberare, statim allocutus est eos ac voce illis non ignota significat quis sit à cuius apparitione sibi metuebant, ego inquit, sum, nolite timere. Communi quidem more dicit, Ego sum, quomodo solemus trepidos cõpellere, qui

qui nos ex voce agnoscere possunt: sed tamen quodam modo pro prium illi fuit dicere, ego sum: non subiungendo quis sit, vt qui fuerit is, qui olim dixerat Moysi. Ego sum, qui sum.

Respondens autem Petrus dixit; Domine si tu es, iube me, &c. Ex verbis Petri liquet quantus fuerit in eo fetuor & fidei, & dilectionis. Non enim dicit, Ora Patrem, & deprecare, sed, iube: credens quod non solum ipse super mare posset ambulare, sed etiam alijs solo iussu hoc præstare. Deinde non dicit, iube me ire super aquas, sed venire ad te: significans se miraculum hoc cupere in se fieri non propter ostentationem, sed propter amorẽ solum. Quoniam autem Petrus velut dubitans num esset Dominus dixit, si tu es: Dominus vt se esse comprobaret quem videbãt, & fidem Petri & aliorum in se erigeret, fidemque item Petri, quam verbis præ se ferebat, commendaret, iubet eum venire super aquas, ac sicut credidit, solo iussu, accepit potestatem calcandi aquas. Porro vt ipsemet Petrus cognosceret, quam fides illa, quæ eum fecit ambulare super aquas, infirma adhuc in ipso esset, & alia rursum occasio daretur augendæ fidei, atque Domini potentiam, & benignitatem in eos, qui inuocant nomen eius in tribulatione agnoscendi: minus paululum eum relinquit nouæ tentationi, ac immissa venti tempestate sinit incidere in mœrum, & periculum submersionis. Verum periculum ex diffidentia natum rursum excitauit ignauiam fidei, ita vt clamaret dicens: Domine saluum me faci: nihil scilicet addubitans quin posset saluari. Hic Dominus primum Saluatoris officio fungens, extendens manum apprehendit eum, & deinde doctoris officio fungens, ait illi: Modicæ fidei, &c. Significans quod nõ venti immissio, sed illius modica fides periculũ operata fuisset.

Voluerunt ergo eum accipere in nauim. Ioannes non negat (videri enim potest esse aliquis scrupulus in eius verbis) Christum ascendisse in nauim, sed tãtum dicit, voluerunt eum accipere in nauim, vt significaret Apostolos cum adhuc longe essent à terra, voluisse Dominum recipere in nauim, vt solito more cum illis nauigaret vsquedum peruenirent ad terram, nõ tamen necesse fuisse, vt solito more nauigando peruenirent ad terram, eo quod nouo quodã miraculo subito nauis fuerit ad terram. Itaque secundum historiã mox cum Christus Petrum etexisset, & in nauim rursus duxisset, ipseque pariter ingressus fuisset, simul & ventus quieuit, & nauis terræ appulit: duplici scilicet miraculo facto à Christo. Post quæ, qui erant in naui accesserunt, & prosternẽtes se, adorauerunt eum dicentes, Vere filius Dei es, significantes se credere ipsum esse Messiam, & per hoc quod dicunt, verè, significantes ipsum nõ tantum secundum opinionem, sed secundum veritatem esse illum singularem Dei filium in Scripturis promissum. Quod autẽ dicit Marcus, Plus magis, hoc est vehementer valde, vel vehemẽter supra modũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

(nam Græcè est ἀπὸ τῆς πίστεως, hoc est ad verbum valde ex abundanti) intra se stupebant, & non intellexerunt de panibus, quia cor eorum fuit obcæcatũ: non est contrarium ei quod dixit Matthæus eos agnouisse ipsum esse filium Dei. Marcus enim non vult significare post peractum miraculum illud, cor eorum sic fuisse obcæcatum, vt non possent digne de eo sentire, sed quod tanta esset amentia, & cæcitas in eis, vt pro re maximè stupenda ducerent miracula quæ iam Christus in aquis operatus fuerat, cum longe prodigiosius esset, quod tantulo cibo pauisset tantam multitudinem, hoc est, quod non sic agnouerant, & stupebant Christi potestatem in multiplicatione panum, atque nunc in eo, quod ambulauit super vndas, & tempestatem sedauit.

Et cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth. Videntur, quæ hic narrant Matthæus, & Marcus non omnia eodem illo die contigisse, quo Dominus cum suis applicuit: sed Euangelistas pauca complexos fuisse, quæ variis diebus contigerunt, significantes quomodo iam in fide proficeret multitudo, quæ non tam ipsum in domos suas trahunt, nec precantur, vt prius, maius impositionẽ, neque verbi iussum exigunt, sed rãtum simbrimẽ cõtactum ideo forte permoti exemplo eius, quę sanguinis profluuio laborauerat.

Disserit de manducando pane cælesti. Ioan. 6.

CAPVT LIX.

ALTERA die turba quæ stabat trans mare vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia non introisset eum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent, alia verò superuenerunt naues a Tyberiade iuxta locum vbi manducauerant panem gratias agentes Deo. Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas & venerunt Capharnaum quærentes Iesum. Et cum inuenissent eum trans mare dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim pater signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, vt videamus & credamus tibi? quid operaris? Patres vestri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum:

eum: Domine da nobis semper panem hunc. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Sed dixi vobis quia & vidistis me, & non creditis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non ejiciam foras: quia descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est autem voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed resuscitem illud in nouissima die. Hæc est voluntas patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternã, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis qui de cælo descendi: & dicebant: Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi? Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem. Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit a patre & didicit, venit ad me: Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo hic vidit patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem dicentes: Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & bibertis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit: Non sicut manducauerunt patres vestri manna & mortui sunt. Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo. Ex hoc multi discipulo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus quia tu es Christus filius Dei. Respondit ei Iesus: Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariote. Hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.

Altera die turba, quæ stabat trans mare vidit quia, &c. Altera die positum est pro postero die, est enim Græcè ἐπαύριον. Deinde pro gratias agentes Deo Græcis est εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου, hoc est, gratias agente Domino: vt gratiarum actio non referatur ad turbam, de cuius gratiarum actione nihil prius dictum est, sed ad ipsum Christum, quem supra dixit Ioannes gratias agere. Addita est autem ab Euangelistâ illa pars, gratias agente Domino, vt significaret de qua panum manducatione loquatur.

Et cum inuenissent eum trans mare dixerunt ei Rabbi, &c. Quoniam vanam quærebant quæstionem, ex cuius responsione nulla consecutura erat vtilitas, nec conueniebat ipsum me et Dominum exponere modum quò eo aduenisset: non respõdet Dominus quæstioni, sed facto eorum, qui quærebant eum, & respondet parum blandè, imò cum reprehensione, ne videretur capi eorum blanditijs, & vt eximeret animis eorum hesternam cogitationem, qua cogitauerunt eum rapere, & facere Regem.

Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia, &c. Verba hæc Domini commodè sunt intelligenda in hunc modum: Quærimi me nõ quòd signa videritis, & ex his persuasi sitis diuinam in me esse virtutem, & à Deo vobis missum doctorem, à cuius proinde doctrina, & verbis vobis pendendum credatis. Hoc est enim quærere Christum propter signa, quærere illum propter diuinam eius virtutem, & authoritatem, quam miracula edita significant.

Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Reprehensioni subiungit doctrinam, eamque opportunè. Illud autem operamini cibum, hunc habet sensum operam vestram, & laborem huc impendite, non vt assequamini cibum pereuntem, sed cibum semper permanentem. Dicit autem operamini vt ad similitudinem cibi corporalis, qui operando acquiritur loquereturque de cibo animæ, ac significaret, labore, opera, ac cura nostra parari cibum animæ, sicut paratur cibus corporis. Cibum qui perit, illum vocat, de quo Matth. 15. qui in ventrẽ vadit, & in secessum emittitur, qui proinde non potest in æternum satiare. Cibus qui permanet in vitam æternam, cibus est incorruptibilis, perducens ad vitam æternam. Voluit enim Dominus his verbis non interdicere curã corporalis cibi (vt quidam hinc intellexerunt) sed docere præponendã illi esse curam cibi spiritualis, & illum obiter curandum, hunc autem toto animo quærendum, atque vt finẽ omnium operationum quomodo hi contra quos hæc dicit quærebant cibum pereuntem. Vt autẽ scirent à quo cibum hunc quærere deberent, subijcit;

Quæ filius hominis dabit vobis. De se modestè loquẽs in tertia persona, & filiũ hominis nominans; ac significãs se nõ venisse ad pascẽdũ corpora, sicut illi quærebãt ab eo pasci, sed ad pascendum mentes. Et quoniam mirati poterant audientes, quomodo ipse qui Filius hominis, hoc est homo erat, posset dare cibum permanentem, in vitam æternam subijcit; *Hunc enim Pater signauit Deus.* Græcis est ἐσφράγισεν, id est, sigillauit, quod Chrysostomus simpliciter interpretatur, sigillauit, hoc est, veluti sigillo suo apposito, voce sua cælesti, & miraculis confirmauit, & declarauit authoritatem eius, ostendens quis sit, & quod possit dare cibum hunc permanentem.

Dixerunt ergo ad eum; Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Nihil quidem de operibus Dei, hoc est, Deo gratis, operandis Dominus dixerat, sed tantum de operando cibo permanente & tamen hi inferunt; Quid faciemus vt operemur opera Dei? siue quia intellexerunt Dominum illis verbis exigere opera Dei, siue potius quia intellexerunt ex eo quod dixit operandum cibum permanentem, hoc est, opere, & labore curandum illum cibum, non posse cibum operari, & curari operibus humanis, sed operibus diuinis. Nam huic intelligentiæ consonat responsio Domini, qua significatur nõ quod opus Dei sit cibus permanens, sed quo opere curatur & acquiritur cibus permanens, qui est Christus. Quoniam ergo Dominus dixerat operandum esse cibum, & illi de operibus Dei quæstionem fatuerunt; bene Dominus imitatus illorum quæstionẽ respõdet;

Hoc est opus Dei, &c. Illi quidem de operibus Dei quæsierunt, Dominus vero singulariter de vno opere Dei respondet, per quod lex Euangelica, quæ lex fidei dicitur Paulo, secernitur à lege Mosaïca, quæ factorum dicitur. Perinde ergo est, ac si dixisset; Non illæ sunt opera, quæ Deus à vobis nũc potissimũ exigit, quæ Moyses vobis præcepit de Circumcisione, victimis, & cæremonijs: sed hoc est singulariter Deo gratũ opus, hoc peculiariter nunc à vobis exigit;

Vt credatis in eum, quem misit ille. Credere enim opus Dei in proposito dicitur, non ob id quod fides Dei sit donum (nam hoc non seruit proposito) sed quia illud Deus exigit & illi gratum est. *Credere, est opus Dei.*

Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum vt videamus, &c. Sensus est; Vis vt nos, qui Moysi credimus, etiam tibi sicut illi credamus vt Magistrum à Deo datum recipiamus: quod ergo tu facis signum authoritatis tibi à Deo datæ declarationum; quid ita præclarum operaris, vt videntes tibi adesse Deum, omnibus verbis tuis fidem habeamus? Porro Manna, vox est Chaldea. Nam Hebraicè dicitur Mam, quo nomine appellatus est cibus ille, quo Hebræi aliti sunt in deserto 40. annis, eo quod cum primum ci- *Manna vox Chaldea.*

bus ille à populo visus esset dixerant, Man hu?

Dixit ergo eis Iesus, Amen amen dico, non Moyses dedit vobis, &c. Quoniam tanti faciebant verus illud Manna, vel ob id quod in scripturis vocetur Panis cœli contra Dominus illud extenuat, & deptimit in comparatione panis, quem Pater iam mundo offerret, cumque solita asseneratione, vt de re grauj, ac probè animaduertenda locuturus respondit.

Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panẽ de cælo, hoc est panem vere celestẽ, quique propria locutione e cælo datus, & descendisse dici possit. Non enim Dominus negare hic voluit, quin Moyses dederit illum panem, quem Psalmographus vocat panem cœli, quamuis id negare potuisset: sed quod ille panis non vere hic erit è cælo: impropria autem locutione è cælo datus dicitur, quia sed licet ex aëre pluebat, quomodo volucres aëris, aues cæli dicuntur. Hoc enim voluisse patet ex aduersatiua, *sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum*. Inde enim patet prius Dominum negare voluisse, Moysen dedisse panẽ de cælo verũ. Porro adiectiuum verum hic dicitur, non vt opponitur falso, nam & Manna hoc modo fuit verus panis, sed vel vt opponitur figurato, & vmbratili, vel potius, vt opponitur imperfecto, & ei, quod solum per participationem est aliquale: quomodo Ioannis vinum, Christus dicitur verus filius Dei, & mox postea dicit carnem suam vere esse cibum, &c.

Panis enim verus est, qui de cælo descendit, &c. Si legatur panis Dei, quomodo & Græca, & vetustissima habent exemplaria Latina, ita hæc sententia declaratur, quod dixit solum Patrem dare panem de cælo, & verum panẽ, quia scilicet panis qui de cælo descendit, & dat vitã mundo, nõ potest alterius dici panis, quã Dei, qui est in cælo, nõ potest dici panis humanus vel terrenus, sed tantũ diuinus. Si legatur, Panis verus est, explicãtur cõditiones panis veri, quibus distinguitur à Manna, & quouis cibo corporali. Explicantur autem cõditiones duæ. Altera cum dicitur, qui de cælo descendit. Nam Manna nec est è cælo proprie, sed ex aëre, nec descendit proprie, sed tantum dicitur datum de cælo, cum descendens proprie sit eorum, quæ per se mouẽtur. Altera cũ dicitur, & dat vitã mundo. Per quæ verba etiã dupliciter separatur panis Dei, & panis verus à Manna, & multõ magis à quouis alio corporis cibo. Et primo quidem per illud quod dicit, dat vitã, absolute se dicet, & cœleste sicut & ipse descẽdit. Secũdo per hoc quod addit, mundo. Nã Manna nõ mãdo, sed vni populo Iudæ, datũ est in cibũ: panis autẽ verus vniuerso mũdo, hoc est, omnibus electis per vniuersum orbem dispersis.

Dixerunt ergo ad eũ, Domine semper da nobis panẽ hunc, &c. Quomodo Samaritana, cui dictum est, Qui biberit ex hac aqua nõ sitiet vltra, secundũ corpus illud accipiens, & carere indigentia volẽs dixit, Domine da mihi de hac aqua sic & isti sensibile adhuc panem somniãtes dicunt, Domine semper da nobis panem hunc, qui reficiat, & non deficiat. Carnaliter enim eos intelligere patet, tum ex eo quod non semel, sed semper eum sibi dari postulant, tum ex eo quod postea dicit Dominus eos non credere.

Dixit autem eis Iesus, Ego sum panis vitæ, &c. Hoc est panis vere viuificans, & vitam largiens. Est enim Hebraica phrasis. Declaraturus autem se esse panem, & modum item aperire volens, quo panis hic obtineri possit, subijcit.

Qui venit ad me non esuriet, &c. q.d. Quicunque alius panis non est panis vitæ absolute, nec est panis verus, quia non tollit absolutè famem, non tollit sitim in æternũ, sed tantum ad horam tego vetro tollo famem absolutè, quia in æternum. Cum autem conuenientia sermonis videretur exigere vt diceret, qui manducat me, non esuriet, dicit hic in principio, qui venit ad me, & qui credit in me: vt abstraheret auditores à cogitatione panis corporalis, & à cogitatione manducandi, & bibendi corporaliter, & erigeret eos ad cogitandum, & panem de quo lo surretur esse spiritualem, & item manducationem illius. Cumque prius dixisset, qui venit ad me, postea dicit, qui credit in me, vt exponat quid sit venire ad ipsum, nimirum credere in ipsum, vt satis patet ex sequentibus. Et eum tantum dixisset se esse panem vitæ, non autem potum, declarat tamen se non tantum tollere famem, sed etiam sitim: vt inrelligamus ea, quæ sunt diuisa in alimentis corporalibus, vnita esse in alimento spirituali, nec esse hic eam alimentorum distinctionem, sed panem vitæ secum adferre plenam farietatem. Non esuriet enim, nec sitiet fidelis, quia nullius ad veram vitam necessarij inopiam habebit, vel in hac, vel in futura vita: quia cognito Christo, & bonis, quæ per ipsum est assecuturus, nihil præterea magnopere desiderabit, sed in Christo & bonis ipsius conquiescet ap peritus ipsius.

Sed dixi vobis: quia & vidistis me, & non creditis. Significare voluit Dominus his verbis dixisse se prius aliis, quod vidissent illum, nec tamen credederent. Et si quaratur quando id dixerit illis. Dici potest, dixisse quidem illum ipsis aliquando, si scriptum non sit. Aut tunc dixisse illis cum diceret, Quæritis me non quia vidistis signa, &c. Hoc enim erat dicere, vidistis me, & non creditis.

Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, &c. Absolutè & in neutro genere dicit omne, vt generalior esset sermo, & ostenderet plenitudinem fidelium. Patrem autem dare aliquos filio, est ab æterno eos prædestinasse in numero electorum, & in tempore eos vocare inter electos, & filios Dei. Hi ergo procul dubio venient ad Christum, nec alij præter hos ad Christum fide, & dilectione perseuerante venire possunt. Quos enim prædestinauit, hos & vocauit, &c. Sicut autem prædictis verbis significauit infallibile esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

domum Patris: ita sequentibus significat infallibilem esse expectationem venientium ad se.

Et eum, inquit, *qui venit ad me non ejiciam foras*, Vel vt habet Græca non ejicio foras; hoc est, non abijcio a me, mea cura non dectu tuam, sed suscipiam, alam, viuificabo, & saturabo. Quo autem venientes, & credentes in Christum securi sint de sua receptione, subijcit in illius confirmationem.

Quia descendi de cælo non, vt faciam voluntatem meam. Sed voluntatem eius, qui misit me Hinc ergo patet, quod non reiecturus eos, qui dati mihi à Patre venerint ad me, cũ voluntas eius sit, vt omnes recipiam. Quomodo autẽ illud non vt faciam voluntatem meam, sit intelligendum, dictũ est in cap Cõcord. 36. circa illud Ioannis; Nõ quæro voluntatẽ meã, sed voluntatẽ eius, qui misit me, &c.

Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris, &c. Huiusmodi Syllogismum hic indicat Saluator. Veni é cælo vt faciam voluntatem Patris mei. Sed voluntas eius est, vt omne quod dedit mihi non perdam, hoc est, non sinam perire, sed recipiam & resuscitem in nouissimo die: ergo omne quod datum à Patre venerit ad me recipiam, & non abijciam foras. Est autem Hebraica locutio in illo, omne quod dedit mihi non perdam ex eo, pro eo quod est, ex omni eo, quod dedit mihi non perdam aliquid. Peculiariter autem resurrectionis per se præstandæ facit mentionem & hic, & frequenter in sequentibus, tum quod in resurrectione demum electorum consummatio, & vita ex omni parte beata expectatur, tum vt occurrat cogitationi, qua quis cogitare posset, quomodo dicat mihi petire eorum quæ Pater illi dedit, & vitam æternam credentibus promittat, cum illi tamen nihilominus moriantur, itaque significat eos sic habere vitam æternã, vt iam quidem viuant secundum spiritum, & licet secundum corpus moriantur, aut potius dormiant tamẽ resuscitandi sint in nouissimo die, quãdo iã secundum spiritum simul & corpus victuri sint in æternum fœlicissimã vitam ita vt ob spem illã resurrectionis corporalis eorum mors, nõ sit vere mors dicẽda, sed somnus. Dicitur autẽ dies resurrectionis, & iudicij, dies nouissimus, quia ille erit finis tẽporis, iuxta illud: Iurauit per viuentẽ in secula seculorum, quia tẽpus nõ erit amplius. Cæterum cũ subdatur: Hæc est enim voluntas Patris, &c. Explicatio est, & reperitio præcedẽtis sententiæ differens ab illa in hoc, quod in illa explicabatur voluntas Patris respectu datorum à Patre, in hac vero respectu venientium ad Christum, hoc est, credentium in illũ.

Dies Resurrectionis. dies nouissimus

Murmurabãt ergo Iudæi de illo, quia dixisset, ego sum panis, &c. Iudæi (nam hic etiam Galilæi vocantur Iudæi) vt erãt carnales, & spiritualium rerum minimè capaces, cum intelligerent ademptã esse spem pastus corporalis, cuius spe hactenus ferebant sermonem verum tantum ad calumniam & murmur: cumque prius eum recepissent pro

pro expectato Messia, & Regem eum facere voluissent, iam velut humilẽ contemnunt, nec aliud possunt credere eum esse, quàm purum hominem communi more genitum. Porro cum dicitur; Murmurabant de illo, quia dixisset, &c. Illud, de illo, quia dixisset, duplicitèr potest accipi. Vel de illo scilicet Domino, vt sit, murmurabant inter se propter Dominum, quod dixisset, vel de illo, hoc est, propter illud quod dixisset, &c.

Respondit ergo Iesus, & dixit eis; Nolite murmurare &c. Cõpescit Dominus murmur Iudæorũ, subiungens neminẽ credere posse in se, nisi cui hoc à Patre datũ fuerit; vt sic qui pro ipso erant (erãt enim aliqui in illis imbecilles) scirent se non debere cõtendere cum Infidelibus, & Infideles scirent causam, quare non possent capere verba eius, sed contra eum murmurarent.

Nemo inquit potest venire ad me, Hoc est, credere in me nisi Pater meus lux Spiritus afflatu traxerit eum ad me. Quid autem hoc loco sit trahere, Dominus ipse mox exponit cum subijcit. *Omnis qui audiuit a patre, & didicit, venit ad me.* Audire ergo à Patre, & ita audire vt homo perdiscat, id est, eum trahi à Patre. Non trahit igitur Pater ad Filium homines velut homo lignum aut saxũ posse trahit, sed ita vt (si modo sacra prophanis componere licet) herculem Gallicum fabulæ memorant homines attraxisse catheris ab ore eius pendentibus, & auriculis hominum infixis, sed ijs laxis: quo significabatur illos sublatos fuisse attrahi. oratione Herculis persuasos, ac ita persuasos, vt iam vltro accurrerent. Vt igitur nemo persuadet certius quã Deus: ita nemo verius debet dici homines attrahere, & attrahere simul liberiores & lubentiores. Quo enim certius, & plenius hominibus vtilitas ingens in re aliqua ostenditur, eo redduntur animo in eam rem proniores, & ardentiores. Quare cum Pater suo spiritu monstrat mentibus hominum Christum esse hominũ Saluatorem, & in eo æternam hominum fœlicitatem [illegible] esse, vt non possint non cupidissime illum amplecti: trahit quidem eos, & potenter sanè, sed simul tam liberè, vt in nullam rem sua sponte ferantur cupidius. Non tamen trahit tantum ostendendo, & docendo quod omnes desiderant, aut suadendo, & persuadendo sicut homo: sed etiam efficaciter excitando mentem hominum ad credendum in Christum & amandum eum.

Est scriptum in Prophetis: erunt omnes docibiles Dei, &c. Authoritate Scripturæ declarat tractum paternum esse necessarium, ac simul declarat, quis sit tractus Patris, illius scilicet interna doctrina, & persuasio. Est autẽ testimonium hoc potissimum desumptum ex Isaiæ. cap. 54 cum dicitur, Vniuersos filios tuos doctos a Domino supple, dabo, vel ponam, quod præcedit. Proinde cum dicitur est scriptũ in Prophetis, pluralis numerus Hebraïca phrasi pro singulari positus est Prophetis pro Propheta. Aut Prophetis ideo dictum

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctum est, quia illud non solum in Isaia, sed etiam in alijs Prophetis saltē secundum sensum inuenitur, & maximè Ieremiæ 31. cū dicitur: Dabo legē meā in visceribus eorū, & in corde eorū scribā, &c. Huius autē Prophetiæ, & erunt omnes docibiles Dei vestor explicatio est, quā sequitur Aug. super Ioannem, vt sic intelligatur Omnes regni Dei homines, vel omnes Ecclesiæ filij. Nam sic intelligendū esse locus ipse docet, vnde hoc potissimum est desumptum. Non enim dicitur in Isaia vniuersos docēdos à Domino, sed vniuersos filios tuos ponam doctos à Domino. Loquitur autē Ecclesię fidelium. Ex hac ergo scriptura Dominus ad sum propositum infert: Omnis ergo (nam coniunctionē illatiuam habēt Græca) qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Dicit, qui audiuit, & didicit. Nam sunt qui audiunt Patrem nō solum foris sed etiam intus docentem de filijs, qui tamē à Patre nō discunt: vt quibus nō persuaderur Iesum esse Dei filiū Saluatorem mūdi. Ne autē quoniā dixit aliquos audire, & discere a Patre, putaretur Patrem esse visibilis illu, quemadmodū magister videtur ab his quos docet, subijcit non sipple hæc dico, quod Patrem viderit quisquā, sed is tantum qui est à Deo vidit Patrē, hoc est, ego solus qui à Patre natus sum, aut ab eo tum missus in hunc mundū, vidi eum, ea scilicet visione, qua dictū est supra debere intelligi illud: Deū nemo vidit vnquā. Significare ergo voluit Dominus eos qui à Patre audiunt & discunt, arcana quadam ratione ab eo doceri nēpe per afflatum Spiritus sui & discūt quamuis non sine medio sensibilis vocis eius, qui est à Deo, aut eorum quos ille instruxit.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Dixerat superius voluntate patris esse, vt omnis qui credit in filiū habeat vitam æternam: ad ergo ita se habere solita asseuratione iam confirmat, dicens: Amen amen dico vobis qui credit in me habet vitam æternam. Vbi quare non dixerit habebit vitā, sed habet, & quomodo id verum sit: dictum est in cap. Concord. 21. circa illud Ioannis Qui credit in me habet vitam æternā, & in cap. Concord. 36. circa illud Ioannis, Qui verbum meū audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Quoniam autem Iudei de suo manna superbiebant, & sentiebant magnifice: rursum Dominus ad diffinitionem filius, & omnis cibi, vocat se panem vitę ac explicatio rē iam inter māna, & se, ponit differentiam, quod attinet ad præbere vitam. Sed oritur hic difficultas, de qua morte intelligi debeat, quod dicitur, Patres vestri manducauerunt māna, & mortui sunt. Nā si intelligatur de morte corporali, nō constabit differentia inter manducātes manna, & panē vitę manducantes, cū etiam hi moriantur sicut illi, si verò de morte spirituali, falsum est omnes eos fuisse mortuos, qui manna māducauerunt: Comederunt enim illud etiā iusti Moyses, Aaron, Iosue, &c. Optima autē, & facilis dis-

soluendæ huius difficultatis via est si non tam verba Domini spectauerimus, quā scopum, & intentionē eius, & secundū illā verba eius interpretati fuerimus. Est ergo domini intētio procul dubio, hoc negare de Manna, quod pani vitę conuenire affirmat, hoc est, negare manna potuisse à morte præseruare, & vitā æternam manducantibus præstare, quod sibi cōperete asserit. Itaque hanc Domini intentionē significabunt eius verba si illud affirmatiuū mortui sunt, exponatur negatiuè per non vixerūt per illud manna, non cōsecuti sunt per illud vitā æternam. Iā enim pulchrè constat differentia quā Dominus voluit significare, hęc scilicet: Per manna, mā ducantes nō sunt cōsecuti ne morerētur, sed haberet vitā æternā: manducantes autē me cōsequuntur per me ne moriantur, sed habeant vitam æternā. In hac ergo differentia, sicut & in toto textu, sermo est de morte absolutè, de morte scilicet corporis & Animæ, quā vtraque moriuntur, qui Christū non manducāt, neutra autē moriuntur, qui manducant. Quoniam autē Dominus de pane vitę in superiori sententia obscurius locutus est in tertia persona, ideo eandem aam explicatius effert:

Ego sum panis viuus, &c. Cū prius dixerit bis Ego sum panis vitę Hoc est vitā largiens: nunc dicit, Ego sum panis viuus vel, &c. vel vt habent Græca ἐγὼ ἄρτος ζῶν, hoc est, panis viuens, vnde videtur hic viuens positum, pro viuificans ζῶν scilicet pro ζωοποιῶν. Aut potius per hoc quod dicit se panem viuum, vel viuentem, significat ex consequenti se etiam esse viuificantem panem, ac ideo posse viuificare, quia vitam in se habet, & contra manna ideo nō aptissimum erat ò se panem vocauit, eo quod conditiones panis ei persectissimè conueniant, quæ sunt viuificare, alere, & vollere sanè, ac tutare. Fides enim panis hic non simpliciter sumitur, sed velut dentibus quibusdam mallicatus, dum probè quis sit, & qualis expendi tur, & veluti cōmanducatur, trajicitur cū quadā gustus spiritualis delectatione in ipsam animæ nostræ, ac incorporatur nobis: ita vt nobis per hoc dem arcano modo vnitus Christus habitet secundum diuum Paulū in cordibus nostris, eaque sua præsentia viuificet, alat, vim & deliderio omnium aliorum bonorū auferat. [Porro sic dictum est. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternū; quo modo supra dictum est. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo nō sitiet in æternum &c. Nimirum quia qui semel ex hoc pane manducauerit, viuet semper, quātū est ex parte panis ipsius. Quod enim aliquis à vita illa excidit, nō est ex panis illius imperētia, sed ex defectu liberi arbitrij panem illum vel relinquētis, vel amittentis.]

Et panis quē ego dabo caro mea est pro mundi vita. Quod de se pane iā

Panis est Christus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non aliter loquatur quam superius (quod tamen vult Chrysost. Theophyl. & plerique recentiores) omnino ex eo videtur, quod cum mox dixisset, Ego sum panis viuus: &, Si quis manducauerit ex hoc pane, &c. mox subijcit, Et panis, quem ego dabo, &c. quæ subiectio non indicat eum iam de alio pane loqui, sed explicatius vel le ostendere quomodo, & per quid ipse, qui se hactenus panem vocauit, sit panis vitam hominibus largiens. Itaque quoniam hactenus dixit se panem vitæ, qui de cælo descendit, & credentibus in se promisit vitam æternam: ne intelligeremus sufficere eam fidem, qua crederetur è cælo descendisse, & verus esse Deus, infert sermonem de carne, & sanguine suo, vt intelligeremus necessariam esse fidem in ipsius humanitatem pro nobis in cruce traditam, & passam. Hæc est enim fides, qua manducamus panem vitæ, nimirum qua credimus Christum & verum esse Deum, & se hominem tradidisse pro nobis carnem suam, & sanguinem. Nec Christus in toto hoc capite se panem vitæ vocat, nisi ratione vtriusque simul scilicet & diuinitatis, & humanitatis in cruce traditæ. Sicut enim non potuisset esse Saluator humani generis, nisi simul & Deus fuisset, & homo pro hominibus passus: ita non vocat se peculiariter præ Patre & Spiritu sancto panem vitæ, nisi quatenus Deus exiliens per humanitatem in cruce patiam credentes viuificat. Quod autem dicit, dabo, vt habent Græca, vel ob id fecit, vt primo dabo, significaret se daturum carnem suam in cibum, quando per Spiritum suum docturus esset se nos immolatione carnis suæ redemisse, altero verò, dabo, significaret se datutum carnem suam in mortem pro hominum vita.

Litigabãt ergo Iudæi adinuicem dicentes, Quomodo potest, &c. Significantur his verbis inter auditores ob verba Domini non intellecta, de quorumque intellectu non auisi fuerunt Dominum interpellare, ortam esse dissensionem: alijs aliter atque aliter interpretantibus, quod dicebatur. Itaque carnales Iudæi quoniam dixerat de carne sua danda in cibum carnaliter intellexerũt, quasi particulatim carnem suam Dominus edendam daturus esset, more communis carnis: eius verba tanquam friuola, & falsa per arrogantiam reijciunt, illud suum Iudaicum Quomodo obijcientes.

Dixit ergo eis Iesus, Amẽ Amẽ dico vobis, nisi mãducaueritis, &c. Dominus nõ ignarus de qua re disceptatent, nõ ostendit qua ratione posset dare carnem suam ad manducandum, nã id ex superioribus intelligere potuissent, nec adhuc tempus erat latius modum illum explicandi: sed quod illi iudicabant esse absurdum, & impossibile, hoc nunc confirmat esse necessarium, vt vel sic humilitati conuerterentur ad requirendam dictorum intelligentiam. [Cæterum quod non debeat locus iste intelligi secundum præcipuam Domini intentionem de manducatione Sacramentali: primum ex eo

An de manducatione Sacramenti hic agatur.

ex eo apparet, quod prius dictum est, ex verbis Domini superioribus, omnino videri idem esse manducare se & credere in se. Secundò ex eo, quod si de ea intelligatur, sententiæ sequentes non erunt vniuersaliter verę: Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in illo. Opus enim erit in his semper subintelligere, dignè: quod tamen non potest intelligi in præcedentibus sententijs, vt cum dicitur, hoc est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Nã si intelligendum sit, Si quis dignè manducauerit, iam non constabit differentia inter manna, & panem vitæ. Nam & illud dignè manducantes, non sunt mortui secundum Augustinum. Proinde intelligendum est ibi eum qui indignè manducat panem vitæ in Sacramento, non vere manducare ex illo pane. Cum ergo vel non catholicè (Hæretici enim hinc volunt demonstrare Eucharistiam necessario sumendam esse sub vtraque specie) vel non satis commodè (vt iam ostendimus) locus iste intelligi possit de manducatione Sacramentali, nec ille sit proprius scripturę sensus, quo Aug. hunc locum intelligit de carne Christi mystica: restat totum hunc locum conuenientissimè intelligi de manducatione spirituali, quę est per fidem in carnem traditam in cruce, & in sanguinem effusum pro nobis, quomodo vt intelligatur, & præcedentia, & sequentia satis exigunt, & sic cessant omnes difficultates, quæ oriuntur, si de Sacramentali manducatione accipiatur. Quod autem sancti Patres locum hunc vt in plurimum interpretati sint de manducatione Sacramentali: factum est ab eis per extensionem & accommodationem valde vtilem simul & aptam. Vtilem dico videlicet ad excitandum auditores, & lectores ad frequentem Sacramenti valde salutaris perceptionem. Aptam autem eo quod sub Sacramento panis & vini verè contineatur caro Christi, & sanguis, atq; ob id, quæ absolutè hic dicuntur de carne Christi, & sanguine etiam competunt carni eius & sanguini, vt continentur in Sacramento: maximè cum caro, & sanguis Christi ideo instituta sunt à Christo sumenda sacramentaliter, vt per Sacramentalem perceptionem, & excitaretur in nobis fides, qua mãducatur Christus spiritualiter, & certiores redderemur de eo, quod Christus per fidem habitat in nobis, & manet in nobis. Accedit ad hæc, quod ideo veri simile sit Dominum hoc tropo manducandi carnem, & sanguinem bibendi, vsum eo lubentius, quod aliquando carnem & sanguinem traditurus esset reipsa in Sacramento sumendã: vt etiam si de Sacramentali perceptione hic non sit potissimum locutus, ad eam tamen etiam respexerit.]

Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinẽ, habet, &c. Cum dixisset, Nisi manducaueritis, & bibentis, non habebitis vitam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam, ac necessitatem manducandi, ac bibendi significasse: commode iam subiungit manducationis huius & potus certum esse ctum. E cõtrario inquit, quicunque manducat, & bibit, habet vitã æternam, & ego resuscitabo, &c. Cum dicit, habet vitam æternã, significat vitam, quam per fidem anima in se habet, cum verõ dicit, & ego resuscitabo eum, significat vitam quam etiam habitarum est corpus.

Caro enim mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus, &c. Probat manducantem carnem habiturũ vitam ęternã ex eo, quod caro eius sit verè cibus, hoc est, perfectè habeat cibi conditionem, nec deficiens aliquid sit in eo, quemadmodum in manna, & in reliquis corporis cibis. Singulariter enim se, & carnẽ suam Christus hic cibum, & panem vocat, cum multiplex sit spiritualis, & cælestis panis animæ, in scripturis significatus (Est enim ipsa diuinitas panis, item scriptura canonica, ac verbum Dei, & panis gratiæ cęlestis, virtutũ, ac bonarum operationum, vnde dicũtur beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam) quod sine fide in Christum e cęlo descendentem, & pro nobis passum in cruce, nihil illorum verè mentem hominis pascere potest, sed mentem hominis permittit ieiunam, & languidam.

Qui manducat meam carnẽ, & bibit meũ sanguinẽ in me, &c. Manet, & ego in eo, hoc est, induisse, & intimè mihi coniungitur, & ego illi: quare ex huiusmodi manducatione & potatione non consequitur vitam transitoriam, quemadmodum ex mãducatione cibi corporalis, qui mox transit, nec manet in manducante, sed cõsequitur vitam permanẽtem, & ętetnam. [Hic iam manifestũ esse dixit, non omnes hoc loco dici manducare carnem Domini, & bibere eius sanguinem, qui Sacramenta corporis & Sanguinis Domini sumunt, cum non omnes tales Christum habeãt in se manentẽ: sed hi carnem Domini mandcãt, & bibunt, vt hic quidem Dominus loquitur, qui credẽtes eius carnem, & sanguinem in cruce pro hominum salute tradita, & quia diuinitati in vnitatem personę cõiuncta, esse viuificatiua ipsum Dominũ vel per huiusmodi solã fidem, vel simul etiã sub sacris Eucharistiæ symbolis intra se sumũt & amplectuntur, fideique cõpressu ita intra se tenẽt, tanquam eũ, à quo nobis omnia optata venũt, & præstantur. Singulariter autẽ Christus manet in nobis, qui illũ fide vnita sumimus in Eucharistia nõ tantum quia Spiritu suo præsens, & vnitus spiritui nostro, sed quia & corpore suo corpori nostro ineffabili modo coniunctus.

Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrẽ, &c. Alii aliter hunc locum distinguunt, sed rectior eũ illorũ distinctio, qui sermonem contexunt ex duabus partibus, quarum vtraque duobus cõstat membris hoc modo: Sicut misit me viuẽs Pater, & ego viuo propter Patrem: sic qui manducat me, etiam ipse viuet propter

tet me. Illud enim, &, cum dicitur, & qui manducat me, Hebraico more positum est pro sic, vel ita. Sic certe Cyrillum distinxisse certissimum est, ex eo, quod sic scribat: Quemadmodum igitur (inquit) homo sum factus voluntate Patris, qui enatural vita ema nauit, & homo factus viuo, corpusq; meũ vita repleuit: nõ aliter qui carnem meam manducat propter me viuet. Ex quibus Cyrilli verbis præter distinctionem etiam intelligi potest satis, quis sit totius huius sententiæ sensus. Illud enim, viuo propter patrem, quãuis possit intelligi de vita, qua Christus viuit secundum diuinitatẽ, vt viuere dicatur quatenus Deus propter Patrem, quia à Patre vitam, & naturam suam accepit: potius intelligendum est de vita, quam habuit secundum humanitatem, quæ deitati coniuncta in personæ vnitatem, præter vitam corporalem, quã habuit ab Anima, etiam habuit vitam diuinitatis. Cum enim præmittit, Sicut misit me viuens Pater, & subdit, & ego viuo propter Patrem: significat missionem viuentis Patris causam esse, quare ipse missus, hoc est, homo factus viuat propter Patrem, sicut in sequenti parte manducationem sui significat esse causam quare quis viuat propter ipsum. Quoniam enim Pater ex natura sua vitam habens, filium misit in mundum, hoc est, hominem esse fecit: ideo filius homo factus eadem vita viuit propter Patrẽ, nimirum quia à Patre mittente humanitas diuinitati cõiuncta est in vnitatẽ personæ. Id quod dicitur propter Patrem, rectè intelligitur prepositio propter posita pro per, vt frequenter accipitur, & apud Græcos διὰ habere accusandi casum pro paterno: eo quod Dominus hic non videatur significare voluisse ad quem finem vel ipsemet viuat, vel is qui se manducat; sed à quo & ipse, & ille vitam habeat. Nam hoc ostẽdere pertinet ad propositum. [Ex prædictis autem & illud patere potest, quare non dixerit solum, Sicut misit me Pater, sed addidit, viuens, nempe vt significaret Patrem per se viuentem, & non ab alio accipientem vitam, suprema causam esse vitæ à qua per filium vita ad manducantes perueniret. Non solum tamen Saluator vult significare similitudinem, sed etiam priorem partem similitudinis causam vult esse secundæ, hoc est, quod, quia Pater misit filium viuentem per se, ob id manducans Filium vivificatus esset per Filium. Vt enim manducans Filium viueret per Filium, ideo pater viuens misit Filium viuentem per se Patrem. Hęc ergo sententia vt est nouissima: ita est demonstratio omnium quę prius sunt dicta, nempe quod caro Christi sit verè cibus, quod illam manducans habet vitam æternam: quodque qui manducando carnem manet in Christo, & Christus in illo, ex huiusmodi mãducatione consequitur vitam æternam.]

Hic est panis qui de cælo descendit, &c. Conclusurus suum sermonẽ Dominus, postquã declarauit quomodo verè ipse sit cibus cele

stis,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtis, rurſum tertio inculcat differentiam inter ſe panem, & manna Moſaicum ex quo occaſionem ſumpſerat iste ſermo. Cum autem dicitur;

Non ſicut manducauerunt, &c. Oratio eſt defectiua perficienda hoc modo, vel ſimili: ita qui ederit ex hoc pane morietur. Vnde ſequitur veluti aduerſatiua ſubintelligenda: patris. *Sed qui manducat hunc panem viuet in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum.* Locus ſermonis deſcribitur, non tantum propter hiſtoriæ certitudinem, ſed etiam vt ſignificaret Euangeliſta Dominū hæc palam dixiſſe, & multis audientibus. Vnde infert.

Multi ergo audientes, &c. Multi ergo etiam ex diſcipulis eius, hoc eſt, hiv qui iptum ſequerētur ſequebātur, & habebātur in ordine diſcipulorū, dixerunt: *Durus eſt hic ſermo*, de comedēda ſcilicet carne viui hominis, & bibendo ſanguine eius. Et quoniā durum vocāt hunc ſermonem, hoc eſt, aſperum, inſuauem, & intolerabilē, hinc addunt; *Quis poteſt eum audire.* Hoc eſt, quis hęc ſuſtineat audire? & cuius aures ferant hanc doctrinam?

Sciens autem Ieſus apud ſemetipſum, quia murmurarent, &c. Dicit Ioannes apud ſemetipſum, vt intelligamus Dominum non audiuiſſe murmur diſcipulorum, ſed diuinitus illud cognouiſſe, & itaque Deum ſe eſſe declarans, & ſe verè, quemadmodum dixit, de cælo deſcendiſſe: reſpondet ad ea, quæ humana ratione non audita inter ipſos tractari.

Hoc inquit, vos ſcandalizat; hoc eſt, offendit, quod dixi me è cælo deſcendiſſe, & carnem meam manducandam vt quis viuat in æternum?

Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? Eſt autem Oratio imperfecta perficienda hoc modo: Quid tum dicetis? Recte enim Aug. Hæc verba: Si ergo videritis, dicta intelligunt ad tollendum ſcandalum de edenda carne ortum. Nam cum ſtatim præceſſerint de illo ſcandalo, ad illud referendum videtur quod ſequitur: hoc vos offendit. Itaque hunc indicat ſenſum. Hoc vos offendit, quod dixi edendam carnem meam, & ideo offendit, quia putatis eam particulatim edendam. Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius: certè vel tunc videbitis quia non eo modo, quo putatis erogandum eſt corpus eius, nec carnali more manducandum, cum integrum fuerit in cælum receptū. Quod autem dicitur Filius hominis fuiſſe prius in cælo, dupliciter poteſt intelligi, nempe quia erat prius in cælo, quam e cælo deſcenderet, ſic tamen vt non intelligatur cælum reliquiſſe: vel potius, quia erat prius in cælo quam in cælo aſcenderet, iuxta illud: Filius hominis, qui eſt in cælo. Aſcendit enim eo ſecundū humanitatē, vbi ante aſcenſum erat ſecundū diuinitatē. Porro conditionaliter Dominus locutus eſt dicens, Si ergo videritis, & non, Cū ergo videritis,

deritis; aſcenſionem ſuam in cælum indicans vetius quā explicās: tū quia nondum aduenīſſet tēpus palam profitendi gloriā ſuam, tum quod non omnes diſcipuli illi viſuri eſſent eius aſcenſionē.

Spiritus eſt qui viuificat, caro non prodeſt quicquam, &c. D. Chryſoſt. & poſt eum Theophyl. & alij hunc locum ſic intelligunt, vt per Spiritum & carnem intelligatur ſpiritualis, & carnalis intelligentia dictorum, quomodo & Auguſt. intelligit in quibuſdam locis illud Pauli, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Secūdum hunc ergo intellectum, Dominus ſermonem habitum carnaliter intelligentibus, & ob id reputantibus durum, reſpondet, quomodo eum intelligere debeant aliter, quam intellexerunt. Et ſicut hæc verborum explicatio optime reſpondet murmurantium verbis, ita & ſequenti ſententiæ congruit.

Verba quæ locutus ſum vobis, Spiritus & vita ſunt, hoc eſt ſunt ſpiritualia, & ſpiritaliter intelligenda, ac ſic auditori conferunt vitam. Sic enim hanc ſententiam etiam Auguſtinus enarrat.

Sed ſunt quidā ex vobis, qui nō credunt. Quaſi dicat: Non duricies ſermonis eſt occaſio veſtri ſcandali, ſed incredulitas quorundam veſtrum, per quam non eſtis capaces ſenſus verborum meorum. His ergo verbis Dominus rurſum ſuam diuinitatem oſtendit, per quam potuit reuelare occulta. Vnde hoc apertè ſignificaturus Ioannes ſubiungit.

Sciebat enim Ieſus, non tum primum, ſed etiā ab initio conuerſationis ſuæ cum diſcipulis, qui eſſent in turbā omnium diſcipulorum credētes, & quis inter duodecim traditurus eſſet eū. Vnde & Iudas hic ſignificatur tunc non ſatis credidiſſe in Ieſum. Reddita cauſa quare Chriſtus aſſerere non dubitauit quoſdā non eſſe credentes etiam ex diſcipulis, Ioānes redit ad verba Domini, quibus ſua interpoſuerat. Et dicebat, inquit, propterea quia ſcilicet ſunt quidam veſtrum, qui non credunt, & ob id non recipiunt mea verba, *Dixi vobis* paulo ante *quod nemo poteſt, &c.* Significat ergo & fide opus eſſe, & eam à patre petendam, ac expectandam.

Ex hoc multi diſcipulorum eius abierunt retro. Ex hoc ſcilicet tempore. Illud autem *abierunt retro*, ſimpliciter exponendum eſt per deſciuerunt ab eo, nec amplius more ſolito illum ſequebantur. Sequitur enim quod hūius veluti eſt expoſitio. *Et iam nō cum illo ambulabant.* Itaque Dominus cōuerſus ad duodecim dixit: *Num & vos vultis abire?* Quærit autē iſtud cum ſciret eorum voluntatē: tum vt oſtenderet ſe non indignatū illis, qui ab eo deſeciſſent, quaſi ignominia ab eis affectus; tum vt ſignificaret ſe non indigere eorum ſequela, ne putarent ſe facere gratiam, quod alijs relinquentibus, ipſi permanerent. Itaque Petrus, tum quod ardentioris eſſet ſemper fidei, tum quod ſolitus eſſet omnium nomine reſpondere, pro omnibus loquitur, idem de Chriſto alios omnes ſen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tire existimans, quod ipse sentiebat.

Domine, inquit, *ad quem* ire poterimus derelicto te, qui nos viâ salutis melius quam tu docere possit? Tu enim solus habes verba, quæ vitam æternam conferre possunt credẽti, & suscipienti. Quibus verbis significat se agnoscere post Dominum nullum esse Magistrum secundum illi, significat item se non, vt turba illa, terrena quærere, sed tantùm doctrinæ cœlestis esse cupidum. Etsi autẽ non est verisimile Petrum tum prædicta omnia de manducanda carne, & bibendo sanguine Domini intellexisse, cum ignorauerit adhuc mysterium Crucis: tamen certissimè credidit vera esse, quæ dicebantur, quod persuasus esset ipsum Iesum verum esse Christum. Vnde sequitur: *Et nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei viui*; significatur ergo quod iamdudum crediderant (nã Græcè est credidimus πεπιστευκαμεν) & persuasi essent. Additur autem in Græcis, & apud Augustinum, *viui*, scripturæ more. Nam hoc epitheto scriptura Deum verum separat à mortuis idolis.

Respõdit ei Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis, &c. Dominus corrigere volens Petri responsionem, atque ostendere non omnes hoc credere, quod ille putauit eos credere & ob id non sine causa interrogasse num & ipsi vellent abire, subiecit: Nonne ego vos duodecim elegi, &c. Quibus verbis etiam significat non mirum esse si ex discipulis quidam abirent retro, cum etiam inter Apostolos inueniretur vnus incredulus. Nam & Aug. & Beda in ea videntur fuisse sententia, vt putent Iudam fuisse malum etiam eum vocaretur ad Apostolatum: quamuis hanc sententiam reiiciat Lyra, sed non efficacibus rationibus. Est autem verisimile Dominum vocasse Iudam Satan vel Diabolum, non quomodo postea Petrum vocant Satanam dicens, vade post me Satana, hoc est, tu qui mihi in his quæ Dei sunt aduersaris: sed quomodo hæc nomina appropriantur per antonomasiam dæmoni, hosti humani generis, vt nomine capitis Dominus vocauerit membrum eius, sicut intelligunt Gregorius, & Cyrillus. Itaque diabolum vocat Iudam, quia diabolicum & Satanicum hominem.

Iudae quo modo Diabolus appelletur.

Finis secundæ partis Commentariorum, quæ continet explanationem capitum Concordiæ vigintiquatuor; hoc est Acta Christi à secundo Paschate vsque ad tertium, Acta scilicet secundi anni prædicationis eius.

COM-

COMMENTARIORVM IN CONCORDIAM EVANGELICAM.

PARS TERTIA.

Continens acta tertij anni Christi vsque ad resuscitationem Lazari.

Reprehenduntur Pharisæi discipulos calumniantes quòd illotis manducarent manibus. Matt. 15. Marci 7. CAPVT LX.

POST hæc autẽ ambulabat Iesus in Galilæa, non enim volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Et ‹ille› † accesserunt' ad eũ ▷ pharisæi, & quidã de scribis venientes ab Hierosolymis. Et cũ vidissent quosdã ex discipulis eius cõmunibus manibus, id est nõ lotis, manducare panes vituperauerunt. Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenẽtes traditionẽ seniorũ: & à foro nisi baptizẽtur, nõ comedũt: & alia multa sunt quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicũ & vrceorũ & æramentorũ & lectorũ. Et interrogabat eũ Pharisæi & scribæ, dicẽtes: Quare discipuli tui † nõ ambulãt iuxta' traditionẽ seniorũ: non enim lauãt manus suas cũ panẽ mãducant. ▷ Ipse autẽ respondẽs, ‖ait illis': Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Hypocritæ, bene prophetauit Isaias de vobis hypocritis, dicens, sicut scriptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. ‖In vanum' autem me colunt, docentes doctrinas & † præcepta' hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata vrceorum, & calicum, & alia similia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritum feciſtis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Moyses enim † [&] Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem tuã, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autẽ dicitis: ▷ Si dixeris' homo patri vel matri, Corban, quod est donum, quodcunq; est ex me, tibi ‖profueris, & vltra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri: & nõ honorificabis patrem suum aut matrem suam, & † irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem vestram quam tradidiſtis, & similia huiusmodi multa facitis. Et ▷ aduocatis' ad se iterum ‹‖ turbis, dixit ait': Audite me omnes & intelligite. † Nihil est extra

† *conueniunt.*
▷ *ab Hierosolymis scribæ & pharisæi.*
† *transgrediũtur*
▷ *At*
‖ *dixit*
‖ *sine causa.*
† *nõ data.*
† *nam*
▷ *Quique dixerit.*
‖ *proderit*
† *rescindẽtes verbũ*
▷ *ad uocans.*
‖ *turbam dicebat illis.*
† *Non quod intrat in os coinquinat homĩnem, sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem*

hemi-

hominem ingrediens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem'. ᵇSi quis habet aures audiendi, audiat. Et cùm introisset in domum a turba ᵃ tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. ‖ *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* [*Et*] ᵇ *interrogauerunt eum discipuli eius parabolam.* ᵃ *Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.*

C.6.43.

‖ᵇ.*Et ait.* ‖ᵉ *At ille dixit'* ᵇ *illis: Sic* * *adhuc* ᵉ *&* † *vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne* ᵇ *extrinsecus introiens in hominem* [*&*] * *quod*

†ᵇ.ᵒ. *imprudentes estis, non intrat in os,* ᵇ *non potest eum communicare, quia non intrat in cor eius,*

▷ᵃ.*exit* *sed* ᵃ *in ventrem vadit, & in secessum* ▷ *exit'* ᵇ *purgans omnes escas?*

titur *Dicebat autem quoniam* ᵉ *quæ* ★ ᵇ *de homine exeunt, [&]* ᵉ *procedunt* †ᵃ.*autem* *de ore, de corde exeunt, &* ‖ *ea coinquinant hominem.* ᵇ *Ab intus*

‖ᵇ. *illa* ᵉ *enim* ᵉ *de corde* ★ ᵇ *hominum* ᵉ *mala cogitationes* † *procedunt': adul-*

municãt. *teria, fornicationes, homicidia, furta,* ᵉ *falsa testimonia* ᵇ *auaritiæ,*

★ᵉ.*enim* *nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus,* ▷ ᵉ *blasphemia,* ᵇ *superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & hæc sunt*

†ᵉ.*exeũt.*

▷ ᵉ *blas-* *quæ* ᵉ‖ *coinquinant' hominem:* ᵉ *non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.*

phemia.

‖ᵇ.*cõmunicant.* *Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæa, &c.* Verbum Ambulare accipiendum est pro conuersari, vt quod hic dicit Euangelista. Post hæc ambulabat Iesus in Galilæa, perinde sit, atque perstiterat adhuc in ea conuersari: nã alioqui iampridem in ea fuerat conuersatus. Cum enim sequitur *Quia querebant eum Iudæi interficere.* Non videtur id Ioannes dixisse propter necem, quã parabant Domino Iudæi in Paschate mox præcedente, sed eam quam describit in capite quinto, occasione paralytici sanati in Sabbatho.

Et tunc accesserunt ad eũ Pharisæi, & quidam de Scribis, &c. Cum enim in Galilæa manere Dominum viderent Scribæ & Phariszi Hierosolymitani, *veniunt è Iudæa in Galilæam*, nõ vt discant, sed vt calumnientur eum, quem iam audierant tanto vulgi fauore recipi, atque prædicari. Benè ergo hos calumniatores scribunt Euangelistæ, non tantùm fuisse Pharisæos, & Scribas, sed etiam fuisse Hierosolymitanos, atque à Hierusalem descendisse in Galilæam, vt ea duplici nomine exaggeratent horum impietatem: nimirum quod & Hierosolymitani essent, & ob id iustiores, ac doctiores habiti, eo quod Hierusalem fons pietatis, ac doctrinæ haberetur: & quod à Hierusalem descendissent, tantum viæ non dubitantes aggredi calumniandi causa.

Et cùm vidissent, inquit Marcus, *quosdam ex discipulis eius. Cõmunibus manibus*, i. nõ lotis mãducare panẽ, vituperauerũt. Expositionem autẽ Marcus ipse, quid sit cõmunibus manibus, eo quod hæc locutio

tio propria fuerit Iudæis. Hi enim cœperunt vocare commune, quod nos prophanum aut immundum appellamus. Quoniã enim nõ omnibus indifferenter vescebantur, sed quædam eis separata erãt in cibum quibus tanquam sanctis, & sacris vescebantur: hinc per Metalepsin commune dixerunt, quod prophanum est, & immundum. Porro Pharisæi pleraque circa lotiones statuerunt, non quatenus faciebant ad ciuilem quandam mundiciem, sed quia putabant ea habere aliquid momenti ad pietatem & sanctitatẽ. [Quoniam enim lex ex varijs contactibus, & accidentibus statuit cõtrahi immunditiam, eamque lotionibus purgari, & Dominus in lege toties ad sanctitatem & munditiam Iudæos hortatus fuerat dicẽs: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, & lauamini, mundi estote, &c. Hinc ne forte inscij in congressu, ex aliquo contactu immunditiam contraxissent; Pharisæi etiam à lege non præceptas lotiones diuersas, vt habet Marcus, induxerunt.] Peculiariter autẽ lotionem manuum ante cibum, & inter edendum frequentem, ac eorum vasorum, quibus vsus erat inter edendum superinduxerũt: quia metuebant ne ex horum immunditia cibus etiam polluerẽtur, aut nõ satis mundè sumeretur, quem iussi erant mundum mãducare; atque ex polluto cibo, vel non satis mundè sumpto etiam amplius coinquinarẽtur, & Deo abominabiles fierent. Nam hanc rationem eos mouisse satis patebit postea ex verbis Saluatoris. Discipuli autem eiusmodi constitutiones negligebant, vt qui à Domino docebantur ea, quæ veræ pietatis essent, quorum cura, & studio non libuit illis intentos esse Phariseorum traditionibus, quas à Domino nõ didicerãt; imõ quorũ neglectum ab eo didicerãt satis verbo, & exẽplo. Itaq; hoc videntes Pharisæi, & Scribę, eũ discipulis non expostulant, sed velut in graui facinore Dominum ipsum adoriuntur, & in illum torquere volẽtes totam suam calumniam, *Cur*, inquiũt, *discipuli tui*, qui te sequuntur, & ex tua pendent institutione *transgrediũtur traditionem seniorum*? Sic enim legendum est non pluraliter traditiones; nam de vna traditione quæstio erat. Notandum autem quod non dicanti

Non enim lauant manus suas antequam panem manducent, sed cũ panem manducant. Traditio enim Seniorum non tantum exegit ciuilem illam ablutionem manuum, quæ passim fit ante prandiũ & cœnam, sed crebram etiam inter mandicandum. Vnde Marcus dicit Pharisæos, & Iudæos non manducare nisi crebrò lauerint.

Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini, &c. Clauum clauo retundit Dominus. Si enim discendi causa petiuissent rationem facti discipulorum: vtique Dominus eam illis aperuisset, verum quoniam criminando, & inuehendo in Dominum dicunt, Quare, ideo prætermissa causa ob quam discipuli hoc facerent, retorquet calumniam in calumniatores, simili modo eos crimi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minans, sed non simili affectu. Testimonium autem quod profert desumptum est ex cap. 29. Isaiæ, & citatum hic more solito magis secundum translationem 70. quam Hebraïcam veritatem. Prima ergo huius testimonij parte Dominus significat notatam illorum hypocrisin, & rectè se eos vocasse hypocritas, eo quod zelo iustitiæ videri vellent calumniari discipulos, cum tamen iustitię nō essent ex animo studiosi.

Populus, inquit hic, *labijs me honorat*, quia me Deum, & Dominū omnium creatorem, & id genus similia prædicat, *cor autem eorum longè est à me*, quia corde suo longe diuersa à mea voluntate cogitat, desiderat, & amat. Sequenti vero testimonij parte Dominus significat notatam horum præposteram, & vanam religionem.

In vanum, inquit, *colunt me*, non solum facientes, sed etiam *docentes doctrinas*, quæ sunt mandata hominum. Illud autem in vanum potest accipi dupliciter. Aut vt sit sensus; in vanum hoc est, frustra colunt me, quia non assequuntur finem, & fructum cultus mei. Aut vt significetur vanum, & friuolum esse cultum illorum, quo Deum colebant, quia non in rebus illis consistebat, in quibus oportebat. Atque hunc sensum satis significat quod verbum Græcum μάταν vertit Interpres in Matthæo, sine causa. Cultus enim vanus est, qui rationabili caret causa. Vnde apud Marcum in declarationem testimonij infertur.

Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominū. Vbi Dominus non culpat eos, quod tenerent traditiones hominum: sed quod hoc facerent relictis Dei mandatis.

Et dicebat illis; Benè irritū feciſtis præceptum Dei propter. &c. Postquam dixit Dominus eos, præposterè esse religiosos, vt qui posthabitis Dei mandatis studiosi essent inanium mādatorum, ostendit iam, quod in primis eis obiecit etiam impiè esse religiosos, vt qui docerent mandata hominum non à senioribus accepta, sed ab ipsismet instituta, quæ contraria essent mandatis Dei. Quod cum in multis faceret, tamen commodè declarat in mandato, quo præcipitur honorandos parentes, quod primum est inter ea, quę sunt ad proximum, & proximum his, quæ sunt ad Deum. In primis ergo ipsum ponit Dei mandatum.

Honorare parentes quid sit.

Deus, inquit, aut vt habet Marcus *Moyses* quia Deus per Moysen dixit; *honora Patrem, & Matrem.* Vbi notandum verbo honorandi non tantum præcipi reuerētiam illam, quę in verbis, & exteriore gestu consistit, sed etiam, vt filij de parentibus præclarè sentiant, eisq; nihil contra Deum aliquid iubeant, obediant, eorum etiam vitam, honorem, dignitatem omnibus viribus defendāt, & eisdem in omnibus periculis, in egestate, in senio, in aduersa valetudine, quibuscunque possunt remedijs, opibus, consilijs, consolationibus subueniant. Subsidium enim Hebraicus sermo honorem vocat. Vn

Vos autē dicitis, Si dixerit homo Patri, vel Matri, Corbā, &c. Huius Pharisaicæ legis ex variis interpretationibus duæ sunt præcipuæ, quæ præsenti loco, & intentioni Saluatoris benè conueniunt. In primis autem certum est hic esse ἀνακόλουθον, hoc est reticentiam. Dominus enim initium ponit Pharisaïcæ legis, sed eam non absoluit. Non tamen obscurum est, quid reticeatur, nempe rectè facit, aut legi satisfacit. Iam etiam certum est hac lege Pharisaica doceri quomodo filij parētibus egētibus, & subsidiū à filijs postulātibus, respōdere debeāt, & possint petitū sine crimine, imò piè, & religiosè negare. Id vero dupliciter intelligi potest. Primò vt illa verba. *Munus quodcunq; est ex me, tibi proderit:* Sint verba filij cum indignatione reijcientis parentum petitionē in hunc sensum: Si quid petierint parētes egeni à filijs, vos dicitis eos rectè facere si dixerint suis parentibus: Munus offerte Deo decreui, an vis vt illud posthabito Deo, cui dedicatum est, & consecratum, in tuos vertatur vsus? Aut sine interrogrtione conquerēdo in hunc modum: Pater, tam es petax, vt quidquid etiam Deo eram oblaturus, in tuos cedere vsus debeat. Itaque fit, vt parentes rem filij, quasi sacram reuerēti abstineant ab ea, atque sic indigentia conficiātur. Secundò, melius accipi possunt illa verba, nō cum indignatione prolata, sed vt hūc habeāt sensum: donum quodcunque in cultum Dei cōtuleto, etiā tibi proderit, quia illud ex animo conferam, vt eo non minus te, quam me ipsum adiuuare, & Deū propitium tibi reddere velim. Præterquam enim quod hic sensus maximè ipsis verbis conuenit, etiam ipsum comprobat, quod apud Marcum sequitur: *Et vltra nō dimittitis eū quicquā facere Patri suo vel matri.* Quo satis significatur filios doctos hactenus honorare, & iuuare suos parentes, vt eos participes facerēt suarum oblationū. Illud autem quod legitur in Matthæo; *Et nō honorificabit, &c.* Non debet accipi, vt sint adhuc verba pertinentia ad legem Pharisaïcam, sed sunt verba Domini quibus significat filium secundum præcedentem legem Pharisaïcam facientē ab honore, hoc est subsidio parentibus debito impediri. Correspōdent enim illa verba in Matthæo, illis quę dicuntur in Marco: *Et vltra nō dimittis eū quicquā facere, &c.* Itaque sensus est: Et filius huic traditioni vestræ obediens, non honorificabit parentes, sicut ei à Deo est præceptum. Et quod sequitur in Matthæo.

Et irritū feciſtis mandatū Dei, &c. Illatiuè intelligendū esse subiūctum, vt sit sensus. Et per hunc modum irritum feciſtis, &c. Dicuntur autē irritum fecisse mandatum Dei, quia suis traditionibus inualidam, & infirmam reddidetunt legem Dei, vt non haberet suū pondus, & vigorem, quem deberet. Porro Corban dictio est Hebraïca, significans, vt & Marcus vertit, donum, aut oblationē, quē. admodum sæpe eam dictionem in Leuitico vertit Hieronymus. *Corban.*

Et aduocatis ad se iterū turbis dixit eis, &c. Postquam redarguisset

Dominus Pharisæos, & Scribas, quēmadmodū erant digni, eis neglectis rationē facti suorū discipulorū aduocata ad se turba, cœpit reddere. Non simpliciter autem turbam ad se vocat, sed quoniam dogma excelsum, & à consueta Pharisæorum doctrina alienum turbis propositurus erat, prouocat eos ad diligentē animaduertionem, & expensionem dicēdorum. *Audite*, inquit *me omnes*, & quæ audieritis etiā intelligite. Vbi emphasi non caret quod dicit me, & omnes, vt est apud Marcum. Per me, enim significat se potius, quā Pharisæos audiendū, per omnes, significat se de re attentione digna, & omnibus vtili locuturum. Itaque quoniam Pharisei in duobus peccabant nimirum quod suorum Seniorū traditionibus seruolis nimis inhærerent, ac Dei interim mandata, quæque potiora erāt negligerēt: Dominus priore parte suę sentētię reselli Pharisæas illas lotiones, secūda vero parte docet, quæ potius velut coinquinatiua hominis sint obseruāda, & reputāda. Primò ergo dicit:

Non quod intrat in os coinquinat hominem. Vel vt est apud Marcum, Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare. Ex quibus verbis, dictis procul dubio à Domino ad refutationem Pharisaicarum lotionum, patet quod primus dictum est, Pharisæos crebras illas lotiones, quas ante cibum, & inter manducandum obseruabant, & requirebant, obseruasse ea persuasione, quod putauerint cibum pollui manibus illotis contrectatum, sicque pollutum cibum, etiam hominem apud Deum pollutum reddere. Alioqui enim hæc verba Domini nihil facerent ad refutationē Pharisæorum. Nunc autē apertè ad hoc facit, cum dicens generaliter cibum nullum qui intrat in os coinquinare hominem, significet, vt & post concludit, nec cibum illotis manibus sumptum coinquinare. Secunda autē Dominicę sentētiæ pars est.

Sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, &c. Quibus verbis sicut non voluit Dominus significare omne hoc coinquinare, quod procedit ex ore, cum ex ore procedant sputa, procedant & bona, ac salutaria verba: ità nec voluit id tantum coinquinare hominem, quod ex ore procedit; cum & cogitationes malæ, & opera mala hominem contaminent. Sed eo loquendi more vsus est Dominus, vt contrariam sententiam opinioni Pharisęorū efferret. Illi enim quod intrat in os coinquinare dicebāt, Dominus cōtra ea potius, quę ex ore procedunt, quanquā nec omnia, nec sola. Apud Marcum autem, qui oris nullam facit mētionem, sed pro ore semper ponit hominem, generaliori ponitur sententia.

Quę de homine, inquit, *procedunt, illa sunt quæ communicāt hominem*. De homine enim procedunt & cogitationes, & operationes malæ. Rursum autem Dominus post hanc sententiam pro suo more ad expensionem dicti eius, quod non omnes capiebant, prouocans, subijcit: Si quis habet aures audiendi, audiat.

Tunc

Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei: Scis quia, &c. Cum prę dicta à Domino audissent Pharisæi, nihil quidem apertè sunt ausi contradicere Domino, quia vehementer eos conuicerat; sed in se ipsis indignatione repleti sunt, & forte etiam indignationem ex tertiotibus quibusdam signis demonstrauerunt. Vnde discipuli signa indignationis animaduertentes, aut ex seipsis conijcientes indignationem, & offensionem Pharisæorum, quandoquidem & ipsimet discipuli in dictis verbis Christi nonnihil fuerunt turbati, vt ex eorum interrogatione satis patet, adeunt Dominum dicentes:

An scis Pharisæos audito hoc sermone scandalizatos? hoc est, offensos? Quod quærunt non quod planè putarent Dominū hoc ignorare, aut nō tam ipsum hoc obseruasse, quam seipsos: sed tū quod mirarentur Dominum, qui toties inculcauit scandala proximorū esse vitanda studiosè, ea dixisse vnde alios scandalizandos non posset dubitare: tum quod & ipsemet nonnihil scandali passi essent, vnde liberari optabant. Itaque Dominus audiens discipulos Pharisæorum curam gerentes, ac pro se, eiusque honore sollicitos, docere volens quandoque scandalum quorundam fortiter esse contēnendum: nimirum, cum quidam obstinate peruersi, ex prædicatione veritatis, aut factis planè diuinis scandala sibi faciunt, hoc est, occasiones alienandi se à veritate, & persequendi veritatē, aut lustitiam desumunt, respondit in hunc modum: *Scandala quando contemnenda.*

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, &c. Per plantationem non plantatam à Deo intelligens reprobos, aut reproborum collectionem, qui etsi sint à Deo in hoc mundo creati, & constituti, dicuntur tamen hic non plantati à Deo, quia non ad vitam æternam prædestinati, & præparati, vt fructus Deo dignos proferant. Iusti autem per diuinam prædestinationem, & gratiam vocationis, ac Iustificationis plātati sunt à Deo ad vitam æternam iuxta illud, Plātati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt. Tales non erant hi Pharisęi, vnde & eradicandos dicit, hoc est perdendos, & ex hoc mundo extirpatos reijciendos a Deo tanquam inutiles, & desperatas plantas in perditionem æternam: ac ob id significat indignum esse magnam rationem offensionis eorum habere. Quid enim oportet curare ne illi scandalizentur, & impingant, qui etiam sunt eradicandi? *Psalm. 91*

Sinite illos cæci, sunt & duces cæcorū, id est, Omittite illorum curā agere, & scandali eorum rationem habere, eo quod desperati sint, & omnino eradicandi. Nam infertur istud ex precedenti sententia. Porro quod sequitur.

Cæci sunt, & duces cæcorum. [Græca paulo aliter, & festiuius habēt ὁδηγοί ἰσι τυφλῶν τυφλοί, id est, duces sunt cæci cæcorū, & est sensus; Ipsi cū sint cæci, duces tamen cæcorū se pollicētur. Quod si legatur coniunctio, &, hunc oportet sensum intelligere, Cæci

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt, & tamen duces cœcorũ. Per hoc autem quod dicit ipsos esse duces cœcos, videtur intelligendum eum significasse, desperatos eos esse nec fieri posse vt non scandalizentur ex prædicatione veritatis, & ob id scandalum eorum nihili faciendum. Quoniam enim cœci erãt, non poterant etiam apertam veritatis lucem conspicere, nec mirum quod etiam in luce offenderent, quemadmodum corporaliter cæci facile in die impingunt, non ex lucis defectu, sed proprio vitio. Verum si tãtum cœci fuissent, & cœcitatem suam agnoscentes illum accessissent supplices, qui solus potest cæcis visum restituere, sanabiles fuissent. Nunc autem putantes se videre, & cœcorum etiam duces se esse profitentes, nec agnoscẽtes se alterius ducatu indigere: facti sunt planè desperati, nec aliud de eis expectari potuit, quàm vt se cum suis spectatoribus præcipitarent in foueam æternæ damnationis, & seruitutis præsentis.

Respondens autem Petrus dixit ei: edissere nobis, &c. Postquã intellexerunt Apostoli non habendam curam scandali Pharisæorũ, sui curam habent: atque vt à propria turbatione liberarentur, petunt sibi explicari sermonem prædictum, quem etsi nudus esset, & apertus, tamen parabolam vocant, eo quod putabant sensum aliquem reconditum, & alium ab eo, quem verba præ se ferebãt, sub eo latere. [Quoniam autem discipuli Parabolam putauerunt Domini sermonem, cum tamen nudè esset accipiendus, nec intelligebant veritatem sermonis si nudè accipiatur, & propriè:] Hinc Dominus reprehendit eorum tarditatem dicens;

Adhuc etiam vos estis sine intelligentia? Qui tanto tempore versati in lumine doctrinæ meæ, & familiarius à me edocti in quibus rebus verè sita sit hominis puritas, meritò præ alijs deberetis intelligere sermonem meum non esse Parabolam, sed nudè acceptum verum esse. Nec tamen dedignatus est Dominus explanationem sermonis sui subiungere dicens apud Matthæum sic:

Non intelligitis quia omne quod intrat in os, in ventrem, vadit, & in secessum emittitur? Nullus enim cibus est, qui non secundum aliquam sui partem, imò maiorem vadat in ventrem, & in secessum emittatur. Quamuis autem sciret Dominus cuiuslibet cibi aliquã partem, non descendere in ventrem, nec eijci, sed manere in homine: tamen nulla facta mentione eius partis ciborum quæ conuertitur in corporis naturam, tantùm dicit cibum sumptum emitti in secessum, quod hoc modo rudibus apertius ostenderet cibum non coinquinare, cum nihil cibi cor hominis (à cuius solius pollutione coram Deo homo pollutus reputatur) ingrederetur, & id quod est immundi in cibo per secessum eijceretur. Vnde apud Marcum additur, *Purgans omnes escas*, hoc est, hac sui eiectione separãs quidquid in omnibus cibis est immundũ à puris, quæ in corpore

pore remanent. Itaque hac additione significat tantum abesse vt cibus possit hominem coram Deo coinquinare, vt etiam natura per excrementa reijciat, quod impurum est, seruata tantum puriore materia. Declarata autem prima suæ sententiæ parte declarat & secundam;

Quæ inquit *de ore procedunt*, vel vt habet Marcus, quę de homine exeunt, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem; significans omnem hominis pollutionem coram Deo pendere ex corde, quod per multa declarat Dominus exempla, non tantum enumerans, quæ ex ore procedunt, sed & cogitationes, & facta mala. Plura autem enumerantur apud Marcum nempe, *auaritia, nequitia*, id est, malitiæ, *dolus, impudititia varie*. scilicet extra naturalem concubitum, *oculus malus*, hoc est, Inuidia. Porro per blasphemiam significatur sermo derogans diuino honori, aut potius quoduis conuitium siue in Deum, siue in homines. Per stultitiam vanitas, & perulãtia quæuis, aut peculiariter stultiloquium. Concludit autem Dominus post enumerãtionem quorundam, quæ hominem coinquinant;

Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem, Significans, & quorsum, & qua intentione dixisset prius, quod intrat in os non coinquinare, ne putarent ea in derogationem legis Mosaicæ esse potissimum dicta, quemadmodum superiùs est annotatum.

Sanatur filia Chananæa. Matt. 15. Marci 7.

CAPVT LXI.

[illegible] Tinde surgens, * & egressus inde Iesus, † secessit in partes Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. * ‡ Ecce ▷ ᵇ enim ᶜ mulier * Chananæa a finibus illis egressa ᵇ statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, * clamauit dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid. Filia mea malè a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. At illa * ‡ venit' & ▷ adorauit eũ', (ᵇ erat enim mulier gentilis Syrophœnissa genere) & rogabat eum, vt dæmonium ejiceret de filia eius. * ‡ dicens: Domine ad iuua me. * Qui * respondens ‖ * ait ᵇ illi: Sine prius saturari filios. * Non est ᵇ enim ᶜ bonũ sumere panẽ filiorũ, & mittere canibus. At illa ᵇ respõdit & * † dixit ᵇ illi: * ▷ Vtique Domine: nam & catelli ‖ comedunt ᵇ sub mensa * de micis, ᵇ puerorũ * quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tũc respondens Iesus * * ait illi: *

† ᵇ. abijt in fines. ‡ ᵇ. & ▷ ᵇ. mulier enim † ᵇ. ᶜ. intrauit ▷ ᵇ. prodit ad pedes eius ‖ ᵇ. dixit † ᵇ. dicit ▷ * *. etiam ‖ * *. adũs

illi: [a] *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* [b] *Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filia tua.* [a] *Et sanata est filia eius ex illa hora.* [b] *Et cùm abijsset domum suam inuenit puellam iacentem super lectum, & dæmonium exijsse.*

Et inde surgens, & egressus inde Iesus secessit, &c. Quoniã Iudæi offensi his, quæ Christus salutaria docuit, indignos se illis faciebant, & iam tempus appropinquaret, quo regnum Dei ab eis transferretur ad Gentes: ideo Dominus relictis Iudæis secessit in partes Tyri, & Sidonis, hoc est, loca illis ciuitatibus Gentilium vicina; hac loci mutatione significans, quàm sitiret etiam Gentium vocationem, pertæsus infidelitatem Iudaïcam, & veluti præsagium quoddam ædens, eius quod post erat futurum. Hæc enim præcipua videtur fuisse ratio huius secessus Domini in has partes; quanquam & ideo videri potlit secessisse, vt aliquandiu cum suis quiesceret. Ideo enim videtur Marcus dixisse, *ingressus domum neminem voluit scire.* Quanquam & alia sit ratio eius, quod neminem voluit scire, videlicet ne videretur eo animo venisse, vt cõtra quàm Apostolis præcepit Gentibus prædicaret, & palam miracula apud eas faceret: qua re Iudæi occasionem desumere potuissent dicendi se iustè illum non recipere qui cum prophanis Gentibus haberet cõmercium. Voluit ergo iam neminem scire, quia tanquam homo fecit, vt lateret, quantũ in ipso erat, ingrediẽdo scilicet domũ, nec palam se manifestando; ac suis silentium præcipiendo. Et tamen non sine voluntate eius diuina factũ est, vt à multis propalaretur, & mulier hæc ipsum accederet supplicatura. Sic & cum dicitur: *Non potuit latere.* Non vult Euangelista absolutè potentiam latendi negare in Christo, quandoquidem absoluta potentia; & diuina variis modis latere potuisset: sed significare eum non potuisse latere, per ea omnia, quæ fecit vt lateret.

Ecce enim mulier Cananea a finibus illis egressa. Mulierem hanc quam Matthæus Cananeam vocat, Marcus dicit fuisse Gentilem, & genere Syrophœnissam. Vbi pro Gentili Græcis est ἑλληνίς, hoc est Græca. Sed Græca dicitur Marco, non quod patria, aut genere esset Græca (sic enim non fuisset Cananea, nec Syrophœnissa) sed pro consuetudine loquendi ipsorum Iudæorum, qui priden cœperant omnes Ethnicos, & quotquot à religione Iudaica essent alieni vocare Græcos, vt passim pater ex Actis, & Pauli Epistolis. Chananea autem dicitur, quia ex posteritate Chanaan erant gentium illæ reliquiæ, quæ in terra Israël atque vicinia reliquæ factæ fuerant, vnde & tota illa terra prius dicebatur terra Chanaan. [Inter cuius Chanaan filios vndecim, quorum posteritas terram illam habitauit, filius primogenitus fuit Sidon, vt patet Gene. 10. qui ciuitati Sidon antiquissimæ, & celeberrimæ nomen dedit: ex cuius

cuius finibus dicitur hic venisse mulier ista. Dicitur autem Syrophœnissa, & non solùm Phœnissa, quia quædam Phœniciæ pars dicebatur Syrophœnicia, & eius habitatores Syrophœnices, à quo loco etiam hæc Syrophœnissa dicta est, vel vt quidam habent Græci libri Syra Phœnicissa, per diuisionem.] Porrocum historia hæc in se satis sit aperta, obseruandæ in ea tantùm ad nostram instructionem multæ huius mulieris virtutes, & Domini erga eam dispensatio. Et imprimis quidem animaduertenda in hac muliere pietatis virtus erga filiam. Adeo enim, vt dicebat veram matrem, tenebatur amore filiæ, & cura eius, vt indignitatis suæ licet cõscia, tamen non dubitaret Dominum accedere, ac clamore constanti illum palam prosequi nequaquam desistens, etsi frequenter passa repulsam, adeo etiam vt filiæ miseriam suam duceret. Vnde non dicit, *Miserere filiæ meæ*, sed mei. Et postea: *Domine adiuua me.* Quibus verbis significat quam male ipsam haberet filiæ calamitas. Secundo obseruandum, idque potissimum in hac muliere, quam insignis, & admiranda fuerit fides, Christi etiam testimonio singulariter comprobata. Credidit enim Iesum esse filium Dauid, hoc est, Messiam, & Saluatorem à Iudæis expectatum. Credidit in manu eius esse, ac item vlle salutem afferre etiam quibuslibet, & quãtumuis indignis. Credidit omni dæmoniaca virtute eum esse superiorem, neque oratione illi, & precibus opus esse putauit aliquo tum more, vt filiã sanaret, sed potestate illũ hoc efficere posse, idque absentem. Vnde non dicit: Ora Deum tuum pro me aut descende ad filiam meam, sed tantum, adiuua me. Credidit iam abnegato omni patrio dæmonum cultu, hunc vnicum esse hominum Saluatorem datum diuinitus. Iã ex magnitudine fidei huius secura est in ipsa etiam animaduersione digna fiducię magnitudo & constantia. Quoniam enim eam habuit de Domino fidẽ, quam diximus, hinc egressa ad eum, opem eius implorauit, omnino confidens se eam obtenturam, idque adeo certò, vt ab hac fiducia dimoueri non potuerit, neque primum Domini silẽtio, neque mox responso dato discipulis, quo esse in totum gentibus videbatur negare, neque denique responso sibi dato, quo gratiam suam saltem in præsens nondum saturatis filijs negare videbatur. Nec dubium quin hæc & fidei, & fiduciæ magnitudo fuerit in ea ex persuasione Spiritus, & attractione, ac reuelatione Patris, in hac gentili iam id incipientis, quod mox passim in gentibus erat operaturus. Postremum obseruanda in hac muliere patientissima humilitas, qua indignitatis suæ consci a non indignabatur & se toties reij ci ab eo, qui ram facilem se alijs præbuerat semper, & se canibus comparari, quin potius se humiliter catellam agnoscens, tantum petijt beneficium canibus debitum, & conueniens impendi sibi. Quod autem Dominus paratissimus alioqui, & cupidissimus præstandi

Universidad de Deusto
Biblioteca

standi desideratam à se salutē, toties tenuit exaudire mulierem, aut potius distulit: duplicem habet causam. Alteram ne fugi haberent occasionem calumniandi ipsum tanquam gentium fautorem, quas abominabantur. Alteram vt ipsa repulsione, & dilatione virtutes huius mulieris & magis, magisque accenderetur, & omnibus fierent manifestæ. Ob has ergo causas Dominus & primum non respondit ei verbum, & secundo discipulis partim misericordia moris, partim impatientia clamoris, respondit:

Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Vel vt habent Græca, ad oues perditas domus Israel. Quæ sententia dupliciter accipi potest: Primum vt sit sensus, Nō sum missus corporali præsentia nisi ad oues, &c. Alludit autem Dominus ad præceptum olim datum Apostolis. Secundo intelligi potest Dominum sic dixisse, quomodo in sermone qui dicitur in monte, protulit testimonia scripturæ in eum sensum, in quem ipsi Pharisæi accipiebant. Sic enim omnes Christum expectabant, quasi soli Israeli mittendus esset. Ob prædictas item causas, etiam tertiò mulieri causam suam agenti post repulsam precem Apostolorum respondit; *Sine prius saturari filios*, doctrina scilicet mea, & miraculis.

Non est enim bonum, hoc est, non est honestum, nec decorū (Græcè enim est καλὸν) *sumere panem filiorum, & mittere canibus*, vel vt habent Græca proijcere catellis. Significat autem Dominus per filios, Iudæos; per canes, Gentiles ob Idololatriæ & peccatorū sporcitiem. Loquitur tamen hæc magis pro publico Iudæorum affectu, quam suo. Nam apud se mulier hæc fide iustificata non canis erat, sed filia Abrahæ. Iudæi verò se solos Deo charos, & sanctos iudicabant, cæteros omnes canum loco habebant.

At illa respondit, Et dixit illi: Vtique domine, hoc est, verè Domine sic est vt dicis. Nam catelli tantum edunt de micis puerorum cadentium è mensa. Qua responsione significat se agnoscere Iudæos esse filios & Dominos suos, se verò esse vilem catellam, significat item & se non petere aliud beneficium, quam canibus suo iure cōperatur: ac hoc ipsum, quod peteret, non esse nisi veluti micam eorum miraculorum, quæ in Iudæorum gratiam Christus operari posset. Verba ergo hæc plena sunt humilitate, modestia, fide, ac prudentia. Itaque Dominus his verbis se quantumuis prius variis rationibus reluctantem, superatū significans dicit, vt est apud Marcum; *Propter hūc sermonem vade, &c.* Ac rursum significās se prius dissimulasse verius, quàm negasse suam bonitatem, exclamando dicit, vt est in Matthæo;

O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, Hoc est, petis. Hæc enim significatione significat non tantum admirationem suam, sed etiam quod nō potuerit diutius sese continere veluti anxiè laborauerit, dissimulando tandiu suamqonitatem.

Magna

Magna inquit, *est fides tua*, hoc est, non simplex, nec communis, sed rara, & eximia, & constans.

Sanatur surdus & mutus. Mar. 7.

CAPVT LXII.



Et cum transisset inde Iesus, a iterum exiens de finibus Tyri, b venit c per Sidonem d ad mare Galilææ e inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdū & mutum, & deprecabantur eum vt imponeret ei manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cœlū ingemuit, & ait illi: Hephetha, quod est adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculū linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabātur dicētes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. a. 31. b. 31. c. 31. d. 31. e. secut.

Et cum transisset inde Iesus iterum exiens de, &c. Græca non habent in Marco venit per Sidonem sed exiens de finibus Tyri, & Sidonis venit ad mare, quæ lectio narrationi Matthæi magis conuenit, & tamen quod mirum est omnes libri latinorum habent: Venit per Sidonem. Rursum non est Græcis inter medios fines Decapoleos, sed per medium finium Decapoleos. Non enim significare voluit Euangelista mare Galileę esse inter medios fines Decapolis, sed Christum transijsse per medium illius regionis, post quam venitet ad mare Galileæ: quod etiam in nostra lectione significatur, si illud inter medios fines referatur ad verbum, venit. Est autem Decapolis regio à decem potioribus ciuitatibus, quæ in ea sunt, dicta sic: quamuis de his ciuitatibus, quæ sint, non conueniat inter authores, sicut nec de situ huius regionis. *Decapolis*

Et adducunt ei surdum & mutum, &c. Eum qui pro se Dominū orare non potuit, pij pro illius salute soliciti, & illius calamitatem miserati, ad Dominum ducunt, ac pro illo deprecantur, solā manus impositione credētes duo simul mala posse tolli ab hoc misero. Dominus autem sanaturus oblatum primum quidem apprehendit eū de turba seorsum, nolens miraculū hoc manifestè facere, ne videretur popularis laudis affectator, noſque doceret vanam gloriam fugere. Deinde cum solo verbo curare posset, vt ostenderet carnem suam esse viuificatricem, & omnia quæ illius sunt esse salutifera, misit digitos suos in auriculas eius, vnum quidem dextræ manus in sinistram aurem, & vnum sinistræ manus in dextrā aurem. Tū sputo in digitis accepto titigit linguā eius

hinc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hinc suscipiens in cælum ingemuit: ipso quidem respectu in cælū significans virtutem sanandi se habere à Deo, atque ab illo quærēdam omnem medelam, ipso verò gemitu significans quàm misereretur humanæ naturæ, quæ tum à dæmonibus, tum ab alijs infirmitatibus variis modis impetitur propter peccati transgressionē, ac gemendi nobis præbens exemplum, cum pro nostra, nostrorūque salute supernæ pietatis subsidia imploramus. Postremum qui se suspiciendo in cælum, & ingemiscendo verum hominem ostendit, iam & diuina se prædictum potestate declarauit, cum imperatiuo vsus verbo dixit, Ephphetah, quod est adaperite. Vbi sciendum Imperatiuum hunc non esse Hebraicum, sed Chaldaicū, aut Syriacum. Posuit autem Euangelista Chaldaicam vocē, non quod putaret illi inesse maiorem virtutem, quàm cuiusuis alterius linguæ voci, sed ad admirationē virtutis Christi, qui vna vocula communi, & per se nullius momenti tantum effecerit, vt duo simul mala auferret. Hæc enim dictio, quæ aperite significat, non ad aures tantùm referri debet, de quibus mox subditur, Et statim apertæ sunt aures eius, sed etiam ad linguam, quæ Hebraica phrasi dicitur aperiri; cum ad loquendum, soluto eius vinculo, fit apta, iuxta illud: Aperta erit lingua mutorum. Et hic ergo posteaquā dixit Dominus, Adaperite, subiicitur: Et solutum est vinculum linguæ eius. Porro apparet hunc surdum, & mutum, non plane fuisse mutum, ita vt nihil omnino loqui potuerit, ac proinde non à natura fuisse surdum, sed ex accidente. Nam supra pro muto Græcè est μογιλαλον, hoc est eum, qui est impeditæ linguæ, aut balbus. Et hic post curationem dicitur, solutum est vinculum, hoc est, impedimentum linguæ eius, & loquebatur rectè, quo videtur significari, quod prius quidem loquebatur, sed non rectè, nec expedite. Deinde si natura surdus fuisset, & mutus sublato vinculo linguæ, loqui adhuc non potuisset, nisi prius didicisset,

Et præcepit eis ne cui dicerent, &c. De hoc Domini præcepto superius satis est dictum, quomodo non seruantes illud non peccauerint, sed potius id fecerint quod debuerint, eo magis suspicientes magnitudinem Iesu, ac magis per hoc prouocati, vt apud omnes prædicarent, quod cum talia posset, & præstaret, non solum nihil exigeret præmij, sed ne gloria quidē tam insignis facti cuperet frui. Itaq; passim, de Iesu isti prædicabāt dicentes: *Bene omnia fecit.* Quod certe elogium in solum Deum competit. Quod autem pluraliter dicunt: *surdos fecit audire, & mutos loqui*, cum vnius tantū curati facta sit mentio dicendum pluralem numerum pro singulari positum. Aut ideò pluraliter dixisse, quia vt ex Matthæo mox patet, hoc tempore turbæ obtulerūt multos mutos, cæcos, & claudos, eosque omnes Dominus curauit. Maximæ autem dicendum Græca non habere fecit, sed ποιεῖ, id est, facit vt sit, Surdos facit audire,

audire, quo significant eius potentiam ad efficiendum hoc quoties voluerit.

Septem panibus pascuntur quatuor milia. Matthæi 15 Marci 8.

CAPVT LXIIII.



[a] In diebus illis, [a] ascendens in montem, sedebat ibi. Et acceserunt ad eum turba multa habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turba mirarētur videntes mutos loquētes, claudos ambulātes, cæcos videntes, & magnificabāt Deū Israēl. Iesus autē [b] iterū cum turba multa esset, nec haberēt quod manducarēt, [a] conuocatis discipulis [a] suis † [a] dixit [b] illis: [a] Misereor ▷ † [a] ait super turbā, quia [b] ecce [a] iam triduo perseuerāt mecum, & non habēt ▷ [a] turquod manducēt. [b] Et si dimisero eos ieiunos in domū suam, deficient in ba via, [a] & [ideo] dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiāt in via. [b] quidam ‖ [b] sustiamen ex eis de longè venerūt. [a] Et † respōd. ei discipuli sui: [a] Vnde er nent me, go nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbā tantā? [b] Vnde istos nec quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et ▷ interrogauit eos † [b] dicunt [a] Iesus: [a] Quot panes habetis? ‖ At illi dixerunt: Septem, [a] & paucos pis ▷ [a] ait illiculos. [a] Et præcepit turbæ † vt discumberent super terrā. Et accipiens se lis septem panes, [a] & pisces, & [a] gratias agens fregit, & ▷ dedit discipulis ‖ [a] quę suis [b] vt apponerēt, [a] & [a] discipuli ‖ [c] apposuerunt turbæ. Et habebant † [b] [a] dificū pusculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit appon. [a] Et † comedebere runt [a] omnes, [a] & saturati sunt, & ▷ quod superfuit de fragmentis ▷ [b] datulerunt septē sportas [a] plenas. [a] Erant autē qui manducauerūt, [b] quasi bat quatuor millia [a] hominum, extra parvulos & mulieres. [b] & dimisit ‖ dedeeos. [a] Et [a] dimissa turba, statim † [a] ascendit in nauicula [b] cum discipu runt pulis suis, [a] & [a] venit [a] in fines Magedan [&] [b] in partes Dalmanutha. pulo † [b] [a] mul-

Et in diebus illis ascendens in montem sedebat ibi, &c. Frequenter Dominus turbas declinaturus, ac quietis, & orationis commodum locum captans, & ad perfectiora suos vocare volens hoc facto, in montem ascendit: quanquam hic videri possit in montem ascēdisse, vt omnibus magis esset conspicuus, quia sequitur, & accesserūt ad eum sedentē scilicet in monte: nisi velimus intelligere Christū suo more iā è monte, postquā in eo aliquantulū quieuit, descēdisse ad turbas, cū eas ad se accedere cognosceret. Annotat au tē diligēter D. Hieronymus, pro eo quod nos habemus debiles. Græ ▷ [b] ascenca habēte κύλλους, i. quę dictio nō generale debilitatis nomē est, sed dens nauerus infirmitatis: vt quomodo claudus dicitur, qui vno claudicat pede,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pede, sic κύλλος appelletur, qui vnam manum habet debilem, quę nos mancum aut mutilum dicere possumus. Vnde verisimile est Matthæum per κύλλους eos significare voluisse, quos Ioannes cap. 5 vocauit ξηρούς, id est, aridos. Itaque, apud nos nomen generale debiles accipi debet, vt manuum significet debilitatem. Alioqui enim frustra subijceretur: Et alios multos. Quod autem turbæ ægros suos proiecerunt ad pedes Iesu, significat & cumulum, ac multitudinem oblatorum ægrorum, & magnitudinē fidei in turbis: quod scilicet nihil dubitarent tum de eius potentia, tum bonitate, quam tantam credebant, vt si vel miseros tantum conspiceret, non posset non illis mox subuenire.

Iesue autem iterum cum turba multa esset, nec haberent quod ede

Obseruandum hic primò quidem in turba, quanto Domini desiderio tenerentur, quod & ex longinquo illum sunt secuti, & triduo perseuerauerunt apud illum: ne tunc quidem de abitu, & cibo curando cogitantes, cum de fame periclitarentur. Verisimile est autem aliquid cibi eos secum sumpsisse, quod ad vnū aut alterū die sufficere posset: quanquam illud *dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via*, indicare videatur illos toto triduo non multum cibi habuisse, quod & illud significat *nec habent quod manducent*. Secundò verò in Christo obseruandum ingens miserationis, & benignitatis eius exemplum, Cum enim turbæ ob suam vtilitatem Domino adhæterent, & apud illum manerent: tamen misereti se dicit turbæ, eo quod triduo perseuerarent secum. Quod autem Dominus conuocatis discipulis exposuit priusquam miraculum faceret, & suam misericordiam, ac voluntatem, & turbarum inopiam, & periculum: ob id maximè fecit, vt tentaret eorum fidem, & ex memoria prioris miraculi excitaret in eis fiduciam petendi similē inopię turbarum subleuationem illi, quam aliquando experti fuerant, vt dicerenti Si miseraris illorum inopiam, nec vis illos ieiunos ablegare, pasce ergo eos quomodo nupet. Simul tamen & his verbis ad discipulos habitis significauit non ostentationis gratia se ad miraculum hoc profilijsse, sed coactum iusta miseratione. Postremo in discipulis obseruandum, quanta adhuc stupiditate teneretur & diffidētia, qui cum prioris miraculi fuissent spectatores, & ministri, iam tamen dicunt:

Vnde nobis in deserto panes tantos, hoc est, tam multos, vt saturemus turbam tantam, hoc est, tam multam. Ponitur enim quantitas continua, pro discreta. Dicunt autem hæc verba, vel quia obliti erant prius miraculum, vel potius quia præ nimia tarditate nondum intelligebant Dominum, quandocūque vellet, semper posse, quod semel potuit. Nam & prius dixit Marcus; Nondum enim intelligebant de panibus, & mox postea Dominus eos de panibus solicitos increpat de tarditate dicens: Nondum cognoscitis, nec intelligitis, &c. Cum ergo Dominus iam exiguitatem fidei, & fiduciæ Apostolorū expertus fuisset, interrogat quot panes haberent, nō quasi ignorans, sed vt conuenienti ordine ad miraculū procederet, vtque miraculi certitudo & magnitudo ex confessione discipulorū notior fieret, propter quod etiam sicut prius, & turbam iubet discumbere, & per Apostolos cibū turbis apponit. Quod autē iam septē panibus quatuor tantū milia pauerit, cū prius quinque tantū panibus milia quinque saturauerit: demōstrat Deo perinde esse multos, vel paucos, ex multo, siue modico saturare, cū necesse fuerit. Quare autem reliquiarum mensura nunc quidem numero panum, prius verò numero Apostolorum responderit, conuenientem reddit Chrys. rationem, nempe vt ex huiusmodi diuersita te, ac diuersa correspondentia discipuli facilè rememorarentur & huius, & illius miraculi, ita vt miracula hæc duo non tantum sint admiranda, ob id quod post tantæ multitudinis saturationem ex tā paucis panibus multum reliquiarum supersuerit, sed etiam ob id quod tantum vtrobique supersuerit reliquiarum, quantū Christus pro suorum vtilitate superesse voluit. Quanquam autem hic tantum septem sportarum reliquiæ supersuisse dicantur, illic autē duodecim cophinorum reliquiæ: non tamen hinc consequitur reliquias fuisse pauciores. Fieri enim potest reliquias septem sportarū vel equasse, vel etiam superasse reliquias duodecim cophinorum, cum id quod nostra lingua sportam vocamus, nempe Mande, duplo maius, aut etiam amplius sit cophino, vel cobæ.

Et dimissa turba statim ascendit in nauiculam. Sanarat egrotos, docuerat, pauerat tame periclitantes. His rebus ita gestis non hęret in turba, ne videretur expectare aliquid gratiæ, sed mox laudem humanam declinaturus, & declinare docens, secedit cum suis. Quod autem Matthæus dicat Dominum venisse in fines Magedan, aut vt est Græce Magdala, Marcus verò in partes Dalmanutha; nullam habet contrarietatem. Nam præterquam quod dici posset vnum eūdemque locum diuersis nominatum nominibus, quod tamen hic non est verisimile: dici etiam potest vnum nomē esse regionis generale, alterum verò ciuitatis, vel vici. Aut etiam si vtrumque nomen diuersam ciuitatem, aut vicum significet, in vtriusque loci fines dicitur Dominus venisse, quia locus in quem venit vtrique loco vicinus erat, quomodo supra dictus est venisse in partes Tyri & Sidonis.

Pharisæi signum quærentes reijciuntur, eorumque fermentum cauendum docetur.

Matthæi 16. Marci 8.

CAPVT LXIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca



¶ Et exierũt * & accesserũt ad eũ * Pharisæi & Sadducæi, b & cœperũt cõquirere cũ eo, a quærẽtes ab illo signũ de cælo, tentãtes eũ. * At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis Serenũ erit, rubicundũ est enim cælũ. Et mane: Hodie tẽpestas, rutilat enim triste cælũ. Facié ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporũ non potestis? b Et ingemiscẽs spiritu ait: Quid generatio ista signũ quærit? Generatio mala & adultera signũ quærit, & signũ nõ dabitur ei. b Amẽ dico vobis, si dabitur generationi isti signũ, a nisi signũ Ionæ prophetæ. c Et dimittẽs eos b ascendit iterũ naui. & * abiit b trans fretum. a Et cùm venissent discipuli eius trans fretũ * obliti sunt || panes accipere, b & nisi vnũ panem nõ habebant secũ in naui. ¶ Et præcipiebat * eis, dicens: ▷ Videte, & cauete à fermẽto Pharisæorũ & a Sadducæorũ, b & fermẽto Herodis. ¶ * At illi cogitabãt inter se' dicẽtes: Quia panes nõ ▷ accepimus. Sciẽs autẽ Iesus dixit illis: * Quid cogitatis, inter vos modicæ fidei, * quia panes nõ habetis? Nondũ b cognoscitis nec * intelligitis? b Adhuc cæcatũ habetis cor vestrũ? oculos habẽtes nõ videtis? & aures habẽtes nõ auditis? || * Neque recordamini * quinque panũ, & quinque milium hominũ, & quot cophinos sumpsistis? neque septẽ panũ & quatuor milium hominũ, & quot sportas sumpsistis? b Quando quinque panes frãgi in quinque milia, & quot cophinos fragmẽtorũ plenos sustulistis? Decẽm et duodecim. Quãdo & septẽ panes in quatuor milia, quot sportas fragmentorũ tulistis? Et dicunt ei: Septẽ. Et dicebat eis: * ¶ Quomodò || non intelligitis, * quia nõ de pane dixi vobis: Cauete à fermẽto Pharisæorum & Sadducæorũ? Tunc intellexerunt quia non dixerat cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorũ.

Et exierunt, & accesserunt ad eum Pharisæi &c. Et cœperunt conquirere cum eo inquit Marcus, hoc est, disputare (Græcè enim est συζητοῦν) quasi miracula, quæ promebat non gererentur virtute cælesti, aut quasi essent humilia nimis, ac plebeia, ita vt per ea non satis declararet se esse eum, qui à populo habebatur. Proinde si vellet Sadducæos & Pharisæos, homines longè supra vulgus positos, quasique cælestes sibi credere, ædéret signum aliquod ex cœleste Christo dignum, ac simile his, quæ veteres Prophetæ ędidisse leguntur. Dicuntur autem signum tale petisse, vt & supra, tentantes Christum, quia non petebant signum ad hoc vt crederent illi, sed tantum vt experirentur eius potentiam: vt si eam non demonstraret calumniandi occasionẽ haberẽt. Porro quare singulariter petierint hi cæleste signum, & quare Dominus tale petentibus dare noluit, sed semper signum Ionæ illis promisit: dictum est supra circa cap. Concord. 46.

Et ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis; Serenum erit, &c. Ostensurus Dominus quod absque iusta causa signum peterent cęlestę, & tentandi tãtum non discendi gratia: commode id facit argumento sumpto à signis cælestibus naturalibus, ex quibus, etsi fallacibus, nossent colligere dierum serenitatem, aut pluuiam: cum ex signis à se ædibus nollent intelligere tẽpus visitationis suæ; quod illa signa secundum Prophetarum vaticinia certissimè, & infallibiliter significabant. D Sicit ergo, Facto vespere, dicitis, Serenũ hoc est, serenitas erit, die crastino scilicet, quia cælum est rubicundũ: quod ex obseruata consuetudine didicistis serenitatis esse indicium. Et facto mane dicitis, hodie erit tempestas ventorum, aut pluuiarum, quia cælum triste rutilat, hoc est, rubicundum est. Græcis enim verobique idem est verbum πυῤῥάζει. Dicitur autem cælum triste, vel quia in seipso turbulentum, sicut lætum dicitur cũ est serenitas, vel quia tristitiam sua dispositione hominibus adfert. Cæterũ sententia sequẽs melius & apud nos, & apud Græcos legitur interrogatiuè, vt Dominus nõ asserat eos non posse scire tẽporum signa; sed interroget signa tẽporum nõ potestis dijudicare, quasi dicat, facile possetis, & meritò deberetis, si velletis, & nisi vtro nolletis agnoscere veritatẽ. D. Hieronymus autẽ per hęc signa temporum simpliciter intelligit signa primi aduentus Christi, signa scilicet adimpletorũ temporũ, à Patre prædestinatorũ, & promissorũ in Scripturis, vt sit sensus: Faciem, hoc est, dispositionem cæli nostis dijudicare ex obseruata consuetudine fallaci, ita vt discernatis, quæ dispositio cæli sit signum serenitatis, & quæ pluuię, ac tempestatis: & non potestis ex scripturis infallibilibus discernere, & cognoscere signa temporum quæ vobis promissa sunt, hoc est, aduenisse vobis iam Messiam expectatum, meque eũ esse. Quę Hieronymi interpretatio ob id alijs aliquorum interpretationibus est præferenda, quod consentiat alteri simili loco, qui est Lucæ. 12. Vbi similia Dominus obijcit turbis dicens: Hypocritæ faciẽ cæli & terrę nostis probare, hoc autẽ tempus quomodo nõ probatis? Signa autẽ temporum, de quibus Dominus secundũ hanc interpretationẽ loquitur, sunt vel miracula, quę Dominus ędidit (Nã hęc secundum Isaiæ vaticinium demonstrabant ipsum esse Christum, quoniã ille dixit de tẽporibus Messiæ: Tunc aperientur oculi cęcorum, & aures surdorum patebunt, &c) vel generalius signa temporum sunt omnia Prophetarũ indicia, quibus significauerunt tempus Messiæ, inter quæ præter miracula à Messia ædenda, sunt & alia, nempe finis hebdomadarum Danielis, translatio sceptri Iudaici ad alienigenas, & id genus alia. Quoniam ergo non ex ignorantia tolerabili, sed malitia signum requirebant, cum satis, superque signorũ habuissent: Dominus ob incurabilem eorum malitiam, *ingemiscens spiritu*, hoc est, ex animo, & intimo cordis indignabunde, & præ indignatione cum iure iurando asseruit signum illis

Signa Temporum

Psal. 36.

* b. tentãtes & rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis C. 12. 87.
▷ b. relictis illis
|| b. panẽ sumere
† a. Qui dixit illis
▷ a. b. inuenimini
† b Et cogitabant ad alterutrum
▷ b. habemus. Quo cognito ait illis Iesus
|| b nec recordamini.
† a. b. quare
|| b. nõdum

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis non dandum, quale petebant. Vnde dicitur apud Marcum.

Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum, hoc est, non dabitur omnino. Eclipsis enim est Hebræis admitti solita in iuramentis, completur autem oratio, si subiungas, quæ iurantes sibi imprecari solent, nisi id quod iurant sic se habeat vt iurant. Hoc autem modo præscindebatur oratio iurantis propter maiorem vehementiam. Sic enim significabatur horror quidam prosequendi illas imprecationes.

Et dimittens eos ascendit iterum nauim. Pro dimittēs eos in Marco, rectius vertisset Interpres, dimissis illis, quomodo vertit in Matthæo. Illud autem quod in Matthæo legimus: *Et cum venissent discipuli eius trans fretum*, venissent &, vt est Græcè ἐλθόντες, rursum videtur positum pro iussissent quemadmodum dictum est accipi posse in Cap. Cōcord. 59. Voluit enim significare Matthæus, quod apertè satis dicit Marcus, discipulos cum nauim ascendissent, & ire cœpissent trans fretum, oblitos accipere panes secum in nauim, & tum in naui, ea quæ sequuntur, dixisse. Ideo autem Euangelistæ huius oblitionis meminerunt: quia narraturi erant quomodo discipuli ob neglectos panes turbari fuerint ex verbis Domini. Itaq; cū Dominus cum indignatione Pharisæos reliquisset, & cum suis nauem ascendisset, ab ipsis Phariseis, cum quibus negotium habuit, occasionem sumpsit instruendi suos: significans etiā se iustè Pharisæis indignarum, eosque contempsisse, ac neglexisse, ac dicens,

Videte, & cauete à fermento Phariseorum, &c. Quod duplicando dicitur, videte, & cauete, cum vtroque verbo idē hic significetur: facit ad epitasin cautionis, vt sit sensus: diligenter vobis cauete, & attendite. Porro quod Dominus non aperte sit locutus, sed metaphoricè loquens vsus sit nomine fermentis nec quid eo significare voluerit explicauerit, quemadmodum explicuit Luc. 12. causa potissima fuit, vt discipulis audito hoc nomine turbatis ob neglectos panes, haberet nouam occasionem reprehendendi eorum tarditatem, & confirmandi eorū diffidentiam. Quid autē nomine fermenti hic significāuerit metaphoricè, in hne aperuit Matthæus, nimirum doctrinā Pharisæorum, non quidē quamlibet, sed eam de qua supra cap. Concord. 60. quā docebāt, quæ verè ipsorum erant mādata hominū, aut inutilia planè, aut etiā mandatis Dei aduersa. Porro Matthæus addit & à Sadduceorum fermento præceptū esse cauere, Marcus verò à fermēto Herodis, aut vt habent quidā Græci, Herodianorum: vt videri posset Sadducæos eosdem esse cum his qui aliquando in Euangelijs dicuntur Herodiani, forte quod eorum sectæ fautor esset Herodes. Sed vt vt sit, etiam ab horum doctrina & instituto viuendi cauendum suis voluit: quod & Sadducæi, & Herodes in externis rebus iustitiam ponerent, hominibus se commendare, non Deo studentes.

Fermentum Phariseorum Sadducæorum Herodis.

At illi cogitabant inter se dicentes. Græcè in Matthæo est διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς, quod potest verti dupliciter, vel cogitabant intra se, hoc est, in seipsis, vt significetur tacito eorum cogitatio, vel disceptabant inter sese. Et quidē secundo modo magis accipiēda videtur hæc oratio, quia in Marco legitur διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους, vbi propter illud πρὸς ἀλλήλους, id est, inter sese, verbū διελογίζοντο, non potest significare cogitare: sed debet exponi per disputare, aut disceptare, vt significetur vnum voluisse alteri negligentiam imponere. Cum autem sequitur;

Dicentes, quia panes non accepimus; illud, quia, superest, vt sæpius, & positum est ex phrasi Græca. Itaque sensus est; dicentes; panes non accepimus. Intelligendū enim discipulis audita fermēti voce, & non intellecta, in mentē venisse neglectos panes, & vt fieri solet aliud ex alio eis reuocatū in memoriā, vt quod dixerint; Panes nō habemus; fuerit trepidantium, & veluti in hunc modum loquentium: Hei, quandoquidem fermenti fit mentio, in mentē nobis venit panes nos non accepisse nobiscū pro commeatu. In hac ergo trepidatione, bis erant reprehendendi discipuli, & quod carnaliter intelligerēt, quod dicebatur de fermēto Pharisæorum, cùm prius dictum illis esset; Non quod intrat in os coinquinat hominem, & quod ex carnali illa intelligentia inciderint in solicitudinē victus, quam secum eum haberent, cuius potentiam iam bis experti erant in suppeditatione necessariorum. Dicit ergo Dominus.

O vos pusilla fidei homines, quid, hoc est, cur soliciti cogitatis intra vos, & inter vos murmuratis, eo quod nō habeatis panes? Tot præceptis instituti, tot exemplis edocti, toties admoniti nondum habetis eā, quā deberetis intelligentiā? adhuc simul cū Pharisæis habetis cor obcęcatum, &c. Quod autem sequitur in Marco; Nec recordamini, quando quinque panes fregi, &c, rectius Græci hunc locū distinguūnt, qui post illud? Nec recordamini, finem faciunt interrogationis, & deinde ab illo, Quādo quinque panes, &c, nouam incipiunt interrogationem: vt intelligatur Dominus prius quæ fisse etiam essent duorum illorum miraculorū memores, ac deinde voluit experiendi gratia de vtriusque reliquijs eos interrogasse.

Cœcus sanatur in Bethsaida. Mar. 8.

CAPVT LXV.

ET veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cœcum, & rogabant eum vt illum tangeret. Et apprehensa manu cœci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterū imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia. Et misit

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.

Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cœcum, &c. Circa hanc historiam, quæ sint animaduertenda, pleraque iam aliquoties sunt superius annotata in alijs historijs, quæ quædam habent huic similia, & potissimum in Cap. 62. in historia surdi, & muti, addicta item ex Marco. Habet autem hæc historia illud peculiare, cui non occurrit aliud simile in Euangeliis, quod Dominus primo contactu non contulit cœco visum perfectè, sed prius imperfectè, ac deinde perfectè sanauit. Cuius causæ literales potissimæ videri possint fuisse duæ. Altera imperfectio fidei huius cœci, quæ vel ex eo colligi potest, quod non legatur pro sese Dominum orasse, sed alios tantum pro ipso. Itaque imperfectam habenti fidem, imperfectum primò visum reddit: vt sic accenso eius animo perfectius credenti perfectus restitueretur visus. Altera causa videri potest, vt cœcus sensim Christi virtutem in se sentiens i tanto plus eam secum admiraretur, quo eam sæpius, & diutius in se operantè sentisset. Ne autem impotentiæ tribui posset, quod ad primum contactum non perfectè curatus fuisset cœcus, Dominus interrogauit eum siquid videret: significans satis se non ad hoc tetigisse oculos eius, vt mox omnia clarè videret, sed tantum vt videret aliquid. Quod autem cœcus dicit,

Video homines sicut arbores ambulantes: Sic est intelligendū, quod cœcus iste viderit formam corporum humanorū veluti vmbras, sic vt nulla membrorum lineamenta visu adhuc caligante discernere valuerit: quomodo arbores à longe aspicientibus, vel in lucæ nocturna solent apparere, ita vt non facile homo sit, an arbor, quod videtur, possit discerni. Ex motu tamē & ambulatione cognouit iste homines esse quos videbat. Nonenim participiū, ambulantes, ad arbores referendū est, sed tantū ad homines, vt patet ex Græcis. Quod autem Dominus hunc cœcum è vico eduxerit, & præceperit vt si in vicum introiret, nemini diceret: præter causam illam, quæ supra sæpius est dicta, videlicet ad declinandum humanam laudem, specialis hic videtur Theophylacto fuisse ratio, incredulitas hominum huius loci, quam Matth. 11. Dominū eis exprobrasse supra habuimus. Nam per vicum hic videtur significari ipsa Bethsaida, vt quæ esset ciuitas parua, quæ Græcis etiā dicitur κωμὴ. Vnde cum Dominus ei præcipiat ire in domum suam, & conditionaliter dicat, Si in vicum introieris, aut, vt habent Græci quidam, etiam prohibuerit ne ingrederetur vicum: coniectura est eum non fuisse ciuem huius vici, vel ciuitatis, sed aliunde huc adductum fuisse.

Petrus

Petrus Christum confitens commendatur. Matth. 16. Mar. 8. Luc. 9.

CAPVT LXVI.

† [a] Egressus est Iesus [b] & discipuli eius [c] in [d] partes [&] [e] castella [f] Cæsareæ Philippi. [g] Et factum est cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli eius. [h] & [i] in via ▷ [k] interrogabat discipulos suos [l] dicens [m] ▷ [n]. Inter † [o] At illi [p] responderunt [q] illi, [r] & ▷ [s] dixerunt: [t] Alij [u] Ioannem Baptistam, alij [x] autem Eliam, [y] alij verò Ieremiam, ‖ [z] alij [aa] verò [bb] quasi [cc] vnum ex prophetis [&] [dd] quia vnus ex prophetis de prioribus surrexit. [ee] Tunc † [ff] dicit [gg] illis Iesus. [hh] Vos ‖ autem [ii] quem me esse dicitis? Respondens [kk] Simon [ll] Petrus † dixit [mm] ei: [nn] ▷ Tu es Christus [oo] filius [pp] Dei [qq] viui. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, † [rr]. Dixit qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: Et quodcunque ligaueris super † [ss]. sit. terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, ▷ [tt] Christ erit solutum & in cælis. [uu] At ille [xx] tunc [yy] præcepit [zz] discipulis suis, [aaa] & sism. ‖ [bbb] comminatus est eis † [ccc] ne cui dicerent [ddd] de illo [eee] hoc, [fff] quia ipse esset ‖ [ggg]. increIesus Christus. [hhh] Et [iii] exinde [kkk] cœpit [lll] Iesus ostendere discipulis suis [&] pans eos [mmm] docere eos, [nnn] dicens: [ooo] Quia ▷ oportet filium hominis [ppp] ire Hierosoly- præcepit. mam, & [qqq] multa pati, [rrr] & reprobari [sss] a senioribus & ‖ principibus sa- [ttt]. [uuu]. vt cerdotum [vvv] & scribis, & occidi, & † tertia die [xxx] resurgere. [yyy] Et palam nemini verbum loquebatur. [zzz] Et ‖ apprehendens eum Petrus cœpit increpare ▷ [aaaa]. oporeum, [bbbb] dicens: Absit a te Domine, non erit tibi hoc. [cccc] Qui conuersus, [dddd] teret eum & videns discipulos suos, comminatus est ▷ [eeee] Petro, dicens: Vade ‖ post ‖ [ffff]. à me [gggg] Satana, [hhhh] scandalum mihi es, † [iiii] quia [kkkk] non sapis ea [llll] quæ Dei sunt, sunmis sa- sed [mmmm] ea [nnnn] quæ [oooo] sunt [pppp] hominum. [qqqq] Et [rrrr] tunc Iesus [ssss] conuocata turba cis cerdotidiscipulis suis, † [tttt] dicebat [uuuu] ad omnes: Si quis vult ▷ venire post me ‖ bus. abneget semetipsum, & tollat crucem suam, [vvvv] quotidie [xxxx] & sequatur † [yyyy] post me. † Qui enim [zzzz] voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: tres dies. qui autem perdiderit animam suam propter me, [aaaaa] & euangelium, ▷ [bbbbb] ‖ [ccccc]. assue[ddddd] saluam faciet eam. Quid enim ‖ prodest homini si † [eeeee] vniuersum mis mens. dum lucretur [fffff] semetipsum autem perdat, ▷ [ggggg] & detrimentum † animæ ▷ [hhhhh]. dixit [iiiii] suæ faciat? [jjjjj] Aut ‖ quam dabit homo commutationem pro anima sua? ‖ Petrus [kkkkk] Quicumque enim me confusus fuerit & verba mea [lllll] in generatione ista adul- ‖ [mmmmm]. retro tera & peccatrice, & [nnnnn] filius hominis † confundetur eum cum venerit in ▷ † [ooooo]. quogloria [ppppp] sua & patris [qqqqq] sui ‖ [rrrrr] cum angelis sanctis. [sssss] Filius enim homi- niam nis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vni- † [ttttt] dixit cuique secundum opera eius. [uuuuu] Et dicebat illis † [vvvvv] Amen dico vobis [wwwww] quia discipulis † sunt suis.

‖ᵇ. dixit ‖ᶜ. aut ‖ᵈ ▷ me segni.

sunt ▷ quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant ᵇ regnum Dei ᵇ venientem in virtute, [&] ᶜ filium hominis venientem in regno suo.

‖ᵃ. dens ‡ ᵇ. Nam qui ‡. 10. 55. ‡ ᵃ. inuenerit ‖ᵇ. proderit hominis. ‖ᶜ. proficit eō. † ᵇ. totū ▷ ᵃ. anima vero sua detrimētium patiatur. † ᶜ. sui ‖ᵇ. ᵃ. quid cō mutatio nis ‖ᵃ. ᵃ. Nam qui me erubuerit & sermones me nostros esse † ᵃ. ᵃ. huic erubescet ▷ ᵃ. maiestate ‖ᵈ. et sanctorū angelorū, B. 9. ‡ Dico autem vobis verè ▷ ᵃ. ᵃ. aliqui hic stātes. Cæsaream Philippi. Iosephus li. antiq. 20. cap. 16.

Et egressus est Iesus & discipuli eius in partes, & castella Cæsareæ Philippi. Hæc Cæsarea Philippi cognominata est, ad differentiam eius quam in Iudæa iuxta mare, Herodes maior magnis sumptibus extruxit in honorem Cæsaris in eo loco, qui prius dicebatur Turris Stratonis. Terminus verò erat regionis Iudæorum, vndepariter à Syris, & Iudæis habitabatur, quod postea seditionis inter eos causam præbuit. Commodè autem circa hæc loca discipulos suos interrogauit de aliorum, & ipsorum de se opinione, vt longius a Iudæis abducti libere dicerent quæcunque sentirent. Interrogauit autem, idque prius vulgi de se sententiam, ac deinde discipulorum: non quod eam ignoraret, sed quod relata vulgi de se incerta sententia, ac recta ipsorum existimatione audita, & vulgi incertas opiniones reiiceret, & eos in fide recta confirmaret: quod hoc potissimum tempore erat necessarium, quia tempus erat: vt suam illis prædiceret passionem. Porro quod Lucas dicat hęc Dominum interrogasse cum esset solus orans, non debet videri contrarium ei, quod Marcus dicit eum interrogasse in via: cum intelligi possit ipsum etiam in via orasse, aut postquam alicubi orasset, tum reuersum ad discipulos, interrogasse eos inter eundum. Quærit ergo: Quem dicunt homines esse filium hominis. Sic enim cum Diuo Hieronymo magis legendum puto in Matthæo, quàm quomodo Græca iam habent, & quomodo Erasmus vult libros nostros esse corrigendos. Quem me dicunt esse homines filium hominis. Solet enim Dominus dum se filium hominis vocat, loqui de se in tertia persona, vt videri possit illud, me, additum in Matthæo ex aliis Euangelistis. Itaque additus articulus ad ὁ υἱὸς, id est filium apud Græcos, tantum significat ipsum nō loqui de quouis filio hominis, sed certo, nempe se.

At illi respondentes dixerunt, alij Ioannē Baptistam. Quoniam Dominus neque ipse palam profiteretur se esse Christum, neque regalem illam pompam præ se ferebat, in qua plerique Christum apud Iudæos regnaturum expectabant, à paucis id quod re vera erat Christus Dei filius habitus est. Et tamen propter miraculorum multitudinem, & magnitudinem, videbant non quemuis esse, sed aliquem præcedentium Prophetarum esse existimabant, qui in carnem reuersus esset, & ex vita illa diuiniore maiorem potestatem secum attulisset. Crediderunt enim Iudæi remigrationem animarum vt dictum est circa cap. Conc. 16. & 56. sicut & hodie multi Iudæorum credere dicuntur. Tertio vnumquemque renasci. Quidam ergo Ioannem Baptistam esse credebant,

debant, vt qui Herodis sententiam sequebantur. Alij Eliam, quod scirent tempus Messiæ iam instare, ante quod prædixerat Malachias venturum Eliam sicut ipsi intelligebant. Alij vero Hieremiam, forte quod tam libere inuecheretur in Scribas & Pharisæos, quemadmodum fecerat olim Hieremias. Alij indefinitè vnum aliquem antiquorum Prophetarum esse credebant in carnem reuersum.

Ioseph. de bello Iud. libr. 2.

Dicit illis Iesus: vos autem quem me esse dicitis? Est emphasis in pronomine vos, Separat enim eos à turbis, significatque eos meritò aliam, eamque constantem de se habere debere existimationē. Porro quando Dominus de plebis opinione interrogat, omnes referunt diuersis scilicet diuersorum opiniones referentibus: sed omnibus discipulis interrogatis, Petrus vt fere semper alijs feruentior (quod diuina dispensatione ita factum est, propterea quod primus Apostolorum, & caput futurus erat) tanquam os Apostolorū pro omnibus respondet dicens:

Tu es Christus filius Dei viui. Vbi notādum singulis istis quatuor dictionibus addi articulos Græcis, idque non otiosè. Nam articulus additus ad Christus, significat eum non dici Christum, sicut in veteri Testamento plerique, Reges scilicet, Sacerdotes, & Prophetæ, sed ipsum esse illū singulariter expectatum Messiā. Sic & additus articulus ad Filius, significat ipsum singulari ratione dici Filiū Dei, & non sicut omnes sancti. Porrò articuli additi, ad Dei, & vi-ui, vel vt habent Græca, viuentis: significant eū non cuiuslibet Dei esse filium, sed veri Dei, nempe eius, qui solus dicere potest: Viuo ego, quique solus habet immortalitatē, cū gentiū dij sint mortui.

Respondens autem Iesus dixit ei, beatus es Simon Bar Iona, &c. Beatum Christus Petrum, hoc est fœlicem pronunciat, eo quod singulari Patris cælestis beneficio, & gratia cognitionem filij est assecutus, quam ab hominibus accipere non potuit.

Non enim caro & sanguis, hoc est, parentes tui, aut necessarij aut vlli omnino homines hoc te docuerunt, tibique persuaserunt, sed Pater meus cælestis. Nemo enim nouit filium, nisi Pater. Bene autē Dominus beatum, Petrum pronunciās, Simonē vocat, & Bar Iona, hoc est filium Ionæ, idq; primū ob distinctionē eius ab alijs, Vt enim agnominis, quo caret Hebræi, ponitur Bar Iona Hebræorū more. Secundo, vt sic magis elucescat eius beatitudo: quia qui filius hominis tantū prius erat, iam etiā factus sit discipulus Patris Christi id ab eo discens, quod à suo patre, aut ab vllo homine discere non potuit. [Porro illud Bar Iona, duæ sunt dictiones quarum Bar Chaldaica est, significans Filium, Iona vero nomen fuit Patris Petri, quamuis breuitatis causa (vt fere Hebræi nomina propria abbreuiant, dum multas habēt syllabas) Iona dictum sit pro Ioāna.]

Bar Iona.

Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram, &c. Notādum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum quod dicit, Et ego, &c. quasi dicat; Sicut tu dixisti mihi: Tu es Christus: ita ego vicissim dico tibi quia .i. quod tu es Petrus. Quibus verbis quidam intelligunt iam à Christo impositum Simoni nomen Petrus antea ei promissum, cum diceret Dominus *Ioan. 1.* Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Alij cum Augustino intelligunt nomen Petrus, ante illi impositum, nunc confirmatum esse, & nominis prius impositi rationem iam explicatam cum subditur: Et super hanc Petram, &c. In quibus verbis, per petram hanc debere intelligi ipsum Petrum, contra quàm volunt quidam contentiosi huius temporis homines, primum quidem planus literæ contextus demonstrat. Cum enim pronomen hanc demonstret aliquam petram, de qua fuit sermo, nec de alia petra habitus est sermo, quam ea qui dictus est Petrus: satis liquet aliam petram non demonstrari per pronomen hanc, quam Petrum. Ex mutatione autem generis (volunt enim hæretici aliud intelligi per Petrum, & per petram propterea quod non dixit Dominus super hunc Petrum, &c. quam nihil potest colligi euidés erit: si cogitemus Christum nec Græcè, nec Latinè hæc dixisse Simoni, sed lingua tunc Iudæis vulgari, nempe Syriaca. Si ergo cogitemus Christum dixisse pro, Tu es Petrus, & super hanc petram: Tu es Cepha, & super hac Cepha ædificabo Ecclesiam meam, quomodo certum satis est eum dixisse: nemo non mox certissimum esse videbit aliud non esse intelligendum per id, super quod dicitur ædificanda Ecclesia, quam eum cui dictum est, Tu es Cepha. Sicut si apud nos diceretur, Tu es saxũ, & super hoc saxum ædificabo, aliud nemo intelligeret significari per saxum, & per hoc saxũ. Cepha enim petra interpretatur, & saxum quamuis Græci malint commutando nomen Syriacum in Græcum dicere Petrus, quam Petra, quod masculinum ὁ πέτρος magis viro conueniat, quam fœmininum ἡ πέτρα, cum alioqui vtrumque nomen illis idem significet. [Quod autem Interpres Matthæi Græcus, quisquis is fuit, mutauit genus: hinc videtur factum, quod sicut pro nomine proprio viri magis conuenit masculinum Petrus: ita dum appellatiuè saxum significandum est, magis apud eos receptum est dicere ὁ πέτρος, quam ἡ πέτρος.] Itaque sicut Abram per suam fidem in Deum factus est Abraham, hoc est, Pater multarum gentium, quæ illius fidem erant imitaturæ: ita Simon per suam fidem factus est Petrus, hoc est saxum, cui inædificanda erat fidelium Ecclesia, quæ illius fidei innixura erat, illiusque fidem exceptura, ac imitatura. Ex quibus etiam satis consequi videtur, non sic quod dicitur de ædificanda Ecclesia super Petrum, pertinere ad successores ipsius Petri in sede Romana, sicut ad ipsum Petrum. Successores enim sicut capita sunt Ecclesiæ Christianæ totius, quæ illis in Episcopatu existentibus est in terris: ita etiam sunt fundamenta, &

Hæc permissio aliter Petro aliter ipsius successoribus cõgruit.

12, & primi lapides, super quos Ecclesia in terris existens fundatur. Petrus vero non solum fuit fundamentum fidelium qui cum ipso fuerunt in terris, sed totius omnino Ecclesiæ fidelium, qui post cum vel crediderunt, vel credituri sunt in Christo. Vnde quanquã quæ sequuntur Petrò promissa; Et tibi dabo claues regni cælorum, &c. æquæ pertinerant ad Petri successores, atque ad ipsum Petrum, vt post dicetur: hæc tamen promissio, ædificabo Ecclesiam meam super te, propriè ad ipsum Petrum pertinere videtur: sicut illi proprium est nomen Petrus, & non commune cum successoribus cuius nominis ratio explicatur his verbis: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Et porte inferi non præualebunt aduersus eam. Dixerat se Dominus ædificaturum Ecclesiam suam supra petram eiusque fidem: addit nunc quam erit eiusmodi ædificium propter suum fundamentum stabile; Et porte inferi, inquit. Cuius locutionis ratio vt percipiatur, notandum quod Dominus in superioribus verbis de Ecclesia sua loquitur tanquam de domo aliqua, aut ciuitate, dum dicit eam ædificandam supra petram. Huic ergo domui, aut ciuitati, in qua Dominus, quem Petrus Regem, & Messiam confessus erat, regnaturus erat: Dominus opponit veluti alteram ciuitatem, in qua Diabolus regnabat, & regnat, quam Hebraica phrasi per portas inferi significat. Mos Hebræorum est, per portas ciuitates, & regna significare, vt in illo Geneseos; Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum. Itaque per portas inferi significat regnum satanæ, quod contrarium est regno Christi, quod est Ecclesia, & sensus est: Regnum diaboli regno Christi variis modis infestum, illudque oppugnans nunc per blandimenta voluptatum, & amorem rerum huius seculi, nunc per hæreticorum falsa dogmata, nunc per tyrannorum persecutiones; nunquam omnibus suis machinis, & armis præualiturum Ecclesiæ Christianæ, nec regnũ Christi, quantumuis conetur, subuertere posse. Vnde patet relatiuum eam referendum non ad petram, sed ad Ecclesiam: vt significetur duorum regnorum, aut ciuitatum inter se contrarietas. *Porta Inferi.*

Et tibi dabo claues regni cælorum. Per claues regni cælorum hic Petro promissas, recte intellexerimus metaphoricè significatam plenariam, ac suprematam potestatem gubernãdi Ecclesiã Christi. Cuius metaphoricæ locutionis ratio est, quod suprema potestas domus, sicut & vrbis penes eum est, cuius est suprema potestas claustrum, hoc est cuius imperij est intromittere in ædes, vel vrbẽ, aut excludere ædibus, vel vrbe, quos vult. Et cui claues domus traduntur, ei totius familiæ, ac domus committitur administratio. Sic & Principibus, cum intra suas ciuitates recipiuntur, offeruntur ciuitatis claues à ciuibus, quo recognoscunt se agnoscere penes illum esse summam ciuitatis potestatem. Hinc cum Dominus *Claues regni cælorũ*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Isaiæ 22. pollicereturEliachim filio Helchiæ ministro Regis Ezechiæ summam in aula Regis, & ciuitate Ierusalem potestatem, dicebat per Esaiam, Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet, & non erit, qui aperiat. Ad quæ Isaiæ locum alludens Spiritus sanctus de Christo per Eliachim præfigurato dicit Apoc. 3. Qui habet clauē Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Sicut ergo ipsi Eliachim promittitur clauis domus Dauid, & Christus clauē Dauid, & regni sui paterni dicitur habere: ita & Petro Dominus regni sui cœlestis claues promittens, suprematn post se in eo regno potestatem acceptuum illum significare voluit. Dixerat Petrus eū esse Christum, quo agnouit eum esse Regem, & cū subiecit, filius Dei viui cœlestē Regem ipsum esse agnouit. Et Dominus ipse tanquā Rex promisit se suam Ecclesiam, in qua scilicet esset regnaturus, & pro Rege recipiendus, super illum ædificaturum. Commodè ergo nunc etiā Petro Regem illum, & cœlestem Regē prædicāti, promittit se regni sui claues daturū, hoc est, suprematn post se in suo regno, quod Petrus primus agnouit, authoritatē, & potestatem. Secundum hanc intelligendi rationem, & scripturis, & communi loquēdi modo, ac intentioni Christi conuenientē, non erit inquirendum quot sint, & quę sint claues Christo promissę, sed satis fuerit dicere hac locutione metaphorica promissam Petro summam in Ecclesia authoritatem, & potestatem. Ad quam potestatem his verbis sic intellectis Petro promissam pleraque pertinent, & nō tātum remittere peccata & retinere, sed omnia quæcunque sunt necessaria regno Christi, hoc est Ecclesię ritē gubernandæ. Eiusmodi autem claues Petro datæ sunt Ioannis vltimo, quando Dominus post trinam interrogationem nūm ipsum diligeret præ cæteris, tec ei suas oues cōmendauit dicens, Pasce oues meas, aut agnos meos. Cum enim eum Pastorem omnium ouiū suarum cōstituit, claues vtique regni sui illi concredidit: nec aliud erat dicere, Pasce oues meas, quàm si dixisset, do tibi claues regni mei, hoc est, supremam potestatem administrandi regnum meum in terris. Quamuis autem hæc Petri potestas in terris, hoc est in Ecclesia militante, futura esset, bene tamen non est ei dictum, dabo tibi claues regni terrarum, sed regni cælorum; vt intelligeret suam potestatem extendi tantum ad spiritualia, quæ pertinent ad regnum cælorum, & non ad temporalia, nisi quatenus referuntur ad spiritualia.

Ma claues quādo Petro data.

Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatū & in cælis. Quanquidem Dominus his verbis videtur voluisse explicare, ad quid daturus esset Petro claues regni cælorum; consequentia sermonis videbatur exigere, vt diceret, quidquid, vel cuicunque aperueris, vel clauseris; vt sic explicarentur propria officia claui-

um: verum quo clarius esset, quam potestatem per promissas claues significaret, transit ad aliam metaphoram; vtens verbis ligandi, ac soluendi, ac significans potestatem per claues promissam se extendere ex parte sua principali ad ligandum, & soluendum homines eo vinculo, quo dicuntur ligati, & soluti in cælo. Sicut autem duplex tantum est vinculum obligans homines coram Deo, nempe peccatum (finibus enim peccatorum suorum cō stringitur impius) & præceptum (hoc enim ad aliquid faciendum vel omittendum obligamur:) sic etiam duo modi ligandi & soluendi possunt assignari. Alterum, quo ligare est diuino iudicio propter impœnitentiam obstringere: quod fit aut non recipiendo inter fideles eos qui indigni sunt, aut eijciendo extra fideles eos, qui sunt rebelles. Soluere verò à peccato, est diuino iudicio, ac cō demnatione liberare, idque vel recipiendo eos, qui prius infideles fuerant per baptismum, vel prolapsos reconciliando per pœnitentiæ Sacramentum. Alterum, quo ligare est ad aliquid faciendum obstringere, soluere verò, ab eodem liberare. Vterque autem hic ligandi, & soluendi modus, ex parte omnibus quidem Episcopis, & Sacerdotibus competit: perfectè vero & plenè ei tantum conuenit apud quem est summa Ecclesiæ potestas, per claues significata. Vnde singulariter Petro dictum est, ac singulariter ei comperitis Quidquid ligaueris, &c. Quibus verbis datur ei potestas quosuis obligādi, vel soluendi siue vinculo peccati, siue vinculo præceptiū vt statuere, & præcipere omnibus possit, quod sit ad finē ad Christianæ Reipublicæ commodum & expediens. Porro quod hic generaliter dictum est Petro, Quodcunque ligaueris, erit ligatum, & quodcunque solueris erit solutum, sic est accipiendum, quomodo ti à Rege aliqui iudici à se constituto dicerentur, quemcunque absolueris, absolutum habeo, & quemcunque condemnaueris, condemnatum habeo. Et quidquid statueris, statutum habeo &c. Non enim tunc iudici huic potestatem dare intelligetur absoluēdi, vel condemnandi, & statuendi pro sua voluntate: sed secundum iusti tiæ æquitatem, secundum merita subditorum, & vtilitatem eorū. Ita & hic approbandum in cęlis iudicium Petri dicit: sed si iustum fuerit, nec aliquem errorem contineat, & secundum leges Christi pronunciatum sit.

Ligādi & soluendi verbis quid signi ficetur.

Prouer. 5.

At ille tunc præcepit discipulis suis, & communauit ei eis, &c. Post commendatam & approbatam Petri confessionem, Dominus & prohibet suis ne cui dicant se esse Christum, nec prohibet simpliciter, sed vt habent Marcus & Lucas cū interminatione, & passionem suam, ac resurrectionē prædicit: significans & quare in suis cognitionem sui iam augere, & roborare voluerit (nimirum quia appropinquabat tēpus Passionis, ad quod eos voluit præparare cōfirmādo illorum fidem in se) & quamdiu tacendū illis esset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec prædicandum quod ipse esset Christus, nempe quia nondum esset tempus suæ glorificationis: nec conueniret ante resurrectionis gloriam & crucis ignominiam illud de se passim prædicari: tunc autem commodum tempus fore prædicationis illius, cum a mortuis resurrexisset. Hæc enim de causa, & vsque ad illud tempus Dominum prohibuisse, ne cui dicerent quod ipse esset Christus: Lucas manifeste significat sic scribens; At ille increpans eos, præcepit, ne cui dicerent hoc, dicens: Quia oportet Filium hominis multa pati, & reprobari, &c. Sicut ergo ante passionem suam, imò ante passionis suæ prædictionem conueniebat Dominum in suis veram in se fidem confirmare: sita ante passionem non conueniebat Christum passim prædicari vulgo; idque primum ob id quia, sicut dictum est, tunc nondum erat tempus suæ glorificationis. Secundò quia maius, & incurabilius fuisset multorum scandalum in cruce Christi, si ante crucem ab Apostolis passim fuisset prædicatus esse Christus. Tertiò quia huiusmodi prædicatione magis accensi fuissent Scribæ & Pharisæi ad persequendum Christum; quos sciebat populi fama, & miraculorum magnitudine satis ad necessariam mortem sibi inferendam accendendos. Postremum sicut Apostoli ante passionem & resurrectionem non potuerunt intelligere mysterium aduentus Messiæ, & regni eius modû, communem Iudæorum opinionem excedentem: ita nec docere alios potuerunt, quomodo esset Christus: iac proinde conueniebat eos penitus silere, quis ipse esset.

Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, & docere, &c. Significat satis Euangelista his verbis & causam quare prius Dominus voluerit confirmare in suis cognitionem sui, & quare noluerit alijs se manifestari. Quod autem dicit Dominus; *Oportet filium hominis multa pati, &c.* sic accipiendum est: Oportet secundum præfinitionem Patris, & scripturarum prædictionem propter salutem hominum. Tria autem genera hominum nominantur, à quibus passurus erat, nempe Seniores, per quos intelliguntur hi, qui sua authoritate Rempublicam Iudæorum gubernabant (non enim hoc nomine hic tam significatur ætas quam authoritas.) Principes Sacerdotum, de quibus prius dictum est circa cap. Conc. 9. & Scribæ; sub quibus etiam comprehenduntur Pharisæi, sicut & alias frequenter. Dicit autem tria ad passionem suam pertinentia, nempe multa pati, & reprobari, & occidi: quia passio eius ante mortem consistebat in duobus, nempe in pœna malorum, quæ illi inferebantur, & ignominia multiplici per reprobationem significata. Porro Marcus dicit; *Palàm verbum loquebatur*, tum quia ante idem dixerat, sed rectè, vt eum Ioan. 2. dixit, Soluite templum hoc, &c. Et Ioan. 6. Panis, quem ego dabo, caro mea est, &c. tum vt indicet quare Petrus iam accepit occasionem reprehendendi Dominum, quam

Seniores qui.

quam prius non accepit ex eius verbis.

Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum dicens, &c. Audiens Petrus Dominum dicentem se reprobandum, & occidendum, idque sua confessione, quam approbauerat Dominus indignum esse iudicans: pro soluto suo in Dominum amore vehemenți, etsi adhuc imprudenti, apprehendens, vel assumens (nam Græcis eadem est dictio in vtroque Euangelista. προσλαβόμενος, hoc est, apprehensum eum ad se, quod facere solent, qui familiarius aliquid sunt dicturi) cœpit illum increpare, non ex indignatione, sed amantis affectu: rita vt illud increpare, non sit aliud quàm reprehendere, quomodo amicus amico quippiam ingratum narranti dicere solet apud nos, ne dicas. Huiusmodi enim increpationem alienam ab omni indignatione, & amaritudine significant Petri verba. *Absit*, inquit, *à te Domine*. Quod benè sic hoc loco vertit Interpres, melius quam si vertisset, propitius tibi esto, aut etiam, propitius tibi sit Deus: quanquam hoc secundum eum nostra lectione coincidat. [Hebraïca enim phrasis nempe, Chalilachlach, qua vsum Petrum Hebraicè, aut Syriacè loquentem est omninò verisimile, ad verbum significat prohibitio sit mihi, vel tibi, hoc est, vt Latini dicere solent, dij prohibeant, aut dij meliora] Vnde huius phrasis significatio sequentibus verbis apertius explicatur, cum dicitur:

Non erit tibi hoc. Vbi tibi, cum emphasi est legendum.

Qui conuersus, & videns discipulos suos, comminatus, &c. Conuertitur Dominus dicitur, quia faciem suam conuertit ad Petrum sibi collateralem, aut se sequentem, indignationem hac conuersione ostendens. Aut etiam quia faciem suam conuertit ad omnes discipulos, quia Marcus dicit: Et videns discipulos suos. Porro pro comminatus rectius vertisset Interpres, increpauit. Est enim idem verbum, quod mox vertit increpare, nempe, ἐπιτιμᾶν. Omnibus autem discipulis audientibus Petrum redarguit, quoniam & illi simile quid, vel patiebantur, vel pati poterant, quale Petrus. Seuerè autem adeo Petrum redarguit, etsi pio affectu erga Dominû commotum: vt doceret in his quę Dei sunt nullum esse locum humanæ rationi, aut affectui, & quanto zelo nos commoueri oportet in eos, qui affectu quouis humano, nos ab his quæ Dei sunt auocare conantur.

Vade, inquit, *post me Satana, &c.* Satanas dictus est Petrus, vel quia Diaboli ea in parte imitator, quod Christi mortem sicut ille impedire vellet, vel simpliciter quia aduersarius voluntati diuinæ & Christi. Non enim Satanas nomen est proprium dæmonii, sed generaliter significat idem, quod aduersarius. Itaque cõuenienter Petrũ Satanam vocat, quod aduersarium se illi præberet, cũ ipse se putaret illi amicum exhibere. Quod autem sequitur.

Petrus quomodo Satanæ dictus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Scandalum es mihi, vel vt habent Græca, scandalum meum es; idem est quod obtaculum mihi es, & impedimentum mihi præbes, ne patris iussa perficiam. Scandalum enim Græca dictio, impedimentum viæ, & offendiculum significat. Intelligendum tamen quod dicit Dominus Petrum sibi esse scandalum, quantũ licet erat in ipso Petro. Nam Dominus scandalum pati non potuit, quod non patiuntur nisi vel imperfecti, & paruulis similes, vel peruersi, & maligni. Cum autem his verbis, Scandalum es mihi, Dominus reddiderit causam, quare eum dixerit Satanam, & quare eum à se reiecerit, addit etiam causam erroneæ huius opinionis in Petro;

Quia, inquit, *non sapis*, hac scilicet *in parte ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum*. Hoc est quæ sunt humana, nempe fugere passiones & ignominias, vitare mortem, & similia. Vbi notandum Dominum non dixisse sed ea quæ sunt dæmonis: vt intelligamus Petrum illud suggessisse non ex afflatu dæmoniaco, sed ex humano affectu: & rursum intelligamus non tantum diabolica sapere, sed etiam humana, & carnalia frequenter esse aduersari Deo, & Satanam agere. Prudentia enim carnis mors est, & inimica est Deo.

Et tunc Iesus conuocata turba cum discipulis suis dicebat, &c. Quoniam Petrus carnali affectu Dominũ a morte auocare conabatur: non satis habuit Dominus hunc eius affectum redarguere, sed insuper docere cœpit, quàm necesse esset non sibi solum, sed suo exemplo omnibus ponere huiusmodi affectus; & mala quę Deus aut immiserit, aut permiserit prompto suscipere animo. Ideoque omni turba conuocata ad omnes hæc dicit, quoniam ad omnes pertinebant, qui salutem quærebant æternam.

Si quis, inquit, *vult post me venire*, id est, me sequi, & meus esse discipulus, huic necesse est ante omnia *abneget seipsum*. Est autem abnegare seipsum, valedicere propriis affectibus, & desiderijs, ac apud se statuere nolle deinceps illa sequi, quæ amor proprius suggerit, sed ea, quæ diuinæ sunt voluntatis qualicunque sunt illa, & quantumcunque sunt carni, & nostræ humanæ voluntati inimica. Hoc tamen loco abnegationẽ sui Dominus requirit maximè, ad hoc vt valedicamus illis affectibus, quibus longam in hoc mundo vitam optamus, & mala, ac incommoda carni effugere studemus, Itaque requirit vt non tantùm abnegemus diabolum, aut mundum, aut parentes & filios, aut vxores, sed, quod est omnium difficillimum, etiam nosipsos; qualem abnegationem alibi vocat odire animam propriam. Cum autẽ quis seipsum abnegauerit necesse est secundò, *Vt tollat crucẽ suam*, hoc est vt mala quæuis, quæ propter Deũ illi ab impijs inferuntur, aut quęque incõmoda, quæ in hac vita ei Deo permittente obueniunt, prõpto, & lubenti animo suscipiat, & toleret. Et si enim nemo sit, qui crucẽ à Deo impo-

Abnegare seipsum.

Tollere crucẽ suã.

sitam non cogatur ferre: tollunt tamen tantùm ij qui eum alacritate, aut saltem lubentes ijs quę ipse immiserit veluti humeros supponunt. Lucas addit *quotidie*, quo significatur nunquam nõ persequendum aliquid ei, qui pie vult viuere in Christo, ac ei perseuerantia vsque in finem opus esse. Quod autem sequitur in verbis Domini, *& sequatur me*; rectè quidam accipiunt hanc partẽ appositam non vt diuersam à præcedentibus, sed vt significetur eum, qui vocati sunt. Fieri enim non potest vt qui seipsum vere abnegauit & tollit crucem suam, non sequatur Christum.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere perdet eam. Quæ dicenda sunt circa has duas sententias, quas Dominus frequenter repetit, videcirca cap. Matth. 10. in cap. Concord. 55. vbi dicitur, Qui inuenit animam suam perdet eam. Cæterum quod sequitur;

Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, &c. Hunc habet sensum: Sicut nemo tam stultus est, vt velit iactura vitæ huius corporalis lucrifacere, si possibile esset vniuersum mundum, tum quod vita perdita nullus ei esset rerum huius mundi vsus, tum quod vitam perditã nulla re recuperare posset: sic multõ magis stultum est lucrõ vitæ temporalis, imo totius mundi, fateri veram animæ iacturam post hanc viram, quãdo ei nihil prodesse poterit acquisitio rerum in hoc seculo obtentarum, nec peream animam vlla re redimere. Nam quod dicitur.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua, intelligere oportet de anima perdita. Anima enim nondum perdita redimitur pretio sanguinis Christi, ac bonis operibus.

Qui enim me cõfusus fuerit, & verba mea in generatione, &c. Cõiunctio enim probat illam sententiam prædictam, sic & contraria sententia hic indicata, nempe, qui me confessus fuerit, confitebor & ego eum, probat sententiam alteram prædictam. Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam. Porro non satis Latinè interpres noster vertit in Luca, quę me erubuerit & sermones meos, & minus Latinè in Marco, qui me confusus fuerit, & verba mea, quod Latinius dici potest. Quemcunque enim pudet mei, & meorum sermonum. Additur autem in Marco.

In generatione ista adultera & peccatrice. Eo quod apud impios prædicatio Christi, & Euangelij ob humilitatem crucis ridicula sit, ac proinde apud illos possit esse ratio erubescendi Christum, & Euangelium. Per generationem autem adulteram, & peccatricẽ, non tantum intelligere voluit Iudæos, sed omnes etiã impios, sine quibus mundus nunquam erat futurus, sed qui prædicationem nominis Christi, & omnis virturis, ac iustitiæ semper essent irrisuri: quos adulteros vocat, quod à Deo defecerint ad idola, aut certè ad creaturarum nimium amorem. Quod autem dicit;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Filius hominis erubescet eum. Sic est accipiendum, quia filius hominis, talem indignum iudicabit, quem inter suos agnoscat, & dignabitur suis connumerare, veluti pudore afficiendus coram Patre, & Angelis si connumeraret. Addit autem commodè.

Cum venerit in gloria sua; Nimirum gloriâ suam opponens humilitati primi aduentus, ob quâ quosdam pudet eũ confiteri, aut suscipere. Dicta sunt autem quædam etiam ad hanc sententiã spectantia circa illud Matth. 10. Omnis ergo qui cõfitebitur me, &c.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui. &c Hæc sententia Matthæus, qui hanc solus posuit, idem probare voluit, quod reliqui duo Euangelistæ superiori sententia, nempe quod qui iam voluerit præterito Christo animam suam saluam facere, perdet eam, & contra qui propter Christum perdiderit, saluam faciet. Notandum autem quod in hac, & superiori sententia dicatur Filius hominis venturus in gloria Patris sui: quo significatur eandem esse Filij hominis gloriam quæ est Patris, ac proinde & eandem esse substantiam. Porro celeberrima est, & in Scripturis frequentes obuia sententia, qua dicitur hic in iudicio nouissimo reddendũ vnicuique secũdum opera sua, vt Psal. 61. Rom. 2. 1. Cor. 3. 2 Cor. 5. His autem sententijs Spiritus sanctus impetrimis quidem refellere voluit eos, qui fidei suæ, aut veri Dei agnitioni, & inuocationi nimis fidunt. Deinde refellere voluit fiduciam quorundam in virtutibus & benefactis aliorum, etiam si illa non imitentur. Postremũ scriptura his sententijs testari voluit Deum citra omnem personarum delectum omnes iudicaturum, iuxta quod quisque inuentus fuerit, secundum testimonium quod opera de eo perhibent.

Et dicebat illis: Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus. &c. Quoniam dixerat Filium hominis venturum in sua gloria, idque vel maximè prouocare posset, vt eum qui abiectus videbatur, predicarent, non solum omni pudore posito, sed etiam contempta propter eum & morte, & omnibus mundi huius bonis: ideo opportunè iam confirmat, quod dixerat se venturum in gloria: & quoniam, quod dixerat de suo aduentu, in tempora longa differẽdum erat, ne ob id minus crederetur, promittit etiam in præsenti vita, post breue tempus se reuelaturum quibusdam suam gloriam, & regnum suum, & cum solita sua asseueratione promittit dicens;

Amen dico vobis. Pro quo Lucas habet λέγω ὑμῖν ἀληθῶς. i. dico vobis verè, nimirum exponens dictionẽ Hebraicam Amen. Porro quod hic dicitur quosdam ante mortem visuros filium hominis in regno suo, varie intelligitur. Quidam enim intelligunt illud Dominum dixisse de sua transfiguratione. Nam cum omnes Euangelistæ mox subiungunt, veluti ostendere volentes implerum tum fuisse, quod his verbis Dominus fore promisit. Tunc ergo quidam illic stantium, nempe tres Apostoli, quos secum assumpsit, viderũt filium

filium hominis venientem in regno suo, hoc est in ea claritate, in qua veniet iudicaturus, & in qua cum sanctis suis erat regnaturus. Aut simpliciter venientem in regno suo. i. apparentem in gloria regni sui. Sic quod dicunt Marcus & Lucas.

Donec videant regnum Dei, Intelligunt, donec videant gloriã & maiestatem regni sui: Alij intelligunt istud Dominum dixisse de gloria in qua ab omnibus videndus erat post resurrectionem, & in ipsa ascensione. Tunc enim omnes viderunt eum in regno suo, secundum quod Dominus ipse eis dixerat in vltima cœna. Nõ bibam de hoc genimine vitis donec illud bibam vobiscum nouum in regno meo. Secundum hunc intellectum dicit Dominus quosdam illic stantium visuros, quia non omnes viderunt, quibus hæc dixit; siquidem conuocata turba cum discipulis suis hæc dixit ad omnes vt supra dixerũt Marcus & Lucas. Alij rursum, inter quos D. Gregorius, intelligunt dictum esse istud de regno Christi, quo per Euangelij prædicationem cœpit in toto orbe gloriosus aduenire, ac cum mira vbique virtute agnosci, & adorari saluator mundi. Cui sensui conuenit & illud quod dicitur ab omnibus Euangelistis, quosdam non morituros donec videant, &c. (illo enim significari videretur nõ ita subito implendũ, quod promittit) & illud quod habet Marcus, donec videant regnum Dei veniens in virtute, vel vt potius Græca verti debent, venisse cum virtute. Supra enim dominus præcepit Apostolis cum ad prædicandum eos mitteret, vt prædicarent regnum Dei appropinquasse, & venisse. Et calumniatoribus Iudæis respõdit: Si in Spiritu Dei ejicio demonia; profectò peruenit in vos regnum Dei. At tum nondum aduenerat regnum hoc cum virtute, sicut cum passim per orbem incredibili virtute Euangelium & prædicatum, & assertum à plurimis fuit. Hæc enim Regni Christi magnifica virtus circa vicesimum annum, ab ipsius passione fere exetit: ad quod vsque tempus indubiè multi ex ijs, quibus præsentem sermonem Dominus habuit, superstites fuere.

Porro sicut videre mortem, sic & gustare mortem, phrasis est Hebraica, pro experiri mortem & mori, ex qua phrasi fluxit illa locutio in Euangelijs; Bibere calicem mortis.

Transfiguratur Dominus. Matt. 17. Marci 9. Lucæ 9. CAPVT LXVII.

[E] * Actũ est autẽ post hæc verba, † fere dies octo. & assumpsit Iesus * Petrũ, & Iacobũ, & Ioannẽ * fratrẽ eius, & † * alios ascẽdit in montẽ vt oraret. & ducit illos in montẽ excelsum seorsum ▷ solos. Et facta est dũ oraret, species vultus ▷ ** alba eius altera. * & trãsfiguratus est ▷ ante eos. ▷ Et resplenduit facies eius sicut Sol, ‖ * & vestimẽta * facta sunt † * splendentia ▷ ▷ candida ▷ nimis ‖ * velut nix, ▷ qualia fullo nõ potest super terrã cã vllus dealbare.

dies sex ▷ ▷. *ante eos.* ‖ *. *vestimẽta autẽ* ‖ *. & ve-

dida facere. [1]Et [t]ecce [t] [s]apparuerũt illis [s] duo vĩri, erãt autẽ [▷1] Moy
ses & Elias', [b]& erãt [‖] [1]loquẽtes cũ Iesu', [s]visi in maiestate: & dice
bãt egressum eius quẽ cõpleturus erat in Hierusalẽ. Petrus verò, & qui
cũ illo erãt, grauati erãt somno. Et euigilantes viderunt maiestatẽ eius.
& duos viros qui stabãt cũ illo. Et factũ est cũ discederent ab illo, [*]
resp̃ndit [*] [1]Petrus [t] dixit' [▷] ad Iesum': [s]Domine [‖] [b]præceptor', bo
nũ est nos hic esse, [b]& [s]si vis, [1]faciamus [s] hic [1]tria tabernacula, tibi
vnũ, & Moysi vnũ, & Elię vnũ. [t] [b]Non enim sciebat quid diceret', [b]
erãt enim timore exterriti. [s]Hæc autẽ [s] adhuc [1] illo loquẽte, [s]ecce [s]
facta est [1]nubes [s]lucida, [s]& [▷] [1]obumbrauit' eos, [s]et timuerũt intrãtibus
illis in nubẽ. [1]Et [s]ecce [1]vox [t] [b]facta est' [1]de nube, dicens: Hic est filius
meus [▷] dilectus, [s]in quo mihi bene complacui, [‖] [1]ipsum audite'. Et [s]dũ
fieret vox, [s]audiẽtes discipuli cecidẽrũt in facies suas, & timuerunt val
de. Et accessit Iesus, & tetigit eos dixitq; eis: Surgite, & nolite timere.
Leuãtes autẽ oculos suos, [b]& statim circũspicientes, [s]neminẽ [b]amplius
viderũt, nisi [t]solũ Iesum' [b]secũ [&] [1]iam erãtes est Iesus solus. [s]Et descẽ
dentibus illis de mõte præcepit illis [s] Iesus, [b]ne cuiquã quod vidissent nar
rarẽt nisi cũ filius hominis à mortuis resurrexit, [s]dicẽs: Nemini dixeri
tis visionẽ, donec filius hominis à mortuis resurgat. [s]Et ipsi tacuerũt, [b]
& verbũ continuerũt apud se, conquirentes quid hoc esset, cũ à mortuis re
surrexerit. [s]& nemini dixerũt in illis diebus quicquã ex his quæ vide
rãt. [s]Et [▷] interrogauerũt eũ [s] discipuli eius [s] dicẽtes: Quid ergo dicũt [b]
Pharisæi et [s]scribæ quia Elia oporteat venire primũ? [‖] At ille' respondẽs
ait illis: Elias [s]quidem venturus est, [&] [b]cũ venerit primò [s]restituet
omnia: [b]& quomodo scriptum est in filiũ hominis, vt multa patiatur
& contemnatur. [s]Dico autem vobis, quia [b]& [s]Elias [s]iam [s]venit, &
[s]non cognouerunt eum, sed [s]fecerunt in eo quæcunq; voluerunt, [b]sicut
scriptum est de eo. [s]Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intel
lexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, &c. Si verba superiora, Sunt quidam de hic stantibus, intelligantur de Christi trãsfiguratione: iam manifestum est quare ab omnibus Euangelistis hæc narratio subiũgatur superioribus, nimirũ vt quod promissum erat a Christo ostẽderetur esse impletum. Si verò secundum aliorũ intelligentias prædictas superiora intelligantur: dicendũ Dominũ hac sua transformatione voluisse specimen quoddã dare suæ gloriæ, in qua dixerat se venturum in nouissimo die, & voluisse incipere adimplere promissionem illã. Sunt quidã de hic stãtibus &c. quæ tamen postea perfectius essent implenda. Atque ob id Euangelistæ tempus rei iam gestæ post prædicta verba accuratè annotauerũt, videlicet vt indicarent vel iam impletum esse quod promissum fuit, vel cœptum adimpleri: quia transfiguratio hæc, prælibatio fuit regni Christi, post magis aperiendi. Quare dissonã tia illa quæ inter Euangelistas videri esse potest, quod Lucas octo dierum

dierum meminit, Matthæus verò & Marcus sex dierũ, facile dissoluitur, si dicatur quod Lucas non dicat absolutè octo dies, sed ferè octo dies. Ideo autẽ dicit ferè octo dies: vel quia non constitit ei satis dierũ numerus, vel quia non post integros octo dies hæc facta essent, sed sex integros, & duorũ dierũ extremorũ aliquã partem. Quoniã autem nondũ erat tempus glorificationis, non manifestauit dominus suam gloriam omnibus Apostolis: & ramẽ quoniam pro fidei cõfirmatione gloriam suã quibusdã aperire debuit, quosdã ex Apostolis delegit, qui gloriæ Christi conspecte postea idonei testes essent apud alios, Itaque tres ad hoc delegit, vt secundum legẽ in ore horum triũ verbum hoc cõfirmaretur: & tres illos, quos inter duodecim Apostolos primo semper loco habuit: vt qui ob id quod primi, & præcipui essent inter Apostolos, præ aliis etiã perfectiore Christi cognitione donari debebant, ac certiores futuri essent gloriæ Christi post resurrectionẽ testes. Iacobus ergo ille cuius hic fit mentio, nõ ille est qui dicitur frater Domini a Paulo, & scripsit primã Epistolam canonicam, quem Paulus cõiungit Petro, & Ioãni ad Gal. 2. Hic enim dicitur, *Iacobũ & Ioannẽ fratrẽ eius*. Hos ergo Apostolos tres secum seorsum sumens Dominus, *ascendit in montẽ*, eumque *excelsum*, tũ quod hic locus, vtpote secretus, cõmodus esset orationi, & ostensioni gloriæ suæ, tum vt hoc ipso ascensu doceret eum, qui cælestẽ suam gloriã vellet mente cõspicere, oportere relictis omnibus terrenis curis, & cogitationibus suprà se eleuari ad cęlestium cõtemplationem. Porro Mons ille quis fuerit, nõ explicatur in scripturis: creditur tamen cõmuniter fuisse mõs Thabor, clarus victoria Barach, & Deboræ, qui & Thaburius dicitur Iosepho. Memorat autem Lucas Dominum ascendisse in montem, vt oraret, sicut hoc Domino fuit familiare, ac inter orandum transfiguratum fuisse. Quo sicut docemur recedere, & mentem subleuare cum orandum est, ita & illud monemur nos orãtes quodammodo in Deum transformari, quo certe cupidius orare, & cum Deo colloqui debemus. Quomodo autem intelligendum sit, quod dicunt Matthæus, & Marcus Dominum transfiguratum, vel vt habent Græca μετεμορφώθη, id est, transformatum, pulchre & doctè tractauit D. Hieronymus sic scribens: Quod dicit *transfiguratus est ante eos*, nemo putet pristinam eum formam, vel corporis veritatem amisisse, & assumpsisse corpus vel spirituale, vel aereum: sed quomodo transformatus sit Euangelista demonstrat dicens: *Et resplenduit facies eius sicut sol, &c.* Vbi splendor faciei ostẽditur, & candor vestium describitur: non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Hæc ille. Sed & Lucas satis indicat quomodo illa transformatio, vel trãsfiguratio debeat intelligi, cum pro eo quod alij dixerunt, transfiguratus est, ipse dixit.

Mõs Thabor.

Transfiguratio Domini quomodo facta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et facta est species vultus eius altera. Nō dicit aliam ei faciem factam, aut aliam faciei figuram, sed speciem. Claritas vero facies in Christo fuit ex innato diuinæ gloriæ fulgore, aut etiam ex beatitudine animæ Christi, quæ ab initio conceptionis semper beata, tamen dispensatione diuina radios suæ beatitudinis non diffundens in corpus, iam ad tempus permissa est sic in corpus suam gloriam diffundere, quomodo eam diffundet in resuscitatis sanctorum corporibus: nisi quod tunc diffusa in corpus gloria erit ei velut connaturalis, quæ nunc in Christo fuit velut transitoria passio. Tantam autem habuit Christus in toto corpore claritatem, vt ea transparente *Vestimenta eius viderētur esse candida, & fulgētia sicut nix*, aut vt Græci habent, sicut lux. Vnde discendum quanta sit futura claritas corporum nostrorum ignobilium post resurrectionem.

Et ecce apparuerūt illis duo viri, erāt autē Moyses, &c. Christo in gloria sua apparenti conueniebat adesse quoldam etiam gloriosos tum vt sua presentia ipsius gloriam magis illustrarent, tum vt suo testimonio aut horitatem Christi, & verborū eius Apostolis commendarent. Hos autē nullos alios potius esse cōuenichat quā Moysen & Eliā tum quod hi inter omnes veteres Prophetas maximē fuerunt Iudæis admirabiles ob insignia eorū facta, & miracula, tū quod Moyses legis auctor, Elias verò precipuus esset Prophetarū. Itaque horum præsentia demonstratum est & quanta esset Domini excellentia, vt eui illi summè omnibus admirabiles cederent & rursum legem ac Prophetas, in quo duo fere dfuiditur vetus Testamentum, Christo testimoniū concorditer reddere, tantū abest, vt quēadmodum Pharisæi calūniabantur legi ac Prophetis ipse contrarius esset. Peculiariter autē hi duo testes iā testimonium perhibebāt mortis Dominicę, quia, vt habet Lucas, *dicebāt excessum*, vel vt habent Græca ἔξοδον, exitum, hoc est mortem eius, quā in Ierusalem erat subiturus. Hoc enim erat quod supra dictum à Domino Apostoli abhorrebant, & veluti absurdum habebant, vnde oportebat eos horum testium authoritate confirmari, vt intelligerēt eadem illas scripturas, quæ Christum promiserant, etiam hanc eius mortem prædixisse, & iam olim sic a Patre cęlesti ordinatū esse, vt hanc mortem subiret. Quod autem Moyses & Elias etiam ipsi in maiestate, hoc est in gloria, & in claritate apparuerunt: non tantum valebat ad maiorem gloriæ Christi commendationem, sed etiam ad hoc, vt intelligerent gloriam, quam in Christo videbant, non illi fore propriam, sed communicandam etiam his, qui secundum superiorē Domini doctrinam sequerētur Christū, tollendo crucem, & perdendo animam suam: quemadmodum per hæc & Christus in suam glōriam, in qua iam apparebat, esset intraturus, & ipsi quoque iam in gloria apparebant, Siquidem & Moyses, & Elias pro Dei gloria multa grauia, vsque ad vitæ frequenter dissi-

Excessus Christi.

dissérimen perpessi sunt, vt nulli alij ante Christum magis.

Petrus verò, & qui cum illo erant grauati erant somno, Domino orante, Petrus & qui cum ipso erant more suo dormiebant grauati somno, quemadmodum & postea orante Domino, cum instaret tempus Passionis: vnde conijcere licet prolixitatem orationis Christi, & obseruate infirmitatem Apostolorum, quam benignè adeo Dominus tolerabat, & fouebat, donec ad maius robur proueheret. Porro causæ variæ assignantur, ob quas Petrus, vbi q; alijs fere mentior, dicerent *bonum est nos hic esse* Itaque vt causas has simul breuiter colligamus, quoniam Petrus a diuino illo aspectu consternatus fuit, & simul tamen mira dulcedine & voluptate perfusus, cupiens abeuntes Mosen & Eliam semper retinere, ac mortem Christi, quam horrebat, impedire, bonum est, inquit, nos hic esse [Portro annotandum illud quod est in Luca, *nesciens quid diceret*, non esse idem omnino cum eo, quod est in Marco. Non enim sciebat quid diceret. In Luca enim verbum dicere, est præsentis temporis, cum Græcè sit λέγει, in Marco verò futuri. Rursum in Luca pro quid, est relatiuum quod, vt sit non intelligens quod dicebat. In Marco vero Græca vetti possunt, Non enim sciebat, quid loqueretur, id est, loqui deberet.] Itaque cum præ feruore Petrus tacere nō posset, locutus est inconsiderata, & non intellecta, eo quod præ consternatione animi ignoraret quid aliud melius loqui debeter. Bene autem dicitur à Luca eum nō intellexisse quod dicebat. Non enim loquebatur ea quę auditis consona erant. Increpauerat enim supra eum Dominus à morte reuocantem, duos hos grauisti nos testes iam audiuit dicentes de eius excessu, quem in Ierusalē erat completurus. Quibus non cōuenit quod Petrus in monte manere vult. Iam imprudentiæ etiam erat existimare opus esse eis tabernaculis manu humana factis, quos tāta videbat gloria cōspicuos. Verisimillimū est autem Petrū agnouisse Mosen & Eliā ex colloquio ipsorum cum Iesu, in quo aut Dominus eos coprijs compellauerit nominibus, aut ipsimet expresserint, qui fuerint [Pietri enim potest, vt vterque ea dixerit, per quæ Christi mortem ipsi facto, vel verbo propheruerunt, vt Moyses quidem dixerit sic Christum in crucem fustolli debere, quomodo ipse in deserto exaltauerit serpentem: Elias verò sic illum debere expandi in crucem, quomodo ipse expansus fuit super mortuum puerum, vt illum vi uificaret; ac sic illum torrente passionum pertransito subleuandum in gloriam, quomodo ipse transito Iordane curru igneo raptus fuit in cælum. Quod si quæratur quomodo Moyses & Elias hic apparuerunt, an in propria persona, an non, & si in propria persona, an in proprio corpore, an in alio: probabile magis secundum Thomam habetur, Eliam quidem in vero ibi corpore adfuisse; Mosen verò in propria anima adfuisse, sed in corpore quodam

Universidad de Deusto
Biblioteca

dam assumpto, quomodo apparent Angeli;

Hæc autem adhuc eo loquente, ecce facta est nubes lucida, &c. Valde conuenienter nubes hęc diuinitus facta est. Primum quidē vt per eam veluti corrigeretur quod Petrus dixerat de construendis tabernaculis ac ostenderetur Christum non opus habere tabernaculis humana manu factis. Vnde velut hanc causam significare volens Matthæus; Adhuc inquit, eo loquente, ecce nubes lucida. Secundo nube ista factum est ne Apostoli magnitudine splendoris absorberentur, sed lucem intolerabilem nubes rēperater. Vnde dicitur nubes hæc eos metuentes obumbrasse. Postremum nubes ista facta est ad ostensionem præsentiæ Dei Patris. Sicenim in veteri testamento ferè in nube gloria Domini apparuit, ac prǫsentia eius ostēsa est, vt patet ex variis scripturæ locis, idq; ob id quod nubes res sit cęlestibus vicinior, quę in scripturis dicitur Dei esse tabernaculū. Itaq; quia nubes hęc Dei prǫsentiā declarauit, *Vox Patris de ea dicitur esse facta*, quę non ita potuisset cognosci cuius fuisset, nisi nubes Dei præsentiam declarauisset. De verbis autem illis;

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, &c. Dictū est supra. 14. Cap. Concord. circa Christi baptismum. Quod autē nunc additur, *Ipsum audite*, additum videtur rū ad corrigendū votum Petri dolentis abire Mosen & Eliam, tū n ad confirmandos animos discipulorū, nē detractarent ei credere, & obedire etiā in his, quę docturus erat, aut in specie diuersa ab his quæ docuerunt lex, & Prophetæ, aut carni inimica, qualia erat quæ mox docuerat de tollenda cruce. Cæterum quoniā naturale est, vt insolita, & inopinata mentem humanam perturbent, & quia diuinam maiestatē humana infirmitas capere nō potest; sicut nonnullus pauor Apostolos corripuit ex conspecta claritate Christi, idēque pauor in eis augebatur, cum intrarent in nubem: ita audita hac noua voce plena diuinę maiestatis, maiori adhuc timore correpti sunt ita vt prę nimio timore, nec non reuerentia diuinæ maiestatis quam agnoscebant esse præsentem, *Procidérunt facies suas*. Verum diuina benignitas nō diu patitur eos, qui sua causa turbantur, & maiestatis sugmetu concutiuntur, metu illo detineri, sed post turbationē, mox subinfert mentis tranquillitatem. Vnde & nunc Dominus Iesus, *accedens ad discipulos, tactus*, simul & voce sua metum ab illis depellit, dicens: *Surgite, & nolite timere*. Nec ineffícax fuit Christi contactus, & vox. Mox enim leuatis oculis circumspicientes viderunt Iesum eumque solum, vt intelligerent vocem illam ad ipsum pertinere, non ad Mosen, vel Eliam. Quod verō dicit Marcus;

Et verbum continuerunt apud se; verbum Hebraïca phrasi videtur positum pro facto, quemadmodum sæpe in scripturis. Lucas enim veluti exponens Macum dicit.

Et nemini quicquam dixerunt in illis diebus ex his quæ viderant, quam-

quamquam possit verbum etiam accipi proprie pro verbo, & sermone, qui erat de transfiguratione. Iam cum dicit Marcus, *conquirentes quid hoc esset cum a mortuis resurrexit*, vel, vt habent Græca, inter se disputantes, quid esset a mortuis resurgere: significare voluit eos nō intellexisse quod Christus dicebat de sua resurrectione.

Et interrogauerunt eū discipuli eius dicentes: Quid ergo, &c. Causa huius interrogationis dupliciter potest reddi. Primō vt intelligamus eos iam certissimos factos, quod ipse esset Christus, admirari quomodo Scribæ, hoc est, legisperiti ex Scripturis docerent Eliā debere venire priusquā veniret Christus. Id enim docebant ex Malachiæ testimonio, nō distinguentes inter duos Christi aduē tus (quos scripturę satis significāt) ac vt est verisimile, hoc argumē to apud populum probantes Iesum nō esse Christum. Aliter intelligi potest Apostolos, quia iā viderant Christi gloriā, & audierunt mentionē resurrectionis imminētis, post quam putabant eum gloriose regnaturum, admiratos quid illud esset quod scribę dicerent de aduentu Eliæ, quē viderāt recessisse. Nā talē quæstionis causam indicat D. Hieronymus. In Marco etiā additū legimus de Pharisæis, Græca tamē tantum habent, Quid dicunt Scribæ. Non enim Pharisæorum sed Scribarum erat ostendere, quæ erant Scripturarum.

At ille respondens ait illis: Elias quidem venturus est, &c. Comminuitur intelligitur hic Dominus loqui de duplici Elia, nempe Elia vero, quem dicit venturum, ante scilicet secundum suum aduentum; & Elia in spiritu, nempe, Ioanne Baptista, quem dicit venisse, antę primum scilicet suum aduentum. Secundum quam intelligē tiam dicendum Dominum non aperte satis respondisse ad propositam quæstionē; eo quod nō aperte distinxerit duos suos aduentusque ob id quod mysterii nondū satis essent capaces discipuli: sic tamē respōdit, vt scrupulū illis exemerit, ne propter dilatū Eliā dubitare possent de aduentu Messiæ; cū aperte dicat Eliā venisse, eūque significet fuisse Ioannē. Quod autem dicitur; *Et restituet omnia*; breuitatis causa dictum est, pro eo quod habet Malachias; & conuertet cor Patrum ad Filios, & cor Filiorum ad Patres eorum. Nā & hoc loco pro conuertet, Septuaginta idem habent verbum quod est hoc loco apud Matthæum ἀποκαταστήσει, id est, restituet. Quemadmodum autē dictum est in Cap. Concord 2. sic intelligendū est quod dicitur Elias omnia restituturus quomodo Christus dicitur Paulo instaurasse omnia, quę in cælis, & quę in terris: nimirū quia homines inter sese, & cū Angelis dissidētes, inter se, & cū Angelis atq; Deo pacificauit. Sic enim & Elias omnia restituet, quando incredulos Iudęos Gēbus credētibus vniet, & ad fidem Patriarcharum redire faciet. Aduerbiū autem primo, quod hic, & supra in quæstione discipulorū proprius, Græco more positum est, nō est cōiungendum cū restituet, sed vt patet ex propria

Elias quo modo restituet omnia.

quæstione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstione, iungendum est, cum venerit; quod verbum non esse futuri temporis, sed præteriti docent Græca. Quod autem sequitur in Marco;

Et quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur, obscuram habet connexionem & variè intelligitur. Quidam subintelligunt, & quomodo scriptum est in filium hominis vt multa patiatur, sic eueniet ei. Et pronomen, ei, quidam ad filium hominis referunt, sed melius secundum Bedam referetur ad Eliam, vt significetur Eliam passurum, sicuti & filius hominis Christus. Quemadmodum postea dicitur filius hominis passurus, sicut Elias in spiritu passus est. Atque hunc sensum credo aptiorem alijs: vt intelligatur Dominus ex passione Ioannis confirmare secuturam suam passionem, & ex sua rursum venturi Eliæ passionem: vt intelligant Apostoli non esse nouum, si Christus ab impijs patiatur, cum hoc ferè commune sit sanctorum maximè insignium, & qui vitia conantur extirpare. Quod autem in Matheo dicitur;

Elias iam venit, & fecerunt in eo quæcunque voluerũt. Sicut scriptum est de eo, cum nullum quis dare possit scripturæ testimonium, quo peculiariter de ijs, quæ passus est Ioannes sit aliquid prædictum: aut dicendum de motte Ioannis scriptum fuisse in libro aliquo, qui intercideri, aut in his quæ passus scribitur Elias, intelligendum etiam mysticè scriptum, quæ passurus esset Ioannes, vt qui per Eliam fuit præfiguratus. Sicut enim illum Iesabel Regina, ita hunc persecuta est Herodias, & vtraque vtrumque ob seuerius vindicatam religionem. Quod autẽ in Matthæo dicitur: *Sic & filius hominis passurus est ab eis*, cum non ab eisdem passus sit Dominus à quibus Ioannes: dicendum quod quemadmodum vetera præcedentia, non agnouerunt eam, & fecerunt in eo quæcunque voluerunt, debent intelligi habere quoddam suppositum generale, nempe impij, aut simile aliquid, ita & relatiuum (eis) ad generale illud refertur vt sit sensus, Impios fecisse quæ voluerunt in Ioanne, & ab impijs quoque Christum passurum: quam & Pharisæi, ac Scribæ in nece Ioannis consenserint, & ad eius captiuitatem inuerint, vt prius dictum est, & Herodes quoque Christo illuserit, & eius morti consenserit vt etiam ob id retẽtè ab eisdem Ioannes, & Christus passi dici possint.

Eijcitur dæmonium, quod non potuerunt eijcere discipuli. Matthæi 17. Marci 9. Lucæ 9.

CAPVT LXVIII.

ACTVM est autem, in sequenti die, descendentibus illis de monte, & veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est, & expauerunt [&] occurrit illi turba multa, & occurrentes salutabant eum. Et cùm venisset ad turbã interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis? Et ecce accessit ad eum vir vnus de turba genibus prouolutus ante eum [&] respondens exclamauit dicẽs: Domine magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, obsecro te respice in filium meum [&] miserere filio meo, quia vnicus est mihi, & lunaticus est, & male patitur. Nam quoties spiritus apprehendit eum, qui vbicunque eum apprehenderit subitò clamat, & allidit illum, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum [&] sæpe cadit in ignem & crebrò in aquam, & obtuli eum discipulis tuis, & rogaui discipulos tuos, & dixi vt eijcerent illum, & non potuerunt curare eum. Respondens autem eis Iesus dixit: O generatio incredula & peruersa, quamdiu apud vos ero vos & quamdiu patiar vos? Afferte huc illum, ad me. Et attulerunt eum. Et cùm accederet, & cum vidisset eum, statim elisit eum dæmonium, & spiritus conturbauit illum, & elisus in terram, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia, & frequenter eum in ignem et in aquam misit, vt eum perderet: sed si quid potes adiuua nos, misertus nostri. Iesus autẽ ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cũ lachrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meã. Et cùm vidisset Iesus concurrentem turbam, commminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans & multum discerpens eum, exijt ab eo, & demoniũm, & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent: Quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit, & curatus est puer, ex illa hora, & reddidit illum patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. Et cùm introisset in domũ, tunc accesserunt ad Iesum discipuli eius secreto [&] interrogabant eum, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere eum? Et dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus in nullo potest exire nisi in oratione & ieiunio.

Factum est autem in sequẽti die, descendentibus illis, &c. Sequenti die post Transfigurationem (cum, vt est verisimile, totam noctem Dominus in monte in orationibus peregisset) descenden-

tibus

homo
dixit
elidit
discipulis
occurrit
quis tuis
Qui
respondens
ait
infirmus
eius
quoties
usque ero
vobiscum
sustinebo
vos
adduc filium
tuum
dissipat
increpauit illum Iesus
increpauit Iesus spiritũ immundum.
curauit puerũ
A. 12. 11.
B. 11. 12.
B. 17. 98.
nõ ejicitur nisi per orationem & ieiunium.

tibus illis de morte, vel potius, vt habent Græca, cũ descendissent illi de mõte: vt significetur illa, quę prius dicta sunt cõtigisse inter descendẽdum (suprà enim vbi hæc verba etiã habentur in Matthæo, & Marco est participium præsentis temporis, hic præteriti) hęc vrò post descensum: veniens Dominus ad discipulos alios à se relictos, videt, *turbam multam circum eos*, inquit Marcus, & legisperitos disputãtes cum eisqui cum verebantur congredi cũ Domino, nacti iam occasionem, diuexare rudes discipulos instituerant, quo vel specie victorię apud plebem imperitam obtinerẽt. Dicitur autem apud Marcum populus etiam obstupuisse viso Iesu: nimirum ob inopinatum eius & subitum aduentum; cũ nescirent vbi prius fuisset, aut vnde venisset, & propter aduentus eius opportunitatem quasi præcognouerit scribarum inuasionem, ideoque ad discipulorum auxilium venerit. Forsitan & splendor aliquis relictus in vultu Christi ex præcedente transfiguratione, causa fuit obstupefactionis populi, quemadmodum splendor vultus Moysi, postquam è monte descendisset. Cui benè conuenit, quod additur in Marco, *Et expauerunt*: quanquam duas illas dictiones Græca non habent. Idem Marcus habet Dominum interrogasse eos.

Quid inter vos conquiritis? pro quo Græca habent, & interrogauit Scribas; Quid conquiritis (vel disputaris) cum illis, nempe discipulis: quo videtur Dominus notare scribas, quod ipsi scripturarum cognitionem sibi pollicentes, ac magistros aliorum se profitentes, se absente, eum his qui tantum discipuli essent, & scripturarum rudes disceptarent. Nostra ergo litera, vt quam proximè accedat ad Græcorum lectionem sic est accipienda; *Et interrogauit eos*, nempe discipulos & Scribas inter se disputantes; Quid inter vos conquiritis, id est, disputatis. Interrogat autem Dominus etsi disputationis conscius, vt sic discipulos à scribarum diuexatione liberaret, & miraculo occasionem præberet. Quæ autem fuerit disputationis inter scribas, & discipulos materia non aperte quidem dicitur, sed tamen satis colligi potest ex sequentibus, cum dicitur ad Domini questionem respondisse, qui filium suum dæmoniacum attulerat. Hinc enim apparet disputationis occasionem fuisse ex eo, quod discipuli non potuerunt eijcere dæmonium, itaque quanquam Dominus interrogaret scribas, aut scribas simul & discipulos quid disceptarent: nullus tamen eorum respondere: quod respondere non auderent, eo quod discipuli cõsuli essent de sua impotentia, scribæ conscii de suo calumniandi studio: tum quod is, qui disputandi dedit occasionem, præ nimio salutis filij desiderio omnes præueniens, suam causam Domino quam velocissimè studeret commẽdare de exposita eius erga omnes benignitate confidens, vt non putaret sibi opus esse discipulorũ patrocinio, ac

nio, ac de eius potentia maiorẽ habens fidem, quam de discipulorum. In quo præter piã pro salute filij paternam qi solicitudinẽ, ob seruanda est ipsius orãtis & humilitas, & ardor: Humilitas quidẽ, quia in genua ante Dominum procidit, Dominũ ac Magistrũ eum appellans; ardor verò, quia exclamauit, & calamitatem filij in suã miseriã redundantẽ tam diligẽter expositit: duas causas in oratione proferens, quibus misericordissimum Dominum ad misericordiam flectere studuit, nẽpe quod filius esset, isque vnicus, pro quo deprecabatur, quodque malo grauissimo, tristissimo, & insuperabili discipulis miserè affligeretur. Notãdum autẽ quod Matthæus lunaticum vocat, quem Marcus dicit habere Spiritum surdum & mutũ. Lunaticus enim propriè dicitur, qui morbo comitiali, aut caduco laborat: sic dictus vel quod eum patiputãtur ferè, qui inter lunio nati sunt, vel quod pro mutatione Lunæ is morbus accidat ex augmento, aut decremẽto humorũ cerebri, quibus dominatur Luna. Cum autẽ hic morbus dicatur à medicis esse naturalis, merito hic dubitatur, quomodo lunaticus iste dicatur habere spiritum immundum. Igitur aut dicendum est hunc puerum lunaticum dici, nõ quod verè talis esset, sed quod similia pateretur, quæ lunatici pati solent, quia scilicet non semper affligeretur sed certis temporibus, cadens, spumans, seque collidẽs (Sic enim videtur sentire D. Hieronymus.) Aut dicẽdum morbum comitialẽ, etsi putetur esse naturalis, & causæ quædã naturales concurrant, non esse tamen purè naturalem, saltem frequenter, sed accidere ex Dęmonio interius hominẽ possidente, & affligente certis tẽporibus. Sic enim apertè sentit Origenes. Certè nostros caducos eadem videmus pati, quæ hic arreptitius dicitur passus, quos frequenter ea pati videmus, quæ non naturalia possunt videri, sed planè diaboli cæci vt cum certos quosdam blasphemant sanctos, quorum inuocatione passio curari solet. Itaque crediderim hanc passionem frequenter sicut & phrenesim à diabolo fieri in hominibus. Restat explicare singula, quę pater pueri recenser, morbi grauitatem Domino exponens.

Lunatẽ eius

In Matt. cap. 4.

In Matt. hom. 4.

Vbicunque, inquit, vel vt habent Græca ὅταν, quod etiam potest esse quandocunque spiritus apprehendit. (Non enim vbique aut semper spiritus eum afflixit? *subito clamat*, vocem scilicet, sed inarticulatam ædens, quia dixit Marcus eum habere spiritum mutum. Deinde verò Marcus quatuor dicit, quę ordine sequi solent in arreptitijs & caducis.

Allidit inquit, *illum, & spumat, & stridet dentibus suis, & arescit.* In quorum verborum primo supponitur est Spiritus, in reliquis tribus, puer ipse. Pro allidit autem Græcè est ῥησσει, quod magis est lacerat significatur tamen idẽ, nẽpe quod dęmonũ ipsum in terram dejecerit, ac miserere conuellerit Casum & conuulsionem

sequitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

sequitur spuma. Vnde Marcus addit, & spumat, Lucas vero dissipat cum spuma. Hanc sequitur stridor dentium, de hinc ariditas. Hinc dicit Marcus, stridet dentibus, & arescit, id est, sine sensu efficitur, impos factus omnium suorum membrorum ac huiusmodi vexatione plane contabescens. Lucas his addit id, quo patet præter mali grauitatem significauit etiam mali diuturnitatē. *Vix*, inquit, *discedit dilanians eum*. Quod autem Matthæus breuitati. in recensendo hoc miraculo, sicut & alias fere semper, studens, his omnibus omissis dicit; *Sepè cadit in ignem, & crebro in aquam*, Ex Marco patet non in primo isto sermone patris dictū, sed in secunda responsione, quam omittens Matthæus, coniunxit quæ cum secunda responsionis dicta cum dictis in prima responsione, nihil in hoc veritati preiudicans. Deinde vero ab omnibus subiungitur id, quo patet inter significauit malum filij esse admodum potēs, vtpote quod insuperabile fuerit omnibus suis discipulis simul. Obtulit, ait, eum tuis discipulis, quandoquidem scilicet te præsentem non inuenit, & rogauit eos, vt ejicerent dæmonium, cumque omnes conatentur, non tamen potuerunt.

Respondens autem eis Iesus dixit: O generatio incredula, &c. Quoniam incredulitas patris, & ipsorum quoque discipulorum, causa fuit impotentiæ ejiciendi dæmonium, vt patet ex sequentibus, hinc Dominus desumpsit occasionem in genere redarguendi Iudaicæ gentis incredulitatem, & peruersitatem, reijciens etiam impotentiam discipulorum, de qua patet pueri querebatur, in ipsum qui querebatur. Et rectè quidem iam in genere redarguit Iudæorum incredulitatem pertinacem, quod multi præsentium, vt est verisimile, de discipulis & Christo inconuenientia cogitauerint ira que cum dolore & indignatione dicit: O generatio, hoc est, natio incredula, & peruersa, hoc est, distorta. Peruersum enim hominem proprie dicimus, qui nulla ratione ad melioterem frugem reduci potest. Itaque non tantum incredulam dicit generationem, sed etiam peruersam, significare volens pertinacem eorum incredulitatem, vt à qua tot æditis miraculis non potuerint auocari, & ad fidem adduci. Ob hanc ergo insuperabilem Iudæorū infidelitatem addidit Dominus, *quousque ero vobiscum, quamdiu vos patiar?* Quibus verbis non vult significare se dubitare quanto tempore cum illis esset conuersaturus, sed tantum significat se molestè, & cum dolore ferre eorum pertinaciam incredulitatem, quā omnino cuperet eos deponere. [Rectè tamen etiam hac locutione intelligitur Dominus significare voluisse se desiderare mortem, vt vult Chrysost. ac futurum aliquando vt propter pertinacem infidelitatem Iudæi derelinquantur à Christo Gentibus ipsum derelinquentibus, recipientibus.] Quanquam autem his verbis Dominus nonnullam indignationem, & iram declararet: ex his tamen

quæ sequuntur demonstrauit se non hominibus, sed vitio iracundiæ quæ inerat patri, cum iubet: *afferte illum ad me*. Iubet autem adduci illum ad se, quem absentem curare potuisset: vt præsente dæmoniaco, mali magnitudo adstantibus innotesceret pro defensione discipulorum, & cognosceretur dæmonium contra Christum cōtumacitas in redargutionem scribarum, ac patris imperfecta fides repesceret, eaque perficeretur ante filij curationem. Adducitur itaque filius ad Dominum. Cum autem adhuc accederet tantū, inquit Lucas, & cum filius vidisset Iesum, vt habet Marcus, nec adhuc ad Christum venisset: mox *spiritus cœpit puerū cōturbare, cōuellere, & dissipare*, quo ostensum est, qua ille abhorreret Christi præsentiā. Inde Marcus: Et cum vidisset eum, magis cōuenit intelligere, cū puer vidisset Iesum. Iam autem vt manifestior fieret pro discipulorum defensione mali grauitas, ac patris imperfecta fides manifestata corrigeretur, quærit Dominus ex quanto tempore hæc passio puero accidisset. Respondit ille, *ab infantia*, adijciens præter diuturnitatē mali etiam pericula extrema, quæ frequenter filius sit passus.

Frequenter, inquit, *enim in igem & in aquam misit, vt eū perderet.* Ex quibus verbis præter magnitudinem mali, duo nobis intelligere datum est. Primum quod Diabolus non semper, vt quidam putant, propter meritum propriorum peccatorum quosdam possideat, & diuexat. Ab infantia enim puer hunc malo fuit obnoxius, non quidem, vt certum est ob propria, saltem actualia peccata, & fortasse etiam non ob peccata parentum, sed vt manifestaretur gloria Dei in ipso, vt postea dicitur de cœco à natiuitate. Secundum est, quod Diabolus exitialis sit humani generis hostis, nihil non tentans, quo eos, qui eius potestati sunt permissi, perdat crudeliter: nihil tamen illum amplius posse, quam ei à Deo permittitur, ac Deus angelorumque custodiam non deesse etiam his, qui ei permissi sunt diuexandi. Porro pater in fide infirmus, metuens ne ob diuturnitatem incurabile esset malum, quasi ob id interrogasset Dominus de tempore.

Si quid potes, inquit, *adiuua nos misertus nostri*. Dominus autem imperfectam eius fidem redarguens, eamque perficere volens, etiā alludendo ad eius verba, dicit.

Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Itaque Pater ex sua fide intelligens pendere optatam filij salutem, & in fidei confessionem alacer erumpit, & imperfectæ suæ fidei respectum, ac meritum deprecatur, dicens cum lachrymis.

Credo Domine, adiuua incredulitatē meā. Hoc est, imperfectā meā fidē. Sic enim hic accipere oportet nomē incredulitatis, ne sit in verbis cōtrarietas. Hæc autē verba, adiuua incredulitatē meā, nō sic videntur accipienda, quasi his petierit fidem suam perfici à Domino, vt sit idem cum eo, quod Apostoli postea orabant, dicentes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domine, adauge nobis fidem, Sed tantum voluit petere, vt quoniam audiuit a fide omnia pendere Dominus sua potentia id suppleret, quod fidei imperfectio non impetrabat: vt sit sensus Credo Domine te hoc posse, sed si quid adhuc fidei deest, tu queso id supplere vt si non sufficiat mea fides, id tamen quod volo, adiuuante me tua potentia consequar.

Et cum vidisset Iesus accurrentem turbam comminatus est spiritui immundo, vel increpauit spiritum immundum. Hæc autem increpatio, vel comminatio, nihil aliud intelligi debet quam præceptū Christi vrgens, & imperiosum, quemadmodum in superioribus sæpe dictum eū increpare, vel comminari accipi simpliciter prodire, & imperiose præcipere. Nam quomodo, & quibus verbis comminatus est Iesus spiritui Marcus testatur; *Increpauit*, inquit, *dicēs illi surde, & mute spiritus ego præcipio tibi exi ab eo, & amplius ne introeas in eum*. Quibus verbis authoritatiuam suam potestatem in dæmones declarans, duo præcepit dæmoni, vt & exiret & amplius eū non repeteret, eo quod perdiuersa tempora, & per vices illum repeteret. Dominus enim suum beneficiū voluit esse nō tēporarium, sed perpetuū. Cum autē in Matthæo legimus; *& increpauit illū Iesus*, relatiuū illum referri debet ad id, quod etsi nō sit expressum prius ab illo, indicatum tamen est satis, cū dicit puerum fuisse lunaticum, & cū subdit, exijt ab eo dæmoniū. Quod autē, vt habet Marcus, dæmonium exclamans, & multum discerpens eū, vel potius vt Græca verti debent, cum exclamasset, & multum eū dilaniasset, a conuulsisset exijt ab eo, relicto ipso tanquā mortuo: demonstrabat quā ægrè ferret, quod cogeretur Christo obedire, ac hominē relinquere, quē torquere sibi volupe erat. Cum ergo hac permissione dæmonij malitia, & nocendi studiū ostensum fuisset, suā cōtra Dominus bonitatē, & potentiā ab omni malo dæmonum liberantē declarās, manu sua pueri manū cōtingens, eumque eleuās, sic mox eū desperatum restituit, vt nō sensim viribus suis redderetur, sed subitō, quasi prius nihil nocumēti pertulisset. Nec iam illū sibi, vt verē potuisset, suoque seruitio vsurpauit, sed reddidit illū Patri eius, cui dæmoniū sic illū subtraxerat, vt verius dæmonij esset mancipiū, quā Patris filius. Itaque meritō omnes stupebant propter magnificentiam potentiæ diuinæ, quam conspiciebant magnificè operari in Christo. Non enim putabant ipsum propria operari virtute, vnde non dicitur: Stupebant autem omnes in magnificentia eius, sed Dei: Magnificentia autem hæc erat, quod imperio solo tam potens malum adeō cito & perfectè sublatum erat.

Et cū introisset in domū, tunc accesserunt ad Iesum discipuli. Cœperat discipulos sollicitudo quædam humana, ne quid imprudentes offendissent Dominum, & sua culpa virtutem ædēdi miracula sed

mel ipsis à Domino traditam perdidissent. Itaque opportunitatē loci nacti, cum scilicet in domum introisset Dominus, semotis arbitris seorsum Dominum rogant.

Quare nos non potuimus eijcere eum? Cum semel nobis à te tradita sit potestas quotuis eijciendi dæmones? Dominus itaque qui suorum imperfectionem apud populum aperire noluit, quod futurū esset totius orbis magistri seorsum impotentiæ ipsorū causam ad ipsos pertinentem indicat: cum apud populū causam impotentiæ indicauerit, quæ ad ipsum populum, & Patrē pueri pertinebat. Redditur autē apud Matthæū a Domino duplex causa quare Apostoli non potuerint eijcere illud dæmoniū. Primo enim dicit, *propter incredulitatem vestrā*. Hoc est diffidentiam, & fidei imbecillitatem. Sic enim etiam hic accipitur incredulitas. Et quidem supra imputauit incredulitati Patris, quod non fuerit eiectum dæmonium: significans si satis credidisset filium suum curandum fuisse etiam à discipulis. Hic veto incredulitati discipulorum imputat, quia & hæc partim fuit in causa. Nam si fuisset in eis tanta, quantam oportebat, potuisset alienæ diffidentiæ esse præsidio. Causa autem diffidentiæ quæ iam fuit in discipulis esse potuit, quia forte cernebant, ex Patre etiam audiebant malā magnitudinem, & atrocitatem; aut quia metuebant, ne potestas eis tantum competeret dum essent in legationes aut quia, vt habet D. Hilarius, Domino in monte demorante, & ipsis cum turbis residentibus, quidam tepor ob Domini absentiam, eorum fidem retardaue rat. Porro quo Dominus fidem suorum augeret, ac doceret, quanta sit eius vis, si modo fortis sit & vehemens, subijcit; *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum synapis, &c.* Accipitur autem hic fides, non pro ea virtute à qua dicimur fideles pro firmo scilicet assensu eorum quæ de Deo, & Christo sunt credenda, quam fidem habent omnes Christiani, & tum habebant omnes Apostoli: sed accipitur pro fide signorum, quam Paulus ponit ad Cor. 12. inter diuisiones gratiarum, quas Spiritus sanctus diuersis impertitur varie prout vult. Huiusmodi autem fides non est aliud, quam fiducia impetrandi, vel faciendi miracula cū opus est, aut vtile, inuocato nomine Dei: Quod autem Dominus fidem grano synapis comparat; significare voluit fidem acrem, vehementem, feruentem, & efficacem: sicut granum synapis maximam eum atterit acrimoniam & vehementiam habet, & in tetram protectum magnam de se producit arbotem. Non enim hic Dominus videtur respexisse ad quantitatem grani sinapis, sed tantum ad eius qualitatem & efficaciam. Fidem autem eiusmodi perfectam Dominum hic requirere, etiam ex alia sententia Domini satis multi huic manifestū est. Dicit enim Matt. 21. Amē dico vobis si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, nō solum de ficulnea facietis,

Fidei cum grano synapis comparatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etsi monti huic dixeritis: Tollere & iactare in mari, fiet. Ideo autem Dominus singulariter in his sententijs meminit translationis montium, quod res omnium difficillima, & impossibilis vulgo haberetur transferre montem verbo. Notandum autem quod hac sententia Dominus non tantum commendare voluit fidem faciendi, vel impetrandi miracula, ne ad nos eam, vel parum, vel nihil pertinere putemus: sed in genere fiduciam quiduis impetrandi a Deo, vel faciendi per Deum, quod recto rationis iudicio volumus ad nostram, aliorumque salutem, ac Dei gloriã. Vnde Matt. 21. Vbi diximus esse similem sententiam, subiungitur; Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis. Quoniam autem Dominus ideo meminit translationis montium, vt significaret rem quamlibet difficile, ac naturæ impossibilem credenti esse possibilem, ideo subijcit: *& nihil impossibile erit vobis.*

Hoc autem genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio. Alteram hic reddit Dominus causam, quare non potuerint eijcere demonium discipuli, quam solam ponit Marcus, nimirum quod huiusmodi dæmoniorum genus, quale fuit illud de quo iam dictum est, oratione, & ieiunio eijci debet, quibus nõ vacauerant discipuli illi in multitudine versantes, sicut Dominus vacauerat, qui iam rediit cum tribus a recenti precatione, in qua totã noctem, & magnã diei partem si non integram, transegerat ieiunus permanens. Recte autem hic intelligitur Dominus non quidẽ in genere de omnibus loqui dæmonijs, vt volt Chrys. nec peculiariter. lunaticorum genus designare voluisse (vt intelligit Theophyl.) sed genus dæmonum & pessimorum, & qui iãdiu aliquem possederunt, & malã sedẽ in naturã sit versum, quale erat dæmonium prædictum, quod ab infantia dæmoniacum hunc afflixerat, etiam in ignẽ. & in aquam eum frequenter mittens, cupidum perditionis eius. Quod vero Dominus iam exigat ad expulsionem quorundã dæmonum orationẽ & ieiunium, cum in superiori sententia solam fiduciam perfectam significauerit sufficere ad perficiendum quiduis, ac proinde etiam ad expellẽdum quoduis dæmonium: dicendum prius quidem Dominum indicasse id quod ad omnia miracula facienda est generale, hic vero id, quod est peculiare, & proprium ad expulsionem quorundam dæmonum. Nec excludit illud generale, istud peculiare: quia non est dictum solam fiduciam sufficere, sed fiduciam perfectam esse necessariam, & sine illa non posse fieri miracula. Deinde oratio, & ieiunium, quæ Dominus requirit proficiscuntur ex fiducia perfecta, atque ob id requiruntur vt eam augeant ac magis, magisque excitent. [Est tamen & alia ratio peculiaris, quare expulsuris dæmones necessaria sit oratio, & ieiunium, nimirum quia per hæc duo homo in spititualem quandam naturam ascendit, qua aduersus Spiritus luctam habet aptiorem. Per ieiunium enim

enim domatur carnis rebellio, per orationem roboratur in nobis spiritus. Cũ autem hæc discipulis interrogantibus quare non potuissent eijcere dæmonium, seorsum sint dicta, veluti pro causa, quam solam Marcus ponit: intelligendum significatum esse hæc esse necessariorem sanaturo, quomodo intelligit Origenes, cuius sententia hoc loco diligenter est annotanda.]

Statere in ore piscis inuento soluitur didrachma, ac mors prædicitur. Mat. 17. Mar. 9. Luc. 9.

CAPVT LXIX.



ET inde profecti pretergrediebantur Galilæam nec volebat quenquam scire. *Conuersantibus autem eis in Galilæa, omnibus & mirantibus in omnibus quæ faciebat.* *docebat* * *discipulos suos, et* † *dicebat* ▷ *illis* ‘ *Iesus:* ‘ *Ponite* † *dixit vos in cordibus vestris sermones istos:* * † *Filius* ‘ ▷ ‘ *hominis* ‖ *futurum est vt tradatur* ‘ *in manus hominum,* ‘ *& occident eũ, & occisus. tertia die resurget.* *At illi ignorabant verbum* ‘ *istud, & erat velatũ* * *ab eis vt non sentirent illud* *& timebant interrogare eum* ‘ *de hoc* ‖ ‘ ‘ *verbo.* ‘ *Et contristati sunt vehementer.* *Et venerunt Capharnaũ.* ‘ *dendus est* *Et cum venissent Capharnaũm, accesserunt qui didrachma accipiebãt* ‖ *. tradead Petrum, & dixerunt ei. Magister vester non soluit didrachma? Ait: sane Etiã. Et cũ intrasset in domũ, præuenit eũ Iesus dicẽs. Quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij: vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem illum sumens da eis pro me & te.*

Et inde profecti pretergrediebantur Galilæam, &c. Sciendum Græca pro, prætergrediebantur Galilæam habere paulo aliter, nempe παρεπορεύοντο διὰ τῆς γαλιλαίας, quod Erasmus sic vertit: Iter fecerunt per Galilæam: quamuis hac versione non explicetur Præpositio. παρὰ. quæ eodem teste significat clam, & velut in trãsitu, obiterque eos fecisse iter per Galilæam. Vnde in hoc sensu oportet etiam intelligere nostram literam; cui non repugnat quod dicit Matthæus: Conuersantibus autem eis in Galilæa. Nam cum iter facerent per Galilæam, vtique in Galilea conuersabantur. Ordo ergo Historiæ sic se habere videtur. Vbi Dominus reddidis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

set Patri filium suum sanum stupebant omnes, vt habet Lucas, Dominus autem illum vulgi stuporem nihil morans, atque ad id se parans, quod ex Patris decreto faciendum imminebat; illinc mox digressus, hoc est ex finibus Cesareæ, in quibus verisimile est superiora esse gesta, & in quibus dixerat necessitatio sibi eundum Hierusalem: versus Hierosolyma per Galilæam recta iter instituit, & ne illi aliqua mora fieret, aut quisquam impediret, ne relicta in totum Galilæa Hierusalem adiret illic permansurus; & occidendus, noluit quenquam scire, sed latere voluit, quantum fieri potuit: vtque iam ibat ad supplicium, ita suorum animos vt id rectè ferrent, nec in illo nimis scandalizarentur, confirmare, & munire voluit, rursum illis suam passionem, & resurrectionem prædicens. Quam prædictionem tres quidem Euangelistæ rursum simul commemorant, sed tamen diuersa occasione eam adferunt. Nam Marcus quidem hanc prædictionem adducit pro causa ob quam noluit quenquam scire. Sic enim habet secundum Græcos. Nec volebat quenquam scire. Docebat enim discipulos suos, &c. Nō enim est Græcis δὲ id est, autem, vt nos legimus, sed γὰρ i. enim. Itaque significatur ideo neminem voluisse scire, quia discipulos docebat iam instare tempus suæ passionis subeunde in Hierusalē. Qua ratione attenta, illud quod Marcus dicit, *Nec volebat quenquā scire*, Videtur sic intelligendum; Non volebat quenquam scire, quod iam iter faceret per Galilæam, eam derelicturus, & profecturus in Hierusalem: ne scilicet eius profectio aut retardaretur, aut impediretur à Galilæis; quorum procul dubio magna para eum diligebat, eumque retinere cupiissent. Lucas vero occasione admirationis populi dicit à Domino prædictam suam passionem, & mortem. *Omnibus*, inquit, *mirantibus in omnibus*, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos, &c. Significare volens Dominum turbis admirantibus intulisse discipulos suos magis cogitare, quæ breui erat passurus, quam quæ modo de eo prædicabant gloriose turbæ. Matthæus vero nullā occasionem eius prædictionis adferens, simpliciter dixit: Cōuersantibus illis in Galilæa dixit illis Iesus, &c. Significare volens Dominum hæc prædixisse pro confirmandis & muniendis suorum animis, idque eum adhuc esset in Galilæa, & nondum eorum qui erant in Hierusalem odium, & malitiam multum expertus esset: vt magis crederent planè voluntariam, & à Patre prædefinitam fuisse eius passionem. Quod autem dicit Lucas;

Ponite vos in cordibus vestris. Vel vt habent Græca (in auribus vestris) *sermones istos*, dupliciter potest accipi. Communiter enim intelligitur per sermones istos designari sermones, & verba Domini sequentia, quibus prædicit suam mortem: vt significetur Dominum turbis magnificè de ipso sentientibus, & loquentibus, suos peculiariter auocasse ab attentione eorum, quæ turbæ de eo gloriosè loquebantur, ad considerationem humilitatis quæ postea erant offendendi, & ad cuius imitationem erant præparandi: Itaque secundum hunc sensum emphasis est in pronominibus vos, & istos. Nam per vos, distinguit suos à turbis, per istos sua verba, à verbis turbarum. Potest tamen etiam aliter locus hic intelligi, vt per sermones istos demonstrentur verba populi, & sit hic sensus. Attendite ad ea quæ modo de me homines loquuntur, vt in ea de me sententia, in qua nunc estis perseueretis. Futurum est enim, vt longè aliter mecum actum sit hominibus. Ad hunc sensum inuitat coniunctio enim, quæ secundum priorem sensum videtur esse superflua. Porro Dominus in hac iterata passionis suæ prædictione, omissis quibusdam prius dictis, aliquid tamen iam amplius dicit de ea; nempe quod tradendus sit in manus hominum, nimirum à Iuda, aut etiam à seipso, & Patre. Nam & Patrem Paulus dicit Filium suum tradidisse pro nobis Rom. 8. & ipsum Filium semetipsum ad Ephes. 5. Magis autem conuenit accipere de traditione Iudæ, quia ea hic dicere instituit, quæ ad suam pertinerent ignominiam. Quod autem sequitur apud Marcum & Lucam discipulos ignorasse verbum istud, id est, sermonem hunc, & fuisse velatum ante illos, hoc est, vt habent Græca, absconditum ab illis, vt non sentirent, id est, intelligerent illud; videtur esse contrarium ei quod Matthæus dicit. Et contristati sunt vehementer: Ex eo enim sequitur eos verba Domini intellexisse: proinde dicendum discipulos, quia tam apertè, & frequenter audiebant Dominum mortem suam prædicentem, putasse quidem ita futurum quemadmodum asserebat, & ob id contristatos fuisse, idque vehementer, quia scilicet vehementi illum amore prosequebantur, ignorasse vero quomodo is, quem non dubitabant esse Christum, quem gloriosè regnaturum expectabant, talia pateretur, & quam ob causam mortem esset passurus, quam posset effugere. Timebant autem eum interrogare de hoc sermone, quia metuebant audire quæ nollent, videlicet illud; Adhuc & vos sine intellectu estis? maxime quia Petrum increparum audierant à morte reuocantem.

Et cum venissent Capharnaum. accesserunt qui didrachma, &c. Didrachma legendum est in plurali numero. De his autem didrachmis, quorum hic fit mentio, & quæ à Domino exigebantur; variæ sunt sententiæ: Attamen ex sequentibus satis patet didrachma hæc non exigi secundum legem, sed secundum præceptum Romanorum, quibus Iudæi iam erant facti tributarij. Quærit enim Dominus à Petro à quibus Reges terræ accipiant tributum vel censum; quo manifestè significatur didrachma hæc exacta fuisse pro tributo, & censu Romanis debito. Nam

De didrachmis

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Matthæus vtitur dictione Romana κῆνσος, id est, census. [Incertum tamen quando, & à quo primum hoc tributum didrachmi à Romanis cœperit imponi Iudæis, an scilicet à Pompeio, qui Hierosolyma fecit obnoxia tributo, an ab Augusto in ipsa descriptione, quemadmodum supra dictum est, quod tane vel ob id est verisimile, quod Pompeius non legatus etiam Galilæam fecisse tributariā, sed Iudææ tātum & Hierosolymæ.] Porro didrachmū valebat septē stupheros nostrates, aut quod idē est, septē solidos Gallicos Turonicos, eratque vnus nummus, qui etiā dicebatur *Bouinus*, quod nota bouis percussus esset. Id ob id annotandum duxi, vt intelligamus quare potius hic tributum debitum à Iudæis vocetur didrachmum, quàm duæ drachmæ, & quare Attico nomine Romani hoc tributum vocabant: nempe ob id fortè quod nimisma ipsorum eius ponderis non haberet proprium nomen Latinum. Stater autem nomen item Atticum, significans propriè mediam vnciam ad nimisma translatum didrachmi duplum est, vt etiam ex hoc loco est manifestum, valeratque quatuordecim solidos gallicos, aut stupheros nostrates. Iā & illud facile intelligi potest ex superioribus, qui fuerint hi, de quibus hic dicitur, *accesserunt qui didrachma accipiebant*. i. qui didrachma accipere soliti erant, aut quibus hoc ex officio incumbebat, nimirum qui dicuntur in Euangelijs publicani, à publicis vectigalibus, quæ recipiebant nomine Romanorum. Hi ergo in Capharnaum petunt à Domino didrachmum, quod per singulos annos erat viritim Romanis persoluendum: siue quia ciuitas Nazareth, vt erat parua, subiecta esset Capharnaum metropolitanæ ciuitati, vt vult D. Hieronym. siue quia Dominus vt ex superioribus patet, habitabat cum suis in Capharnaū adeo vt Matth. 9. dicatur ciuitas eius. Tributum enim illud & census post illā primam descriptionem factam sub præfecto Cyrino, non soluebatur amplius in his locis, vnde quisque erat oriundus, sed in ciuitatibus in quibus, aut sub quibus quisque habitabat. Tributi autem huius exactores pro magnitudine signorum Dominum reuerebantur, nec audebant ab illo repetere, sed discipulum contentiunt, idque Petrum: vel quod is tum solus adesset Domino, vel quod viderent illum Domino magis esse familiarem. Huic ergo dicunt:

Ioseph. Antiq. 14 cap. 8.

De Statere.

Magister vester non soluit didrachma? Quæ verba interrogatiuè sunt legenda, vt sit sensus: An magister vester non soluit, id est, nō tenetur soluere, aut non solet soluere didrachma? quasi dicant, An aliquo priuilegio, & Principis concessione exemptus est à tributo? Sic enim interrogatiuè legendum esse, etiam Petri responsio declarat, dum dicit *sic*, etiam hoc est, certè soluit, id est, soluere solet. Quamuis autem intelligi possit exactores interrogasse malitiosè, vt experirentur num contradiceret Cæsaris voluntati, suborn ati à Pharisæis: magis tamen videntur simpliciter interrogasse

rogasse cum mansuetudine, studio potius accipiendi quam calumniandi.

Et cùm intrasset in domum præuenit eum Iesus dicens: Quid, &c. Arguatet Petrum promisisse publicanis dicturum se Magistro de soluendo tributo: verum priusquam de eo Dominum Petrus admoneret, præuenit eū Dominus: declarans se occulta quæque cognoscere, ac proinde se talē esse, & tantum, qui tributo homini tolerandas merito, non deberet esse obnoxius. Quod cum hac ratione satis demonstrasset, idem tamen etiam ratione humana commonstrauit, & quod re ipsa ostendit, etiam verbis comprobant. Circa quam tamen rationem dubium nascitur. Nam secundum eam videtur probari omnes Iustos, & Christianos esse liberos à solutione vectigalium & tributorum. Omnes enim sunt filij eius Regis, cuius sunt omnia regna. Dicendum ergo, quod cum Dominus assereret ex concessis a Petro, ergo liberi sunt filij, non est sensus, ergo liberi sunt filij Dei, sed, ergo liberi sunt filij Regis cuiuslibet in regno ipsius. Ex quo vlterius aliam vult significare Dominus conclusionem, quam subticet, nempe: ergo liber sum ego, cum sim filius Regis regni istius, & omnium regnorum mundi, quam tamen intelligendam, ex eo quod ostendit rationem libertatis consistere in filiatione Regis. Loquitur autem Dominus cum dicit, Ergo liberi sunt filij, de filijs propriè dictis, nempe naturalibus, vnde ex ea cōclusione benè consequitur ipsum Dominum fuisse liberum, non autem omnes Apostolos, & omnes Christianos, tanquam Dei filios.

Vt autem nō scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte, &c. Postquam ostendit se non teneri ad tributa soluenda, docet etiam quando se tamen illud soluere velit, nempe tollendæ offensionis, vel scandali causa: quod hoc loco non erat negligendū, sicut suprà docuit scandalum à hariseorum negligendum, quod nec dū ex rectoribus ista cognita esset causa libertatis ipsius. Iussit itaque Dominus per Petrum tributum exolui, sed vt ostenderet se nihil in hoc mundo possidere proprium, vnde tributū exoluendum deberet, & simul declararet suam maiestatem, quod scilicet non tantum terræ ac hominum, sed etiam piscium, & maris (cui nullus princeps dominari potest) dominium haberet: è mari, & piscis ore petendum iubet tributum soluendum. Duæ enim dictæ rationes videntur esse potissimæ, ob quas Dominus è mari petere, quod esset soluendum voluit. Quare autem Dominus statere inuento, id est, duobus didrachmis, iussit reddi pro se, & Petro, & nō etiā pro alijs Apostolis suis dedrachmum soluerit, vel ob id potest videri factū quod tunc solus Petrus Domino adesset, vel potius ob id, vt Petrum huius negotij mediatorem, & miraculi executorem pro eius fide simplici, obedientia, & opera veluti mercede quadam honoraret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Contendentibus discipulis pro primatu humilitas docetur. Matt. 18. Marci 9. Lucæ 9.

CAPVT LXX.

† qui

INTRAVIT autem cogitatio in eos quis eorum maior esset. At Iesus videns cogitationes cordis eorum * ‖ cū domi esset, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputauerant quis eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim * in illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quisnam maior est in

A. 20.104 regno cælorum? ᵇ Et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus

B. 10.104 & omnium minister. ᵉ Et * adducens Iesus paruulum, † ᵇ apposuit

†. ᵇ. accipiens ▷ ᵃ. & dixit ‖ ᵃ. ᵉ. qui ‖ ᵉ. quicunque †ᵇ. ᵉ. receperit ▷ ᵃ. puerum talem ‖ ᵃ. ᵉ. susceperit ‖ ᵉ. receperit

eis, ᵈ & complexus esset, ▷ ᶜ ait ᵇ illis: ᵃ Amē dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Et ‖ ᵇ quisquis † susceperit ᵉ puerum istum [sicut] ▷ ᵃ unum ex huiusmodi puerulis ‖ ᵇ in nomine meo, me ‖ recipit. ᵇ & quicunque me † susceperit, ᵇ non me suscipit, sed ᵉ recipit ᵇ eū qui me misit. ᵉ Nam qui minor est inter vos omnes hic maior est. ▷ ᵇ Respondens ᵉ autem ᵇ ill. ᵇ Ioannes dixit: ᵇ Praeceptor, vidimus quendā in nomine tuo ejicientem daemonia quæ non sequitur nos, ᵇ & prohibuimus eum, ᵉ quia non sequitur nobiscum. † ᵇ Et ait ad illum Iesus: ᵉ Nolite prohibere ᵇ eum. Nemo est enim qui faciet virtutē in nomine meo, & possit cito male loqui de me. ᵇ Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. ‖ ᵇ Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis non perdet mercedem suam.

Intrauit autem cogitatio in eos quis eorum maior esset, &c. Occasionem huius contentionis existimo fuisse ipsam prædictionem mortis, & resurrectionis, cuius ante hanc contentionem meminerunt tres Euangelistæ. Sic enim etiam postea, cum Dominus ascenderus Hierusalem rursum prædiceret suam passionem, & resurrectionem, accesserunt duo filij Zebedei cum matre petētes primum locum in regno Christi, quod tum à resurrectione in terris gloriosum fore existimauerunt. Et in nouissima cœna rursum ad mentionem mortis facta est inter Apostolos hæc eadem contētio teste Luca. Ita ergo & modo audientes illum breui morituum, & resurrecturum, ac tunc illum putantes regnaturum in terris, cœperunt hac occasione inter se disceptare, quis primum in regno eius locum habituus esset. Porro in ipsa Euangelistarum narratione videtur esse aperta quædam contrarietas. Lucas enim & Matthæus dicere videntur, quæ non possunt constare cum his, quæ narrat Marcus. Sed in his, & similibus locis, magis est inspicienda Euangelistarum intentio, quam verborum significatio. Voluit enim

enim Matthæus significare de primatu quæstionem motam à discipulis priusquam de eo Dominus disseruisset, quod hac sua narratione satis significat. Cæterum quod dicit, *in illa hora*, positum est pro illo tempore. Non enim eadem hora, qua Dominus Petro cōmendauit exolui didrachma hæc contigerunt: cum verisimile sit illum tunc mox abijsse & fecisse imperata, quem tamen huc dorsiue Domini constat interfuisse: cum Marcus testetur Dominū aduocasse duodecim. Per regnum autem cælorum discipuli intellexerunt regnum Messiæ, quod etsi in terris expectabatur, diuinum tamen, & cæleste esse crediderunt.

Et ait illis: si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus. Verbum, erit, Hebraico more hic pro Imperatiuo positum est, sit vel esto. Non enim est sensus eum, qui affectat primatum, per huiusmodi ambitionē fieri apud Deum omnium nouissimum, quāuis hic sensus sit verus: sed significatur quid fieri debeat ab eo, qui vult esse primus; quod patet ex eo quod sequitur, *& omnium minister*. Deinde sciendū dupliciter aliquē dici primū, vel magnū in regno cælorū, & iuxta hoc dupliciter etiā potest intelligi hæc sentētia. Dicitur enim aliquis primus dignitate meriti, & rursus dicitur alius primus dignitate Ecclesiastica. Si ergo hæc sententia intelligatur de primo in meritis, & acceptatione apud Deum, significabitur hic qua via quis possit hunc primatū apud Deū assequi, nimirū si se omnibus submittat, & omnium seruum exhibeat. Si verò intelligatur de primo in dignitate Ecclesiastica: significatur hic quomodo se gerere debeat is, qui huiusmodi adeptus est, & acceptauit primatum: non autem quomodo ad illum aspirare debeat. Et quidem priori modo magis intelligendam hanc sententiā sequentia videntur exigere, quia scilicet sequitur apud Matthæum, Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorū. Et in Luca, Qui minor est inter vos omnes, hic maior est. Hæc enim sententiæ apertè sunt intelligendæ de maiore, id est, maximo, vel primo in acceptatione diuina, nō de primo in authoritate, & dignitate Ecclesiastica. Rursum tamē posteriori modo magis intelligendā hanc sententiā ob id videtur, quod in secūdo hoc sensu Dominus hāc sententiā postea repetit Matth. 20, & Marc. 10 quando collatione facta primatus Ecclæsiastici cū primatu gentilium docet aliter sese gerere debere primos in regno cælorum, & Ecclesia Dei, quam sese gerere solent primi in regno mundano. Proinde vt sententia hæc & illi loco cōueniat & sententijs Matthæi, & Lucæ hic positis: conueniens fuerit vtrūque sensum simul intelligere hac sententia Dominum comprehendisse vt significauerit & quomodo quis primus apud Deum fieri possit, & quomodo in primatu acceptus ritè sese gerere debeat, vt verè apud Deum etiā sit primus, & magnus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fiat, inquit, *omnium nouissimus, & omnium minister*. Vbi per hoc quod additur omnium minister, exponitur, quid sit, quod dicitur, omniū nouissimus, id est, postremus. Facit enim quis se omnium postremum, qui omnium se seruum exhibet, & ministrum. Esse enim seruum apud mundum est omnium postremum. Seruum autem se omniū exhibet, qui omnibus, quod in ipso est, prodesse cupit, authoritate qua fungitur, & honore, quo afficitur in subditorum vtilitatem vtens, non vero ad propriam elationem & gloriam.

Et adnocans Iesus paruulum apprehendit eum, & statuit eum, &c. Aduocauit paruulum, vt huius monstratione rem poheret ante oculos, & qualem, quantam, ac quam synceram, & ab omni simulatione liberam suis necessariam esse humilitatem demonstraret. Apparet autem hūc paruulum valde ætate fuisse paruulum: tum quod Græcè vocetur nomine diminutiuo παιδίον, quod proprie significat puellum, tū quod apud Marcū dicatur Dominus hunc complexus, pro quo Græcè est ἐναγκαλισάμενος, id est, cum accepisset eū in vlnas quomodo fieri solet infantibus, aut valde pueris. Vlnis autem suis puerum complectebatur, vt reipsa declararet, quam singulari affectu innocentiam amaret, & quam eos quoque amaret, qui pueri innocentiam imitarentur. Ob quod, *& secus se*, illum posuit, vt habet Lucas, quod nequaquam contigisset ei, quod Matthæus, & Marcus dicunt eum positum in medio eorum. Fieri enim potest & ipsum Dominum consedisse in medio Apostolorum circunstantium se, & alioqui illud, *in medio eorum*, nihil est aliud secundum Hebraicam phrasim, quam inter eos. Putatur autem puellus iste fuisse Martialis ille, qui postea discipulus Petri existens in Germaniam missus est ab illo, prædicandi Euangelij gratia. De quo vide Glossam in cap. vnico, de sacra vnctione. Hoc itaque puello inter Apostolos & coram eis posito, dixit Dominus ea solita asseueratione, quo magis hæreret quod dicebat.

Puer iste quis fuerit.

Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, ab hac scilicet ambitione, eaque depositā, efficiamini sicut paruuli non intrabitis in regnū cælorum. Quod autē dicit, & efficiamini sicut parvuli, sic est intelligendum, vt quales sunt paruuli per ætatē, tales nos simus per bona voluntatē, bene enim illos imitamur, dum imitamur illorum innocentiam, & syncerit atem, ira et vacemus omni malitia. Invidia, dolo, ira, ambitione, &c. Quanquam autem necesse sit vt ingressuri regnū cælorum per omnia sint paruuli malitia, & illorū in omnibus imitentur innocentiam: ad propositum tamen Saluatoris est, vt efficiamur similes paruulis in honorum contemptu, & submissione. Cum autem Dominus hac sententia ab ambitione deterruerit, & humilitatis necessitatem ostenderit: subiungit & aliam sententiam, qua & ostendit maximum humilitatis mo-

rem, & ad questionem inter Apostolos agitatam directè respondet, cum subijcit:

Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus. Cum autem videretur inferendum ex superiori sententia; Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus ipse intrabit in regnum cælorū: infert amplius; hic est maior in regno cælorum, ille inquam, maior, hoc est maximus, de quo vos quæritis. Nam Græcis non est otiosus articulus μείζων & comparatiuus Græco more pro superlatiuo positus. Quicunque ergo humiliauerit se ita vt sit sicut paruulus iste, humilia scilicet per virtutem sicut iste per ætatem, aut paruus animo sicut iste est paruus corpore.

Et quisquis susceperit puerum istum in nomine meo, &c. Hæc ad id dicta videntur, vt significaret Dominus quanti faceret humiles, & paruulos, & quam magni tales sint coram ipso, & Patre eius. Id etiam vt proposito deterret, ita his sententijs pulchrè significatur. si enim cum quis puerum & humilem susceperit nomine Christi, in illo Christus sese recipi reputat, & in Christo etiam Pater cælestis necesse certè est puerum, & humilem, quantumuis abiectū, ac vilem mundo, magnum admodum esse in regno cælorū. Porro cum Lucas dicit, *puerum istum*, magis demonstrare voluit eos, qui per puerum in medium adducti ostendebantur, quam puerum aut ætate illi pares. Verbo autem suscipiendi, aut recipiendi, quo propriè significatur receptio in hospitium vult Dominus generaliter significare omne beneficij genus humilibus sub nomine impensum, sibi impendi, hoc est, tam gratum sibi esse, ac si propriæ suæ personæ impenderetur: eo quod per humilitatem Christo quis efficiatur simillimus. Et ne id parū esse putetur, adijcitur apud Marcum & Lucam, quod & supra habitum est Matt. 10 propter quod à Matthæo hic omissum videri potest, Qui me suscepit, recipit eum, qui misit me. Marcus verò idem efficacius effert dicens:

Qui me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. Quod intelligendum est Dominum dixisse secundum communem loquendi vsum. Frequenter enim dicere solemus. Quod mihi facis, non mihi facis, sed Deo, volentes significare non tantum nobis id fieri, sed etiam Deo: aut non tam nobis, quam Deo, qui illud sit remuneraturus, aut vindicaturus tanquam sibi factum. Significatur ergo præmium susceptionis Christi nō tale fore, quale a puero homine posset expectari, sed quale à Deo susceptо, ac beneficijs affecto. Quare autem qui humilem susceperit, & ipsum Christum, & Patrem cælestem censeatur suscipere; rationem subiecit Dominus apud Lucam, cum dicitur:

Nam qui minor est, cordis scilicet humilitate, inter vos omnes, hic est, qui omnium vestrum maximè alienus est à superbia, & ambi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ambitione, hic est maior, vel vt habet Græca, hic est, magnus apud me scilicet, & Patrem meū, magnus scilicet in regno cęlorum. Ex qua ratione satis patet ad quid dictæ sint sententiæ superiores.

Respondens autem illi Ioannes dixit, Præceptor vidimus quendam. Occasione illorum verborum, quæ iā dixerat Dominus qui fuerit puerū in nomine meo, motus videtur Ioannes vt Domino narraret de eo, quem ejicientem dæmonia in nomine Iesu prohibuerant, tacitè interrogare Dominū volens, num bene eum prohibuissent, quādo recepisse solum puerum in nomine ipsius, res esset ipsi tantopere grata. Ex hac autem Ioannis narratione colligitur eos etiam adhuc agere cum ipsis Domino solitos ejicere dæmonia invocato nomine Iesu: quod quidam cernentes, inter quos ille de quo hic est sermo, tēptarunt similiter per eiusdem nominis invocationem dæmonia ejicere, & quod tentarunt perfecerūt, etsi à Christo missi nō essent: Domino hoc sic permittente, & fieri volente, tum vt hac ratione ostenderetur efficacia nominis Christi etiam per prauos, aut imperfectos operantis, & Euangelica prædicatio confirmaretur; tum vt emendarentur hi, aut ad perfectionem proueherentur, qui miracula operabantur. Incertum tamen an hic de quo est sermo, bonus fuerit, an malus, nisi quod verbis Christi significetur adhuc fuisse imperfectus: ob quam suam imperfectionem nec sequebatur Christum, abhorrens scilicet ab illa vitæ asperitate in qua viuebant Apostoli omnibus relictis. Verisimile tamē est habuisse aliquam in Iesu fidem, vt sine qua non fiant miracula. Respondet ergo Dominus talem non prohibendum, duas afferens apud Marcum rationes. Prima ō: *Quia qui facit virtutem in nomine meo, i. miraculum in nomine Christi, etiam si illud non magnopere prædicet, nec Christo per omnia obediat: tamen non potest cito male loqui de eo. Si enim id facere incipiat, res ipsa redarguet eum.* Dicetur enim ei, Qua fronte pergis maledicere nomini illi, quod tam efficax esse ipse expertus es? Secundo prohibendum nō esse efficacius docet, quia inquit.

Qui non est aduersus vos, pro vobis est, etiam si vobiscum nō sequatur me, nec corporaliter vobis iungatur, q. d. Hic homo cū nō sit contrarius vobis (eadē enim agit quę vos, ac re ipsa nomē meū hominibus commendat) pro vobis est, ac vestrū negotium adiuuat. Prima ergo ratione ostendit non posse esse contrariū, secūda etiam esse fautorē, & adiutorem. Porro quod in Marco sequitur,

Quisquis enim potum dederit vobis &c. Videtur esse tertia ratio, qua Dominus ostendit non prohibendum quenquam qui in nomine suo operaretur miracula, in hunc sensum: Adeo non est prohibendus, quisquis in nomine meo dæmonia ejicit, vt quidvis, quamuis exiguum si modo in nomine meo fiat à quocūque id fiat, adeo sit mihi gratum, vt non sit carituram sua mercede. Quisquis

quis enim vel potum aquæ tantum vobis dederit, non propter hu manam aliquam gratiam, sed propter nomen meū, videlicet, quia Christi estis discipuli, verè dico vobis non carebit sua mercede. Ità que hac sentētia significat illum, quē prohibuerant, pro eo quod ipse nomine Christi fecit, etiam mercedem suam acceptorum, si non æternam, saltem aliquam temporalem. Non enim cum dicitur, nō perditurum mercedem, quicunque potum aquæ alicui nomine Christi dederit, significatur æternæ vitæ mercedem omnibus tantis dandā: sed opus tale sine remuneratione vel in præsenti, vel in futura vita non relinquēdum. Vide etiā circa cap. Concord. 55.

Scandalum pusillorum cauendum docetur. Matt. 18. Mar. 9.

CAPVT LXXI.

†**Quisquis* scandalizauerit vnum ▷ ex his pusillis credentibus* in me, ‖bonum est, si* magis †* si circumdaretur mola asinaria in collo eius, * & in mare mitteretur, * & demergatur in profundum maris, *Væ mundo a scandalis* Necesse est enim vt veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. *Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illā. * & proīce abs te: bonū est tibi debilem introire in vitā, quām duas manus habentem abscindere in gehennā in ignem inextinguibilē * vbi vermis eorū non moritur, & ignis non extinguitur. * Et si pes tuus scandalizat te, amputa illū: bonū est tibi claudum introire in vitā æternam, quām duos pedes habentē mitti in gehennā ignis inextinguibilis, * vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. †* Quòd si oculus tuus scandalizat te, tā ingredi in vitam æternā, quām duos oculos habentem mitti in gehennā ignis, claudum, & proīce abs te: bonū tibi est ▷ vnum oculum habentem debilē vel * vbi vermis eorum nō moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim quā duas igne salietur, & omnis victima sale salietur. ‖ Bonū est sal, quòd si sal mansuefactum fuerit, in quo illud condetis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. * Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. ‖ Venit enim filius hominis saluare quod perierat. ‖ Quid vobis videtur si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonne relinquit nonagintanouē in montibus, & vadit quærere eā quæ errauit? *Et si contigerit vt inueniat eam, amē dico vobis, quia gaudet super eā magis quām super nonagintanouē quæ non errauerūt. Sic nō est voluntas ante patrē vestrū qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Et inquisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis, &c. Cœptum num Dei. Dominus sermonem Ioannes interruperat, cui cum satisfecit Dominus redit rursum ad intermissum sermonem, & quemadmodū cœpta cœpit ostendere quāti faciat paruulos, ex præmio quod manet

1. Matt. duo hæc simul cōplexus est hoc modo. A. 5. 40. A. 5. 39. C. 14. 93. C. 19. 106. C. 15. 94.

eos, qui paruulos honorant, & beneficijs afficiunt: ita nunc idem vult ostendere ex contratio, nempe pœnæ magnitudine, quæ manet eos, qui paruulos, & humiles contemnunt, ac malo aliquo afficiunt. Scandalum autem proprie quidem significat id quod in via impedimentum præstat viatori, in quod ambulans aliquis impingit, vt recte dicatur scandalum esse impedimentum viæ, offendiculum viæ, aut occasio ruinæ, & lapsus. Porro sicut ruina, & lapsus metaphoricè transferuntur nunc ad perditionem quamuis corporalem, nunc ad perditionem spiritualem, perditionem scilicet peccati, & æternæ damnationis: ita & vocabulum, scandalum, significat per metaphoram nunc occasionem perditionis corporalis, nocumentum, aut malum corporale, nunc occasionem perditionis, aut mali spiritualis. Sic ergo hoc loco etiam proprie debet accipi pro eo quod est occasionem ruinæ, aut peccati, & perditionis alicui præbere. Nam de huiusmodi scandalis spiritualibus, quæ scilicet sint occasio alicuius mali spiritualis, quod ad animam pertinet, ex sequentibus constat hic esse sermonem. Proinde pusilli etiam dicuntur hoc loco homines simplices, & humiles, qui in hoc mundo non magnifiunt, sed contemnuntur à mundo, quales esse debent omnes, qui credunt in Christum: etsi non omnes tales facile scandalizentur. Vt autem Dominus significaret magnitudinem vindictæ, & supplicij, quod manet eum, qui vel vnum aliquem ex paruulis Christi quantumuis humilem & abiectum scandalizauerit, subiungit apud Matthæum:

Scandali quid proprie.

Expedit ei, vt suspendatur mola asinaria collo eius & demergatur in profundum maris. Cuius loci, quæ sit genuina intelligentia, ex Luc. cap. 17. Vbi hec sententia repetitur manifestum fit nimirum quod comparatio fiat istius pœnæ temporalis ad peccatum scandalizãtis: Sic enim habet, vtilius illi est, si lapis molaris imponatur ei ca collum eius, & proijciatur in mare, quam vt scandalizet vnum de pusillis istis. Itaq; & in hoc loco orario sic est supplẽda: Quisquis scandalizauerit vnũ ex pusillis istis, melius esset ei si mitteretur in mare, quam vt hoc faciat: hoc est, præstaret eum temporale illud malum pati, quam malum aliquod in pusillum aliquem admittere, quia scilicet pro scandalo suo grauiores sit subiturus pœnas. In Matthæo ergo expedit, pro expediret positũ est, sicut & in Marco, bonũ est, pro bonum esset. Non enim significare voluit Dominus quid pati melius sit ei, qui scandalizauit, postquã scandalizauit: sed quid melius ei fuisset pati, quã scãdalizare. Et in Matthæo oportet etiam subintelligere comparatiuum, magis, omissum ex phrasi Hebraica, sicut & postea omittitur, bonum est tibi debilẽ introire in vitam, pro melius est. Per molam autem asinariam, significare voluit Dominus ingens saxum: vt & per magnitudinem saxi, & magnitudinem profunditatem certum & ineuitabile exitium intelligeretur. Vt

Væ mundo à scandalis. Hoc est, malè erit hominibus in mundo habitantibus propter scandala, quæ in mundo contingunt. Quod Dominus dicit, vel quia difficile est hominibus in mundo habitantibus obiecta vbique scandala effugere, vt in illis non impingant, & eadant, vel potius quia propter scandala mundus, hoc est, homines multis malis afficientur à Deo & in præsenti, & in futura vita. Quare autem væ dicat mundo propter scandala, significat cum subiungit:

Necesse est enim vt veniant scandala. Quod intelligi debet non de necessitate absoluta, sed de necessitate conditionata, quæ scilicet est ex præsuppositione alicuius causæ, ad quã illud necessatio sequitur: quomodo medicus videns aliquem malam seruare diætã, dicere solet: necessarium est hunc ægrotare, quia scilicet, & quandiu tali vtitur dieta. Atque hoc modo dicitur, Necesse est vt veniant scandala. Quia enim Dominus considerabat magnam humanæ naturæ corruptionem, & malas hominum mentes, earumque naturam esse, vt aliquando erumpant in facinora, ad quæ omnes sunt proni, hinc dicit: Necesse est vt eueniant scandala: quia nisi rum præsuppositia huiusmodi hominum prauitate, fieri non poterat, quin aliquando scandala euenirent. [Atque vt apertius huius loci sensus explicetur, id quod hoc modo dicitur esse necesse, nihil aliud quam certo sic futurum pronunciatur, vt bene annotauit D. Chrysostom. Necessitas ergo hęc scandalorum referenda est ad hominum corruptionem, & malitiam, quod satis significat Dominus cum præmisit: Væ mundo à scandalis. Nam cum tunc subiungit, necesse est, &c. Satis insinuat necesse esse vt in mundo fiant scandala, in mundo inquam, de quo Ioannes, mundus totus in maligno positus est.] Porro ne quis quia dictum fuit: Necesse est vt veniant scandala, arbitrij libertatem sublatam ob id putaret, & necessitatem scandala committendi aliquibus impositam, aut prætextum peccatorum suorum hinc desumeret: Dominus velut præuidens futuros, qui hæc verba malè intelligerent, subiecit.

Verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Hoc est, per quem obijcitur alicui occasio ruinæ, & impedimentum salutis præstatur. Quo significat, etsi necesse dixerit vt eueniant scandala: nullum tamen ad scandalizandum cogi, aut necessatio scandalizare, sed voluntatiè, & liberè. Alioqui enim non posset ei væ imminere, cum nemo sit puniendus pro eo, quod nõ habet in sua potestate, sed quod aut coactè, aut quod necessatio committit. Cæterũ scãdala de quibus Dominus loquitur sunt lesiones, irrisiones, & persecutiones iustorũ, mala exẽpla, doctrinæ etroneæ & postremum etiam bona, & licita quædam, sed inoportunè, & indiscretè facta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde eam, & proijce, &c. Quemadmodum mox docuit ob necessitatem futurorum scandalorum nemini imponitam necessitatem scandalizandi: ita & iam docet ob eam necessitatem, nempeim necessario scandalizari. Per quomodo intelligi debeat sermo iste allegoricus, de abscindendis manu, & pede, ac eruendo oculo supra dictum est Matth. cap. 5. in cap. Concord. 40. Hoc tantum addendum, quod quanquam sententiæ istę ibi generaliter sunt explicatæ; vt per manum, & oculum non solum homines necessarij vt nobis chari intelligantur; sed quæcunque res charæ, etiam affectus nostri: huic tamen conuenit potissimum intelligere Dominum significare voluisse resecandum à nobis consortium eorum hominum, qui impedimento sunt ad assequendum salutem. Dixit enim de his per quos scandala obueniunt. Admonet ergo iam vt caueamus nobis à talibus, præsertim dando scilicet eos, quantumuis necessarios, & charos, a nostro consortio. Et addit.

Bonum est tibi, &c. Significare volens melius esse, vt vel soli vel cum paucis amicis saluemur, quàm cum plurimis perdamur: quæadmodum quisque præstare iudicat, manu vel pede amputato temporalem vitam conseruare, quàm illis seruatis totum corpus perdere. Ideoque eorum tantum membrorum abijciendorum meminit, quæ bina habemus, vt sunt manus, pes, oculus: quo significaret consortium hominum, qui nobis sunt velut altera manus, pes, vel oculus. Non potuit autem Dominus dicere, Si caput tuum scandalizat te, abscinde illud: quia hic sermo Domini allegoricus mutuatus est ab his, quæ pro conseruanda vita temporali homines facere solent: qui pro ea aliquando manum, vel pedem sinunt sibi amputari, caput autem non possunt. Quod autem in Marco habetur,

Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur: Desumptum est ex Isaiæ vlt. cap. Vbi Propheta de fœlicitate iustorum, & supplicijs impiorum loquitur. Significatur autem his verbis duplex impiorum pœna in inferno, corporis scilicet, & animæ, aut culpæ, & pœnæ. Nam per vermem significatur conscientię remorsus, & continua admissorum malorum ruminatio in anima, per ignem verò sensibilis pœna in corpore.

Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. Videntur hæc dure hærere cum superioribus, & alioqui obscurus est horum verborum sensus. Potest autem sic intelligi, vt illud (omnis) non omnes comprehendat homines, sed tantum bonos, iustos, & electos, sicuti in sententia secunda. Secundum quem intellectum hic sermo est de igne tribulationis, quo electi saliuntur, hoc est à corruptionibus præseruantur, & purgantur, & redditur ratio eius, quod dixit abscindendum esse pedem vel manum & eruendum oculum scandalizantem. Quoniam enim huiusmodi fieri non possunt sine dolore, & afflictione subiungit hæc Dominus, dicens omnem electum, & qui Deo placere volet, debere salliri igne tribulationis. Rursum quoniam sapientia, circumspectione, & discretione opus est, vt quis scandala caueat, & nec scandalizet, nec scandalizetur, addit.

Et omnis victima sale salietur. Alludit autē Dominus in his duabus sententijs ad id, quod in Leuitico præcipitur omnem oblatio. *Leuit. 2.*
nem debere igne, & sale saliri. Itaque sensus erit iste: Quemadmodum nulla oblatio iuxta Mosi præscriptum legitima est, nisi per ignem transeat, & sale condiatur: ita quisquis volet esse victima spiritualis, quæ sit Deo grata, necesse est igni tribulationis probetur, purgetur, & veluti salinis præcruciet, & sale sapientiæ Euangelicæ condiatur, ne vel malorum contagio corrumpatur, vel suo contagio alios corrumpat, & scandalizet, sed potius per suam incorruptionem alijs eximat corruptelam. Secundum ergo hunc sensum (qui videtur omnium maximè conueniens) Saluator indicat quid vmbra illa legalis significauerit. Sic autem dicitur aliquis salliri igne, quomodo supernus dicitur baptizari in igne. Notandum autem quam apte Dominus, secundum hunc sensum, postquā mentionem fecit vermis, & ignis impiorum, hic subiungat de igne, & sale, quibus saliendi sunt, qui gehenam effugere volent igne enim tribulationis præseruatur quis ab igne inextinguibili; & sale præseruatur quis a vermibus, qui oriuntur ab humoribus sanguineis, quos sol exsiccat. Porro quoniā Dominus salis facit mentionem, ab ipso salis exemplo sermonem suum deflectit admonendū suos, quanta in ipsis meritò esse debeat incorruptio vitæ & doctrinę, vt qui electi sint in sal terræ, dicens,

Bonum, id est, vtile est sal. Quod si sal infulsum fuerit, in quo illud condietur? Significans ipsos ad hoc delectos, vt sua sapientia aliorum stultitiam condiant, aduigilare debere ne fiant insipidi, & infulsi, alioqui enim desperatum fore de eorum reparatione, per quos alij erant condiendi. In hunc enim sensum hoc exemplo Dominus vtitur & supra Matth. 5. & infra Luc. 14. Ideo autem Dominus hoc exemplo hic vtitur, vt significet illis maximè cauendum ne scandalizentur aliqua re, hoc est, vel minis hominum, vel cupiditate aliqua, & humano affectu suam acrimoniam, & incorruptionem perdant. Aut potius ob id & eos notaret ambitionis prece demis q. d. Si vos delecti in sal terræ pergatis humano affectu ambitionis inter vos de primatu contendere: efficiemini planè insulsum sal, nec spes esse poterit vestræ restitutionis. Cui intellectui bene conuenit quod sequitur.

Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Sal sapientiæ scilicet habete, ne hominū mente inter vos cōtendatis. Hæc enim verba cū sint à Marco in fine posita, videntur ad dehortandum ab eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

pertinere, ad quod Dominus hunc sermonem susceperit: vt fuerint quasi conclusio, & finis sermonis Dominici.

Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Postquam admonuit Dominus amputanda omnia scandala, rursum redit ad dehortandum à scandalizando pusillos & humiles. Et quoniam humiles, & simplices mundus facile contemnit, & ob id quia contemnit, minimi ducit illos scandalizare: ob id Dominus non dicit, *videte*: i. cauete, ne scandalizetis, sed ne contemnatis vnum ex his pusillis: causam scilicet scandalorum etiam eximere volens. Quare autem nō sint meritò contemnendi, negligendi, & nihili faciendi quantumuis humiles, & abiecti, causam subiungit, dicens:

Dico enim vobis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Quibus verbis potest intelligi Dominus duo significare. Primum humilium, & pusillorum quos mundus contemnit, dignitatē, eo quod angelos habeant qui diuinum vultum assiduè contemplentur. Secundo: humiles, & pusillos etsi per se impotentes ad vindicandum, tamen habere Angelos, qui eorum causam agant apud Deum: deferētes, & accusantes apud Deum illos, qui ipsis iniuriam aliquam intulerint, & scandala obiecerint [Porro quia hic dicitur Angeli eorum, D. Hierony. Non dubitauit asserere, vnumquemque hominem habere Angelum aliquem sibi à Deo depuratum ab ipsa nauitate: quod & alio simili loco Scripturæ colligit: nempe quia Act. 12. cum Rhode puella nunciaret Petrum stare præ foribus, alij dicebant Angelum eius esse. Quæ postea secto sententia D. Hieronymi merito obtinuit, & pathim in Ecclesia recepta est, quia cum Dei prouidentia etiam ad malos se extendat, rebusque humanis per Angelos Deus prouideat: consequitur etiam malos homines habere suos Angelos, sine quibus & in plura, ac grauiora nonnunquam inciderent peccata, & grauius in illos seuirent iniqui dæmones. Circa illud vero:]

An quibusq; hominibus singuli sint Angeli deputati.

Semper vident in cælis faciem Patris mei: Notandum Angelos cum non sunt in cælo, sed ad nos missi sunt, non carere beatifica Dei contemplatione, sed vbicunque sunt, Dei qui vbique præsens est, perfrui contemplatione, atque ratione eius contemplationis ei esse in cælo.

Venit enim filius hominis saluare, quod perierat. Quasi dicat. Non tantum propter Angelos cauendum, ne quis vnum etiam ex pusillis contemnat, ita vt nullam habeat salutis eius rationem, & scandala obijcere ei nihili faciat (nam dehuiusmodi contempto hic est sermo) sed etiam propter me filium hominis. Ego enim veni, vt saluem, quod perierat, proinde qui meus esse volet, cauere debet, ne quod ego saluaui, aut saluum volui, ipse rursum perdat.

Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues, &c. Ad quid Dominus Parabolam hanc de oue errabunda hic adduxerit, patet ex eo

quod in fine applicando parabolam dicit. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vt pereat vnus de pusillis istis. Dixerat se ad id venisse in mundum, vt saluaret quod perierat, ac ob id cauendum significauit, ne quis perdat, quod ipse venerat saluaturus: subiecta autem iam parabola ostendere voluit, quāta cura quærat saluare vnum etiam quēlibet perditorum, ac rursus quanto gaudio afficiatur de inuento etiam vno perdito: atque quo etiam magis à scandalizando vel vnum pusillorum deterreret, cum in applicanda parabola dicendum videretur. Sic non est voluntas mea, &c. maluit dicere: Sic non est voluntas coram Patre meo. Itaque gradatim fortius à scandalo pusilli dehortatur ptius Angelorum, deinde sui, ac postremum Patris mentionem ingerens: ac significans & Angelos, & Filium hominis, ac Patrem ipsum cælestem inimicos fore ei, qui vel vnum tantùm scandalizauit. Potest autem parabola ipsa à communi consuetudine desumpta, explicatius proposito Domini accommodari in hunc modum: Quemadmodum si quis centum oues habeat, & vna tātum ex eis errauerit, non finit eam esse perditam, quin potius quantumuis minimi momenti vna ouis sit ad reliquas collata, tamē maiore cura eam quærit, quam reliquas seruat, ac rursum maiore gaudio afficitur de ea reperta, quā de reliquis saluis: sic & ego, & Pater meus non vult vel vnam etiam suarum ouium, hoc est vnum suorum electorum (quos certo numero elegit) quantumuis pusillum, & abiectum perire, quinimo singulari cura vnumquemlibet talium quærit reliquis ouibus suis coniungere repertumi ac singulari rursus gaudio afficitur cum repertus fuerit, & ab errore suo reuocatus: vt iam ob id duplici nomine cauendum sit, ne quis vel vnum credentium quantumuis pusillum, & abiectum scandalizet, & perdat, tum quod tam singulari cura sit, quæsitus à Deo, tum quòd tam singulare gaudium eius inuentio, & salus Deo attulerit. Secundum hanc parabolæ explicationem. & accōmodationem, quę est genuina, non est opus sigillatim explicare quid per centū oues significetur, & quid per vnam, quæ erravit, quid rursum per 99. quæ non erraverunt: Cæterum quod dicitur quis gaudere super vna oue reperta magis quam super nonaginta nouem saluis: intelligendum est de maiori gaudio actuali. Certum enim est maius esse gaudium habituale super pluribus quam vna: sed quoniam de recenti bono nouum, & actuale est gaudium, magis gaudere dicitur super vna, quam super plurib⁹.

Condonandum fratri in nos peccanti docetur.

Matth. 18. CAPVT LXXII.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe secum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terra, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem milia talenta. Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt, et misit eum in carcerem donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conseruo tuo, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet ei vniuersum debitum. Sic & pater meus faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Si autem peccauerit in te frater tuus. Postquam docuit cauendum ne in quem fratrem peccemus commode etiam subijcere Dominus voluit, quid faciendum cum frater aliquis peccat in nos: vtrobique docens nos diligentem gerere curam salutis fratris nostri.

Fratris nomine quis intelligatur.

Frater autem hic intelligendus est non quilibet proximus, aut homo: sed is, qui nobiscum est eiusdem religionis Christianus scilicet. Sicut enim supra peculiariter Dominus dehortatus est à scandalo credentium: ita & hic singulariter docet, quomodo eius qui nobiscum est eiusdem religionis, salus postquam peccauit, nobis sit procuranda. Ad Ethnicum enim, & infidelem hæc non

non pertineret; patet tum ex eo, quod dicitur postea: dic Ecclesiæ; tum quia dicitur, Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Porro quid sit fratrem peccare in aliquem, non satis conuenit inter interpretes: appatet tamen hic accipi debere, quomodo D. Chrys. Aug. & Hier. accipiunt, nempe vt peccare in aliquem sit illi iniuriam, aut malum aliquod inferre, quomodo oratio illa proprie est accipienda, quia apud Lucam dicitur; Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit dimitte illi, & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuertas fuerit ad te dicens, Pœnitet me, dimitte illi. Hinc enim patet in illum aliquem dici peccare, qui potest ei peccatum dimittere, hoc est, qui læsus est. Vnde & hoc loco Petrus auditis his Domini verbis dixit: Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Ex quo satis patet, quem Petrus intellexerit peccare in se. Itaque dicendum secundum propetium. & primum sensum, illum peccare in aliquem, qui directè illi aliquam iniuriam irrogat; ac Dominum eum qui sic ab alio læsus est proprie hoc præcepto constringere ad lædentis se non vindictam, sed correptionem. Cui læso duplici sane nomine præ alijs conuenit fratris peccantis, & lædentis eum correptio; nimirum tum quod ei fratris peccatum est notius, ipsumque magis verè, tum quod eius fraterna admonitio efficior, esse possit apud eum, qui læsit; cum videtit etiam illum salutis suæ studiosum, cui iniuriam intulit. [Verum, quoniam quilibet peccantis quouis modo fratris salutè studere debet quoniamque quouis modo peccatum proximi etiam quod directè non videtur esse contra nos, debemus existimare in nos esse admissum. Hinc etiam hoc præcepto quilibet Christianus ad correptionem cuiuslibet fratris peccantis coram se adstringitur, qui & dimittere pœnitenti debet, etiam id quod non in se priuatim & directè admissum; quia pro illo non debet vltra offendi, nec vindictam aliquâ à Deo postulare.] Duo autem Dominus imprimis præcipit, vt faciamus fratri peccanti in nos, videlicet vt & corripiamus & id priuatim faciamus. *Vade*, inquit, & *corripe*, hoc est, ne fratris peccatum negligas, sed vade, non quidem vt iniuriam tibi illatam vindices, nõ vt illũ apud alios traducas, & accuses: sed vt illum corrigas, & emendes. Itaque corripe illum, & argue, reducendo illi in memoriam quod admisit, & illius iniquitatem declarando: *sed inter te & ipsum solũ corripe*; tum vt non tantum salutis eius sis studiosus, sed & famæ eius conseruandæ, tum vt ille videns te & salutis, & famæ suæ curam gerere magis ad pœnitentiam moueatur. Sequitur.

Si te audierit, hoc est, si tuam admonitionẽ, & correptionẽ, receperit, tibique obtemperauerit agendo pœnitentiã, *lucratus eris*, vel potius lucratus es fratrem tuum. Porro *si non audierit*, qui peccauit, hoc est si factisui culpam nolit agnoscere, aut potius si in

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccato suo perseuerare pergat: nondum tamen Dominus vult illum esse negligendum & sibi relinquendum, sed omnem vult modo ueri lapidem, omnia tentari, quo frater a peccato & perditione reuocetur. Proinde secundò iubet eum moueri, & corripi, adhibito secum vno vel duobus, tum vt plurium autoritate commoueatur, tum vt possit apud Ecclesiam sub testibus conueniri. Secundum enim hanc rationem indicat Dominus, cum subiungit illud legis præceptum, *vt in ore duorum vel trium testium stet*. i. confistat, ratumque sit ac firmum omne verbum. Priorem vero etiam rationem indicat cum dicit Quod si non audierit eos. Nec hic ergo Dominus quiescere nos voluit, sed tertio eum iubet deferri apud Ecclesiam, hoc est fidelium congregationem, in qua viuit vereque vt multitudinis, & eorum qui multitudini præsunt autoritate, & reuerentia, vel metu emendetur. Dicit autem: *dic Ecclesiæ*, & nò die Episcopis, & præsidibus Ecclesiæ, quamuis his maximè sit dicendum, nec Ecclesiæ dicendum sit, nisi illis præsentibus sicut nec fidelium congregatio Ecclesia dicenda est, si non adsint eius rectores & præsides. Dicit inquam, die Ecclesiæ vt multitudinis consensum teneretur. [Itaque in primitiua Ecclesia secundum hoc Domini præceptum denuntiabantur peccatores post vnam, & alteram correptionem toti Ecclesiæ alicuius loci, hoc est Christianis legitimè cum suo Episcopo aut Pastore congregatis: ibique si impœnitentes persistebant, omnium consensu, & approbatione excommunicabantur ab Episcopo. Vnde Paulus incestuosum Corinthum tradens Satanæ dicit se id facere cum congregatis secum secundum spiritum Corinthiis.] Ecclesiæ autem nomen dictio est Græca, significans cœtum, congregationem, & multitudinem sicut & Synagoga: nisi quod hoc nomen dicitur à congregando, illud verò à conuocando. Et vero sicut temporibus Apostolorum in Græca lingua nomen Synagogæ fuit appropriatum congregationi Iudæorum, & domui, in qua Iudæi congregabantur: ita nomen Ecclesiæ ab ipsis Apostolis appropriatum est congregationi, & multitudini Christianorum: vt res nona, nouam etiam & distinctam à congregatione Iudæorum haberet nomenclaturam. Itaque in nouo Testamento nomen Ecclesia, ponitur pro congregatione fidelium, & aliquando quidè pro multitudine omnium fidelium in toto orbe dispersorum, qui per Euangelicam tubam euocati sunt in eandè fidè, spem, & charitatè, & ad eiusdè sœlicitatis consortiū, vt cum supra dicitur: super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā. Aliquando verò pro multitudine fidelium in certo aliquo loco existentiū sub suo pastore, vt cum dicit Ioannes scribere septem Ecclesiis Asiæ: & in hac significatione plerumque accipitur pro multitudine fidelium etiā si non sit corporaliter cōgregata: aliquando verò pro tali multitudine corporaliter in loco aliquo cōgregata

Ecclesia quid.

Synagoga

gregata vt hoc loco. Iubet ergo dñs Ecclesiæ denunciari fratris bis admoniti peccatum, non quidem vt in multitudine diffametur, sed vt multitudinis autoritate sanetur. Vnde dicit:

Si autem Ecclesiam non audierit, significans eum ideo denuncian dum Ecclesiæ vt ab ea admoneatur, & corrigatur. Si inquit, Ecclesiam non audierit, iam tanquam incorrigibilem & insanabilē non amplius habe vt fratrē, sed *sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*. Quo significatur ab eius consortio abstinendū esse, nec communicandum ei neque in diuinis, neque in humanis. Vult enim Dominus talē sic habendū, quomodo Iudæi habere solēt Ethnicos & publicanos, à quorū mensa, & consortio omni sic abstinebant, vt pol lui se existimarent, si quouis modo cū eis communicarent. [Sic autē à Fratris impœnitentis cōsortio abstinendum esse, duplici de causa indicat D. Apostolus in Epist. prima ad Corinth. nempe tū vt ille destitutus consueto cōsortio, ac ob id pudefactus resipiscat, tum ne suo contagio immedicabili alios inficiat. Nescitis inquit, quia modicum fermentū totam massam corrūpit? Auferte malū ex vobismetipsis. Non est tamen, vt ex eodē Apostolo satis patet, frater sicut ethnicus habendus, nisi cū iam ab Ecclesia fuerit ejectus & excōmunicatus, quod ab Ecclesia fieri debere cū admonentem audire nollent indicat Dominus mox in sequētibus cum subijcit: Quæcunque alligaueritis, &c. Cæterum tamē in hoc Domini præcepto, sicut in alijs plerisque magis attendenda est Domini attentio, quam verba. Intentio autem eius hoc loco est, studiosè tentandum modis quibuslibet aptioribus, vt vel frater peccans resipiscat. vel si id impetrari non potest, à contagio ipsius alij præseruentur. Quod si vel pro altero vel vtroque horum aliquid secus fieri contingat, quā a Domino præscriptū est, fiat. Si verò vel alterū horū vel neutrū horū aut eo modo, quē Dominus præscripsit, aut alio aliquo expectari no possit: gemat apud se Iustus, & peccantiū correctionē, & sanorum præsentationē Domino fideliter cōmendet.]

Amen dico vobis quæcūque alligaueritis super terram, &c. Quia dixit fratrem impœnitentem, bis admonitum detestandum Ecclesiæ, & si illam non audierit, habendum sicut Ethnicū, ne quis contēnat Ecclesiasticam authoritatem, quæ penes præsides est, & qua contumax ille est anathematizandus, vt sic habeatur ab omnibus fidelibus sicut Ethnicus & publicanus: hinc Dominus hac sententia ostendit quanta sit potestas Ecclesiæ, & eorum qui Ecclesiæ præsunt, eiusque personam gerunt: vt sciant qui à talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari, & approbari, sicque tales duplici ratione ad sanitatem compellit, tū mundana scilicet infamia, tum metu iudicij & condemnationis cælestis. Porro cum vt supra dictum est, duplex sit modus ligandi, & soluendi, secundū quod duplex est vinculum in scripturis, peccatū

1. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& præceptum: hic potissimum est ad propositum prior ille ligandi & soluendi modus, qui est ratione peccati secundum quem modum dupliciter soluere, & ligare contingit iuxta duplex fori Ecclesiasticum exterius scilicet, & interius. Exteriori enim foro, in quo sicut in foro ciuili secundum dicta & allegata testium nocens condemnatur, & Innocens absoluitur, conuenit ligare in peccato per excommunicationem, soluere verò à peccato per absolutionem ab excommunicatione. Qui ligandi & soluendi modus, cum tantum requirat potestatem iurisdictionis: competere, & committi potest quibuslibet clericis, etiam non sacerdotibus, quemadmodum hodie fieri videmus. Interiori vero foro, quod & forum pœnitentiæ, vel scientiæ dicitur, in quo peccator aliquis propia confessione se accusat coram Dei vicario: conuenit etiam ligare in peccato, & ab eo soluere, per retentionem peccati, aut eius remissionem in & sacramentalem. Qui ligandi, & soluendi modus, cum non tantū potestates iurisdictionis requirat, sed etiam potestatem ordinis: solis Sacerdotibus competere potest. Quanquam non omnibus conueniat eo quod non omnes habeant iurisdictionis potestatem. Cum autem proposito maximè conueniat prior ligandi vel soluendi modus: hinc hoc loco excommunicatio fundata est.

Forum Ecclesiasticum duplex

Ligare & soluere iuxta vtrumque forum.

Excōmunicatio hic fundata.

Iterum dico vobis quia si duo ex vobis consenserint. Rectissimè dicetur etiam hac sententia Dominum significare voluisse, quanta sit Ecclesiæ, hoc est congregationis fidelium, cui denunciandum impœnitentem fratrem supra voluit, potestas: videlicet quod si vel duobus tantum consentientibus imperaturi sint illi quidquid volent: multò magis totius alicuius Ecclesiæ iudicium sit pertimescendum, & quod illa voluerit, à Deo sit approbandum. Vnde satis patet potestatem illam ligandi, & soluendi, de qua supra dixit Dominus, pertinere ad totam ipsam Ecclesiam, cui frater est denunciandus. Quanquam hanc potestatem non sic habeat Ecclesia, vt eam vnusquisque qui est Ecclesiæ membrum habeat: sed sic vt ipsa sit penes Ecclesiæ caput, nempe Episcopum, & Pastorem, qui vt dictum est supra, consentiente, & approbante fidelium multitudine solebat vti in primitiua Ecclesia hac potestate, sicut nunc eadem vtitur in persona totius Ecclesiæ: etsi eius consensus, & approbatio non ita iam requiratur, quod eam requirere non iam ob iustas causas expediat, quemadmodum tamen vtile erat in primitiua Ecclesia. Non dicit autem absolutè: *Si duo consenserint super terram*, sed si duo ex vobis, hoc est, ex fidelibus, qui non mundana, sed diuina inter se dilectione consenserint. Dicit autē *super terram*, sicut supra dixit, quæcunque alligaueritis, & solueritis super terra: Terræ, in qua viuunt homines vtrobique opponens cœlū in quo regnat Pater, ac si concordiæ vim magis demonstrans vt quæ Deū in cœlis faciat approbare ea quę in terris fiūt. Quod autē dicit: *De*

De omni re quamcunque petierint fiet illis: sic est intelligendum quomodo supra illa generalis sententia: Omnis qui petit accipit. Et ahoqui Dominus præsupponit duos consentientes, qui Apostolis sunt similes, quique diuina inter se charitate consentiunt non petituri nisi recta, & recte. Rationem autem efficaciæ consentientium in impetrando, assignat ex præsentia sui in medio talium, dicens:

Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo. i. propter me, & causam aliquam ad me pertinentem. *ibi sum in medio illorū*. q. d. ob meā præsentiam exaudibilis Patri efficietur eorum oratio. Dicit enim Christus esse in medio aliquorū consentiētium, non solum propter præsentiam suæ diuinitatis, secundum quam vbique est, sed magis ratione specialis suæ gratiæ, & assistentiæ, qua illorum orationes Deo Patri facit acceptas, tanquam à se simul fusas, aut eas ipsemet acceptat, & adimplet.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit, &c. Cum Petrus audisset fratrem peccantem in se cōtinuendum & eidem pœnitenti peccatum esse condonādum, dubitare cœpit quoties id esset faciendum, & putans se magnū aliquid dicere, querit nū vsque septies, forte memor illius quod dixit Sapiens, Septies in die cadit iustus, & resurgit. Dominus verò longè Petri excedēs benignitatē, non septies tantum, sed etiam septuagesies septies dimittendum pœnitēti docuit: Vbi notandum illud septuagesies septies accipi posse vel vt significētur tantum per illud Septuaginta septem, vel vt significetur numerus septenarius septuagies à Domino multiplicatus, vt septuagies septies efficiant 490. quo modo accipiendam hanc dictionē ex Græcis omnino apparet. Sed nō multum refert vtrouis modo accipiatur, cum eodem recidat sensus: eū sit manifestum numerum talem determinatum pro indeterminato esse positum, & significatum esse à Domino, quod quotiescunque hominem offendi contigerit, toties debere offensam remittere ei, qui offendit. *Pro. 24.*

Ideo assimulatū est regnum cælorum homini Regi qui, &c. Ideo inquit, quia scilicet oportet semper ignoscere ei, qui semper resipiscit, aut vt intelligatis quàm sit æquū, & necesse fratri peccanti semper remittere cū pœnitet, scitote regnū cælorum assimilatū esse homini Regi. hoc est, in regno cælorū, quod est, Ecclesia Dei perinde contingere atque si fuerit Rex aliquis, &c. Porro quo parabola hæc secundum Saluatoris intentionē explicetur, nec singula, quæ in ea dicuntur sensui mystico curiosè nimis, & superflue accommodentur: præcipua Domini intentio est spectanda, & quæ illi sunt accommoda in parabola obseruanda reliquis prętermissis, quæ pro exempli decore, & perfectione sunt addita. Intentio autē *in hac* Domini est, hoc exēplo ostēdere Deum Patrem misericordissimū quidem *Intentio Parabolæ*

quidem esse erga peccantes, in eosdem tamen esse seuerissimum, si noluit illi vicissim benigni esse erga peccantes fratres, & conseruos. Proinde obseruandum parabolam hanc ex tribus cõstare partibus. [In prima parte proponitur Rex aliquis, qui cum cœpisset rationem, & computum inire cum seruis suis, & vnus oblatus esset qui deberet summam maximam cui non esset soluendo, nempe decem milia talentorum, & ob id Rex iussisset, quod iustum erat, illũ cum omnibus suis vendi, quo per solueretur debitum, mox tamen regali sua munificentia, & benignitate seruo humilianti se, & debitum quidem agnoscenti, sed tantum dilationem solutionis petẽti, totum etiam illud immensum debitum remisit: non quod seruus talem benignitatem alioqui fuisset promeritus, sed quod Dominus eius, misericordia erga eũ moueretur. Vnde dicitur: Misertus autem eius, &c. In secunda parte proponitur idem seruus mox à consecuto tantæ remissionis beneficio, longè minus debitum, nempe centum denarios, repetisse a conseruo, & repetisse cum summa austeritate, & crudelitate, nimirum iniiciendo illi manus violentas, & suffocando, hoc est premendo collum eius, nec illi, se se multùm, & suprà quam decebat apud conseruum humilianti, ac eisdem verbis, quibus ipse prius Dominum suum precatus erat, tãtùm dilationem solutionis deprecanti, non solùm non remisisse paruum illud debitum, sed nec petitam solutionis dilationem concessisse, verum in carcerem eum conieciisse, donec vniuersum debitum redderetur; cui tamen duplici nomine benignitatẽ debebat: tum scilicet quia secum vnius, & eiusdem conditionis, tùm quia Domini illius seruus, cuius tantam in se expertus erat benignitatem. In tertia parte proponitur quomodo indignitate huius summæ crudelitatis collatæ cum benignitate Regis summa, offensi grauiter sunt, primum quidem conserui, ita vt illam non ferentes Domino suo eam referrent, & de ea conquererentur. Deinde verò etiam ipse Dominus, ita vt seruo vocato, ac durè reprehẽso de sua ingratitudine, & summa crudelitate, & deinde tortoribus tradito, remissum semel debitum vsque ad extremũ iusserit ab eo repeti.] Prima ergo parte significatur Deum Patrem Regem, ac Dominũ omnium rationem quidem requirere factorum ab hominibus; sed tantæ esse benignitatis vt, si quis debitum peccatorum suorum, etiamsi maximum, sit & plurimum, cui soluendo nulla ratione par esse possit, agnoscens sese humiliet, & eius benignitatem, ac lõganimitatem precetur, ex sola illius misericordia maiorem sit consecuturus benignitatẽ, quam petere, aut sperare ausus fuisset, vniuerso illi debito penitus remisso. Secunda parte significatur quanta sit simul, & ingratitudo & crudelitas eius, qui inopinabilem benignitatẽ elementissimum Domini expertus in remissione maximi debiti, quo quisq; certe Deo est obstrictus in dies singulos, imo in

in horas tam grauiter & vtiè in illum peccando, paruum recusat debitum in se admissarum iniuriarum cõseruo remittere, sed extremam ab eo vltionem & vindictam crudeliter requirit: cui duplici nomine magis debebat exhibere benignitatem, quam Dominus eius ipsi exhibere debebat. Debitum enim fratris peccantis, quantumuis sæpe, & grauiter in fratrem & conseruum committatur, minimum sane est in cõparatione debiti, quo quisque Deo est obnoxius: quemadmodum incomparabile est debitum decem milium talentorum, ad centum denarios. Decem enim milia talẽtorum, secundum Budei computationem, valent decies sexcenta milia coronatorum, quæ summa planè incomparabilis est ad centum denarios, qui tantum valent decem coronatos. Tertia parte significatur eorum, qui in proximos suos nolunt esse clementes ingratitudine & crudelitate offendi & Angelos, & iustos quosuis, & Deum ipsum: adeo vt qui alioqui est clemẽtissimus, ira plenus seueritissimè in illum, qui talis est sit animaduersurus, nihil remittẽs, sed omnia simul debita exigens: quæ quoniam nunquam persolue re poterit, in perpetuum in gehennæ carcere ipsum torqueri oportebit. Quod autem in hac parte significatur debitũ remissum semel, iterum Deum propter ingratitudinem repetere, cum Paulus dicat dona Dei esse sine pœnitentia, sic est accipiendum, nõ quod reatus propriè peccatorum præcedentium semel dimissorum redeat; sed quod virtute contineatur in illa ingratitudine, & crudelitate in fratrem admissa: eo quod peccata illa remissa efficiant, vt ingratitudo illa, & crudelitas tam graue peccatum reputetur, & pro ea tam seuerè quis puniatur, ac si priora peccata ei nunquam fuissent dimissa. Si enim non præcessissent præcedentium remissio peccatorum; non esset tam graue peccatum huiusmodi in conseruum crudelitas: quanquam alioqui per se peccatum magnum. Itaque Dominus applicans parabolam suo proposito infert:

Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, hoc est, tam seuerè etiam vobiscum aget, tradens vos torturæ, ac vniuersum simul à vobis debitum maximum sanè, ac insolubile exigens etiam quod remissum erat, perinde habens ac si non esset remissum: *si non remiseritis vnusquisque fratri suo*, idque non solum oretenus, aut eatenus, vt vindictam non requiratis ipso facto, *sed etiam de cordibus vestris*, quod D. Hieron. additum testatur, vt omnem simulationem fictæ remissionis auerteret & excluderet.

Dominus relicta Galilæa, venit in Iudæam, nec recipitur à Samaritis. Mat. 19. Mar. 10. Lucæ 9. Ioan. 7.

CAPVT LXXIII.



[c] T[a] factū est, cùm consummasset Iesus sermones istos, [b] inde exurgens [a] migrauit à Galilæa. [d] Erat autem in proximo dies festus Iudæorum scenopegia. Dixerūt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & querit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebāt in eum. Dixit ergo eis Iesus: Tempus meū nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam ad diem festum istum, quia meum tempus nōdum impletum est. Hæc cùm dixisset ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè sed quasi in occulto. [c] Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciē suā firmauit vt iret in Hierusalē. Et misit nuntios ante conspectū suū, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorū, vt pararēt illi. Et nō receperunt eū, quia facies eius erat euntis in Ierusalē. Cum vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes dixerunt: Domine, vis dicamus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos. Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.

Et factum est cum consummasset Iesus sermones istos, inde, exurgēs migrauit à Galilæa. Hanc migrationem Christi è Galilæa, quam Matthæus & Marcus præcedentibus subiungunt eandem esse cum ea, quam Ioannes scribit in principio cap. 7. factam propter sceno pegiæ festum, ex eo manifestum est, quod post vtramque migrationem è Galilæa, Christus non redierit in Galilæam, ergo cum neutra alteram potuerit præcedere eadem sit necesse est. Matthæus enim & Marcus aperte satis significant post eam migrationem, de qua loquuntur, Dominum non rediisse ante suam passionē in Galilæam. Idem & Ioannes satis significat, quando ante hanc profectionem è Galilæa scribit Dominum ambulasse in Galilæa, & noluisse in Iudea ambulare propter Iudæos illum interficere quærentes, & quando post hanc profectionem multa Dominum in Iudea dixisse & fecisse commemorat, nulla reditus in Galilæā facta mentione, qualem reditum superius bis & tertiò accuratè descripserat.

Scenopegia festiū Tabernaculorum

Erat in proximo dies festus Iudeorum scenopegia. Hac dictione Græca significatur illa Iudæorum festiuitas, quæ in scripturis dicitur festum Tabernaculorum, quod à decimaquinta die mensis septimi celebrabatur septem diebus ab Hebræis habitantibus in tentoriis & tabernaculis: in memoriā eius quod Patres eorum 40. annis habitauerunt in deserto in tabernaculis, Deo illos pascente mānā de cælo præstito. Itaque quod hic dicitur dies festus non de vna die

Leuit. 23.

est

est accipiendum, sed de toto illo festiuitatis tempore, quod septē dies complectebatur. Occasione ergo iam instantis huius solemnitatis, *dixerunt ad dominū fratres eius*, hoc est cōsanguinei, non illi quidem qui erant ex Apostolorum numero Iacobus, Simon & Iudas, sed alij quidam necdum credentes in eum, vt postea dicitur.

Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui, scilicet, qui in ea sunt, *videant opera tua*, quæ hic facis in Galilæa. Hæc dixerūt cōsanguinei, quod humanis affectibus obnoxij partim indicarent illum gloriæ auidum, sed tamen subtimidum, atque ob id relicta Iudea latitare in Galilea, vnde freti propinquitatis iure confidentius, & contemptius, quam par erat eum admonuerūt, partim quod cuperent ex cōsanguinei operibus suam gloriam maiorem fieri. Vnde subiungunt.

Nemo quippe in occulto quid facit, & querit ipse in palam esse, hoc est cū cupiat ipse esse celeber & omnibus manifestus. Quibus verbis notant eū, & cupiditatis gloriæ & timiditatis. Vnde & subdūti

Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Manifestationem in Iudea vocantes manifestationem coram mundo: eo quod ibi esset precipua Iudæorum portio, quodque in Iudæam, & Ierusalem conuenturi iam erant Israelitæ, & proselyti ex omni natione mundi, per quos fama Iesu per vniuersum mundū spargi certius posset. Quod autem dicunt, si hæc facis, dubitatiuè accipi potest, vt sit sensus: Si ea facis quæ homines de te prædicant, vel si hæc facis ea virtute, qua te facere prædicas, aut assertiuè, vt si, pro (cum) sit positū hoc sensu. Cum hęc, id est, talia facias. Sed priori sensui magis cōuenit quod subdit Euangelista:

Neque enim fratres eius credebant in eum. Quo videtur causam reddere quare sic dubitando dixerint: Si hæc facis. Si tamen alter sensus placeat, intelligetur Ioannem illis verbis reddere causam, quare tam contemptim, & confidenter Christo fratres eius sint locuti.

Dixit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, &c. Propter illud quod sequitur, Tempus autem vestrum: &c. hæc verba conuenit magis simpliciter accipere de tempore ascendendi in Iudæam & Ierusalem, quam de tempore mortis eius. Significare autem voluit Dominus se non aliorum hominum more facere opera sua singula prout occurrit: sed certis temporibus, prout ea nouit Patrem sibi præscribere, & prout scit ea maxime facere ad Dei gloriam illustrandam, & profectum Euangelij prouehendum, & ex consequenti etiā significat non competere illis authoritatem illam, quam sibi vendicabant, adhortandi illum ad ascendē dum in Iudæam. Quod autē Dominus non solū propter Patris volūtatem, cuius ipse rationem haberet, non autem fratres eius, sed etiam propter odiū Iudeorū à quibus illi periculū esset, non autē

fratribus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

fratribus, dixerit illorum tẽpus aduenisse, suum vero nõ: satis pa-
tet ex eo, quod subiecit: *Non potest mundus odisse vos. &c.* Hac enim
sententia omnino videtur voluisse reddere rationem quare dixe-
rit suum tempus nondum aduenisse, illorum vero paratum esse.
Quæ sententia cũ videatur contraria quotidianæ experientiæ qua
videmus impios sæpissimè inter se dissentire; videndum ad quod
propositum Dominus illam protulerit. Nihil enim aliud voluit di
cere, quàm, Non potest vos mundus ea ratione qua me odit, odisse
vtpote, qui similes estis mundo. cum me odiat ob dissimilitudinẽ.
Ad quod significandum non solum dicit; non odit vos mundus,
sed non potest odisse vos, quam diu scilicet tales estis, quia de mũ
do estis, & illi similes estis. Causa ergo diuersitatis inter se & fra-
tres reddita, veluti inferendo subiungit:

Vos ascendite ad diem festum hunc, ego enim non ascendam. Ad diẽ
festum illum; quæ posterior pars vt verum habeat sensum sic est
intelligenda, non vobiscum, aut non adhuc ascendam, qui sensus
satis indicatur cum sequitur, *quia tempus meum quo scilicet mihi est
ascendendum nondum impletum est*, id est, nondum aduenit. Vnde
Græca non habent non ascendam, sed οὐκ ἀναβαίνω, id est, nondũ
ascendo, hoc est ascensurus sum.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, &c.
Secundum omnium interpretationẽ, dies assumptionis rectè in-
telliguntur dies, quibus Dominus per mortem & passionem suam
assumendus erat è mundo ad Patrem. Nam Actuum primo cum
dicit Lucas Dominum assumptum in cælis, Græcis est verbũ vnde
deriuatur nomen ἀνάλημψις, hoc est assumptio hic positum. Sicut
ergo suprà Lucas mortẽ Domini designauit vocabulo digno eius
maiestate, cum eam vocauit excessum: ita & modo mortẽ eius no
tans, vsus est dictione digna maiestate Domini. Nã moriturus qui-
dem erat, sed non detinendus in morte. Dicit autem dum comple-
rentur; quia nondum tempus passionis & ascensionis implerum
erat, sed tempus illud iam cœpit appropinquare, & proximum fie-
ri atque ob id dicit, dum complerentur, id est, dum appropinqua-
rent, & inciperent adimpleri. Porro cum sequitur.

Et ipse faciem suam firmauit, &c. coniũctio, &, ex phrasi Hebraïca,
quod ad sensum attinet, superest, vt & alias apud Lucam. Dicit
autem *firmauit faciem suam*, significare volens magnanimitatem
& constantiam Domini, quam exterius etiam ipso vultu præ se fe
rebat volendo ire in Ierusalem, quanquam sciret sicut prædixit, se
ibi occidendum: vt intelligamus illum & voluntariè & cupidè
mortem subijsse nostræ salutis causa. Firmauit ergo faciem suam,
hoc est, non iam vt prius huc & illuc ibat, perambulans vicos, &
ciuitates; sed imperterrita mente recta iter instituit in Ierusalem.
Quando quidẽ ergo Dominus turbã aliquam, saltẽ Apostolorum
secum

secum ducebat, hinc præmisit ante se nuncios, qui sibi, & his quos
secum habebat hospitium, & vitæ necessaria pararẽt. Et quoniam
è Galilæa, si quis recta volet pergere in Iudæam, transeundum est
per Samariæ regionem; præmissi nunci ingressi sunt in ciuitatem
quandam vel vicum (non enim intelligendum de præcipua ciuita
te Samaritanorum quæ Samaria dicebatur, cum Græce sit κώμη,
quod interpres vicum, vel castellum vertere solet) Samaritanorũ,
vt pararẽt illi, hospitium scilicet. Sic enim potissimum videtur in-
telligendum, quoniam sequitur.

Non receperũt eum, quia facies eius euntis erat in Ierusalẽ. Quo si-
gnificatur Samaritanos noluisse recipere Christum cum suis, quo-
modo Galilæos quosuis soliti erãt nolle recipere, nimirum ad hos
pitium. Ex quo iã rursum & illud colligitur, quod cum Dominus
modo proficisceretur in Ierusalem proxima fuerit aliqua Iudæo-
rum festiuitas iamiam celebranda: quam cum certum sit nõ posse
dici festiuitatem Paschalem, qua Dominus mortuus est, vt quę ad-
huc mensibus aliquot abfuerit, satis quisque aduertere poterit hãc
Domini in Ierusalem profectionem cuius meminit modo Lucas,
eandẽ esse cum ea, qua dicit Ioannes Dominũ è Galilæa profectũ
ad festum scenopegiæ. Nõ enim Samaritani quolibet tẽpore reie-
cerunt ascendentes in Ierusalem: sed quo tẽpore videbant quosdã
petere Ierusalẽ adorationis causa, & propter festiuitatẽ aliquã ibi
celebrandã. Id enim Samaritani indignissimè ferebãt, quod haberẽt
templum proprium extructum in monte Garizim, in quo templo
ita cõtendebant adorandum, & nõ in Ierusalem, vt hinc plerumq;
seditiones & cædes designatę fuerint inter Iudæos & Samaritanos.

Cum vidissent autẽ discipuli eius Iacobus & Ioannes dixerũt, &c.
Credi potest hos duos fuisse illos, qui à Domino missi fuerant ante
ipsum ad parandum. Hi ergo ægrè ferentes Dominum talem ac
tantum contemni à Samaritanis, zelo quodam accensi etsi indis-
cretо, paratos se offerunt ad vindicandum Eliæ exemplo inhuma
nitatem ciuium, igne cælesti illis imprecaro: sed prius Domini cõ
sensum, & voluntatem super ea re requirunt, dicentes:

Domine vis dicimus. Pro dicamus (nam Græcè est εἴπωμεν) Hoc
est, vis vt iubeamus Hebraïca phrasi ignem descendere è cælo, qui
consumat illos, sicut Elias fecit? Hęc enim verba adduntur in Græ
cis. Dominus autem vt ostenderet quantam oporteat esse mansue
tudinem Euangelici doctoris, increpatione coercuit illorum vin-
dicandi zelum, dicens:

Nescitis cuius spiritus estis vos. Hoc enim pronomen Græcis addi
tur, quod hic certè nequaquã est otiosũ. Separat enim eos ab Elia,
cuius sibi exẽplum imitandũ proposuerunt. Ex sequẽtibus enim
Domini verbis patet Dominũ hic significare voluisse distinctionẽ
inter Apostolos, & Eliã, quoad factũ ipsum, quod exẽplo Eliæ imi

Universidad de Deusto
Biblioteca

tari voluerunt: nempe quod illius factis quod in Elia non vituperatur, sed laudatur) imitatio non conueniat his qui Euangelicũ hauserunt spiritũ. Itaque sensus est: Nescitis cuius spiritus vos esse oporteat, vt estis, pro esse debeatis, accipiatur, quemadmodum in illo Pauli: sicut estis azymi. Aut nescitis ad quem spiritum delecti estis vos, nempe quod ad alium, quam ad spiritum veteris Testamenti, qui viguit in Elia, & alijs Prophetis. Non quod alius natura & re sit spiritus Euãgelicus à Spiritu Prophetarum: sed quod pro exigentia diuersitatis temporum vnus, idemque spiritus alius sit & alius secundum diuersos effectus. Itaque Dominus suos docere volens ad quem spiritum essent delecti, idque illos ex suo spiritu discere volens, subiecit:

Filius hominis non venit. In hoc scilicet primo suo aduentu, *animas perdere, sed saluare.* q. d. & vos ergo, qui me potius quam Eliã imitari debetis alienos esse oportet à vindicandi & perdẽdi studio, & in hoc vnum incumbere, vt saluetis cùm in corpore, tum in anima quoscunque potestis. Itaque his verbis Apostoli cohibiti, ac mox Domino obedientes abierunt simul cum illo in aliud castellum, seù vicũ. Nã & hic Græcis est κωμὴν, quod vicum vel pagum propriè significat. Porro quæ in Luca sequuntur de tribus volenti bus sequi Christũ, sed in quibus singulis aliquid desiderabatur: posita sunt supra cum narratione Matth. in cap. Concord. 29.

In itinere curat decem leprosos. Luc. 17.

CAPVT LXXIIII.

ET factum est dum iret in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè, et leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

Et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam, &c. Factum est, hoc est contigit dum è Galilæa iret in Ierusalem, transibat, quemadmodum necesse erat rectum itet arripienti per Samariam, & Galilæam. Id autem præmittit, vt miraculi narrandi lo-

di locum opportunum arripiat. Sequitur,

Et cum ingrederetur quoddam castellum, vel vicum. Pagum, aut ciuitatem (nam est rursum κωμὴ, & forte ille locus significatur, in quem dicitur superiori capite Dominus ingressus, postquam in alterò castello repulsus fuisset) *occurrerunt ei decem viri leprosi*, supple extra ciuitatem, vel vicum. Non enim licebat eis in ciuitatibus, aut hominum consortijs conuersari. Ob quod etiam agnoscentes morbum suum, propter sæditatem suam, quam tanquam contagiosam iudæi abominabãtur, non accedunt propius, sed procul stantes voce sublata acclamauerunt Domino. *Iesu*, inquiant, *præceptor miserere nostri.* Non exprimunt qua in re misericordiam sibi exhiberi postulent, tantum misericordiam eius implorant: nihil dubitantes, quin si tantum misereretur illorum, & vellet, & posset eos curare quantumuis multi essent, & incurabilis eorum esset morbus. Non enim eleemosynam se petere satis declarabãt, eo quod præceptorem eum vocarent, credentes eum à Deo datum hominibus magistrum, ac quærentes ab eo misericordiam, quatenus magister esset à Deo hominibus datus. Audijt clamorẽ Iesus fiduciæ testem, nec surda pertransijt aure, sed mox conuertit oculos in illos. Itaque sequitur,

Quos vt vidit, non oculis tantum corporeis, sed oculis etiam misericordiæ suæ, dixit: *Ite ostendite vos sacerdotibus.* Non prius eos mundat, quam Sacerdotibus sese ostendere præciperet, quẽadmodum tamen olim fecit circa leprosum illum, de quo Matth. 8. sed mittit Sacerdotibus manifestandos, vt inter eundum curarentur: idque fecit, probare volens, & alijs declarare illorum fidem, & ex fide nascentem obedientiam. Cum enim Sacerdotes lepram tollere non possent, sed tantum iudicare an aliqui leprosi essent, an non, & pro curatione sacrificium offerre: nisi hi fuissent humili fide præditi, cogitare potuissent, vt quid nos mittis necdum curatos ad sacerdotes? Semel enim illi nobis adiudicauerunt lepram, nec quicquam ipsi de lepræ morbo dubitamus, contractam autem semel lepram illi nequaquam tollere possunt, sed tantum pro curata sacrificium offerre. Frustra ergo nos mittis ad illos, cum nec illorum iudicio nobis fit opus, nec illorum legalis expiatio impendi possit. Nihil autem tale cogitant, sed simplici, humilique præditi fide certò confidebant se ideo mitti ad Sacerdotes, quod antequam ad illos peruenirent, mundandi essent. Non enim alia ratione intelligebant sibi id à Domino præcipi. Itaque secundum fidem eorum contigit, vt inter eundum mundarentur. Et hactenus quidem declaratur omnibus istis decem parem fuisse fiduciam, at sequentia ostendunt non parem omnibus fuisse gratitudinem.

Vnus enim, inquit, *ex illis.* Cùm vidit, & aduertit se esse mundatum, mox regressus est, tum Deum glorificans, idque magna voce,

(quod testimonium fuit & magnæ letitiæ, & animi non parú gratitudinem) Iesu gratias agens, idque cum summa reuerentia prosternendo nimirum se in faciem suam ad pedes Iesu. Quum enim iā mundatus esset, non dubitauit appropinquare Iesu quem à longe stans prius inuocauit. Porro quo magis miremur huius gratitudinem, subdit Euangelista;

Et hic erat Samaritanus. Cum enim Israëlitæ magis videri vellent, & merito magis esse debuissent religiosi, reliquis nouem qui Israëlitæ erant, non redeuntibus ad glorificandum Deum, & agendum gratias Iesu; solus Samaritanus gratum se erga Deū, & Christum declaranit, te ipsa vincens Iudæorum religionem.

Itaque respondens Iesus. Hoc est suscipiens verbis, & factis Samaritani dixit. *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Quærit autem non tanquam ignorans, sed huiusmodi interrogationibus ingratitudinem aliorum magis taxans. Sensus est enim. Cum certum sit decem similiter ab eodem morbo esse mundatos: quid est quod non similiter omnes idem agnoscunt beneficium, sed inter tam multos vnus solus gratitudinem animi declarare voluerit? Cumque his verbis Dominus videretur compellare, & interrogare Samaritanum; ille tamen non solum gratus existens, sed etiam modestus, *obmutuit*: vtpote qui venerat suo functutus officio, non autem accusaturus alios. Illo ergo contiscescente.

Iesus conuersus ad circumstantes, ait: ex decem nullus inuentus est. Hoc est, nullus compertus est, aut nullus extitit (sic enim Græcis accipitur reperiri) *qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena,* hoc est Samaritanus, genere alienus à gente Iudaica. Quibus verbis & reliquorum ingratitudinem taxat ex comparatione ipsorum cum hoc alienigena, & huius gratitudinem ex comparatione eius cum reliquis magis extollit. Porro cum hoc Dominus ad circunstantes locutus fuisset, subindicans Gentes Iudæis præferendas conuersus appellauit Samaritanum humi prostratum adhuc:

Surge, inquit, *vade.* Securus scilicet de beneficij nunc tibi collati perpetuitate. Ac pro more subiungit illud fidei elogium; *Fides tua te saluum fecit.* Quo præterquam quod fidei vim, & energiam docere, & commendare, vt & alias frequenter, voluit, magnum etiam modestiæ exemplum exhibuit: dum quod gratus ille alienigena ipsi tribuerat, & acceptum ferebat, ipse vicissim fidei diuinæ tribuendum, & acceptum ferendum pronunciat.

Docet in templo in festo scœnopegiæ.

Ioan. 7. CAPVT LXXV.

IVDÆI

IVDÆI ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: *Vbi est ille?* Et murmur multum erat in turba de illo. *Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas.* Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Iam autem die festo mediante ascendit Iesus in templum & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eū, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, & in sabbatho circūciditis hominem. Si circumcisionē accipit homo in sabbatho vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbatho? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nónne hic est quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit, Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus qui misit me quem vos nescitis. Ego scio eum, & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax: sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Audierunt Pharisæi turbam murmurantē de illo hæc, & miserunt principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscū sum, & vado ad eum qui me misit. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego sum vos non potestis venire? In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. (Hoc autē dixit de spiritu quē accepturi erant credentes in eum, nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.) Ex illa ergo turba cùm audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est verè propheta.

Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit Christus? Nónne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethleehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autē ex ipsis volebāt apprehendere eum sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & phariſæos. Et dixerunt eis: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis? numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis. Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, &c. Cum Dominus suis verbis ablegasset à se cognatos suos, illi existimantes ipsum non venturum ad diem festum metu Iudæorum, profecti sunt soli: ipse illis ascendentibus, ad tempus remansit in Galilæa. Postea quam autem abijssent fratres eius ad diem festum, tum profectus est & ipse, veniens in Ierusalem *non manifestè*, comitatus scilicet discipulorum, vt solet multitudine, ex qua facile cognosci potuisset, sed veluti furtim & occultè, tum vt tanquam verus homo ad tempus declinaret odium Iudæorum, tum vt animos populi expectatione sui magis accenderet, sicque maiore fructu suo tempore proderet in publicum. *Ergo*, inquit Euangelista, quoniam scilicet cum esset Ierosolymis, non tamen prodibat in publicum hominum cœtum quemadmodum consueuit.

Iudæi requirebant eū in die festo dicentes: vbi est ille? Quæ verba & si intelligi etiam possint fuisse bonorum verba, qui eum requisierint cupidi doctrinę eius, vt illud pronomen (ille) per admirationē sit ab illis dictum: tamen quoniam in sequentibus & præcedētibus Ioannes fere Iudæorum nomine inimicos Christi, qui erant in Ierusalem, significat magis, conuenit intelligere hæc fuisse inimicorum Christi, & malorum Iudæorum verba; vt intelligamus hos quæsijsse Dominum in die festo, nimirum quod cupidi essent per occasionem injicere in illum manus: & per contemptum dixisse;

Vbi est ille. Nolentes eum aut proprio, aut honoris aliquo nomine appellare. Iamque in eum velut absentem varij sermones in populo ferebantur: quod non esset omnium eadem de Iesu opinio, nec eadem omnium studia. Vnde dicit, *& murmur multum, vel murmuratio multa erat in turba de illo. Quidā enim* (quos verisimile est fuisse

fuisse Galilæos & è media plebe, quoniam miraculis ab eo editis interfuerunt, & sermones audierunt, ac mansuetudinem è congressu fuerant experti) dicebant Iesum esse bonum virum & indignum de quo quis malè loqueretur, aut in quem aliquid acerbius moliretur. Alij autem nempe Sacerdotes & Pharisæi, quos iampridem, malè vrebat Iesu gloria, è diuerso negabant eum esse bonum virum, *sed seducere turbā asserebant*. Cum enim Euangelista dicit alios dixisse seducit turbas: significare satis videtur hos fuisse Sacerdotes, & Pharisæos, qui se turbis non connumerabant. Porro cum plerique essent, qui de Iesu bene sentirent & clanculatijs susurris bonum eum esse prædicarent: *Nemo tamen palam audebat de illo loqui*. In bonum scilicet, propter metum Iudęorum Ierosolymitanorum, quorum proceribus intelligebant Dominum esse inuisum.

Iam autem die festo mediante τῆς ἑορτῆς μεσούσης, quod vt clarius esset vertendum fuerat, cum iam medium esset festiuitatis, hoc est quarta die festiuitatis. Itaque cum iam animos hominum suo desiderio irritasset, & tanquam verus homo odium Iudæorū, quandiu id cōuenire iudicauit, declinasset: tandē cū opportunū iudicauit, sese manifestaturus ascendit in templū, & docebat populū. Iudæi autē cum doctrinā illius calumniari nō possent tamen apud populum ei autoritatem studebant adimere: admirantes quod cū esset idiota, & literarū rudis sacra volumina populo prælegeret, & exponeret, atque ex eis inter docendū testimonia depromeret: veluti insimulare volentes cū quod dæmonium haberet, aut arte aliqua magica cōsecutus esset scientiā earū literarum, quas nō didicisset. Cum enim Ioannes Iudęos dicat fuisse, qui dixerunt: *Quomodo hic literas scit, cū non didicerit?* & Iudæos fere introducat pro hostibus Domini, crediderim malos fuisse qui hæc dixerunt, & eo animo dixisse, quo dictum est. Illud autem *scit literas*, accipi potest simpliciter pro eo, quod est nosse legere, aut potius pro eo quod est nosse, & intelligere Scripturas. Nam dictio Græca γράμματα, etiam verti potest per Scripturas. Sic & Paulus dicit Timotheum ab infantia sacras literas nosse.

Respondit eis Iesus & dixit, mea doctrina non est mea, &c. Hoc est doctrina, quam ego docco non est ex me profecta primò, & originaliter, sed est originaliter eius, qui me misit in mundum, nempe Dei Patris: proinde qui me hāc docuit, docuit & literarū, ac scripturarum cognitionem. Quoniam autē quæretes quis poterat quomodo cognosci possit doctrinam eius esse à Deo, subijcit:

Si quis voluerit voluntatem eius facere, &c. Notans causam ob quam Iudæi non intelligerent doctrinā eius esse diuinā: nimirum quod Deinollent facere voluntatem, cuius tamen volebant videri cultores religiosi. Porro quod dicit, Si quis voluerit voluntatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius facere, &c. quidam bene intelligunt generaliter de omni Dei voluntate, vt significetur bonam hominis voluntatem, & studiũ obsequendi Deo, multum conferre ad discernendum an doctrina aliqua sit ex Deo, an non. Spiritualis enim omnia dijudicat, anima lis autem homo non percipit ea, quę sunt Spiritus Dei. Nam sicut bona dispositio palati dat gustu vt possit discernere differentias sa porum: sic bona voluntatis dispositio dat intellectui discernere do ctrinam diuinam ab ea, quæ non est talis; Hæc enim vt contraria bonæ dispositioni voluntatis sentitur, illa autem vt cõformis. Post quam autem Dominus indicauit vnã rationem, qua quis cognoscere possit qualis, & a quo sit doctrina eius: subiungit & aliam rationem, qua id rursum certissimè cognosci possit;

Qui, inquit, *loquitur à semetipso*, hoc est, qui nõ est missus à Deo, & loquitur ea, quæ a Deo non accepit: hic non Dei quærit gloriã, sed suam propriam. Contra, *qui quærit gloriam Dei, qui misit illum*. Hic quoniam ea loquitur, quæ à Deo accepit, quæque ad Dei, qui misit eum, faciunt gloriam, & à mendacio, atque falsitate est alienus, & ab iniustitia. A mendacio quidem, quoniam loquitur quæ Dei sunt, qui mentiri nequit. Ab iniustitia vero, quoniam nõ quærit docendo sibi gloriam, quæ soli Deo debetur. Itaque è contra vult significare Dominus eum, qui loquitur a semetipso & nõ esse veracem & esse iniustum.

Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legẽ &c. Potest hic locus sic tractari, & coniungi cum superioribus, vt intelligamus Dominum postquam ostendit suam doctrinam esse à Deo, & se esse veracem, nec esse in se iniustitiam, voluisse significare nõ esse mirum si doctrinam eius nollent agnoscere, & recipere; cum ne Moysis quidem legem quam tanti tamen facere videri volebant, obseruarent: vt qui insontem occidere quæterent: sicque Dominus sermonem suum continuans, occasionem accepit se etiam vindicandi ab altera eorum calumnia, quã tanquam legis trãsgressorem eum accusãbant.

Respondit turba, & dixit: dæmonium habes, quis te quærit, &c. Nõ Iudæi, nec Hierosolymitani illud Domino respondisse dicuntur, sed turbã, quam verisimile est ignaram fuisse eius, quod contra Dominum primores Iudæorum fuerant machinati. Itaque cum ipsi nihil tale cõtra eum cogitassent, & ad se verba Domini pertinere putarent pro more perturbatæ, & sine ratione loquentis turbę dicũt eum dæmonium habere: idq; vel ob id quod dæmõ Pater sit omnis mendacij, quid dominus iã loqui estimabat, vel potius simpliciter sic dixerunt Dominum habere dæmonium, quomodo nos cõmuni sermone eũ qui loquitur absona insanire dicimus. [Teutonicè dicentes. Gly raeft, quomodo scitus præses Paulo rationẽ vitæ suæ reddenti, & de Christo differenti, inquit, Insanis Paule.]

Respon-

Respondit Iesus & dixit eis, vnum opus feci, & omnes miramini. Cum turba ignoraret, quod illum quidam interficere studerent, & qui illud sciebant, fateri nollent; Dominus ipse qui prius quæsiuit, Quid me quæritis interficere, causam aperit odij eorum in se, eandemque efficaci ratione ostendit non esse iustam.

Vnum, inquit, *opus feci*, nẽpe quod sanaui hominem in Sabbato, & ob id omnes miramini. Mirari autem hic rursum non in bonũ ponitur, sed in malũ pro turbari, & tumultuari, vt exponit Theophyl. Non enim vult eos opus illud mirari tanquam diuinum, sed tanquam malum, & contra legem Dei factum. Porro illud propterea, quod sequitur, quidam recte sequentibus coniungunt, positumque est Hebraico more, quemadmodum aliquoties in Prophetis, non vt sit redditiuum causæ, sed vt sit particula excitans ad audiendum quod dicendum est, vt sit sensus; Itaque vt non miremini, sed intelligatis factũ meum obnoxium non esse calumniæ, aduertite. Ecce Moyses, &c. Ratio autem qua Dominus vsus est, talis est: Moyses dedit vobis præceptum circuncisionis octauo die fiendæ, vnde fit vt frequenter in Sabbatho circuncidatis hominẽ, cum in Sabbathum dies octaua circuncisionis frequenter incidat. Si ergo homo circunciditur in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi, quæ circuncisionem octauo die fieri mandat nec indignamini Moysi, qui hoc ita fieri præcepit: nec mihi indignari meritò debetis, qui non in aliqua parte hominem in Sabbatho læsi, aut læsum curare studui, quemadmodum Moyses fieri præcepit, *sed totum hominem sanum feci in sabbatho*. Quanto enim melius est hominem sanare, quam vulnerare, & totum sanare, quàm in parte: tanto magis in Sabbatho licitum sit necesse est. *Proinde ne iudicetis secundum faciem*, hoc est personatum qualitatem, ita vt Moysen eo quod magnæ sit apud vos authoritatis in simili negotio absolutis, in quo me humilem, & contemptum apud vos condemnetis: sed quemadmodum lex toties vobis precipit, *iustum iudicium iudicate*, æstimantes scilicet factum ex seipso, & non ex qualitate faciẽtis. Quod si feceritis, aut me simul cum Moyse absolueris, aut illum mecum condemnabitis. In hac ergo ratione Dominus è regione circuncisionis ponit, sanare totum hominem. Circuncisio enim infert vulnus egens curatione partis. Ideoque contra ægritudinem vulneris dicit; *sanum feci*; contra verò curationem partis læsæ, quæ curatio etiam in Sabbatho circuncisis debet adhiberi, dicit: *totum sanum feci*. Cęterum illud; *Non quia ex Moyse est circuncisio, sed ex Patribus*, simpliciter videtur à Domino appositum, ad explicandum, quomodo dicat Moyses dedisse circuncisionem, nimirum quod eam in lege præceperit, quanquam prius fuerit instituta: ne quis Dominum argueret insciti æ, quasi putauerit Moysen fuisse auctorem circuncisionis, cum tantum fuerit confirmator.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dixerunt ergo quidam ex Hierosolymis. Nonne hic est quem, &c. Cum superius introduxisset Euangelista quosdam offensos in doctrina eius, quod nescirent vnde esset: iam inducit alios offensos in origine eius, quod scirent vnde esset: cumque supra meminerit quorundam qui negabāt Iesu necē intentari, iam aliorū meminit, qui idipsum quod Dominus asseruerat confirmāt. *Ergo* inquit, cū Christus ad eundem modum in templo doceret, *dicebāt quidam*, non è turba illa, quæ ascendit ad diem festum, quæ, vt supra dictū est, forte ignorabat molimen Principum, sed quidam ex Hierosolymis, vel vt habent Græca, ex Hierosolymitanis, quibus Principū suorum studium facilè potuit esse cognitum.

Nonne hic est quem quærunt, scilicet Principes nostri, interficere? Ecce qui prius cum ad necem quærerentur, latuit, hic nunc palam loquitur, & non solum nihil ei faciunt, sed nec quicquam ei dicūt. An principes nostri iam vere persuasi sunt hunc esse Christum? Sed id nō est verisimile. *Scimus enim vnde sit*, hoc est, ex quibus parentibus sit progenitus.

Christus autem cum venerit, nemo scit, id est, sciet, vnde sit, quod non videtur intelligendū de loco, vnde Messias esset oriundus: sed de parentibus Messiæ, quos fore incognitos suspicati sunt verisimiliter vel ex illo Isaiæ loco cap. 53. Generationē illius quis enarrabit? vel ex eo quod apud Micheam, post quā dictum est Messiam exiturum è Bethleem, sequitur: Et egressus eius, vel egressiones eius (est enim Hebræis pluralis numerus (ab initio à diebus æternitatis.

Clamabat ergo Iesus in templo docens & dicens: Et me scitis, &c. Etsi Hierosolymitani illi non dicerent audiēte Domino prædictā tamen Dominus omnium conscius, cū apud se cognosceret quid de se quidam in turba loquerentur, ad illa respondit inter docendum, *clamans*, iam hoc est, elatiore voce ista dicēs, forte ideo quod aliquantulum ab ipso (vt verisimile est) abfuerint illi calumniatores, vel certe vt ita pondus maius verbis suis adderet. Porro illud & me scitis, & vnde sim scitis, variè intelligitur. Quidam intelligunt Dominum hæc respondisse per ironiam, qua significauerit eos falli, neque id scire quod iactabant. Aut Dominum hæc dixisse ex eorum sententia, veluti cōcedendo eis, quomodo dictum est cap. 5. Ioannis circa illud: Si ego testimoniū perhibeo de meipso, &c. Vt hic sit sensus, dicitis vos me scire, est vnde sim, scire. Atqui vt id ex parte vobis concedam, à me ipso tamen nō veni, sed est verus, &c. Secundū quē intellectū coniunctio, &, cū dicitur & à meipso nōveni, &c. Hebraico more habet vim aduersatiuā, quēadmodum mox insta. Quærebant ergo eū apprehendere, & nemo misit in illū manus. Et sane hic sensus videtur esse conuenientior, tūm quod insequentibus toties Dominus negat Iudæos se cognoscere, tum quod Iudæi nō scirent etiā vnde Iesus esset secundum humanitatem

nitatem. Ex Ioseph enim prognatum crediderunt, & in Nazareth natum non in Bethleem. Itaque Dominus ostendit illos nescire vnde sit cum subdit:

A me ipso in mundū non veni, ad prædicandi munus, sed qui misit me est verus, Deus scilicet, qui solus verax, vel verus est, cū omnis homo, & demō sit mendax. Deum autē nunc significat appellatione veri, vel veracis, sicut & cap. 8. Ioan. sequenti, quia hic Deum introducit tanquā authorem suæ doctrinæ. Dicit autē illos Deum qui misit ipsum nescire, tum quod illū nescirent sub ratione mittentis, tum quod illius mādata non seruarēt. Qui enim, inquit Ioānes, dicit se nosse Deum, & mādata eius nō custodit hic, mēdax est. Significat autē ex consequenti illos etiam nec nosse ipsum, nec scire vnde sit, secundum id, quod de eo maximè erat cognoscendum. Magis enim referebat scire vnde esset missus, quā vnde secundum carnē prognatus. Sic & cum subiungit, Ego scio eū: significat illos à se discere debere illum, qui se misisset. Quod autē in nostris libris sequitur; *Etsi dixero, quia nescio eū, ego similis vobis mendax. sed scio eū*, totum non est in Græcis, vt nec in antiquissimis latinis, nec in Augustini commētarijs, vt satis sit certum verba hæc ex cap. 8, vbi similis est locus, esse huc transcripta. Debet autem similitudo, quę his verbis significatur per contrarium intelligi, vt sensus sit; Ero similis vobis mēdax, quia sicut vos dicitis nosse eum quē non nouistis, ita ego dicerē me non nosse eum, quem tamē noui. Quod autem dicit: *Ego scio eum quia ab ipso sum, & ipse me misit*: dupliciter potest accipi: Aut vt, quia, pro quod accipiatur hoc sensu; Ego noui eum, nempe quod ab ipso sim, & quod ipse me miserit. Aut potius, vt (quia) accipiatur causaliter, & declaret Dominus se scire eū, tum quia ab ipso sit, tum quia ipse eum miserit: quorum primum dicit propter suam diuinitatē secundum quam est à Patre; secundum verò propter suam humanitatē, secundum quam est missus. Missio enim eius est incarnatio, & ad prædicādi munus delegatio.

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus. Illud ergo sic accipiendum est, vt intelligatur Euangelista confirmare, quod Hierosolymitani prædicti dixerunt, Nonne hic est, quem quærunt interficere? & reddere rationem, quam illi non intelligentes sunt admirati, nempe quare Principes quærentes Dominum interficere, iam palam prædicantem non comprehenderūt, vt sit sensus; Verū ergo est quod quærebant eū Principes apprehendere, & tamen nemo misit in illum manus, *quia nondum venerat hora eius*, hoc est, tempus à se, & Patre definitum Passioni eius. [Non ergo dicit nōdū venerat hora eius, quasi Dominus temporibus esset obnoxius, & à fato aliquo cælestiū corporū mors, & Passio eius penderet, sed quod omnia tempore opportuno, & à se diffinito fieri voluerit.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex turba autem multi crediderunt in eum. Quanquã inquit, Principes illum quærerent interficere, tamen multi ex turba, propter signa, & miracula, quæ vel tum ædebat coram eis, vel ab eo prius viderant, aut audierãt esse facta crediderunt in eum tanquam expectatum Messiam. Quod autem dicunt;

Christus cum venerit, sic sunt accipiẽda hec verba: Si adhuc Christus esset venturus, *nunquid plura signa facturus esset quàm qua hic facit?* loquuntur enim ex aliorum sententia non sua, velut alijs concedentes quod Christus adhuc esset venturus, & ex ea colligentes suæ sententiæ veritatem. Cæterum Pharisæi & principes Iudæorum, quorum partes erant imperitam multitudinem ad Christũ allicere, adeo sunt occasione fidei & propensionis bonæ vulgi erga Christum accensi ad persequendum illum, vt quod ad tempus differre statuerant, iam diutius non differendum esse putarent: re ipsa satis declarantes vt annotauit Chryso. magis eos torsisse gloriam Domini apud populum, per quam suæ gloriæ diminutionẽ metuebant, quam Sabbathi violati, sicut illi putabant transgressionem. Tanta pestis est ambitio, religionis & doctrinæ prætextu fucata. Vt autem non ipsimet venirent ad comprehendendum Dominum, nõ pudor, aut pietas eos coërcuit, sed metus periculi à populo expectandi: ob quod ministros mittunt tanquam periculis expositos. Vnde sequitur.

Dixit ergo ei Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, &c. Dominus semper declarans se non latere quidquid aliqui contra ipsum clam dicerent, aut moliretur, etiam iam præsentibus his, qui missi erant, dicit, quæ opportuna erant: significans frustra illos se quærere modo ad mortem, nec necesse esse vt tam ardenter eum ad mortem quærerent, breui fore vt ipse sese sponte mortis ad quã tum frustra petebatur, offerret; ac tum etiam quæsitum inueniri non posse, vt ob id potius quandiu eo frui licet eum auidè amplecti deberent, quam ante tempus ipsum vellent perdere. Dicit ergo: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui me misit. In qua oratione coniunctio (&) potest accipi vt aliquoties, pro causali, quia, vt sit sensus, modico tempore vobiscũ sum, quia vado, hoc est, mox iturus sum, &c. Aut potius hic est sensus, Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & post illud tempus vado ad eum qui me misit. Hæc autem sentẽtia dupliciter significat Dominus suam mortẽ fore sibi voluntariam, nempe & quia asserit se fore cum eis, idque modico tempore, nimirum tempore sex mensium, & quia dicit se iterũ ad eum qui se misit. Nam ire, aut abire voluntatis est. Rursum hac sententia bis reprimit Dominus conatum eorum qui venerant eum comprehensuri, nempe & quia dicit se adhuc aliquandiu fore cum eis, quantumuis ad illi impedire conarentur, & quia dicit se iturum ad Deum, qui misit illum, veluti

luti eos terrere volens, quasi de ipsis apud Patrem sit conquesturus, eosque accusaturus. Eosdem autem etiam magis adhuc reprimit cum subijcit;

Quæretis me, tunc scilicet, *& non inuenietis.* Quæ verba sic intelligenda sunt; vbi abiero ad eum qui me misit, tum plerique vestrũ quærent & desiderabunt præsentiam meam corporalem, cupientes, sicut modo, audire me docentem, & videre mea signa: sed nõ inuenient præsentiam meam corporalem. Iam quod sequitur, *Et vbi ego sum, vos non potestis venire,* significat Dominus his verbis se eo loci futurum, quo illi per humanæ naturę imbecillitatem conscendere & venire non possunt. Sic enim intellecta hæc sententia & Iudæis competit, & Apostolis, quibus Ioan. 13. dicit, Sicut dixi Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire. Sensus itaque est. Quæretis me absentem, sed non inuenietis me præsentem vobis corporaliter, quia vbi ego ero tum, & iam sum per diuinitatẽ vos non poteritis venire, vestra scilicet opera: aut quãdiu grauati estis hoc mortali corpore, in quo me quęretis.

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos, Quo hic *iturus est, quia, &c.* Cum Iudæi prædictum Domini sermonem non intelligerent, & per odium in Dominum non intellecta studerent in calumniam, & deriſum trahere, vt fieri solet ab his, qui eius quẽ odiunt verba non intelligunt, dixerunt ad semuicem, aut inter sese. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid, *in dispersionem Gentium,* hoc est ad Gentes dispersas, & diffusas per vniuersum terrarum orbẽ est iturus, & relicta terra hac sancta, ac populo Dei sancto docturus impias & profanas Gentes? Sermo certè insaniam summam simul & superbiam præ se ferens. Insaniam quidem, quia ex eo quod dixit: Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego sum vos non potestis venire; intellexerunt significatum ipsum iturum ad Gentes, quasi non possent & ipsi eo venire, quorum consanguinei iam ex magna parte in omnes Gentes erant dispersi. Superbiam vero, quia digniores se reputabant, quàm qui Gentes accedere vellent.

In nouissimo autem die magno festiuitatis, &c. Cum dies iste huius festiuitatis nouissimus hic dicatur fuisse magnus, & certum sit eum dici magnum ob quietem in eo die agendam, intelligẽdum est potius hunc fuisse octauum, quam septimum diem vt volunt quidã. Nam dies octauus sicut & primus celeber erat, & sanctus, sic vt in illo nullũ opus fieri posset, vt satis patet ex his quæ cap. Leui. 23. Dicũtur, vbi scribitur, die primo & die octauo erit sabbatũ, hoc est requies, nulla facta mẽtione de singulari obseruatione diei septimæ. Hic autẽ dies oportunè a Domino delectus est, ad sublimen huius doctrinæ commendationem & omnium ad se imitationẽ: tùm ob maximum auditorum numerum tunc præsentem; tum

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod iam omnes de reditu cogitarent, quibus proinde iter ingressurus Dominus parare voluit viaticum fidei Euangelicæ: tum etiã vt magni festi diem eximium, & vltimum insigni sermone conseqrater, & terminaret. Itaque eo die tanquam cæteris commodiore stans Dominus, & non solum aperte de se loquens, sed etiam intenta voce clamans, tum propter turbæ multitudinem, vt ab omnibus audiretur, tum vt ostenderet se neminem formidare, ac postremum reipsa declararet se dicturum, quæ magnopere referret omnes scire, & audire: omnes veram sitientes doctrinam, & salutem dulciter inuitat; vt ad se fontem vitæ exuberantissimum veniant, & bibant potum illum salutarem, qui animam reficiat, & omnem æstum cupiditatum huius mundi restinguat.

Si quis, inquit, *sitit, veniat ad me & bibat.* Dum dicit, Si quis significat se nec velle excludere quenquam volentem nec velle compellere quenquam nolentem, sed paratum esse quemuis volentẽ suscipere, modo veniat sitiens, hoc est ardenter desiderans spiritualia scilicet bona, salutarem doctrinam, ac veram salutem. [Posset tamen fortè intelligi Dominus vt absolutè dicit, Si quis sitit; etiã loqui de quouis sitiente, etsi necdum habeat sitim spiritualium rerum, vt inuitet Dominus etiam eos, qui sitiunt terrena, honores, diuitias, voluptates. Nam & hi si ad Christum venerint, haurire ex eo poterunt vnde suam sitim restinguant, in quo veriores honores, diuitiæ, & voluptates percipiuntur quam in mundo, per quem etiam sitis illa terrenarum rerum tollitur. Quod enim Dominus hic dicit: Si quis sitit, idem est cum eo, quod habetur Is. 55. Omnes sitientes venite ad aquas, adeo vt videri possit Dominus ad illum locum hic alludisse, ac significare voluisse se esse eum de quo ibi loquitur Propheta. Porro apud Isaiam nomine sitientium generaliter etiam comprehendi eos qui sitiunt terrena omnino apparet ex his, quæ sequuntur; Quare appenditis argentum vestrum non in panibus, &c. Quibus verbis videtur increpare eos, qui terrena sectantur, quæ verè satiare mentem hominis non possunt.] Cum autem Dominus sitientes inuitat ad se dicens: *Veniat ad me*, significat se fontem omnis boni, ac dehortatur illos ne eãt ad huius mundi Sapientes, ac ad Phariſæos, quorum doctrina dilutior est, & frigidior, quã vt sitim restinguere possit; item quæ ne à vanis mundi rebus quærant suæ sitis satisfieri. Non solum autem exigit vt ad se veniat, qui sitit, sed etiam vt bibat. Venit ad Christum, qui cupidus est audiendi doctrinam eius, bibit autem ex fonte Christi qui credit eius sermonibus, ac credendo haurit spiritum Euangelicum. Aut venit, qui credit; bibit, qui per charitatem Christum sibi incorporat. Sicut ergo sitienti corporaliter opus est non tantum ire ad fontem, sed etiam bibere ex eo: ita non satis est venire ad Christum, sed ex eodem bibere oportet, credendo

dendo in eum fide per charitatem formata. Et quoniam venire ad Christum, & bibere ex eo est credere in ipsum; ideo bene subiungit;

Qui credit in me sicut dicit Scriptura, &c. Cùm enim dicendum videretur, qui bibit ex me, dicit, qui credit in me, vt exponeret quid sit venire ad ipsum & bibere, Vult autem hac significare sententia fructum, quem consecuturi sint bibentes ex ipso, videlicet quod non tantum illorum sitis satisfiet, sed adeo sint replendi ex potatione huius fontis, vt ex ipsis flumina sint profluxura, idque aquæ viuæ, ac perpetuo currentis, ad irrigandum, & reficiendum etiam alios. Cæterum illud, *Sicut dicit scriptura*, incertum est an præcedentibus coniungi debeat, an sequentibus. D Hiero. sequentibus connectit, ideoque si placeat eius distinctio, dicendum Dominum alludere ad ea loca, in quibus per Prophetas abundantia gratiæ spiritualis credentibus communicanda per flumen promittitur vt Isa. 41. 42. 43. 44. 48. Ezech. 36. Ioan. 2.

Flumina, inquit Dominus, *de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Per ventrem; cor, & mentem hominis significat, quæ sicut venter è fonte illo primo qui est Christus, in se suscipit aquam spiritualem, idque adeo copiosè, vt & ipsa fiat fons, imò vt flumina aquæ viuæ de se effundat, hoc est copiam spiritualium operationum, & effectuum, qua homo semper ad meliora proficiat, & alios quoque irriget, fœcundet, & secum trahat: quemadmodum flumina multo impetu delata, & circumiacentes agros fœcundant, & occurrentia omnia simul corripiunt. Ergo per flumina aquæ viuæ intelligitur ipse Spiritus sanctus, & copia gratia spiritualis in mente hominis diffusa: quæ fluere dicitur ex ventre hominis, quia per externas operationes sese prodit, & velut scaturit. Hic enim intellectus magis conuenit alteri loco simili, qui est supra Ioan. 4. & rursum sequentibus. Nam Ioannes exponens metaphoricum Domini sermonem subiicit:

Hoc autem dixit de spiritu, quẽ accepturi erant credentes, &c. Quo satis significat per flumina aquæ viuæ, ipsum Spiritum esse intelligendum, qui pluraliter per flumina est significatus, propter largitatem gratiæ, & donorum, quę credentes erant accepturi, post assensionem scilicet. Quare autem Euangelista dixerit Domini verbum intelligendum de spiritu quem credentes non tum accipiebant, sed erant accepturi, subiungit rationem dicens:

Nondũ enim erat spiritus datus, quia Iesus nondũ erat glorificatus. Græca habẽt, nondũ erat Spiritus sanctus, quomodo cuia legisse D. Augustinũ satis patet ex ipsius cõmentarijs. Nec est quicquã periculi in illa Græcorũ lectione, sensus enim est, vt indicat Aug. Spiritũ sanctũ nondũ fuisse in credẽtibus, quod tamẽ rursũ intelligi debet, sicut & nostra lectio, de spiritu sensibiliter, & cõmuniter dãdo

credẽ-

credentibus in ea copia, vt esset in eis velut flumina aquæ viuæ, qui ad modum datus est in die Pentecostes, & postea. Atque hunc sensum satis indicat Euangelista, dum & præmittit de spiritu, quē accepturi erant credentes, & subdit de Christi glorificatione, post quam Spiritus erat dandus. [Causa autem quare ante Christi glorificationem, hoc est Ascensionem non fi datus, nec debuerit dari Spiritus eo modo predicto duplex potissimum est. Vna ex parte Christi, nempe quia dare Spiritum tam communiter, & tam copiose erat Christi tam regnāti, & de deuicta morte, ac abolita per crucem inimicitia inter Deum, & hominem triumphanti; vt orbis videret quid morte sua nobis apud Patrem humano generi prius ostensum, impetrasset. Altera ex parte discipulorum & omnium credentium, nempe quod hi quamdiu Christum secundū carnem cognouerunt, & antequam ille in cœlos conscendisset, non habebant dignam adhuc de Domino existimationem, nec illius plenitudinis spiritualis adhuc erant capaces. Vnde Dominus in vltima cena, Si inquit, non abiero paracletus nō veniet ad vos, &c.]

Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, &c. Cum inquit, audissent hos, id est, tales sermones plenos scilicet cælesti doctrina, commoti & celsitudine verborum, & dicentis efficacia, *dixerunt plerique; Hic est verè Propheta.* Non additur Græcis articulus ad nomen, Propheta: vt intelligamus hos tantum simpliciter asseruisse eum esse Prophetam aliquem quomodo Samaritana illa dicens: Domine video quia Propheta es tu. Alij verò magnificentius de Domino sentientes, non tantum Prophetam esse, sed etiam Christum illum expectatū: vnde hic Græcis est articulus ὁ χριστος His quidā contra dicebant, quod cum Scriptura promitteret Christum nasciturum ex semine Dauid, & ciuitate Bethleem, Iesum Galilæum putarent in Nazareth, vbi educatus erat, etiam natum: ac proinde nec natum esse ex semine Dauid, sed ex parentibus Galilæis, non Iudæis. His Dominus nil respondet, nec scrupum hunc illis eximere studuit, quod malitiose hæc loquerentur, nec veritatis discendæ essent auidi: quam si discere cupiuissent Dominum accessissent, scrupum suum illi proponentes, aut ex alijs facilè cognoscere potuissent eum fuisse ex semine Dauid; quandoquidem id multis fuerat cognitum: ex parentibus item & cognatis intelligere potuissent non in Nazareth, sed in Bethleem ipsum fuisse natum. Itaque quibusdam asserentibus ipsum esse Christum, alijs autem negantibus, *dissensio facta est in turba propter eum.* Quidam vero vt pote qui peiores erant, & immoderatiores, non tantum verbis gloriæ Christi aduersabantur, sed etiam manus illi appetebant iniicere; verum vt & prius, eorum conatus & studium diuina virtute reprehensum est: adeo vt & satellites, qui missi fuerant ad cōprehendēdum ipsum, re infecta redierint ad Dominos suos. Porro cum

cum ex præcedentibus appareat ministros hos missos fuisse ante nouissimum festiuitatis diem, & iam significetur in nouissimo die venisse ipsos ad Principes & Pharisæos: intelligendum nō eodem die missos fuisse, & rediisse; sed illos forte Dominum diuersis diebus audiisse docentem, & expectasse tempus, & locum opportunum comprehendendi Dominum: aut pridie huius diei fuisse missos, & hoc die ad suos Dominos rediisse. Cæterum vt in Pontificibus, hoc est principibus Sacerdotum (Græcè enim est ἀρχιερεῖς) & Pharisæis ardens studium perdendi Dominum apparet, cum dicunt; Quare non adduxistis illum? ita in satellitum verbis obseruandum quale de Domino perhibeant testimonium. *Numquam, inquiunt, sic homo locutus est, sicut hic loquitur.* Significantes se non metu multitudinis, aut alia quauis simili causa omisisse, quæ imperata erant, sed quod sermone eius ita essent transformati, vt quod decreuerant, reluctantibus animis perficere non potuerint. Quanquam autem satellitum testimonium Principes Sacerdotum & Pharisæos pessime haberet, eosque non parum grauaret, dissimulant tamen furorem animi sui, ministris mitius, quàm pro cogitationum vesania loquentes. Quid inquiunt, accidit vobis. Num etiam vos, qui nostri estis, nec ad promiscuam multitudinē pertinetis seducti estis ab illo, sicut imperita turba, An non perpenditis neminem ex optimatibus, aut Pharisæis, apud quos est legis cognitio, credere in eum? in quem certe crediturī essent, nisi persuasi essent doctrinam eius à lege Mosaïca discrepare, quos proinde vos magis sequi debetis, quam turbam, quæ ignorans legem, Deo est execrabilis, & maledicta.

Dixit Nicodemus ad eos qui venit ad Iesum nocte, qui erat, &c. In tam frequenti concilio Pharisæorum, & Pōtificum, præter vnum non est repertus, qui in tam scelestis molitionibus innocentiæ, & iustitiæ patrocinaretur: per quem tamen declaratum satis est & illos falsò dixisse, nullum principum credidisse in Iesum, & nusquam deesse qui veritati faueant ac innocentiam ament. Hic erat Nicodemus ille, de quo Ioan. 3. Qui ex congressu quondam habito cum Iesu, etsi nondum adeo profecisset, vt crederet illum esse Messiam, aut vt pro eo hominum gloriam contemneret: tantum tamen profecit, vt iam aliquousque Domino patrocinaretur. Verum quoniam sociorum suorum in Iesum furorem aduertit, & illorum timuit malitiam authoritate armatam: sic suum moderatus est patrocinium, vt suum ergo Iesum affectum bonum nō aperte proderet, nec illum commendaret; sed tantum legis cuius erant professores, eos admoneret: velut zelo legis ea loquens pro Iesu, quæ pro malo quoque viro, sed nondum conuicto dici poterat

Numquid, inquit, lex nostra iudicat quēquam, &c. q. d. Nos legem profitemur, & de ea gloriamini, turbam ob legis ignorantiam exe

Universidad de Deusto
Biblioteca

crantes: verum videte num quod Iesum condemnatis inauditum, eumq; perdere quæritis, conueniat legi quam profitemur. Nunquid lex nostra iudicat, & condemnat hominem si non prius illum audierit pro se loquentem, & *cognouerit quid faciat*, hoc est excusserit ea quæ facit, qui defertur. Saltem hoc iuris tribuatur huic quod est commune omnium, & quod a lege conceditur etiam maleficis. Porro ad hoc tam æquum, tamque ciuile Nicodemi patrocinium, cum non haberent, quod hiscerent: non solum non resipiscunt, nec placantur, sed ipsius etiam authoritate contempta conuitio petunt hominem, insurgentes contra eum, quasi non zelo legis dixerit, quæ dixit, sed ex affectu erga Iesum pro more eorum, qui nolentes audire sana consilia, tedunt suspectos eos, qui bene consulunt, tanquam ex affectu loquentes.

Nunquid, inquiunt, *etiam tu Galilæus es?* id est, nunquid etiã tu es patria Galilæus, vt ob communem eum homine isto patriam huic faueas, quemadmodum reliqui Galilæi? Vnde subijciunt:

Scrutare scripturas & vide, i. cognosce *quod à Galilæa Propheta nõ surgit*. Græca habent præteritum surrexit, & nomini Propheta nõ additur articulus; vt non voluerint significare illum singularem Propheram inde non expectandum, sed neminem Prophetarum præcedentium in de exortũ fuisse, & ex præteritis significent colligendum de præsentibus.

Et reuersi sunt unusquisque in domum suam. Ad hoc profecit Nicodemi iuuamen, etsi non sufficiens patrocinium, vt eius interpellatione in præsens malignum hoc concilium dissolueretur. Itaque prædictis vtro, citroque tractatis, dimissum est concilium, ac suã quisque domum abijt dilata, non mutata sacrilega voluntate. Nõdum enim venerat tempus Iesu.

Adulteram mulierem absoluit. Ioan. 8.

CAPVT LXXVI.

IESVS *autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eũ, & sedens docebat eos. Adducunt autem scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio. & dixerũt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio: In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autẽ dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autẽ inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseuerarent interrogantes eũ erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrũ primus in illam lapidẽ mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, vnus post vnum exibant, incipiẽtes à senioribus & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. Erigens autẽ se Iesus, dixit ei: Mulier vbi sunt qui te accusabant?*

hant? nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autẽ Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

Iesus autem perrexit in montem Oliueti, &c. Quanquam aliquando de Historiæ huius firmitate dubitare licuit: nunc tamen propter Ecclesiæ consensum dubitare non licet, sicut nec de Historia Suzannæ. Dicit ergo Euangelista quod Pharisæis discedentibus in domos suas, Iesus postquam tota die populum docuisset, nec esset qui in Ierusalem illum inuitaret: concessit in montem Oliueti, aut vt est Græcè oliuarum, sic dictum ob multitudinem olearum ibi nascentium. Quanquam autem ingrati essent Hierosolymitani, & propter metum Principum, nemo auderet illum recipere in domum suam: Dominus tamen non cessans à benefaciendo, sed præ se ferens, quam ardenter cuperet hominum salutem, & ob eam nihil metueret Phariſæorum impias conspirationes: ipso diluculo docendi gratia reuersus est in templum omnisque populus suauitate doctrinæ Christi prius degustatæ illectus, certatim confluit ad ipsum, vt eodem cibo spirituali pascatur, ac reficiatur. Itaque hunc populi ardorem pius Dominus suo non fraudauit desiderio, sed sedens docebat eos, & esurientibus pabula vitæ ministrabat. Domino autem in docendo, & populo in audiendo occupato. *Mons Oliueti.*

Scribæ & Pharisæi insidias struunt, & apud se machinantur, qua ratione deprehendant in eo vel aliquam accusationis causam; quam vt nanciscantur: *Mulierem in adulterio deprehensam adducunt ad eum.* Quasi scisciturus eius sententiam & partiti state eius iudicio. Itaque *eam statuunt in medio*, id est, ante oculos Iesu, & venenato animo, hetoque ore hæc illi verba proponunt. *Magister, hæc mulier modo in adulterio deprehensa est, &c.* His verborum blanditijs, & sermone adulatorio Pharisæi suę malitiæ virus abscondere satagunt, vt suarum fraudum laqueis Dominum facilius implicent, & inuoluant incautum. Proponunt criminis magnitudinem, & certitudinem dicentes mulierem, non modo adulteratse, sed modo deprehensam in adulterio. Addunt Mosis legem, qua Leuit. 20. sancitum est adulteros, & adulteras lapidibus obruendos esse, ac tum demum sententiam eius requirebant, non discendi gratia, sed tentandi, hoc est experiundi, num eam esset contra legem absoluturus: vt si hoc faceret, possent eum accusare tanquam manifesti contrarium legi diuinæ. Itaque illud: *Vt possent accusare eum*, sic est accipiendum, vt possent eum accusare tanquam legis transgressorem, contra quam omnino credebãt eum iudicaturum.

Iesus autem inclinãs se deorsum digito scribebat in terra. Dominus qui nouerat arcana cordium, & cuius conscientiam nihil omnino

tiùs quantumuis occultum fugiebat, imprimis quidem non ora-
Quid scripserit in terra. tione, sed facto illis respondet, inclinans se deorsum, & digito scri
bens in terra. Quid autem scripserit incertum est, quanquam ve-
simile sit tale fuisse, quod ad incutiendum illis pudorem momē-
tum aliquod attulerit. Vnde D. Hieron. libr. 2 contra Pelagianos
intelligit eum scripsisse accusantium, & omnium mortalium pec
cata. Proinde causa vna cur Dominus modo in terra scripserit, &
sese inclinauerit deorsum est, vt ipse suo facto accusatores admo-
neret demisso fastu, & supercilio descendere intra semetipsos, &
iuxta diuinam legem excutere conscientiam suam, ac tales se exhi
bere erga proximum, qualē experiri vellent erga se iudicem Deū.
Altera causa magis mystica est, vt ostenderet se eum esse, qui quō
dam digito legem in tabulis scripsit lapideis. Cæterum dum cōsi-
deramus quod Dominus etiam secundo scripserit in terra, idque
omnes factum dicant, vt Dominus velut aliud agens, illis præbe-
ret citra pudorem abeundi locum: videri posset etiam ob id primò
scripsisse, vt dum velut aliud agebat, quam ab eo petebatur, signifi
caret ad se non pertinere, vt illorum quæstioni satisfaceret: de qua
quid agendum esset apertè ex lege edocti erant. Vnde æditio Cō-
plutensis post illa verba scribebat in terra, hoc loco addit μὴ προ-
σποιούμενος, id est, dissi mulans, aut propositam quæstionem no ad
se assumens. Cui benè conuenit, quod sequitur:

Cum ergo perseuerarent interrogantes. Hoc est, interrogare eum;
quo significatur Dominum velut coactum illorum improba po-
stulatione, ad diffinitionem causæ propositæ processisse. Quam
sic diuina sua sapientia temperauit, vt eluderet eorum expecta-
tionem; & sic eriperet peccatricem è manibus lapidantium, vt ta-
men contra legem eam non absolueret: ne posset accusari tan-
quam legi contrarius, contra legem eam absoluendo, aut contra
suam mansuetudinem & officium faceret, secundum legem eam
condemnando: cum non venisset in mundum ad condemnan-
dum ipsum, sed ad saluandum. Sententia autem quam mansue-
tus simul, & iustus Dominus sua sapientia mirabili protulit erat;

Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Non
dicit: Qui sine peccato est, ne seipsum ad lapidandum eam cōstrin
geret propria sententia; sed qui sine peccato est vestrum: vt illos à
mulieris impetitione cessare faceret. Itaque sententia hac audita,
non amplius ibi morandum rati.

Vnus post alium exibat, incipientes à senioribus vsque ad postremos.
Siue quia seruare volebant ætatis ordinem, vt postremi primis
exitum deferrent, siue quia seniores grauiorum sibi criminum cō-
scij erant. At Dominus data sententia iterum se inclinans; *digito*
scribebat in terra, tum vt, sicut dictum est, vultum alio vertens libe
tiorem illis exundi fiduciam præberet, tum vt iudicatet indicem

non solum ante sententiam, sed & post intra se debere descendere
ac perpendere: num quid tale commiserit quod in alio iudicat, &
punit, tum vt ostenderet se digito suo scripturum secundam le-
gem in mentibus hominum, sicut olim in lapideis tabulis secun-
do lex digito Dei fuit scripta. Digressis accusatoribus *remansit Ie-*
sus solus, exclusis scilicet tentatoribus, non autem discipulis, *& mu-*
lier stans in medio, id est, coram Iesu, in loco, in quo prius eam Pha
risæi statuerant. Tandem ergo erectus Dominus vbi videt sollitu-
dinem, & mulierem trepidam, blandè compellās illam dixit, *Mu-*
lier vbi sunt, qui te accusabant? Quærit autem non tanquam igno-
rans, sed vt spem mulieris augeret: significans se non posse eam ab-
sentibus accusatoribus condemnare, quos præsentes pudore suffu
sos discedere fecit. Addit autem; *Nemo te condemnauit?* vt mulier
confitente neminem se condemnasse, locus esset suæ sententiæ; &
omnibus constaret se in nullius præiudicium illam absoluere. Ita-
que cum iam & deficerent accusatores, & condemnatam eā non
esse constaret: Dominus qui prius iustitiæ plenam protulit senten
tiam, eaque pudefactos aduersarios repulit, modo misericordiæ &
mansuetudinis protulit sententiam, qua trepidam mulierem à me
tu liberatam, à se tranquillam dimisit.

Nec ego, inquit, *te condemnabo*, aut, vt est Græcè, condemno, q.d.
Quandoquidem illi te reliquerunt indemnatam, nec ego illis fu-
turus sum inclementior: quanquam secundum sententiam supra
à me prolatam metuere posses ne ego qui sine peccato sum, te
sim condemnaturus. Non enim veni ad condemnandum, sed ad
saluandum peccatores. Proinde *vade* de remisso à me tibi peccato
secura. Verum ne culpare quis Dominum posset, quasi peccatis fa
ueret, & Dominus ipse doceret, quod sit verè pœnitentis officium
adiecit: *& noli amplius peccare*, aut vt est Græcè ne amplius pecces.

Rursum docet in templo, & lapidantium se manibus eripit. Ioan. 8.

CAPVT LXXVII.

ITERVM ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux
mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed ha-
bebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei pharisæi: Tu de te ipso
testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.
Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhi-
beo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, &
quò vado: vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado: vos secundum
carnem iudicatis, ego non iudico quenquam: & si iudico ego, iudicium
meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, pater.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et in lege vestra scriptum est: Quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso. & testimonium perhibet de me, qui misit me, pater. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque patrem meum: si me sciretis forsitan & patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo. & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. Dixit ergo eis iterum Iesus: Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dicit: Quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernù sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mũdo. Dixi ego vobis quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei. Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare: sed qui me misit verax est, et ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia patrem eis dicebat Deũ. Dixit ergo eis Iesus. Cũ exaltaueritis filium hominis, tũc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil. sed sicut docuit me pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est. & non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei facio semper. Hæc illo loquente multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum. filius manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ estis. sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego, quod vidi apud patrem, loquor: et vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis. Responderunt, & dixerũt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis vtique me, ego enim ex Deo processi & veni: neque enim à meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonẽ meũ. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mẽdax est, & pater eius. Ego autem, quia veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: Propterea vos nõ auditis, quia

ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autẽ non quæro gloriam meam, est qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est & prophetæ. Et tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Numquid tu maior es patre nostro Abraham qui mortuus est & Prophetæ mortui sunt? Quẽ teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus qui glorificat me, quẽ vos dicitis: Quia Deus vester est, & nõ cognouistis eũ. ego autẽ nouì eũ. Et si dixero quia nõ scio eũ, ero similis vobis mẽdax. Sed scio eũ, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: & vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eũ: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amẽ amẽ dico vobis, antequam Abraha fieret ego sum. Tulerũt ergo lapides vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

Iterum ergo locutus est eis Iesus dicens: Ego sum lux mundi. Quoniã supra Nicodemus Pharisæos inuitauit (nam superiorem historiam constat esse superadditam) ad audiendum Iesum, & cognoscendũ quis ipse esset, & quid faceret: potest videri Iudæos postera die cõuenisse ad audiendum illum: ac Dominum conscium eorum, quę de se dicta essent, cœpisse iã illis præsentibus aperire, quis esset. Vcrũ magis nobis spectandum quid, quã qua occasione Dominus sit locutus.

Lux mun. di Christus.

Ego (inquit) *sum lux* non solum solius Iudææ, *sed totius mũdi*, hoc est omnium hominum. Lucem autẽ se vocat, & secundũ diuinã, & secundum humanã naturam. Secundũ enim diuinã naturã lux *sua* est, quia secundũ eam mentes hominũ occultis suis radijs perstringit, suggerens quæ sunt iusta & salutaria. Secundũ humanam itẽ naturã lux est, quia in assumpta humanitate verbo simul & exemplo fugatis ignorantiæ & peccatorũ tenebris docuit, & demonstrauit, quæ sunt iustitiæ, & virtutis. Porro cum in Scripturis per tenebras metaphoricè non solũ errores & peccata, sed etiã afflictiones & mentis angustiæ significẽtur, & per lucẽ lætitia & recreatio: recte etiam intellexerimus Dominum se vocare lucẽ mundi, quod per suũ Euangelium, ac salutiferũ nuncium afflictas omnes mẽtes venerit exhilaraturus. Emphaticè autem dicit: Ego sum lux mundi: significans præter se neminẽ esse lucem mũdi, & si quis sit, per ipsum esse, participatione scilicet sui luminis, ratione cuius Apostolos supra dixit esse lucem mũdi. Quoniam autẽ Dominus se lucem vocauit hinc in allegoria hæc persistens edijcit:

Qui sequitur me, non ambulat. Aut vt est Græcè, & apud Aug. non ambulabit, hoc est, non conuersabitur in tenebris ignorantiæ scilicet, & peccatorum, *sed habebit lumen vitæ*, hoc est lumen, quod hic vitam animæ largitur, aut quod ambulantem deducit ad vitam æternam. Hoc lumen est Christus ipse aut Spiritus eius sanctus, qui per suam gratiam habitans in mentibus fidelium præluceat eis, demonstrans quid faciendum, & quibus actibus ad vitam quis perueniat. Non dicit autem Dominus, quia lux sum mundi, ideo per me omnes accipiunt lumen vitæ: sed qui sequitur me, credendo scilicet & obediendo mihi habebit lumen vitæ. Sicut enim sol visibilis, etsi sit totius mundi lux, non præbet lumen cœcis, & oculos suos claudentibus: ita nec spiritualis ista mundi lux lumen suu illis præbet, qui eam oblatam amplecti nolunt.

Dixerunt ergo ei Pharisæi, Tu de te ipso testimonium perhibes, &c. Quoniam magnifica de se Dominus dixerat, Pharisæi purum hominem esse credentes, & malitiosè semper Domini dicta euertere studentes occurrerunt dicentes: Tu de te ipso, &c. ideoque testimonium tuum non est tanquam verum recipiendum. Non enim creditur proprio hominis de se testimonio, ob falsitatis suspitionem, quod ex nimio suiipsius amore profectum credatur. Itaque Dominus huic obiectioni respondet tribus rationalibus, quibus ostendit se non esse sicut illi putabant, purum hominem, sed Deũ: vt ob id ipsius de se testimonio sit meritò credendum, nec de falsitate possit esse suspectum. Prima ratio est;

*Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verũ tamẽ est testimonium meũ, quia scio vnde veni*o, pro veni, in hunc mundũ scilicet *& quo vado*, pro vadã, hoc est, scio quod sim filius Dei, qui è sinu Patris in hunc mundum descendi per assumptionem humanæ naturę, quique eandem paulo post sum subuecturus in dexteram, & gloriã Patris. Ideoque non dubito de meipso testimonium perhibere, & testimonium meum verum asseuerare. Vos autem nescitis qui sim, vnde scilicet venerim, aut quò vadam, atque ob id meũ de me testimoniũ tanquam puri hominis reijcitis. Secunda ratio, qua etiã Dominus inter se & Pharisæos discretionẽ facit. est; vos iudicatis de rebus, & personis secundum carnẽ, hoc est carnali, & humano iudicio, ideoque iudicium vestrum frequenter non est verum & iustum, quemadmodum patet in iudicio, quo de me iudicatis. Ego vero & si pro meo officio nũc neminem iudicem (non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem) tamẽ si velim modo de quibusdam iudicare, & si quando quid de me, aut alijs iudicem, iudicium meum non est sicut vestrum, carnale, ac proinde falsum, sed verum est: quia in iudicando non sum ego solus, sed meũ iudicat qui misit me Pater: cum quo vt vnius sum, & indiuiduæ naturæ, ita & indiuisæ voluntatis, & actionis; Ex superiori autem

autem explicatione patet quomodo accipiendum sit illud; *Ego nõ iudico quemquam, &c.* Quanquam idem, & melius fortè accipi possit hoc modo; Ego à me ipso nõ iudicio quèquã. Aut quod ideo est: Ego solus, & tanquam homo tantum, vt vos me videtis, & esse putatis. Nam hunc sensum Dominus in his, quæ modo sequuntur, indicare videtur. Tertia ratio est;

Et in lege vestra scriptum est, quia, id est, quod *duorum hominum*, testimonium verum sit, hoc est, pro vero habendum est, cum dicitur Deuter. 19 In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Ex quibus verbis non consequitur duorum testimoniũ semper esse verum, vt non est semper verum: sed pro vero habendum secundum legis constitutionem. Sub hac autem lege Dominus sic subsumit.

Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, Quatenus scilicet diuina natura perhibet testimonium de homine, quę cernitis, *Et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Ex quibus relinquit nobis inferendum Dominus, quod propter auditorum incapacitatẽ noluit ipse inferre: Ergo si secundum legẽ duorum hominum testimonium, qui & falli possunt, & fallere legitimũ habetur, & pro vero recipitur: multo magis duarum personarum diuinarum, in quas nulla fallaciæ, aut erroris suspicio cadere potest.

Dicebant ergo ei, vbi est Pater tuus? Quoniam audierant enim Patris sui mentionem facientẽ, rogant vbi sit Pater ille de quo loquebatur. Rogant autẽ malitiosa, & subdola mente, vt est verisimile. Nam ex Domini verbis æquè facile intelligere nunc potuerunt ipsum vocare Patrem suum Deum, atque id intellexerunt supra Ioannis quinto, quando dixerat, Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Sed maluerunt Dominum ipsum apertè confiteri Patrem suum esse Deum, vt haberent manifestius iustam causam accusandi, & persequendi ipsum. Dicunt ergo; Vbi est Pater tuus; vt adeuntes scilicet illum audiamus quod de te testimonium perhibeat. Porro huic questioni Dominus non directè respondet, sed quoniam hæc questio processit ex ignorantia sui, & Patris de quo loquebatur, ad ipsam ignorantiam respondet:

Neque, inquit, *me scitis*, pro nouistis, *neque Patrem meum.* Non nostis me, iuxta id scilicet quod potissimum sum, nempe diuinitatem, & ob id neque Patrem meum nostis. *Quod si me nosceretis, forsitan*, pro vtique, *& Patrem meum cognosceretis.* Qui enim inquit alibi, videt me, videt & Patrem meum. Porro quod dicit Dominus Iudæos neque ipsum, neque Patrem nouisse, ex sequẽti sententia, & loco alio simili, qui est Ioann. 14. patet eum loqui de notitia, quæ cadere potest in hominem. Ergo ad propositum Domini, Iudæi non nouerunt Patrem Iesu, non solum sub relatione paternitatis, sed nec absolutè consideratũ, quomodo mox in sequen-

tibus dicit eos non cognoscere Deum, & Ioānes in prima sua Epistola, dicit eos non cognoscere Deum, qui eius mandata non seruant. Pro quo notandum quod Deus à nobis hic in seipso cognosci non potest, sed tantū in suis operibus & verbis proinde qui opera & verba diuina manifestè non agnoscit, nec approbat pro diuinis; Deum certe qui per illa cognosci deberet, declarat se non verè cognoscere: cuius iustitiam, bonitatem, potentiam, & Sapientiam in operibus, & verbis eius relucentem non agnoscit, nec recipit. Non cognouerunt ergo Iudei Deum: quia eius opera & verba nō agnouerunt. Vnde in sequentibus Dominus ostensurus eos nō cognoscere Deum, dicit: Quare loquelam meam non agnoscitis? Iam quod ad secundam attinet sententiam, qua Dominus significat se esse medium perueniendi ad cognitionem Dei Patris, dum dicit: Si me scireris, &c. Sciendum quod qui Iesum cognoscit, etiā Deum Patrē eius cognoscit, quia per ipsum, & in ipso se Deus certius, & plenius cognoscendū præbuit, operans, & loquens in ipso.

Gazophylacium 4. Reg. 12

Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo Gazophylacium non accipitur hic pro ipsa arca pecuniaria, quam iuxta altare primus instituerat Rex Ioas: sed pro ipso atrio in quo arca illa erat posita: nisi velimus in gazophylacio exponere pro iuxta gazophylacium. Significatur autem atrium maius fuisse in quo Dominus hæc dixerit, ideoque locus iste tam diligenter à Ioanne notatus est, vt indicatet Christi libertatem, & Iudæorum impotētiam, qui in tali loco vbi minime alioqui tolerabile erat, Domino hæc tam magnifica de se testificanti manus non iniecerunt; & si id maximè prius cupiuissent. Cum autem addit Euangelista docens in templo, significare voluit Dominum hæc dixisse inter docendum, hoc est, cum multo pluribus, quam sint hic annotata, coram populo dissereret.

Dixit ergo iterum eis Iesus; ego vado & quæretis me, &c. Ergo inquit, hoc est, quoniam illi cupiebant eum comprehendere, quanquam nemo mitteret in eum manum quod cohiberentur à diuina eius virtute. *Iesus iterum dixit eis*, quod nuper eis eadem occasione dixit; Ego inquit vado, hoc est, mox abiturus sum, ex hoc mundo scilicet ad Patrem, ac tum vos, qui me iam præsentem spernitis, *quæretis me*, hoc est desiderabitis meam præsentiam, cupientes videre vnum diem filij hominis: & quoniam plerique vestrum obstinato animo in me absentem credere recusabunt, sicut modo in præsentem credere recusant, *ideo in peccato suo morientur*, hoc est per peccatum suum nempe Infidelitatem morti tradentur æternæ. Porro quo intelligatis quam frustra meam præsentiam tunc vestrum plerique sint quæsituri, & ob id magis me iam vobis præsentem amplectamini; ac rursum intelligatis quam longè superioris sim præ vobis naturę, *quo ego iturus*

sum nemo vestrum, suapte opera, & virtute poterit peruenire. Hæc loci huius explicatio conuenit, cum ea explicatione, quam in simili loco capitis septimi diximus conuenientiorē. Cæterum incertum est an per illud in peccato vestro moriemini, significetur peccatum illis fore mortis æternæ, aut etiam temporalis per Romanos inferendæ causam, vt præpositio in, pro per sit posita; an vitam illorum finiendam in peccato. Vterque enim sensus cōueniens est, quamuis prior sequenti explanationi Christi magis videatur congruere. Porro Iudæi nonnihil commoti, & territi hoc Domini sermone, nec tamen eum intelligentes, non quidem Dominum interrogant, reuerētia fortè aut pudore prohibiti; sed inter sese mussitant, absurdiora iam etiam horum verborum occasione suspicantes. quam supra Ioannis 7.

Numquid inquiunt, *interficiet semetipsum, quia dicit, &c.* Quæ autem conuenientia intelligere, aut suspicari ex verbis Domini ipsum sese interfecturum? An qui se interficit aliquo vadit? Aut si aliquo vadit, an non etiam Iudæi eo ire poterant?

Et dicebat eis, vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Rectè Iudæi intelligentur esse de deorsum, & de mundo (hoc enim etiam explanandi gratia additum est) quod vt ex terra suam habent originem, ita etiam terrena saperent: Dominus vero de supernis, & non de hoc mundo, quod vt cælestem habebat originem, ita & cælestia saperet. Et si consideremus quæ Christus mox ex his infert, apparet ipsum his verbis non respondisse ad Iudæorum suspicionem, sed explicare voluisse quomodo dixerit: In peccato vestro moriemini. Significat enim se ob diuinam suam naturam in cælum conscensurum, vnde venit in hunc mundum; ipsos autem quod sint ex terra origine, & affectu; non posse proprijs viribus in cælū conscēdere, nisi ipse eos illò trahat, & ad se assumat, quod futurum non est nisi in ipsum credant. Vnde bene infert etiam rationem alterius à se dicti;

Dixi, inquit *ergo vobis*. hoc est, quia de deorsum, & de hoc mundo estis ex vobis, nati scilicet in peccatis, & in eis viuentes, *ideo dixi vobis quod moriemini in peccatis vestris*. Ne autem putaremus quod dixit moriemini, ad omnes pertinere, nec id posse eos effugere, ideo declarando subiecit;

Si enim non credideritis quia, id est, quod *ego sum, moriemini in peccato vestro*, aut vt est Græcè in peccatis vestris. Supertius enim singulariter dixit: In peccato vestro, norans eorum infidelitatem, quæ peccatorum omnium fons est: hic verò pluraliter in peccatis notans varia eorum peccata, quæ infidelitas adfert, aut seruat. Quidam autem rectè intelligunt ideo absolutè Dominum dixisse: Ego sum, vt significaret se Deū esse, & hoc de ipso credēdū esse. Solus enim Deus de se dicere propriè potest; Ego sum: cui sit

actus

actus purissimus, nullius mutationis capax, quam præteritum, & futurum significant.

Dicebant ergo ei, Tu quis es? dixit eis Iesus, principium, &c. Quoniam Dominus absolute dixit; Ego sum, nec explicauit quis esset, interrogant Iudæi, Tu quis es, quasi mihi hactenus viderint, aut audierint, vnde scire possent quis esset. Cæterum obscurum valde est, quod ad hanc interrogationem Dominus respondisse scribitur. Principium qui & loquor vobis. Lectio Græca pro dictione principium habet accusatiuum fœminini generis τὴν ἀρχὴν. Proinde rectè secundum Græcos illud τὴν ἀρχὴν accipitur positum adverbialiter per subauditionem præpositionis κατὰ, vt sit sensus, principiò, imprimis vel omnino, quemadmodum Græcis dictiones plereque in accusatiuo casu aduerbialiter ponuntur cum subauditione præpositionis κατὰ, vt τὴν ἀρχὴν principio τὸ τέλος, id est, tandem, in fine, denique. Verum hoc licet cognito, nondum sublata est omnis loci huius difficultas. Nouam enim difficultatem adfert apud Græcos dictio anceps ὅτι, quæ potest esse nomen relatiuum significans quod, si scribas per diastolen ὁ, τι aut coniunctio significans quod, aut quia, si subnotaueris ὅτι, ὅτι. Euthymius Chrysostomi sectator & abbreuiator, sicut & Theophyl. Veluti explicare volens obscuram Chrysostomi in hunc locum explanationem, dicit defectiuum esse sermonem istum iuxta consuetum loquendi morem, ac, perficiendum hoc modo: Omnino superfluum est etiam quod vobis loquar, quia scilicet omni sermone indigni estis, vt pote tentatores. Itaque secundum quod indicat Euthymius illud τὴν ἀρχὴν Chrysostomo accipitur pro omninò; & illud ὅτι accipitur infinite pro quod coniunctione non pro quia, vt verbum λαλῶ per subiunctiuum reddendum sit hoc modo: Omnino quod & loquar vobis supple indigni estis vel superfluum est. Quidam illud quod Græcè est τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν accipiendum putat vt sit particula confirmantis, & sit sensus; Omnino sic est vt & loquor vobis, vt intelligatur Dominus quia satis dixerat quis esset cum dixit, quia ego sum, Iudæis rogantibus quis esset, non respondisse quis esset, sed tantum confirmasse, quod dixerat; Si non crediderit is quia ego sum, moriemini in peccatis vestris, & quod dixerat de illorum peccatis, declarasse cum subijcit: Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. Quæ quidem intelligentia omnium videtur esse conuenientissima, poteritque & ob similem intentionem in nostra litera accipi hæc esse dicta à Domino vt non respondeat illis quis sit, quippe qui dignior esset audire, quid ipsi essent, quam quis Christus esset cui insidiabantur. Porro cum dicitur;

Multa habeo de vobis loqui, habeo, Græco more cũ infinitiuo pro possum, positũ est, quãuis quidã intelligãt habeo vobis loqui, & iudicare,

dicare, hoc est ex commissione Patris mihi incumbit vt in posterum vos in multis iudicem. Iam quod sequitur:

Sed qui misit me verax est, rectè ad hunc modum præcedentibus connectitur; Multa quidem in vobis reprehendere possem, & in multis condemnare; sed omissis alijs vnum hoc vobis dicam ad redargutionem vestri vnius peccati, nempe infidelitatis, quod is qui me misit verax, est, & ego, quæ ab eo audiui, & accepi hæc sola loquor in mundo, ac proinde vera sit necesse est mea doctrina, eni tamen credere, & obedire recusatis. Cæterum audiuisse se Dominus à Patre dicit, quæ loquebatur, quoniam omnem suam cognitionem à Patre accepit, à quo accepit & esse.

Et non cognouerunt quia Patrem eis dicebat Deum. Græca habent ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν, id est, quod Patrem ipsis dicebat, nec additur Deum, quemadmodum nec in antiquis latinis exemplaribus. Est autem sensus; non cognouerunt quod Patrem dicebat, id est, quod de Patre suo loqueretur. Itaque nostra litera, quà legimus, Patrem eis dicebat Deum, sic est ordinanda, Non cognouerunt quod Patrem Deum eis dicebat, id est, de Patre Deo illis loquebatur. Cum ergo ex hoc sermone necdum cognoscerent quod de Patre suo loqueretur (quod si cognouissent, etiam intellexissent quis ipse esset, & quod Deus esset) Dominus sequenti sermone apertè explicat Patrem suum esse de quo locutus est, & quem dixit misisse se, speritque quando sint ipsum cogniturí, qui iam illum cognoscere non poterant.

Dixit ergo illis Iesus, Cum exaltaueritis filium hominis &c. Exaltationem vocat suam crucifixionem, vt patet ex expositione huius cap. duodecimo. Sic autem Dominus suam mortem frequenter designat: non solum propter elcuationem à terra factam per suspensionem in ligno, sed etiam propterea quod per mortem suã meruerit à Patre exaltari, sicut supra Euangelista Lucas mortem Christi non ignominię nominibus, sed honoris appellauit; cum eã excessum vocauit & assumptionem. Quod enim alijs erat humiliatio, hoc erat Christo exaltatio, & finis omnis humiliationis, & depressionis. Cum ergo inquit exaltaueritis filiũ hominis, & me vos putabitis penitus extinxisse, tum quod modo cognoscere non vultis, cognoscetis quod ego sum, & quod à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hoc loquor, ita vt omnia & verba, & facta mea ab illo sint. [Illud impletum est primum tempore, quo Dominus crucifixus est, quando à signis quæ tunc fiebant, quibus cõtradici non poterat, cognouerunt illum esse verè diuinum hominem, ita vt compuncti corde percuterent pectora sua, & quidam dicerent: vere filius Dei erat iste. Deinde & quando quidam illorum cognouerũt certò illum resurrexisse à mortuis: Præterea & quando missio in Apostolos Spiritu sancto, viderunt miracula in ipsis

Exaltatio mortis Christi sic vocatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsis & per ipsos ædita, ac Spiritum Christi sese potentissimè exercentem, in credentibus, omnesque aduersariorũ machinas demolientem. Et tunc enim compuncti corde plerique dixerunt Apostolis, Quid faciemus viri fratres? Postremum etiam quando per Romanos grauiter afflicti senserunt diuinam vltionem illis à Domino prædictam ob peccata in ipsum, & suos cõmissa. Non enim quam hic dicitur cognoscetis, tantum ad credituros referri debet, sed etiam ad incredulos, quorum quidam satis cognouerunt occisum à se Iesum fuisse Messiam, & plane diuinum hominem, vt patet de principibus Sacerdotum, quibus custodes nuntiauerũt Christi resurrectionem. Porro illud quod sequitur

Et qui misit me mecum est, &c. Potest accipi vt sit continuatio eius, quod supra de se Dominus dicere cœperat. Qui misit me verax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, vt postquã duo illa quæ de se dixerat significauit illos suo tẽpore cognituros, iam subijciat, & qui misit me mecum est, ne intelligeremus eum sic esse ab eo missum, vt ab eo sit desertus, sed sciremus eum qui missus est, omnia facere ex voluntate, & cooperatione mittentis. Non reliquit me Pater inquit, vnquam solum, sicut reliquit ad tẽpus quosuis sanctos, quia non vt alij, etiam Moyses & Dauid, ego ab eius voluntate aliquando deficio, sed quæ placita sunt ei, facio semper. Quæ ratio debet accipi tanquam signum eius quod dixit mecum est, & non reliquit me solum, si modo tamen intelligatur dixisse Patrem secũ esse, nec vnquã reliquisse ratione deitatis, quæ est illi vnà cum Patre.

Hæc illo loquente multi crediderunt in eum. Describit Euangelista fructum doctrinæ Christi in quibusdam, qui illi occasio fuit noui sermonis. Cum enim inquit, verba ista Dominus loqueretur, plerique auditorum aduertentes rationabilia esse quæ dicebantur, & tanta constantia, ac efficacia sermonis ab eo prolata, credidẽrũt in eum fide licet adhuc imperfecta, & initiatiua. Proinde vt hos in fide iam cœpta Dominus confirmaret, tali ad eos vsus est exhortatione. Si non vt quidam olim, à me defeceritis, sed ita, vt cœpistis manseritis in sermone meo, id est, perseueraueritis meæ doctrinæ credere, & meis præceptis obedire: tunc verè discipuli, &c. Tria illis perseuerantibus Dominus promittit, quæ sese ordine consequuntur. Primò dicit, *verè discipuli mei eritis*, vel estis, vt habent quædam Græca, significans non vere esse discipulos, & sectatores suos, qui ad tempus tantum credunt, quia non sunt discipuli Christi coram Deo, qui prænoscit eorum instabilitatem, etiam cum apud homines habentur discipuli. Quoniam autem discipuli est discere, & ab eo doceri cuius est discipulus: hinc Dominus ne quis paruum putet esse discipulum eius, adiecit secũdò. *Et cognoscetis veritatem*, per accipiendum scilicet à me Spiritum sanctum de quo Dominus dixit Apostolis, docebit vos omnem veritatem. Porro ne quis parum esse duceret agnoscere veritatem, Dominus tertio adiecit.

Et veritas liberabit vos, vt si non delectat veritas, delectet libertas. Libertate enim hic accipitur pro liberũ & ingenuum facere. Id ita esse, etiam stomachus Iudæorum indicat dicentium. *Nemini seruiuimus vnquam*. Itaque liberabit hic exponendũ est per liberos, & ingenuos reddet: quo significatur etiã ab aliqua seruitute liberãdos, nempe seruitute ea, quæ libertati spiritus, & Euangelicæ libertati opponitur, qualis est seruitus peccati, & legis veteris. Sic ergo veritas liberos facit, quomodo ignorantia veri seruos facit peccati. Porro Iudæi siue eidem illi, qui prius in Christum crediderãt dicũtur, vt intelligamus eorum fidẽ admodum infirmã fuisse, siue potius, secundũ Aug. alij qui necdũ crediderant (quando quidem his Dominus mox obijcit, queritis me interficere) cũ propter suã carnalẽ hebetudinẽ non intelligerent Dominũ loqui de libertate spirituali, sed de corporali seruitute locutũ putarẽt, & propter superbiã qua sibi placebãt in maiorũ suorum nobilitate, non ferrent libertatẽ sibi tanquam seruis promitti, respõderunt indignabundi.

Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam, &c. Hoc est ingenui ex ingenuis prognati sumus, nec solum ingenui, sed etiã nobiles, & nullius vnquam serui fuimus: quomodo ergo libertatem tu nobis promittis, quasi serui simus manumittendi. Hæc responsio & crassitudinem & superbiam populi Iudaici declarat, vt qui carnalia tantùm saperet, & in rebus carnalibus suam ponerent fiduciam & gloriam spiritualium, quæ nos Deo commendant, negligens Dominus illos duobus nominibus taxauerat, & quod veritatis essent ignari, & quod seruitutem seruirent: illi vero prius dissimulant, in quo magis eos conueniebat turbari, ad id autem quod leuius erat, & minoris momenti, stomachantur. Siquidem veritatis ignorantia, mentis vitium est, seruum esse fortunæ malum est, non animi. Magis autem ostendit eorum superbiam, quod non vererentur falsissimè dicere, Nemini seruiuimus vnquam, cum constet eos prius seruisse in Egypto, ac deinde frequenter in terra promissionis diuersis fuisse subiectos, ita vt dicat Scriptura & dominati sunt eorum, qui oderunt eos, præterea etiam seruisse Babylonijs, ac postremum etiam illo tempore Romanis.

Respondit eis Iesus, Amen amen dico vobis, quia omnis qui, &c. Omnis inquit, quicunque sit ille, & à quibuscunque sit genitus siue Iudæus, siue Græcus, etiam si Rex sit aut Imperator, *qui facit peccatum, seruus est peccati*. Cum autem is qui facit peccatum nõ possit dici eius peccati seruus, quod facit, aut fecit, cum illud actus quidã sit, qui trãsit: videtur genitiuus peccati debere accipi pro

pro ipsa concupiscentia praua quę in ipsis dominatur peccatoribus, quomodo accipitur à Paulo ad Rom. cap. 6. Itaque aliter accipitur peccatum cum dicitur, qui facit peccatum, aliter cum dicitur seruus est peccati: nisi velimus vtrobique peccatum accepere in genere, vt quomodo Paulo dicitur aliqui serui iustitiæ, quia quæ iustitiæ sunt faciunt: ita & seruus quis dicatur peccati. Bene autem peccator seruus dicitur peccati, quia peccatū in eo vires suas habet, & dominatur, ita vt illum obnoxium teneat æternæ morti, cuius peccatū est stimulus, sic vt seipsum ab eo debito & vinculo liberare nequeat. Deinde quia ipsum sua vi continuè ad aliud, & aliud peccatum trahit; adeo vt in peccatoris persona dicat Paulus, Non enim quod volo bonum, illud ago, sed quod odi malum, illud facio. Non quod necessitate aliqua, & præter voluntatē propriam homo aliquod peccatum committat: sed quod homini per peccatum auerso a Deo, & eius gratia destituto, tanta sit infirmitas spiritus, vt non possit omnia peccata vitare, tantaque fortitudo concupiscentiæ in carne, vt frequenter in peccatum hominem pertrahat.

Peccator seruus peccati.

Seruus autem non manet in domo in æternum; Filius, &c. Parabola est hic sermo, & exemplum à rebus humanis petitum. Sic enim se habent res humanæ, vt seruus non maneat in Domini sui domo in æternum, aut saltē vt non habeat ius manēdi in domo semper, cum possit à Domino ablegari aut diuendi alteri. Filius vero manet, hoc est habet ius manēdi futurus scilicet ipsius domus hæres. Sic enim verbum manet est exponendum. Hac autem Parabola Dominus nos incitare volut ad ambiendam libertatem filialem, vt scilicet nos, qui omnes ex ipsa natiuitate, & conuersatione seruitutis peccati coram Deo, efficti studeamus ex seruis filij Dei, quo possimus cum ipso, qui propriè & per naturam est filius Dei in domo Dei, ac regno eius permanere in æternum, & non cum seruis aliquando eijciamur à conspectu, & domo eius. Siquidem iam in domo Dei, nempe mundo hoc, aut in Ecclesia serui filijs coniuncti habitant, sed eijciendi & separandi ab eis in nouissimo die. Quoniam autem filialis ista libertas non potest nisi per ipsum Dei vnigenitum, & naturalem filium obtineri; qui cum nō fecerit vnquam peccatum, non est, nec fuit vnquam seruus peccati, recte Dominus intulit:

Si ergo vos filius liberauerit, &c. Quæ conclusio sic ex superioribus infertur. Ergo cū omnes sitis peccatores, & ob id serui peccati, & solus is, qui absolutè est filius Dei, filius scilicet vnigenitus, & naturalis, Filius, qui nullo modo est seruus peccati ius, & potestatem habeat tanquam hæres & Dominus in domo Patris sui vos reddendi liberos, si is vos liberos reddident, tùm re vera eritis liberi: quia assequuti libertatem non corporalem, sed spiritualem, quæ sola

sola vera libertas est, sicut sola peccati seruitus, vera seruitus est. Facti autem per Filium liberi, tanquam etiam filij manebitis cum illo in æternum in domo Patris eius. Itaque tribus sententijs præcedentibus syllogistica forma ab Euangelista dispositis Dominus ex ordine docet, primum incognitum multis seruitutis genus, secundo ambiendam merito ab ea seruitute liberationem, ac tertio per quam eam consequi possumus. [Notandum autem quod cum supra Dominus dixerit, veritas liberabit vos, nunc in conclusione dicat, Si filius vos liberauerit, siue quia ipse filius sit illa veritas, de qua superius est locutus (dicit enim postea de se, Ego sum veritas) siue potius quia Filius liberat per cognitam veritatem, quam ipse per Spiritum suum sanctum docet eos, qui permanent in sermone eius]

Scio quia Filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, &c. Postquam Dominus ostendit de qua seruitute loqueretur, excludit etiam illud vnde suam ingenuitatem Iudæi ostendere volebant ostendens eos vanè gloriari in eo, quod essent semen Abrahæ: vt qui coram Deo tales propter operum dissimilitudinem non habe rentur, nec Filij eius essent secundum spiritum; ac ob id nō essent liberi libertate spirituali, de qua ipse loquebatur. Scio, inquit, quod estis Filij (vel vt est Græcè semen) Abrahæ secundum carnis scilicet originem; sed quæritis me interficere, idque non ob aliquod crimen meum, sed quia sermo meus non capit, hoc est, non habet locum in vobis. Ne enim dicere possent se iustè illum quærere occidere, ideo hanc partem adiecit. Non habebat autem locum sermo Christi in Iudæis, quia cor illorum plenum erat inuidia, superbia, alijsque vitijs, & passionibus, ac erroribus quibusdam præoccupatum erat. Quia autem dicere poterant se ideo sermonem eius non recipere, quia à seipso loqueretur, & simul vt ex se, suoque exemplo ostenderet ipsos alium habere Patrē secundum Spiritum, quàm Abraham, ideo subiecit:

Ego quod vidi apud Patrem, id est, quod certa, & euidenti notitia ab eo didici, & accepi loquor: *& vos quæ vidistis apud Patrem vestrum*, id est, quæ ab eo didicistis, & in illo considerastis, facitis. Iudæi intelligentes se & suum Patrem notari alicuius criminis, nec allum intelligentes Patrem quam Abraham, rursum obijciunt:

Pater noster Abraham est, q. d. An de illo vis malè loqui, & dicere nos ab eo didicisse, quæ bona non sunt. Itaque Dominus apertius eorum in cognatione Abraham gloriationem excludere volens, & quem illorum Patrem vocet explicare subiecit.

Si, vt vultis haberi, *vere estis Filij Abrahæ*, opera Abrahæ facite. Conuenit enim vt germanus alicuius parentis Filius exprimat illum non similitudine vultus tantum, sed etiam morum, & operum. Proinde credite sermoni Dei, quēadmodum ille credidit, &

reputatum est ei ad iustitiam. Suscipite illum quem Deus misit, quemadmodum ille studiose coluit nuntios Dei. Alieni estote a cæde innocentis, quemadmodum ille innocentes defendere studuit, & omnem humanitatē excoluit. Breuiter vt ille fecit, & vos iustitiam, & iustos amate, Dei sermones, & Dei nuntios suscipite. Sic enim explicandum est illud, Opera Abrahæ facite.

Nunc autem quæritis me interficere. Ratiocinatur Dominus à destructione consequentis, ad destructionem antecedentis. Nam cōsequens præcedentis cōditionalis destruit, cum dicit: Nunc autem quæritis me interficere, hominem non malum, nec iniustum, sed qui veritatem vobis loquutus sum, non quamuis, nec quā ex meipso locutus sum, sed quam audiui & accepi à Deo. Hoc .i. tale quid Abraham non fecit vnquam, sed potius contratia fecit. Huic ergo relinquit inferendum oppositum antecedentis: *Non estis ergo filij Abrahæ germani.* Pro qua conclusione inferenda Dominus aliā addit sententiam affirmatiuam, quæ etiam sequitur ex præcedentibus, & negatiuam illam conclusionem in se virtualiter continet.

Vos, inquit, *facitis opera Patris vestri.* Quæ sententia sic ex præcedentibus inferri potest. Igitur non facitis opera Abrahæ & proinde nec Pater vester meritò est dicendus, sed facitis opera alterius, qui, quod eum imitamini merito dicendus est Pater vester.

Dixerunt itaque ei; nos ex fornicatione non sumus nati. Quoniam intellexerunt Dominum non de Patre corporali loqui, sed spirituali, nec de carnis generatione, sed de vitæ institutione, omisso Abraham, Deum Patrem spiritualem se habere obijciunt. Nos, inquiunt, non sumus secundum cultum, & mores nati ex fornicatione, hoc est, idololatria, q.d. non sumus filij fornicationum de qualibus loquitur Oseas, hoc est, idololatræ ex idololatris progeniti sicut sunt reliquæ gentes. Vnum enim tantum omnes habemus Patrem, nempe Deum; nec vt aliæ gentes falsum Deum colimus, nec vt Samaritani Deum verum cum dijs gentium. Patrem ergo suum Deum vocant, non solum ratione creationis (sic enim omnium gentium Deus erat Pater) sed etiam ratione cultus & religionis, qua eum colebant, & ab eo instituti erant. Itaque Dominus sicut supra excluſit eos à cognatione Abraham, in quo gloriabantur, ita & nunc etipit eis Patrem Deum, in quo item vanè gloriabantur.

Ei, inquit, vt iactatis *Deus* reuera *Pater vester est*, cum filiorum germanorum natura sit amare & Patrem, & omnia quę Patris sui sunt, diligeretis profecto me; *Ego enim ex Deo processi & veni.* Quidam vtroque hoc verbo idem significari intelligunt, nēpe aduentum in carnem, & prædicandi munus, idq; rectè, si spectemus similē locū qui est Ioan. 16. Exiui à Patre, & veni in mundum, &c. Conuenit itē intellectus iste declarationi Dominicę quā subiūgit.

Decla-

Declaraturus enim quod ex Deo processerit, & venerit, subijcit;

Neque enim à meipso veni. Vt pseudoprophetę scilicet, sed ille me misit, non solum vt Prophetas, qui postquam nati sunt & ad adultam venerunt ætatem, missi à Deo dicuntur ad prædicandum: sed etiam misit me singulari quadā ratione, quia cum ab æterno apud ipsum essem, hominem me in mūdo inter homines esse voluit, & fecit. Postquam autem ostendit Dominus se ex Deo processisse, ac ob id meritò debere diligi ab eis, si velint Deum habere pro Patre suo rectè admirando subijcit;

Quare loquelam meam non cognoscitis, vel rectius agnoscitis? qua si dicat: Cum ergo Deum gloriemini esse Patrem vestrum, qui sit vt non agnoscatis loquelam meam esse diuinam? Et ex ea cognoscatis me à Deo Patre vestro missum esse. Causam autem quare non agnouerunt eius loquelam ipse reddit dicens: *Quia non potestis audire sermonem meum*, q. d. Ipse vobis dicam quid in causa sit, quo minus agnoscatis loquelam meam. Ratio est, quia tanto me odio, & inuidia prosequimini, aliæque multæ passiones, & errores animum vestrum occupauerunt, vt propter hæc non possitis audire ita, vt æquum est, benignis scilicet auribus, sermonem, & doctrinam meam; quam si liberati ab erroribus, & malis passionibus animi iudicium perturbantibus attentè in silentio audiretis, & attenderetis; nihil dubium quin facile loquelam meā, & ex ea me agnosceretis.

Vos ex Patre diabolo estis. Postquam Dominus Iudæis & Patrem Abraham & Patrem Deum eripuit: iam quod prius rectè significauit, apertè pronunciat quis eorum sit Pater. Vos, inquit, estis ex Patre diabolo, non origine sicut intellexit Manichæus, sed imitatione; quod satis significat Dominus cum subdit, &, quia scilicet ex tali estis Patre, ideo desideria Patris vestri vultis facere. Et significare volens quomodo & in quibus illum imitentur, in sequentibus duo illius peccatorum genera adducit nempe homicidij, & mendacij dicens;

Ille homicida erat ab initio. Quando scilicet sua suasione primos parentes transgredi faciens mandatum Dei, obnoxios eos & in eis omnes homines fecit morti corporali, & æternæ, quando rursum & Cain impulit ad fratris occisionem. Sequitur.

Et in veritate non stetit. Apparet Dominū hic magis loqui de veritate verborum, quam de veritate iustitiæ vel fidei: tū quia mox veritati, de qua loquitur, opponit mendacium dicēs: Cū loquitur mendaciū, &c. tum quia subijcit; Ego autē si veritatē dico, non creditis mihi. Proinde magis crediderim Dominū loqui de veritate illorū verborū, quibus Dominus dixit ad Adā, Quacunq; die comederis de ligno, quod est in medio paradysi morte morieris. In horū enim verborū veritate diabolus non stetit, hoc est eam non est

Universidad de Deusto
Biblioteca

amplexatus, sed contra eam ausus est pronunciare falsissimè. Ne quaquam morte moriemini, sed eritis sicuti dij scientes bonum & malum. Secundum hunc intellectum nullam adfert difficultatem id quod pro ratione, aut declaratione subiungitur;

Quia non est veritas in eo; Sensus enim est, in diuinorum verborum non stetit veritate, quia non est in eo veritas, hoc est non loquitur veritatem, aut non amat veritatem, vt idem sit istud eum eo quod dicit Psalmista de quibusdã; Non est in ore eorum veritas, hoc est non loquuntur veritatem. Sicut autem cum de hominibus quibusdam dicitur non esse veritatem in ore eorum, non significatur omnia eorum dicta esse falsa, sed eorum sermonem plenum esse mendacijs, ita vt non possit quis tutò eis credere: ita & cum dicitur in diabolo non esse veritatem, non significatur nullam omnino in eo esse veritatem. Sicut enim per naturalia sua (quæ teste Dionysio integra manserunt) multa vera cognoscit; ita & vera pleraque loquitur, sed tamen etiam cũ vera loquitur, studet per ea quæ loquitur homines decipere, ita vt ad mendaciũ & errorem omnia illius dicta vergant, nec vnquam illi tutò credi possit. Postquam autem dixit Dominus diabolum non stetisse in veritate, & veritatem in eo non esse, vt ostenderetur ipsum esse Patrem omnium qui loquuntur mendacia, & veritatem odiunt, ostendendum erat vnde haberet, quod non veritatem sed mendacia loqueretur, nempe quod ex seipso. Vnde subiecit Dominus. *Cum loquitur*, mendacium scilicet, ex proprijs loquitur. Quæ sententia dupliciter accipi potest, Altero modo vt significetur diabolum aliquando loqui veritatem, sed tunc non loqui ex proprijs. Altero vt significetur eum semper loqui mendacium, quia etiam cum vera dicit, cum intentione loquitur fallendi, vt sit sensus; Cũ loquitur mendacium scilicet ex proprijs loquitur, hoc est non loquitur ex his, quæ ei vel à Deo, vel ab alio sunt communicata, sed quæ habet ex seipso, nempe sua corrupta voluntate. Quod bene declarat Dominus cum subdit, *Quia mendax est & Pater eius*: Vbi relatiuum eius secundum Ecclesiasticorum Patrum intellectum, non ad diabolum, sed ad mendacium debet referri quod includitur in adiectiuo mẽdax, & prius expressum fuit: vt significetur diabolum non solum esse mendacem, sed etiam esse Patrem, hoc est principem, & authorem primum mendacij.

Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Inter duas illas conditiones, quas diabolo Dominus tribuit, alteram nempe homicidij, satis supra dixit Iudæos imitari, cum dixit aliquoties, quæritis me interficere: nunc vero alteram nempe mendacij, & auersionis à veritate ostendit etiam eos imitari, & simul seipsum opponit diabolo dicens; Ego autem quia veritatem dico, &c. Non enim legendum si veritatem dico, sed quia. Nã sic consentientibus Græcis,

eis, quæ habent ὅτι etiam habent Aug. Rupertus, Dionysius, & Latina pleraque scripta, & est sensus longè plenior. Significatur enim adeo ipsos à veritate auersos, & mendacia sectari, vt eum ob hoc ipsum ei credere deberent, quia veritatem loqueretur, contra ob id ipsum credere noluerunt, credituri vtique si falsitatem loqueretur. Porro vt ostenderet Dominus eos nullam habere iustã causam non credendi ipsi, nec alia causa non credere, quam quia veritatem loqueretur subijcit; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Siue præsenti tempore, siue futuro legamus, sensus est, Quis me potest, vel poterit arguere, hoc est argumentis conuincere de quouis peccato, nedum de errore & mendacio? Arguere enim exponendum est per conuincere, non autem per accusare. Nam Græcis est ἐλέγχειν, quod est refellere, & argumentis conuincere. [Alioqui Iudæi Dominum de peccato frequenter accusabant & in eius operibus, cum dicerent eum soluere Sabbathum, & in eius doctrina cum dixerunt, Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Nunquam autem potuerunt eum certis conuincere argumentis, sed vbique obstructum est à Domino os loquentium iniqua. Proinde bene subiungitur à Domino.] ἐλέγχειν

Si veritatem dico, quare non creditis mihi? In qua sententia apud nos deest coniunctio autem, vt sit. Si autem veritatem dico, &c. Quæ coniunctio multum facit ad argumẽtationis perfectionem. Constringit enim duplici hac argumentatione Dominus Iudæos, quod aut eum debeant conuincere mendacij, vel peccati, aut ei quem conuincere nequeunt, credere. Causam autem quare non crederent vera licet dicenti ipsemet Dominus concludendo explicat.

Qui, inquit, *ex Deo est*. Hoc est, Dei spiritu præditus est, hic verba Dei audit, lubenter scilicet & benignis, auidisque auribus ea acceptat credendo, & obediendo eis. *Propterea ergo vos mea verba*. Quæ Dei sunt, non auditis æquis auribus *quia ex Deo non estis*, id est, afflatu spiritus diuini, non estis donati, sed pleni afflatu diaboli.

Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, &c. Solet coniuncta impietas dum non habet quod respondeat veritati, conuerti ad conuitia. Itaque Iudæi quoniam conuicti erant esse filij diaboli ad maledicta confugiunt, mera animi impotentia regerentes in Dominum, quæ nullam vel similitudinem veri habebant Nonne inquiunt bene dicimus nos. Quibus verbis significant se id prius Domino obiecisse aliquando, ipsum autem re ipsa iam confirmare illorum dictum. Porro Samaritanum Dominum vocabant, non quod origine eum talem esse putabant, sed per contemptum. Nam Iudæi Samaritanos execrantes, quem vehementer odiebant Samaritanum appellabant: quomodo Chri- *Samaritanus Christus.*

stiani quosdam per contemptum Iudæos vocant. Dæmonium autem habere dicebant quod insana, & absona eum loqui iudicarẽt, cum illos dicebat ex Patre diabolo, & non ex Deo esse; se vero, suamque doctrinam tantopere videretur commendare. Respõdit ergo Dominus:

Dæmoniũ habere dicitur est.

Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. q. d. Non loquor insaniæ verba, sed ea loquor per quæ studeo Patris mei gloriam apud homines promouere. Ad insanam Iudæorum calumniam, & contumeliam clementissimè Dominus respondit: alterum conuitium nempe Samaritani nomen dissimulans; siue quia nihil aliud erat quam impotentis ire maledictum omni ratione carens, siue secundum August. quia ipse nomen Samaritani lubentet secundum eius significationem cognouit sibi competere. Samaritanus enim custos interpretatur, sicut se in quadam parabola apud Lucam per Samaritanum designauit. Ad dæmoniaci autem vocabulum intentatum, quoniam derogabat gloriæ Dei, & veritati doctrinæ suæ, respondit quidem, sed ita vt non regesserit. Maledictum, quod in illos merito retorqueri potuisset; sed mansuetè, & simplici negatione tantum depulerit à se: qui alioqui inter docendum, & vitia hominum reprehendendũ vehemens erat, liber, & acer. Dicit ergo; *Honorifico Patrem meum*, vos autem me, quia Patrem meum honoro, inhonorastis, cum scilicet Samaritanum, & dæmoniacum appellatis. Ne autem id dicere videretur, quasi doleret se ab eis inhonoratum, & ignominia affectũ, ac gloriæ cupidus putaretur, subiecit;

Ego autem non quæro gloriam meam. Ego tanquam homo scilicet, non quæro gloriam meam, sed gloriam Dei, & salutem hominum. Quamuis autem ego secundum quod homo, gloriam meam quatenus homo sum non quærã, nec vlciscar eos, qui ignominia me afficiunt, *est* tamen *qui gloriam meam quærat*, & non solum quærat, *sed etiam iudicet*. Vindicando me de his, qui me ignominia afficiunt. Vult enim Pater vt omnes honorificent filium, sicut honorificant ipsum; & qui hoc recusant facere, seuerè ab eo vel in hac vita sicut Iudæi, vel saltem in futura vindicabuntur. Porro quoniam Iudæi Domini sermonem veluti insanum, & à dæmone profectum calumniabantur: Dominus contra quam salutaris sit ipsius doctrina liberè proclamat: nequaquam reueritus illorum contradictiones: nec ob eorum conuitia à docendo quæ pijs, & electis ibi præsentibus essent salutaria, cessans. *Amen, amen*, inquit, dico vobis quisquis sermonem meum non simpliciter audierit, sed auditum etiam seruauerit obtemperando ei: *non videbit*, hoc est, non experietur, nec sentiet *mortem in æternum*: quia ab æterna morte erit liber, & mors corporis ei mors non erit, sed somnus, & migratio. Somnus, quoad corpus aliquando ex-

do excitandum, migratio, quo ad animam fœlicius in altero seculo victuram.

Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes, &c. Cum mansuetissime Iudæis insaniam sibi obijcientibus Dominus respondisset, & quæ salutis eorum essent docuisset: contra illi sermonem eius intelligentes de morte corporali, tursum insaniam ei obijciunt: tanto quidem furore, vt etiam proptij honoris obliuiscerentur. Nam cum dicunt, Nunc cognouimus, significant se id prius, cum illi hoc obiecerunt, non cognouisse, aut non satis cognouisse. Mirantur autem quomodo Dominus immortalitatem promittat seruantibus sermonem eius, cum ea nec Abraham, nec Prophetis contigerit, quos tamen constat seruasse sermonem Dei, atque ob id colligunt illum se anteponere ipsis, quod pollicerentur ea, quæ illi non solum non poterunt alijs præstare, sed nec ipsi sunt assequuti ex obseruatione mandatorum Dei. Porro Dominus omisso dæmoniaci nomine sibi furioso intentato, quod prius à se simplici depulerat negatione, ad reliqua pro suo more mansuetè respondet. Et primum quidem ad illud quod postremo loco dixerunt: *Quem teipsum facis?* quo significauerant eum seipsum exaltare, & sibi vsurpare personam alienam. Ad hoc enim respondet Dominus, dicens:

Si ego glorifico metipsum, gloria mea nihil est. Quæ sententia rectè intelligatur quomodo alijs multæ similes, Si ego ex meipso, aut ego tanquam homo, qualis à vobis solum esse putor, glorifico me ipsum: inanis, & pro nihilo æstimanda esset gloria mea. Nunc autẽ non ego me glorifico, sed est Pater meus, qui me glorificat. Hęc autem Patris glorificatio non intelligenda est tantum consistere in his, quæ pro filij gloria Pater fecit in baptismo, & in monte Thabor, aut post mortem in resurrectione, & ascensione eius: sed & in omnibus, quæ Filius dixit, aut fecit. Hæc enim cum filius non à seipso dixerit, & fecerit, sed Pater per illum loqueretur, & operaretur, & filij gloriam diuinam apertè satis comprobarent: dicitur filius per illa non seipsum glorificasse, sed Pater ipsum glorificasse. Tunc enim seipsum quis glorificat, quando suis, hoc est, non diuinis dictis, vel factis gloriam sibi venatur, & parat apud homines. Clarè autem aperit eis Dominus, quem vocet Patrem suum, cum subdit, *quem vos dicitis, quod Deus vester sit*, significas in veritate non esse ipsorum Deum, sicut gloriabantur. Vnde subdit, *& nõ cognouistis eum*, quia scilicet sermonem eius, & opera, quæ per me edidit non agnoscitis *nec mandata eius seruatis*, quorum vtrumque arguit hominem non verè, & intimè agnoscere Deum. In hunc enim sensum Dominum dixisse illos non cognoscere Deũ patet, quia mox de se dicit.

Ego autẽ noui eum, & sermonẽ eius seruo. Nam quod dicit sermonem

nem eius seruo, indicium esse vult cognitii à se Dei. His autem veluti munimentis præiactis, secundò respondet ad id, quod de Abraham obiecerunt. Nunquid tu maior es Patre nostro, &c. Ostenditque se illo maiorem esse, simulque indicat illum non esse mortuum ea morte de qua ipse erat loquutus. *Abraham*, inquit, *Pater vester exultauit vt videret*, hoc est, gestiuit, & summopere optauit videre diem meum, hoc est, aduentum meum in carnem: & quod summè desiderauit videre, cum magno etiam mentis gaudio est assecutus.

Vidit enim diem meum. Oculis spiritualibus, quia iam in limbo inferni existens, agnouit me in mundum venisse, & ob id *gauisus est*, quod per me sciat se, & totum humanum genus à morte redimendum, & in cælos subuehendum. Itaque Iudæi Dominum significare putantes Abraham vidisse illum oculis corporalibus, & proinde tum vidisse, cum in mundo hoc degeret: nouam rursum calumniam Christo obiiciunt, dicentes:

Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dicendum erat, & Abraham vidit te: verum quo magis absurditas appareret, dicunt & Abraham vidisti? Probabilissimum autem est, quod appellatione quinquaginta annorum, spectauerint ad mortem sui seculi, hoc est, Iubilei, quod interdum seculum appellatur, quasi dixerint: Nondum vnum seculum implesti, & audes dicere vidisse te Abraham? Porro quanquam Dominus redarguere potuisset de malo verborum suorum intellectu Iudæos: potius tamen ad eorum interrogationem respondere voluit, vt apertius iam suam diuinitatem declarans ostenderet se Abraham esse maiorem, atque ob id dicit.

Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret. Vel nasceretur, aut esset *ego sum*. Non dicit, ego fuisse ego sum, quemadmodum superius: vt ostenderet Iudæis se eum esse, qui olim dixerat Moysi, Ego sum, qui sum. Iudæi ergo hanc vocem tanquam blasphemam non ferentes cucurrerunt ad lapides, vt pœna legis contra blasphemos statuta eum occiderent. Verum Dominus qui iam verbis suam apertè significauit diuinitatem eandem re ipsa ostendit cum *abscondit se abeis*, reddendo se illis inuisibilem, *sicque exiuit è templo* è manibus eorum elapsus. Docens nos suo exemplo vt cum etiam possumus resistere, Iram superbientium humiliter declinemus.

Cæco nato restituitur visus. Ioan. 9.

CAPVT LXXVIII.

ET

ET prætereiens Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Abiit ergo & lauit, & venit videns. Itaque vicini & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum. Dicebãt ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & laua. Et abij, & laui, & vidi. Et dixerunt ei. Vbi est ille? Ait: Nescio. Adduxerunt eum ad pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem sabbathum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, et video. Dicebant ergo ex pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo qui sabbathum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderat, & interrogauerunt eos dicentes: Hic est filius vester quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est, quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis eius aperuit oculos nos nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modò video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & vo-

lum autem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati. Nisi esset hic a Deo nō poterat facere quicquā. Respondérunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, et tu doces nos? Et eiecerunt eum foràs. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foràs, & cū inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et procidēs adorauit eum. Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cœci fiant. Et audierūt quidam ex Phariſæis qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Nūquid & nos cœci ſumus? Dixit eis Iesus: Si cœci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

Et præteriens Iesus vidit hominem cœcum à natiuitate, &c. Non quia dicitur: Et præteriens vidit, &c. Exiſtimandum eſt hoc miraculum contigiſſe mox cum Dominus ſe abſcondendo exiuiſſet è templo. Tunc enim exeunti non aderant diſcipuli, quos conſtat modo adfuiſſe. Itaque nihil aliud voluit Euangeliſta, quàm quod cum Dominus quandoque in Ieruſalem alicubi præteriret, vidit hunc cœcum. Intelligendum autem Dominum non obiter aſpexiſſe illum, ſed ſtudioſe, defigendo etiam intuitum in illum. Alioqui enim non adduceret Euangeliſta diſcipulorum queſtionem occaſione aſpectus huius factam. Nam cum viderent Dominum ſtudioſe illum aſpicientem interrogauerunt eum: *Rabbi, quis peccauit, &c.* Cuius quæſtionis occaſionem fuiſſe veriſimile eſt, quod cum Dominus ſuperius paralyticum in Ieruſalem curaſſet, dixiſſet: Ecce ſanus factus es, iā amplius noli peccare. Vnde intelligentes morbos ob peccata accidere, mirantur cuius peccato hic contraxerit cœcitatem à natiuitate. Et quidem ſuam ruditatē magnā in hac quæſtione oſtendere videntur, cum querunt num ipſe peccauerit, qui cæcus natus erat: quaſi fieri poſſet, vt quis peccet antequam naſcatur.

Reſpondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, &c. Omiſſa redargutione ruditatis ſuorum diſcipulorum, ad doctrinam veritatis pro ſuo more Dominus conuertitur: docens non ſemper propter peccata immitti hominibus morbos, ſed nonnunquam ob oſtenſionem gloriæ Dei in eis. [Quod tamen cum ſit non eſt quod homo conquiescatur, tum quod Deus omnium creator creaturis ſuis vti poteſt, vt maximè nouit expedire in illuſtrandæ gloriæ ſuæ, tum quod id ad maius profectum hominis nempe ſpiritualem eius vtilitatem proueniat.] Neque inquit, hic peccauit, neque parentes eius, ſupple, vt cæcus naſceretur (Non enim ab omni peccato illos ſignificare voluit eſſe immunes) ſed, ſupple, ideo cæcus natus eſt, *Vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Dicit pluraliter

raliter opera Dei, & non opus Dei, quia non tantùm vnum illud opus Dei, nempe curatio cœcitatis erat in illo manifeſtanda, ſed in genere opera Dei erant in illo manifeſtanda, hoc eſt oſtendendum erat in illo qualia eſſent Dei opera, quantæ ſcilicet potentiæ, & quantæ rurſum bonitatis, quomodo ſemper etiam in Sabbatho operetur, quæ ad ſalutem hominum pertinent, & quod opera Ieſu ſint à Deo. Cum autem his verbis Dominus ſubindicaret ſe miraculum hoc ad quod ſe iam parabat non operaturum aucupandæ gloriæ cauſa, & propter oſtentationem, ſed propter gloriam Dei: idipſum apertius ſignificare volens, ſubiunxit.

Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Dicit oportet non quod ad hoc cogeretur veluti ſeruus à Domino: ſed ſignificare volens ſe non à ſeipſo facere, quæ faciebat, verum ex mandato, & commiſſione Patris ſui dicit, opera eius, qui miſit me, ſignificans eadem eſſe opera ſua, & Patris ſui, quæ vt ſignificaret per ſe eſſe manifeſtanda ſubiecit: Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Si ipſa Domini verba attentius conſideremus, omnino apparet Dominum vocaſſe diem; tempus corporalis ſuæ in mundo præſentiæ, noctem verò tempus ſuæ abſentiæ, in quo ex decreto Patris vacaturus erat à doctrina & miraculorum operibus, ſic vt per ſeſe corporaliter ea non eſſet exhibiturus, ſicut ea exhibere per ſeſe debuit, quamdiu erat corporaliter in mundo. Cum enim ſubijcit: *Quamdiu ſum in mundo, &c.* Significat ſe quandoque non fore in mundo, quomodo iam erat, ſecundum viſibilem ſcilicet corporis præſentiam, quam mox erat ſubductuus mundo. Quod autem ait, *Venit nox in qua nemo poteſt operari.* Alluſit more ſuo ad noctem vulgarem, in qua non poſſunt homines operari: hinc allegoricos ſignificans inſtare tempus in quo abiturus à Iudæis nihil eſſet apud eos operaturus eorum, quæ tum pro eorum ſalute per ſeſe faciebat. Vt autem intelligeremus quare tempus ſuæ præſentiæ diem vocet, & non ſimpliciter illi dici diem, quomodo tempus vitæ cuiuſlibet hominis dies illi eſt, ſubiecit;

Quamdiu ſum in mundo lux ſum mundi. Significans tempus illud non illi ſolū eſſe diem, ſed toti etiā mundo, nec diem ſolū ob operandi ſa cultatē, ſed etiam ob lucē, quam ſua præſentia mundo adfert per doctrinā, & opera vitæ æternæ. Igitur tēpus ſuæ abſentiæ etiam ſignificat duplici nomine forè Iudæis noctem, nempe tum quod abſuturus eis eſſet ſol iuſtitiæ, tum quod ipſe tanquam in nocte nihil eſſet corporaliter apud eos pro illorum ſalute facturus. Dicit autem: Quamdiu ſum in mundo lux ſum mundi; non quod poſt aſcenſionem deſineret omnino eſſe lux mundi; ſed

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod defineret sic præluceret hominibus, quomodo tunc præluc-
cebat per seipsum docendo, & miracula ędendo: & quomodo post
ipsum lucere cœperunt Apostoli, quibus proinde dictum est vos
estis lux mundi.

Hoc cum dixisset expuit in terram & fecit lutum ex sputo, &c. Cũ prædictis verbis ostendisset Dominus se non ad ostentationem, sed ob Patris gloriam, & secundum Patris præscriptum operari miracula etiam in Sabbatho, quia donec dies est: pergit ad miraculum, quod nõ to iam modo operatus est, nimirum luto non quovis, sed ex sputo suo facto oculis cœci apposito, eique mandans vt abiens lauaretur in natatoria Siloë. De fonte autem Siloæ sic scribit D. Hieronymus, Siloam fontẽ esse ad radices montis Sion, qui nõ iugibis aquis, sed incertis horis, diebusque ebullias, & per terrarum cœcutia, & antra saxi duriſſimi cum magno sonitu veniat, dubitare nõ possumus, nos præsertim, qui in hac regione habitamus. Hæc ille. Ex hoc igitur fonte, maximè cum interruptis vicibus manet, & sit in ea regione aquarum penuria facta erat κολυμβήθρα. i. natatorium, vel natatoria vt hic vertit Interpres, aut piscina vt vertit Ioan. 5. Porro ne quis miretur, quod sic a Domino cœcus, qui illũ non nouerat permiserit se attrectari, & luto oculos suos perungi: aduertendum Euangelistam breuitati studentem nõ omnia scripsisse, quæ circa ea, quæ narrat sunt dicta vel facta, sed multa reliquisse nobis intelligenda, sine quibus quæ narrat, non possunt intelligi commodè esse gesta. Intelligendum ergo Dominum prius interrogasse cœcum, quẽadmodum supra paralyticum, num vellet sibi visum restitui, atque ex discipulis intellexisse Iesum, cuius nomen ex fama ei cognitum proculdubio erat, esse qui lutum ei super oculos ponere pararet; aut illum ex turba didicisse Iesum esse, qui præteriret, eoque intellecto Domino acclamasse, vt ei misereretur. Verisimile item Dominũ illi dixisse, vade ad Siloë aquas, & ibi visum recipies: quanquam promissionis illius non meminerit Euangelista: A ratione enim alienum est, rem sic nudè gestam esse vt ab Euangelista describitur.

In Isaiam cap. 8. Fõs Siloë.

Natatoria Piscina.

Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, &c. Post descriptam miraculosam cœci illuminationem, Euangelista prolixè commemorat quomodo miraculum hoc ad multorum cognitionem peruenerit, & à multis exactè examinatum multiplicierit cesserit in Dei gloriam: quantumuis illud plerosque malè haberet, & vereret, qui quo magis huic miraculo detrahere studuerunt, hoc magis reddiderunt illustre. Deinde & eo tendit sequens narratio, vt ostendatur quanta constantia, & libertate cœcus miraculum & authorem eius prædicauerit, & quod ob id reiectus à Christo sit susceptum & ad perfectiorem eius cognitionem perductus. Pro eo autẽ quod nos habemus, quia mendicus erat (quomodo

modo nobiscum legit etiam Theophyl.) Græci codices fere habent, quia cœcus erat, vt significetur quosdam vidisse eum prius, quod cœcus fuisset. Verum nostra lectio est conuenientior, secundũ quã significatur hunc cœcũ prius multis visum fuisse, & cognitũ ob id quod publicè mendicus esset. Porro ad miraculi cõmendationem, & Dei gloriam faciebat, quod tum vicinis, tũ aliis multis ob mendicitatem notus fuerat, dicentibus; *Nonne hic est qui sedebat* (ante templum scilicet, quemadmodũ claudus ille, de quo Actor. 3.) *& mendicabat?* Alij dicebant ipsum esse, alij negabant. Hoc enim declarat miraculum tantum fuisse, vt qui illum prius probè nouerant, non possent facilè adduci, vt crederent eundem esse. Dixit autem cœcus: *Ille homo qui dicitur Iesus*, non per contemptum, sed quod adhuc a Domino esset alienus, sola illum fama cognitum habens. Iam gloriæ Dei etiam inseruiit, quod cœcus nescierit vbi esset Iesus, nec illum agnouerit. Sic enim omnis suspicio tollebatur, vt videri non posset ad gratiam loqui. Cum itaque cœcus adductus esset, Pharisæi etsi ab adductoribus didicissent facti ordinem, tamen quo certius eis de facto constaret, cœcum quem vicini prius interrogauerant, iam secundò interrogauerunt quomodo vidisset, hoc est visum recepisset. Nam sic oportet verbum hoc semper hic exponere, cùm sit Græcè ἀναβλέπω. Audito ergo huius testimonio variatum est sententia inter illos. Quidam enim Pharisęorum pro ingenio desperatorum hominũ, tam inaudito diuinæ potentiæ miraculo adeo non potuerunt moueri, vt de Domino melius sentirent; vt mox ex diei religione mutarentur occasionem calumniandi factum planè diuinum, quod diei religionem decebat & commendabat. Itaque dixerunt:

ἀναβλέπειν.

Non est hic homo à Deo, quantumuis frequenter eum in ore habeat, *cum sabbatum non custodiat*. Quibus verbis non tantum præsens factum notare videntur, sed & signum illud quod scribitur Ioannis. 5. & alia quæ Sabbatho fecit Dominus; q. d. Iste Sabbatum pro nihilo habet, vt qui illud iam frequenter violauerit. Alij autem & si congruum illis fuisset ostendere, qualiter Sabbathũ non fuerit in prædictis factis violatum: tamen quoniam Pharisaico adhuc errore detinerentur, & tamen à signorum magnitudine superabantur contrà dicunt;

Si hic homo, non est missus à Deo, ac illi gratus, sed peccator est, quomodo potest hæc signa facere? significãtes peccatores nõ posse signa facere saltem talia, qualia scilicet Iesus fecit, maxima scilicet, & planè diuina. Nã & diabolus sua habet falsa signa, quæ per suos nonnunquam ædit. Dicunt autem isti pluraliter hæc signa, vel vt est Græcè talia signa, respicientes scilicet non ad vnum illud, de quo tum agebatur, sed & ad alia pleraque quæ Christus fecerat. Itaque sententijs de Iesu variantibus, *schisma*, hoc est dissidium, & dissensio

Universidad de Deusto
Biblioteca

dissensio erat, *inter illos*. Proinde rursum interrogant cœcum vt suam ipse de Iesu proferret sententiam, de quo inter ipsos non conueniebat.

Tu, inquiunt, *quod dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* vel vt habẽt Græci, quia aperuit, vt sit sensus: Quem tu dicis esse illum ob hoc, quod aperuit oculos tuos. Mendicus itaque simpliciter, & intrepidè pronunciat quid sentiret. Ego inquit dico eũ esse Propheram; significans eum à Deo missum esse, & veracem esse doctorẽ. Nam talis vt supra est probatum, Propheta dicitur, etiam si nihil futurum prædicat, quale adhuc hic à Iesu non audierat.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cœcus fuisset, &c. Cũ primùm Pharisæis & Iudæis miraculum a cœco exponeretur, facilè crediderunt: quod propter operationem, qua Sabbathum violatum putabant, gaudebant se occasionem habere calumniandi Dominum, & ostendendi illum non esse a Deo. Verum cum iam, & quorundam Pharisæorum authoritate, & ipsius cœci sententia, quam postulauerant, velut parati illi stare, non permitteretur tale miraculum ei tribuere cum quo non esset Deus, in contrarium dilabuntur: præter spem sane sperantes hunc non esse qui cœcus fuisset, & si omnibus satis ob publicã notus mendicitatẽ. Proinde priusquam id credendum sibi putarent, parentes eius aduocãdos, & audiendos statuerunt; si fortè illi metu adducti (vt sunt ferè timidi quibus res est angusta domi) aliquid dicerent, quod ad miraculum obscurandum facere posset. Itaque Pharisæi aduocatos parentes interrogant tria, si filius eorum sit, si cœcus natus sit, & quomodo nunc visum receperit. Rigidè autem interrogant, putãtes illos exterrere sicque aliquid dicturos, quod in calumniam prædicati cæderet miraculi. Non enim dicunt: *Hic est filius vester*, qui cœcus natus est, sed quem vos dicitis quia, id est, quod cœcus natus sit: notantes eos id falso dicere solitos; quo tamẽ nihil potest improbabilius suspicari. Quis enim Pater talia mentiri eum sua ignominia vellet de filio? Nec dicunt simpliciter. *quomodo nunc videt*; sed quomodo ergo nunc videt, quasi dicerent: Aut hoc falsum est, quod nunc videat, aut illud quod cœcus natus sit. Sed videre eum, constat verum esse: ergo falsum sit est necesse, quod cœcus natus fuerit. Tribus autem interrogationibus factis parentes cautè respondent, de duobus confitentes se esse certos, ignorare vero quod tertiò quærebatur: modum scilicet, & authorem reddi visus. Et addunt; *ipsum interrogate, ætatem habet ipse de se loquatur*, vel vt est Græcè, de se loquetur vel pro se loquetur. Hæc vt ex Euangelistæ narratione patet, *dixerunt*, non quod nescirent, sed quod Phariseos metuerent, malentes solum filium venire in periculum, quàm communi periculo inuolui cum filio. Porro ex eo quod conspirauerant Iudæi eos eijciendos Synagoga, qui cõfiterentur

terentur Dominum esse Christum: animaduertere licet iam tum percrebuisse, atque iactari cœptum fuisse eum esse Christum. Fieri autem extra synagogam erat interdici alicui commercio, & consuetudine reliquorum Iudæorum, vt non liceret ei cum reliquis ingredi synagogam, aut templum, & omnino alienus esset ab omni Iudæorum congregatione, quod apud Iudæos summæ ignominiæ loco habebatur: quomodo apud Christianos habetur Excommunicatio. *Extra Synagogam fieri.*

Vocauerunt ergo rursum hominem qui fuerat cœcus, &c. Cum ex parentum responsione nihil potuerunt venari quod pro suo facere desiderio, & parentes eos remisissent ad filium: illi necdum desistendum sibi esse rati, vocauerunt rursum eum, qui fuerat cœcus, dicentes ei: *Da gloriam Deo*, quibus quidẽ verbis videntur simpliciter ab eo exegisse confessionem veritatis. Nam sic hæc oratio accipitur Ios. 7. Vbi ad Achan dicit Iosuæ, Fili mi da gloriam Domino Deo Israël: quod quid sit patet ex eo, quod sequitur, & confitere atque indica mihi quid feceris. Et videturhęc oratio fuisse modus obtestandi, & veluti adiurandi aliquem, ad extorquendum ab eo veritatem ad gloriam Dei. Sic & 1. Reg. 6. Sacerdotes Philistym consulunt suis, vt factis anis aureis dent gloriam Deo Israël, hoc est veritatẽ testentur, & suam iniquitatem confiteantur. Itaque quod dicunt Da gloriam Deo hunc habet sensum; Ad gloriã Dei confitere, nobis omnem rei veritatem. Quibus verbis sub obtentu religionis eum inducere voluerunt vt vel miraculum negaret, vel præstigio aliquo, & non diuino modo factũ diceret. Addunt autem.

Nos scimus quia hic homo peccator est, hoc est scelestus & impius, quasi dicant, scimus illum hoc miraculum vel non fecisse, vel non diuina virtute fecisse. Porro cœcus fortiter simul, & circunspectè respondens ait:

Si peccator est, nescio, &c. Id autem non dicit veluti dubitaret, Nam supra Propheram esse dixit, & mox ostendit eum non esse peccatorem, sed esse à Deo: Itaque ideo dicit nescio vt eorum nugas, & calumnias more dubitantis depellat, & significet se id executere nolle, vt sit sensus; An peccator sit, nec ne, non iam executio, nec pronuncio. Illud tantùm dicam quod à me sub obtestatione nominis diuini requiritis, & liberè pronunciare possum, vtpote quod in me experientia didici, *cum prius essem cœcus, modo video.* Illi autem, vt nunquam quieisci inuidia, sperantes se aliquid audituros, quod in calumniam rapere possent, & vnde ostendere possent miraculi modum non fuisse diuinum, aut ex re aliter narrata falsitatem comprobari posse, iterum eum interrogauerunt,

Quid fecit tibi, quomodo aperuit oculos tuos? Mendicus autem, qui

qui hactenus quamdiu res inquisitione indigebat, remisse locutus est; iam confidentior factus cum videret eos tantú querere quod calumniari possent, stomachando aduersus impudentem eorum malitiam respondit ei;

Dixi vobis modo, quomodo aperuit oculos meos, & id semel audistis. *Quid iterum vultis* eadem *audire: Numquid*, etiam vos mecú, & cum aliis eius discipulis vultis discipuli eius fieri? vt ob id tam diligenter iterum atque iterum de operibus eius inquiratis? Hoc autem dicit per ironiam, sciens illos nolle eius discipulos fieri, & ob id significans indignos illos esse, quibus eadem repetantur, vt qui non bono animo, sed malo ad easdem reuoluerentur percontationes.

Maledixerũt ergo ei, & dixerũt, Tu discipulus illius sis, &c. Ex odio nominis Christi, & magnanimi superbia offensi Pharisæi mordaci libertate cœci maledixerunt ei, quod Græcè est λοιδορησαν, id est, conuitiati sunt. Proinde notandum etiam quod cũ nos habemus, Tu discipulus illius sis, quod imprecationem significat, Græcè est, tu discipulus eius es, quod non imprecationem sed conuitiũ magis significat. Itaque maledixerunt, & conuitiati sunt ei quia illi obiecerunt, quod ignominiosum esse putauerunt, & quia animo vituperandi dixerunt: quale maledictum (inquit Aug.) sit super nos & super filios nostros. Addunt autem rationem, sed insipientiæ plenam, quare nolint esse Christi discipuli, sed Moysi. *Nos*, inquiunt *scimus* quia, id est, quod *Moysi locutus est Deus*, hũc autem nescimus vnde sit, hoc est cuius Spiritu instructus ad nos venerit. Tanta autem horum fuit insipientia, vt non posset non eam mox mendicus iste & deprehendere, & redarguere, cuius cum inter disputandum (vt fieri solet) excresceret fiducia, confirmatus veritatis conscientia, & Dei gratia fortiter contemptis omnibus periculis, ausus est Christi causam agere apud viros magni nominis, quos sentiebat omnibus technis moliri perniciem Iesu. Itaque ex miraculo redditi sibi visus, colligens, & conuincens meritò nõ debere illos ignorare vnde profectus esset Iesus.

In hoc, inquit, *enim mirabile est*, hoc est, in isto sanè mirabile quiddam accidit (nam γαρ enim pro sanè hic positum est) *quia*, id est, quod, *vos nescitis vnde sit*, & hoc est, cũ tamẽ (phrasis est enim Hebræa) *aperuit meos oculos. Scimus autem quod Deus peccatores non audit*, id est, exaudit (audire enim hic positum est pro audire cum effectu, quod est exaudire, quemadmodum mox postea vertit Interpres, cum Græcis eadem sit dictio) *sed si quis Dei cultor est*, sic vt non solum cæremonijs externis veneretur, *sed voluntatem eius faciat*, obtemperando mandatis eius (quod vere est Deum colere) *hunc exaudit*. His ergo mendicus refellit, quod prius dixerũt; Nos scimus quia hic homo peccator est. Dicit ergo *scimus*, quod ex

ex Scripturis ita apud Iudæos esset receptum, quodque hæc in parte etiam ipsi Pharisæi consentirent cum ipso, vt qui prius dixerant Quomodo potest homo peccator hæc signa facere. Regulare enim est non exaudiri a Deo peccatores, hoc est perseuerantes in peccato.

A seculo, inquit, *non est auditum, &c.* q.d. Multa quidem memorantur miracula, quę Deus olim gessit per Maiores nostros sed sanctos, non peccatores: & tamen si repetamus ab orbe condito, nunquam auditum est quenquam extitisse, qui cœco nato oculos aperiret, & visum, quem nunquam habuit, imo quem natura negauit præberet.

Si non esset hic à Deo. Quemadmodum vos vultis non esse, *non posset facere quicquam*, eorum scilicet, quæ facit, cum illa nec sua virtute, nec alia virtute, quam diuina facere possit. Porro Pharisæi hac mendici fiducia prorsus efferati, cum iam spes non esset fore vt ille vel corruptus, vel metu territus desisteret à prædicando Iesu, ad extrema veniunt, ad quæ coniuncta impietas solet descendere, ad opprobria scilicet & vim. *In peccatis*, inquiunt, *natus es totus*, & additur Græcis. Tu, quod contemptus emphasim habet. Dicunt autem totum in peccatis natum, quod secundum eos omnia eius, mendicitas scilicet, cœcitas, impudentia arguerent hominem à natiuitate sceleſtum. Addunt autem cum impatientis animi arrogantia. *Et tu doces nos.* Vbi vtrumque pro nomen magnam habet emphasim: quasi dicant; Et tu tam vilis homo, indoctus planè, & manifestè sceleſtus doces nos, qui legis professionem, & religionis apicem tenemus? Nec his contenti conuitio addunt vim, non ferentes sibi os obturatum esse ab homine paupere, & idiota, & ob id *ejicientes eum foras, extra synagogam*, vt est verisimile efficiendo eum apoſynagogum: quamuis simpliciter intelligi possit ejectum è concilio illo, & congregatione.

Audiuit Iesus quia ejecerunt eum foras, &c. Ejectum a Pharisæis Dominus cum audisset quæ ille pro sui nominis confessione passus esset, requirens suscepit, & ad perfectiorem sui cognitionem deduxit: ostendens se curam habere eorum, qui propter se aliquid patiuntur, nec relinquere eos sine consolatione: deinde illos perfectiore sui cognitione dignos esse, qui accepta cognitione bene vtuntur. Itaque cum non obiter, sed vt magis est verisimile, quæsitum illum à se inuenisset, dixit:

Tu credis in filium Dei? Ille auidum se declarans credendi dixit; *Quis est Domine vt credam in eum?* Probabile est ipsum è comitatu & turba cognouisse Iesum, qui tanauerat ipsum, esse eum qui secum loquebatur (nam Dominum eum vocat) nondum tamen cognouisse Iesum esse filium Dei: hoc est, expecta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum Messiam. Nam sicut filius Dauid, ita & filius Dei vulgo fuit cognomentum Messiæ quemadmodum ex hoc loco aduertere licet & Ioann. 1. & Matth. 16. Cum ergo, qui cœcus fuerat animi sui ad credendum promptitudinem declarasset, Dominus ei se manifestat dicens:

Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Non dicit; Ego sum, qui te sanaui, sed submisse primum, & obscurè; & vidisti, inquit, eum, deinde & manifestius: Et qui loquitur tecum ipse est. Mendicus autè auditis verbis Iesu, tractus à Patre mox credit, fidemque suam confitetur non verbis tantum dicens; *Credo Domine*, sed & opere. Nam *procidens adorauit eū*, non tanquam Prophetam tantum, sed tanquam filium Dei.

Et dixit ei Iesus; in iudicium ego in hunc mundum veni. Quoniam Dominus mendico illi, cum cœcus esset & corpore, & mente primum quidem visum corporalem restituit, ac deinde etiam spiritualem: hinc occasionem desumpsit differendi, quæ sequuntur de cœcitate & visu spirituali; vt ex omni oblata occasione solitus fuit desumere initium alicuius doctrinæ spiritualis. In iudicium, inquit, ego in hunc mundum veni. Vbi per iudicium rectè intellexerimus decretum illud Patris, quo mirabiliter decreuit, sed tamen iuste per filij sui in hunc mundum aduentum efficere, vt qui non vident, viderent, & finere eos qui videbant, cœcos fieri. Itaque sensus est; Ego veni in hunc mundum in iudicium, hoc est, vt per me iudicium, & decretum Patris mirabile impleatur; quo rerum vices permutētur. In hac tamen locutione præpositio in, aut coniunctio, vt in explicatione posita, debet consecutiuè accipi, & non vt causam designet finalem; quatenus iudicium hoc pertinet ad eos, qui ex videntibus cœci futuri erant. Non enim voluit Deus eos, qui videntes dicuntur, fieri cœcos per Christum, per quem omnes voluit saluos fieri: sed decreuerat id iusto iudicio suo permittere. Itaque sic in horum iudicium dicitur venisse filius, quomodo dicitur positus in ruinam multorum. Porro non videntes de quibus hic loquitur Dominus, sunt hi quos Sapientes mundi, vt cœcos in rebus Dei contemnebāt, quique vt perparum de diuinis rebus cognoscebant, ita nec volebant videri illas cognoscere, sed suam ignorantiam agnoscebant, qualis erat hic mendicus, Apostoli, & alij plerique è vulgo; deinde & gentes quas Iudæi pro cœcis habebant, & vt reuera erant manifestè. Videntes vero, qui cœci erant futuri sunt hi, qui in rebus diuinis multa sanè viderunt vulgò incognita, & se adhuc pluza, quàm viderant, videre arbitrati sunt, suam in multis ignorantiam agnoscere recusantes, quales erant Pharisæi Scribæ, & Gentium Philosophi. Illi ergo non videntes, per Christum videntes facti sunt; quia eis datum est oculis spiritus agnoscere, quę vere

verè hominem beatum facere possint. Illi vero videntes occasione Christi cœci facti sunt, hoc est, declarati esse cœci, & magis, magisque excœcati sunt: quia occasione doctrinæ, & miraculorum Christi per superbiam, inuidiam, aliasque passiones adeo sunt excœcati, vt manifestam veritatem non possent agnoscere, sed impingerent in lapidem illum angularem, qui illis factus est petra offensionis, & scandali. Quod ergo hic dicit Dominus simile est illi; Confiteor tibi Pater Rex cæli, & terræ, quoniam abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *Matth. 11*
Porro Pharisæi quidam, qui tum forte aderant Iesu, aut animo nō syncero comitabantur illum, calūniandi aliam vndique captantes, audientes futurum vt videntes cœci fierent; & satis animaduertentes Dominum loqui de cœcitate non corporali, sed spirituali, atque ob id suspicantes se notatos, qui se pro videntibus haberi volebant, dicunt Domino:

Nunquid etiam nos cœci sumus? Id cum arroganti animo, & maligno interrogarent, delaturi Dominum apud Pharisæorum ordinem, si audirent quod nolebant: Dominus cautè admodum, & prudenter respondet:

Si, inquit, *cœci essetis, peccatum non haberetis.* Quæ sententia rectè sic intelligetur; si essetis cœci, hoc est, si non haberetis scientiam scripturarum, vnde si velletis, possetis veritatem agnoscere; si non essetis naturali, & scripturæ lumine illustrati, ita vt ex ignorantia contra me peccaretis: non haberetis peccatum, tantum scilicet, quantum nunc habetis: imò non haberetis peccatum, quia simplicitati vestræ venia daretur, & à me illustraremini. Nunc vero cum dicatis vos videre, etiam vestro iudicio condemnati estis, ita vt peccatum vestrum maneat, quod in me committitis, quod quoniā videre vos putatis, non potest tolli à vobis.

Differit Dominus de vero pastore & ouibus. Ioannis 10.

CAPVT LXXIX.

AMEN amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hanc prouerbium dixit eis Iesus.

Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus Amen amen dico vobis quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. Ego sum pastor bonus. bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupum venientem & dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ, sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam vt iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Dissensio iterum facta est inter Iudeos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium, &c. Quoniam Phariſæi indignabantur ſe à Domino notari cæcitatis, & pro vide ntibus ſe habebant, adeo vt ob id ſe exhiberent vulgi Paſtores, & Doctores; & rurſum quoniam Phariſæi non dedignabantur ſolum eſſe Chriſti diſcipuli, ſed & grauiter ferebant tam multos Chriſto adhærere: ipſis derelictis Dominus hanc ſubiungit Parabolam veri Paſtoris indicia exprimentem; qua & illos notat non eſſe veros Paſtores, cum tamen tales haberi vellent, & ſe oſtendit verum eſſe ouium Dei Paſtorem, ab ipſis Phariſeis, ac plerisque, qui ante ipſum pro magnis Prophetis populo ſe obtruſerãt longe diuerſum. Et rurſum eadẽ Parabola indicat, qui fiat vt Phariſæi quidem, & illorum diſcipuli Chriſtum verum Paſtorem non agnoſcãt, plerique vero è vulgo ſimplices, & idiotæ qui ab illis cæci habebãtur, & non videntes ſequerentur, & agnoſcerent. Docet enim hæc Parabola vtrumque, & quis ſit Paſtor, & quæ ſint oues. Pro conuenienti autẽ, & expedito huius Parabolæ intellectu, ſemper ob oculos habendum Dominum ſub exemplo Paſtoris, & ouium corporalium loqui de Paſtore, & ouibus myſticis: ac proinde primo videndũ quomodo totus hic parabolæ ſermo quadret Paſtoribus, & ouibus corporalibus: ac deinde per ſimilitudinẽ omnia aptare Paſtori & ouibus myſticis. [Quod ergo attinet ad exẽplum, vnde

vnde petita eſt parabola ita in rebus mundanis eſſe cõſtat, vt quiſquis in caulas ouiũ intrat non per oſtiũ, ſed aliunde irrumpẽs, vtpote per feneſtram, aut maceriam diruptam is non Paſtor ſit, ſed fur, & latro. Fur quidem quia furripit fraude alienum, latro quia vi oues rapit, raptaſque dilaniat & occidit. Qui vero per oſtium intrat in ouilibus ex hoc ipſo cognoſcitur eſſe Paſtor, cui Pater familias oues ſuas concredidit. Hinc oſtiarius, hoc eſt, vel ipſe Pater familias vel is, cui ille totius domus ſuæ cuſtodiam, & omnes claues tradidit, ingrediendi facit facultatem aperiendo ei oſtiũ. Nec oſtiarius tantum illum agnoſcit, ſed & oues vocem eius audiunt, hoc eſt, agnoſcunt cum ad latronis, & furis vocem incognitã expauẽſcant. Vt autem ipſe ingreſſus ad oues, mox ad vocem ſuam agnoſcitur ab eis: ita & ipſe vicißim eas agnoſcit; adeo vt nominatim etiam ſingulas vocare norit, atque ſic ſigillatim vocatas educit e caulis non ad lanienam, ſed ad ſalutaria paſcua, illęque vocatæ parent vocanti voce amica notaque. Cum autem iam eductæ è ſeptis quibus continebantur prodierint in liberos campos, non ipſe domi remanens permittit vagari quocunque, ſed ne quid aberrent, aut ab occurrente lupo inpetantur, & diſpergantur, antecedit totum ſuum gregem, vt ſuo ducatu viam illis commonſtret, & à noxijs præmuniat beſtijs. Præcedit autem eas non mutus, ſed ſubinde voce ſua prouocans ad ſequendum, & ab errore reuocans, nec ſinens in via diutius hærere. Itaque illæ, quoniam agnoſcunt ſui Paſtoris vocem, ad quam ſe dirigunt, antecedentem Paſtorem prompte ſequuntur. Eum vero, qui non eſt ipſarũ proprius Paſtor, ſed alieni gregis forte Paſtor eſt, non ſequuntur, licet præcedentem, & vocantem, ſed abhorrent, & refugiunt ab eo tanquam ignoto. Hæc eſt ipſius exempli breuis, & clara explanatio, cæterum in applicatione eiuſdem parabolæ ad propoſitum Domini, per oſtium (quod nomen negotium aliquod exhibet) recte ac ceperimus iuſtitiam, vel ipſum Deum. Nam & iuſtitia, & ipſe Deus oſtium eſt oues cuſtodiens, & per quod ad paſcendas oues ſit accedendum. Iam oſtiarius vel intelligendus eſt ipſe Deus aut vt diſtinctam habeamus perſonam ab oſtio, & Paſtore ipſe Spiritus ſanctus, quomodo intelligunt Auguſt. & Theophyl. ipſe enim Spiritus ſanctus eſt, cui a Deo Patre totius Eccleſiæ ſuæ cura commiſſa eſt, qui ſuis donis hominem inſtruens, & omnem veritatem edocens, ſic demum aperit ei oſtium, hoc eſt dat ei iuſta ratione ad paſcendas Dei oues accedere. Sicut ergo in ipſo exemplo alius eſt Pater familias, qui eſt omnium Dominus, alius Paſtor, qui à Patre familias præficitur ouibus, alius oſtiarius, qui cognoſcens Paſtorem libentem dat ei ad oues aditum: ita in re per exemplum ſignificata Deus Pater velut ouium Dominus eſt intelligendus, Filius Paſtor, Spiritus ſanctus oſtiarius: ſic tamen vt per hæc nõ intelliga-

Ostium.

Ostiarius

Pastor.

Omes. mus vnum alium maiorem, vel minorem. Porro per oues parabolice significantur electi, & prædestinati à Deo; ouile est ipsa omnũ congregatio, & multitudo certo aliquo loco sub vno pastore degens. Applicatio ergo exempli hæc est; Qui ad Dei populum veluti illum pasturus, & tecturus sese ingerit, non accedens iusta & recta via, neque per Deum illuc accedens, sed vel per humanæ cupiditatem gloriæ, vel per spem commodi temporalis illicito modo accedens: is fur est & latro. Fur quidem, quia alienum sibi vsurpat. Latro, quia animas hominũ impijs, & falsis suis doctrinis eum deliter occidit. Qui autẽ recta via ad Dei populum regendum & pascendum accedit, videlicet à Deo ad hoc missus, & recta intentione id suscipiens: is solus vere est pastor ouium. Huic Spiritus sanctus, cui veluti ostiario cura ouilis Dominici cõmissa est, & sine cuius fauore nemo recte potest susceptre administrationẽ populi Dei, veluti ostium aperit, cũ docendo eũ & suis donis instruẽdo dat ad populum Dei pascendum liberum aditum. Quo accedẽte mox electi quique, & prædestinati vocẽ eius diuinam, qua quæ Dei sunt inclamat audiunt, & agnoscũt, vnde & credunt ei, atque obtemperant: cũ vocem alienorum furum scilicet, & latronum, qui praua, vanitates, & errores suggerunt horreant, & abominentur. Ipse autẽ verus pastor proprias oues vocat nominatim, quia sigillatim singulorũ curam gerens ad bonũ exhortatur singulos, idque blanda, amicaque voce, qua singulos compellans educit eos ad pascua, dum prouocat vt depositis erroribus, omnique pristino torpore, in quo nox & tenebræ eos continuerũt ad scripturarũ & veritatis intelligentiã accingũtur, qua mẽtes eorũ salubriter pascãtur, & pinguescant. Ad quæ pascua dum prouocat, nequaquã ipse domi otiosus desidet, sed ante eos vadit, exemplo sanctæ conuersationis eis prælucens, ac viã, qua illis eundum sit cõmonstrans; & simul sollicitus, vt eos ab omnibus lupis, & noxiorũ incursu præseruet. Sic autẽ exẽplo prælucens ante eos vadit, vt tamen interim etiam subinde sua voce illos excitet, & ad sequelã inuitet, ne quid errent, aut alicubi hæreant: & illi prompte illũ sequũtur, quod vocem eius cognoscant, ament, & approbent peruenturi proinde per eum & ad veritatis cognitionem in hac vita, & post eam ad vberrima regni cælorum pascua. At quoniam non agnoscunt nec approbant vocem alienorũ, qui errores, mundana, aut vana docent, hinc tales nõ sequuntur, sed abhorrentes eorũ vocem fugiunt ab eis, veluti sibi male à talibus metuentes, qui tamen etiam suos habẽt greges, hoc est, sectatores, verum non oues Dei, sed hircos, & lues Cæterum aduertendum prædictam parabolam dictam à Domino potissimum contra eos, qui cum se populi Dei Doctores exhibeant & profiteantur: aliena tamen à diuina tradunt doctrina: vnde & ex ipsa Domini præcipua intentione quadrat contra omnes hæreticos, ad

Fur & Latro.

eos, ad ostendendum eos non intrare per ostium in ouile ouium, ac proinde fures esse & latrones.

Hoc prouerbium dixit illis Iesus παροιμιαν. i. Adagium, vel prouerbium, quod propriè est commune aliquod dictum, vel sententia, quæ in ore omnium versatur, hic accipitur pro parabola, aut allegoria, quemadmodum & infra Ioann. 16. sicut etiam è contra parabolæ nomen accipitur pro prouerbio. Quoniam ergo in parabolis Dominus illis locutus est, per quas illos notare, minus erat calumniæ ipsorum expositum, illi, vt & alias fere non intellexerunt quid significarent ea, quæ loquebatur eis. Proinde Dominus explicatius locuturus, & indicaturus quorsum prædictam parabolam proposuerit; videlicet vt se ab alijs Iudæorum plerisque doctoribus separaret, subijcit; aperte quidem de se loquens sinõ tamen aperte Pharisæos & Scribas incessens, vt ne illos nimium exasperaret. παροιμιαν Adagium prouerbiũ

Dicit ergo eis iterum Iesus, Amen amen dico vobis, quia ego, &c. Si quæ sequuntur diligenter aduerterimus, omnino apparebit Dominum non hic velle explicare se esse illud ostium, per quod dixit in parabola non intrare fures, & latrones, intrare vero Pastores ouium: sed se iam noua parabola faciente tamen ad prioris parabolæ declarationem, vocare ostium ad distinctionem furum & latronum; ad quorum etiam distinctionem se vocat postea Pastorem bonum. Nam cum peruersi doctores, & populi duces etiam se exhiberent veluti ostia ouium, promittentes illis per se aditum ad fœlicitatem, & salutem, Dominus contra dicit. Ego, non illi qui ante me venerunt, sum ostium ouium, quod mox repetens declarat se potius dixisse propter oues quam pastores. Nam declarãdo quare se ostium dixerit, subdit: Per me si quis introierit, saluabitur, &c. Saluari vero ouium est, non Pastorum, quorum quatenus tales sunt, est saluare. Et tamen etiam ex his verbis cõsequitur Dominum esse ostium omnium post se Pastorum, cum omnes tales debeant etiam esse oues. Cum ergo in superiori Parabola de ostio facta esset mentio, & Pastore: hinc Dominus occasionẽ desumens separandi se ab alijs, primum quidem se ostium esse ostendit, non illos, & deinde se Pastorem non illos. Dicit ergo:

Ego sum ostium ouium. i. is per quem oues habent aditum ad cõsortium populi Dei, accessum ad Patrem, & ad salutem verã, dum scilicet in me credunt, meisque præceptis obtemperant. Nemo enim, inquit, venit ad Patrem nisi per me. Sequitur. *Christus ostium.*

Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones. Et additur apud Græcos, quotquot venerunt ante me. Non dicit, quotquot fuerunt ante me, sed quotquot venerũt à seipsis scilicet, nõ missi à Deo. Notat autẽ Dominus, qui ante ipsum se Christi nomine populo obtulerũt, vt Iudas, & Theudas, aut etiã alios pseudoprophetas, quos ad Iudas Theudas

sui differentiã ostendit non fuisse ostia salutis, sed cõtra fures, & latrones. Vnde, inquit, *non audierunt eos oues*, quia qui audierunt, finaliter scilicet & sic vt sese illis omnino addicerent, oues non erãt. Repetit autem se esse ostium, vt ostendat quare se, non illos dicat ostium.

Ego, inqnit, *sum ostium*. Quo scilicet acceditur ad Deum, ad salutem æternam, ad consortium sanctorum. *Nam si quis per me*, hoc est fidem in me *introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, et pascua inuenies*. Quibus verbis Dominus se verè esse ostium declarat ex officio ostij materialis. Officium enim ostij ouilis est seruare oues in ouili conclusas ab aeris iniuria, ab incursu noxiarum bestiarum, ac deinde præbere ouibus exitum ad pascua prodeuntibus, & introitum à pascuis reuertentibus. Ostium ergo est Christus, quia si quis per fidem in illum ingressus fuerit in consortium fidelium, talis & in præsenti vita saluus erit à peccatis, à diaboli potestate, & omnium malorum oppugnatione, Christo ipsum cum reliquis protegente, & in futura vita translatus in regnum cælorum æterna fruetur salute. Idem ingredietur, & egredietur, hoc est, securè conuersabitur, & ad omnia quę volet liberè sese conuertet. Hebraïsmus etiam hæc est locutio, quo in scripturis per introitum, & exitum significari solet omnis actio, cui homo sese applicuerit. [Vnde in Psalmo dicitur: Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, id est, in omnibus ad quæ miseris manum siue domi, siue foris. Sic Dauid scribitur fuisse ingrediens, & egrediens ante filios Israël, hoc est liberè & familiariter coram eis conuersatus.] Porro qui per ostium, quod est Christus ingressus, & egressus fuerit *pascua inuenet* illa scilicet de quibus prolixè Ezech. 34. In pascuis, inquit Dominus, vbertimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum, &c. In hac enim vita inuenient pascua diuinæ doctrinæ, sacrosancti corporis, & sanguinis Domini, atque consolationis internæ; ita vt in nullo vnquam defectum patiatur, in futura verò vbertima illa pascua ex diuina contemplatione, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec cor comprehendere potest.

Ingredi et egredi.

Fur, inquit, *non venit nisi vt furetur*, & furto ablatum mactet, & perdat. Quo parabolicè significat Pseudoprophetas, falsosque doctores hoc agere, vt oues alieni Domini sibi auferant ad proprium commodum: quod dum fit easdem mactant prauis suis doctrinis occidendo in anima, & tandem etiam perdunt, in æternam damnationem eas præcipitando. Contra quos de se dicit; *Ego veni* vt oues me sequentes vitam habeant in præsenti per gratiam, & abũdantius quid habeant in futuro per diuini vultus contemplationẽ per quam non vitam tantum habebunt, sed etiam beatam vitam, & ab omni miseria liberam. Sic fere Augustl. & Chrys. Potest tamen &

men & sic intelligi, Ego veni vt oues morbidæ, & mortuæ vitam habeant, & accepta vita etiam abundantius habeant saginatæ scilicet omni virtutum genere: & per quotidianum profectũ magis ac magis semper abundantes, quomodo Paulus admonet Thessalonicenses, quo sic ambulent, vt abundent magis.

Ego sum pastor bonus, &c. Postquam se esse ostium asseruit, & ostẽdit, iã etiã occasione eius, quod dixit ego veni vt vitã habeãt, pastorem se esse & asserit, & ostendit: nec Pastorem tantum, sed bonum Pastorem, ad differentiam mercenariorum, qui & ipsi Pastores dicuntur: sed non sunt boni Pastores, à quibus iam se separat; sicut mox supra separauit à furibus, & latronibus. Sicut ergo supra exemplo vulgati parabolicè significauit indicia pastoris mystici, & eorũ qui in ouili Dei fures sunt, & latrones: ita nunc ostensurus se non tantum Pastorem esse, sed bonum etiam esse Pastorẽ, exemplo vtitur vulgati, quod continet diuersas conditiones Pastoris boni, & mercenarij. Quo exemplo indicat parabolicè quomodo in rebus Diuinis Pastor bonus à mercenario pastore possit dignosci. Primum ergo oportet exemplum hoc vulgate ad literã explicare, vt sic melius intelligamus quomodo applicandum sit intentioni Domini. Bonus inquit ouium pastor, cum opus est, etiam animam suam dat, hoc est, vitam suam exponit periculo, & se occidi patitur pro ouibus suis saluandis, pugnans pro eis contra irruentes latrones & lupos. Mercenarius autem qui scilicet mercede conductus pascit alienas oues, &, hoc est, (nam coniunctio &, ponitur hic expositiuè) qui non est talis ouium Pastor, vt eius sint propriæ oues, quanquam bona fide rebus tranquillis gregem procuret: tamen si ingruat vitæ periculum, hoc est, si viderit lupum venientem, magis pro se quàm pro ouibus sollicitus mox relinquit oues, ac fuga vitæ suæ consulit: vnde fit vt ouibus inermibus defensore destitutis lupus oues rapiat, & dispergat. Causa autẽ quia mercenarius fugiat est, quia mercenarius est, hoc est, quia sui compendij gratia gregem pascendum suscepit, nec pertinet ad eum de ouibus, pro nec est illi cura de ouibus. Hæc est exempli ad literam explanatio, quod quatenus ad alteram eius partem, de Pastore scilicet bono pertinet, Dominus postea sibi accommodat, dũ hinc ostendit se esse bonum Pastorem, quia animam suam prosuis ouibus daturus erat. Altera vero parte, quæ est de mercenario, verisimile est eũ notasse Scribas, Pharisæos, Sacerdotes, qui auaritiæ dediti, gregem Dei non tanquam suum, sed tanquam alienum pascebant, commodi tantum sui, & lucri gratia, detrectantes venire in periculum pro salutè ouium, vt pro illis sese opponerent omnibus illis, qui quoquo modo oues perdere studerent, siue mala doctrina, siue alia ratione. Et simul hac Parabola docere voluit Dominus quibus indicijs verus Euangelicus Pastor à mercenario posit discer-

Boni Pastoris conditiones

Mercenarij item conditiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

Furum & mercenariorũ differẽtia

possit discerni, sicut prioti docuit, quibus indicijs fur dignoscatur à pastore. Non enim iidem sunt fur vel latro in ouili Domini, & mercenarius. Nam fures quidem & latrones sunt hæretici, & pseudoprophetæ, & quotquot mala aut vana docent. Mercenarij verò veritatem rectè docent, & in rebus tranquillis gregem Domini rectè gubernare videntur, & ingressi sunt per ostium, quia legitimè secundum canonum constitutiones pastoralem curam suscepertunt, sic vt ab hominibus non possint redargui, & vocem eorum audiunt oues, quas ad pascua frequenter educunt, & nihil à vero Pastore differre videntur, nisi cum periculis ingruentibus declarant se proprij commodi rationem habere, non salutis ouium. Et quidem Pharisæi, ac Scribæ fures esse notantur, quatenus populum à Christo auocabant; mercenarij quatenus quæ legis sunt docebant, sed proprium comodum magis quã Dei quærentes gloriam. Fugit autem mercenarius, & dimittit oues adueniẽte lupo; non solum quando corporaliter oues relinquit, sed etiam quãdo per timorem alicuius periculi silet, nec se periculo opponit. Lupus est, qui vel praua doctrina oues corrumpere studet, vel malis exemplis cas, quantum in se est corrumpit, vel seuitia, & persecutione insurgit contra oues. Quod verò ad oues attinet, quas parabola significat rapi à lupo, dicendum mercenario fugiente fieri frequenter, vt veræ Dei oues ad tẽpus à lupo rapiantur, & in errores pertrahantur; ac deinde vt multi, qui videbantur esse Dei oues perpetuò in errore detineantur. Postremum etiam veræ Dei oues à lupo rapiuntur, & disperguntur, dum destitutæ patrono varijs externis malis afficiuntur. Pertinet autem hæc parabola non tantum ad institutionem Pastorum Ecclesiasticorum, sed etiam Pastorum secularium, hoc est iudicum.

Lupus.

Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas. Cum prius bonum se esse Pastorem asseruisset, & ad id probandum parabolam adduxisset boni Pastoris, & mercenarij discrimen continentem: nunc idem illud repetit, vt ex prædictis parabolis se verum, & bonũ esse Pastorem declararet. Cum enim supra duas præmiserit parabolas, quarum priore Pastor dignoscitur a fure, posteriore vero bonus Pastor à mercenario: ex vtraque parabola se Dominus ostẽdit & Pastorem esse, & Pastorem bonum. Nam ex priore parabola demonstrat se Pastorem esse cum dicit: Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. In illa enim dictum erat de pastore, proprias oues vocat nominatim, &c. Ex secunda vero parabola ostendit se esse bonum Pastorem cum dicit, & animam meã pono pro ouibus meis. Nam in secunda dictum erat, bonus pastor animã suam dat pro ouibus suis. Porro illud quod inter duas has partes insertum est, nempe *sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem*; non est vt noua sententia à superioribus separandum, sed sic cum illis coniun-

gendum, vt altera collationis pars intelligatur præcessisse, & sit sensus: Sic cognosco oues meas, & vicissim illæ me cognoscũt, sicut nouit me Pater, & vicissim ergo cognosco Patrem. Et alibi enim Dominus apud Ioannem suum cum electis commertium cõparat suo cum Patre consortio; Sicut misit me viuẽs Pater & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. In quibus tamen collationibus intelligendum est semper similitudinem esse ex parte, & non per omnia æqualiter, quomodo & in præsenti loco. Non enim tam perfectè nos nouimus Christum, quam ipse Patrem: sed sicut est inter Patrem & filium mutua cognitio, ita & inter Christum Pastorem, & oues eius: & qualis est inter Patrem & filium cognitio, talis & inter Christum pastorem & oues eius. [Cognoscit enim Pater filium, quia illum pro naturali suo filio amplectitur, & omnia eius intimè cognoscit, curat, & approbat; sic & Christus oues suas cognoscit, quia & cognoscit ab æterno qui sint à Patre prædestinati, & eosdem amando solicitè curat quæ ad eorum salutem pertinent. Cognoscit filius Patrem, quia illum pro Patre suo agnoscit, & omnia sua se ab illo accepisse & habere agnoscit. Sic & oues Christum Pastorem agnoscunt, quia agnoscunt illum vnum datum hominibus esse pastorem; per quem solum sit spes salutis, & rursum, omnia sua ad illum tanquam boni omnis authorem referunt omnia illi accepta ferentes.] Itaque per hanc similitudinem significatur non vulgarem esse cognitionem qua ipse Christus cognoscit oues suas, & vicissim cognoscitur ab eis, sed cognitionem affectiuam, quę amorem in se includit. Sicut autem Dominus hac similitudine conditionem Pastoris in prima parabola indicatam ostendit non simpliciter, sed excellenter sibi competere: ita & conditionem boni pastoris in secunda parabola indicatam excellenter sibi conuenire ostendit cum dicit: *Et animam meam pono pro ouibus meis*. Plus enim est ponere animam quàm dare: quia vt patet ex sequenti declaratione Domini: nemo propriè ponere dicendus est animam suam, nisi qui eam habet in sua potestate, & manu. Solus ergo Christus potuit ponere, hoc est deponere animam suam: quia sicut ille seipsum vltro tradidit manibus persequentium, à quibus iam captus seipsum si voluisset, liberare potuisset: ita cum voluit, spiritum suum emisit potestatem habens illum vel emittẽdi prius, vel diutius retinẽdi. Alij vero qui seipsos occidendos etiã sponte tradunt, aut qui sese ipsi interficiunt: non ponunt animas suas, sed rollit eas ab illis gladius. Nam etsi in eorum sit potestate effugere gladium, & mortem: non tamen est in eorum potestate immisso gladio animam retinere.

Ponere Animam suam.

Ioan. 6.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Ne quæ de ouibus suis dixerat tantum illis conuenire putarentur, qui tum in illum credi-

crediderunt, qui soli illum tunc agnoscebant; ideo falsam hãc opinionem eximens subiecit: *Et alias oues habeo*, loquens de prædestinatis inter Gentes, quos & oues vocat, & se habere dicit, quia secundũ Patris prædestinationẽ oues erant, eosque habebat. Has autem oues dicit non esse ex hoc ouili, quia non erant ex congregatione fidelium, qui erant apud Iudæos.

Et illas, inquit, *oportet*, secundũ Patris præscriptum *me* per Apostolos scilicet meos *adducere* ad consortium fidelium, ad veritatẽ, & vnitatem fidei.

Et fiet, ex duobus scilicet populis Iudaico, & Gentili *vnum ouile*, vel vt est Græcè vnus grex, fierque simul omniũ, *vnus Pastor*, cum modo non sit vnus omnium Pastor, quamdiu illę adhuc dispersæ suo carent pastore, aut alienos pastores sequuntur, aut potius dissipatores.

Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam. Duo in sequentibus declarat videlicet & quam gratum sit Patri, quod ponat animam suam pro ouibus, & quate dicat se ponere animã suam, nempe quod illam habeat in sua potestate. Cum autem Pater filium ab æterno dilexerit, nec possit temporale causa esse æterni: difficultas nonnulla est circa hæc verba, Propterea me diligit Pater, &c. At quomodo filius aliquis sciens se Patri a pueritia fuisse atque etiam num esse charissimum, si nunc opus aliquod faciat, quod sciat Patri suo fore gratissimum, rectè ac verè dicere poterit, Propterea me diligit Pater quia opus hoc perfeci, non quasi significare volens iam Patris erga se dilectionẽ incipere, cum sciat vnicè se semper à Patre fuisse dilectum: sed quia in opere illo peculiarem rationem amoris, & complacentiæ Patri se præbere nouit, propter quam sibi in eo complaceat: sic & propositus sermo est accipiendus. Quasi dicat filius Patris Christus (loquitur autem secundum suam humanitatem) In hoc erga me peculiarem rationem amoris & complacentiæ habet Pater, vel hoc ei in me summè placet, & ex ea parte me habet gratissimum, quod sic ei in amore, & dilectione erga homines consentiam, vt etiam mori proeis velim. Dispensatorio ergo hoc sermone Dominus de se tanquam homine loquens significat se diligi à Patre eo quod nos diligat innuens proinde magnam esse Patris erga nos dilectionem, vt qui propter nos suum diligat filium. Porro cum sequitur, *Vt iterum sumam eam*, coniunctio, vt, cõsecutiuè videtur accipi, vt dicat conditionem, & euentum eius quod dicitur in hunc sensum: Ponam quidem animam meam, sed ita, vt iterum eam suam. Cæterum ad declarationẽ eius quod dixit, Ego pono animam meã, subiungit. *Nemo tollit à eam me.* supple inuito & nolente. Vnde se quitur, *sed ego pono*, id est, ponam eam à meipso, hoc est, spontanee, & vltro. Quod patuit quando omnibus consummatis, quando vo

luit cum magno voce Spiritum suum tradens in manus Patris expirauit. Quod aurẽ dixit de ponenda anima sua magis adhuc prosequitur, vt & suam potentiam, & suam erga nos charitatem nobis inculcaret, & commendaret.

Potestatem, inquit, *habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eum* Quam duplicem potestatem nemo habere potuit, nisi qui simul Deus esset, & homo. Hominis enim est animam habere, sed solius Dei eam ponere, & posità assumere. Vnde patet Dominum hic peculiari ratione dicere se ponere animam suam: cum alioqui secundum phrasim Hebraïcam in scripturis ponere animã omnibus cõueniat hominibus, & sit idem quod mori. Itaque omnes etiam homines habent potestatem ponẽdi animam, imo omnes eam ponunt cum moriuntur & tamen Dominus de se singulariter dicit potestatem habeo ponendi animam: quia ipse solus eam emittere potuit, quando voluit, habens in potestate sua non solum causam mortis, quam & nos habemus, sed etiam mortem quam nos non habemus. Porro quo magis intelligamus etiã Patris erga nos dilectionem, & non temere quis putet Christum positurum suam animam subiicit. *Ponere animam, id est, mori.*

Hoc præceptum accepi à Patre meo, hoc est, id nequaquam ex meipso sum facturus, sed Patre hoc mihi quatenus homini præcepit, vt scilicet ponam animam meam pro salute mundi & iterum sumam eam. Cùm autem hæc proloeutus esset Iesus noua, & inaudita, ac longe suprà vulgarem hominum sensum, turbam in populo variatum est sententiis. Plerique enim dicebant, quod iam & ante non semel dixerunt, si quando prodebat illorum secreta consilia, aut si quid supra hominum captum loqueretur: Dæmonium habet, & insanit, carent enim sensu communi, quæ loquitur; quid igitur hunc tuum audire? Rursum alij ex ipsis verbis, ex quibus illi iudicabant Dominum insanire contrarium colligunt: vt semper eadem malis sunt occasio scandali, & bonis, atque electis occasio ædificationis. Hæc inquiunt, verba manifestè arguunt eum, qui ea loquutus est, non agitari dæmonio. Sapiunt enim virtutem diuinam, & raram quandam præ se ferunt prudentiam omnibus aprè sibi cohærentibus, & apertis rationibus confirmatis. Et addunt;

Nunquid potest dæmonium cæcorum oculos aperire? Quasi dicant; Si non suadeamini à verbis, ab operibus moueamini. Dicis enim astipulantur facta, & qualis est oratio, talia sunt facta. Lõquitur excedentia sensum humanum, sed idem facit excedentia virtutem humanam, imò & dæmoniacam.

Mittuntur Septuaginta Discipuli, & redeunt. Lucæ 10. CAPVT LXXX.

Post

POST hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis requiescet super illum pax vestra, sin autem ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque ciuitatem intraueritis & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei. In quãcunque autẽ ciuitatem intraueritis, & non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote quia appropinquauit regnũ Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati. Væ tibi Chorozaim, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœnituissent. Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quàm vobis. Et tu Capharnaũ vsque ad cælũ exaltata, vsque ad infernũ demergeris. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: qui autẽ me spernit spernit eũ qui misit me. Reuersi sunt autẽ septuaginta duo cũ gaudio, dicentes: Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbã satanã sicut fulgur de cælo cadentẽ. Ecce dedi vobis potestatẽ calcãdi supra serpẽtes & scorpiones, & super omnem virtutẽ inimici & nihil vobis nocebit verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur, gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo scit quis sit filius nisi pater: & quis sit pater nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

A. 9.55. A. 10.55. B. 6.55. A. 11.47. A. 11.47. A. 13.51.

Post hæc autem designauit Dominus & alios, &c. Cum iam Dominus multos sibi delegisset discipulos, qui ex frequenti secum consuetudine Euangelio prædicando pro tẽporis exigentia apti essent, cumque iam tempus suæ passionis appeteret, vt non liceret ipsi diu Iudæorum ciuitates inuisere, & perambulare: auctiorem iam numerum discipulorum, quos ante se mitteret, delegit; per quos ei-

uangelij prædicatio in omnes Iudeę, & vicinarum regionum ciuitates peruenitet. Et quemadmodum in principio sui regni, & prædicationis 12. elegit, veluti 12. Principes & Patres duodecim tribuum Israël: ita regno suo interescẽte 70. vel 72. delegit alios (nã latinorum libri etiam antiquissimi omnes habent fuisse 72. Græcorũ verò 70. tãtùm) veluti 70. populi Israëlitici Senatores quorũ opera vteretur ad mutationẽ Mosis, regni sui speciem, ac maiestatem hac ratione declarans. Porro sicut duplex hic ordo discipulorum suas habet in veteri testamento præcedentes figuras: ita ipse forma erat, & exemplar quoddã duplicis ordinis in Ecclesia Christi instituendi; nimirum ordinis Episcoporum, & minorum Sacerdotum: quemadmodum id ab initio semper Ecclesiastici Patres intellexerunt. Porro quæcunque Lucas hic cõmemorat Dominũ fecisse circa hos 70. eisque dixisse, vel præcepisse vsque ad illum locum væ tibi Corozaim: habita sunt in Cap. Concordię 55. in missione 12. Apostolorum; proinde eorum intelligentia & rationes ibi sunt requirendę. Hoc tantũ hic propriũ habet Lucas, quod istis mandatũ commemoret, vt neminem per viam salutarent; quanquã dubitandum non sit istud etiam 12. Apostolis dictum fuisse. Hoc autẽ præcepto non penitus omnẽ salutationẽ suis prohibere voluit: sed hyperbolicus est sermo, quo suis sedulitatem, & celeritatẽ in iniũcto opere commendauit; innuens omnẽ vanam confabulationẽ, quæ salutationẽ consequi solet, in via esse fugiendã, omnesq; itineris moras ac occasiones dissuctionis spiritus a cogitatione eorũ, quæ eis demandata erant esse amputandas. Iã quæ ab illo loco væ tibi Corozaim habentur vsque ad illud: Qui vos audit, &c. habita sunt superius ex Matt. cap. 11. in cap. Cõcord. 47. Quod sequitur; *Qui vos audit, &c.* simile etiã Apostolis dictũ fuit in eorũ missione, vt videre est in cap Matt. 10 & cap. Concord. 45 circa finẽ Et ibi dictum legimus: *Qui recipit vos, me recipit. & qui me recipit, recipit eũ qui me misit.* Quo etiã contrarium significatũ est, quod hic apertè ponitur. *Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eũ qui me misit.* Hoc tantum interest inter hunc Lucæ & illũ Matthæi locum, quod ibi dicatur: *Qui vos recipit* (quod de receptione in hospitium propter ea, quæ sequuntur, videtur accipiendũ) hic verò dicitur: *Qui vos audit*, id est, qui vestrę doctrinę credit, vestrisq; præceptis obtẽperat, quę meo nomine iniungitis.

Septuaginta electio.

Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, &c. Reuersi 70. ad Dominum, narrantesque ei quę fecerant, cum gaudio dicebant: Domine non tantũ morbi pelluntur per nos, sed etiam dæmonia subijciuntur nobis per inuocatum nomen tuum super ea. Dixerat enim Dominus his cũ mitteretur tãtũ illud: Infirmos, qui in domo sunt, curate; nec apertè dederat eis potestatẽ super dæmonia, quẽadmodũ dederat 12. Apostolis. Proinde gaudẽtes narrãt nõ tãtũ morbo

Universidad de Deusto
Biblioteca

morbos curatos, sed etiam dæmones expulsos. Et quidem rectè in eo fecerũt quod ad Dominum à quo missi fuerant, reuersi sint, eique renunciauerint quæ gesserant, & miraculorum virtutem illi tribuerint dicentes in nomine tuo: verum humani cuiusdam affectus, & imperfectionis erat, quod suum gaudiũ declarauerint magis de eiectis dæmoniis, quam de profectu & fide auditorum, de qua magis erat gaudendum, quodque in seipsis haberent aliquam complacentiam ob id quod sibi dæmonia subijcerentur. Dicunt enim subijciuntur nobis, Dominus autem ait illis;

Videbam Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem, &c. Quæ sententia cum varie intelligatur, præstat eam accipere in sensu quem quidam sequuntur, cuius & Theoph. meminit, secundum quem intelligitur non de illa diaboli ruina, qua in initio cecidit è cælo in hũc caliginosum aëtem propter suam superbiam: sed ea ruina, qua verbo Dei incarnato deijci cœpit à sua potentia, tyrannide, & gloria, quam habuit ante verbi incarnationem in hoc mundo: vt Dominus discipulis dæmonium deiectionem admirantibus ne tanquam rem nouam admirarentur, & vt causam huius subiectionis intelligerent, responderit, se iam olim vidisse principem dæmonum, qui illos fortes reddebat, cecidisse, perdita, quam habebat potestate, atque ob id fieri vt & illi facile vincantur. Secundũ hunc sensum si illud, è cælo, iungatur cum participio cadentem, vt significetur Sathanas è cælo cadens: per cælum intelligenda erit celsitudo, potentia, & gloria, quam habuit antequam Deus assumpto corpore in terris versaretur, cum pro Deo passim diabolus in idolis coleretur, & per vitia hominibus dominaretur, & obsessis à dæmonijs omnia loca plena essent. Alioqui illud è cælo coniungi potest cum fulgur, vt sit sensus, postquam assumpsi humanam naturam videbam Sathanam cadentem sicut fulgur cadit è cælo. Vsus est autem Dominus fulguris exemplo, vt significaret velocitatem lapsus illius, quodque a summa celsitudine subito sic sit dejectus, vt sere euanuerit. Potest & sic intelligi, & forte conuenientius; Ne putetis vos mihi rem nouam, & incognitam narrare. Sciebam enim cum vos emisi ad prædicandum Euangelium meum ruituras esse Sathanæ vires, imò cùm dæmonia ejcerentis ipse ego vobis aderam, ac videbam, quod vos non videratis Sathanam ipsum fulguris ritu cadere, viresue eius euanescere. Hic enim sensus conuenit verbo præteriti imperfecti videbam. Nam secundum alios sensus magis dicendum erat, vidi. Porro Dominus potestatem ejciendi dæmones, de qua illi gaudebant, non solum confirmans, sed etiam augens, subjcit:

Ecce dedi, vel vt habent Græci δίδωμι in hoc est, *do vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnẽ virtutem*, i. fortitudinẽ, & potentiã in inimici scilicet diaboli, & nihil vobis nocebit.

In quibus verbis ad literã per serpẽtes, & scorpiones intelligẽda sunt ipsa venenata animalia hominibus maximè inimica, noxia, & metuẽda, quæ diabolo aptè cõiũgitur quod & ipse veneno sus & inimicissimus sit humano generi, tum quod per illa animalia hominibus nocere studeat, per cuius item deceptionem factum est, vt illa animalia iam sint hominibus inimica, & nociua, cum nihil homini ab illis periculi fuisset, si in integritate perstitisset. Vnde Dominus dicens supra serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici: significat etiam serpentes & scorpiones esse virtutem inimici, vtpote per quos propter peccatum diabolus hominibus prævalet, & nocet. *Serpentes & Scorpiones.*

Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciũtur. Postquam suis Dominus potestatem, de qua gaudebant, confirmasset, & auxisset: tum demum opportunè eorum lætitiam, quæ inanem sapiebat gloriam moderati, & temperare studuit. Ne gaudeatis, inquit, quod Spiritus vobis subijciuntur. Gaudendum enim illis fuerat quod subijcerentur spiritus nomini Iesu ad gloriam Dei, & hominum vtilitatem. Deinde noluit Dominus simpliciter hoc eorum gaudium excludere, sed ab illo ad gaudium maius, perfectius, & iustius voluit erigere, vt sit sensus. Nõ tam in eo gaudeatis, quod Spiritus vobis subijciuntur, quam quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Porro nomina aliquorum scripta esse in cælis, non est aliud quam illos haberi apud Deum in numero iustorum, & eorum quibus cælestia regna sunt parata, hoc est, vt Paulus dicit esse ciues sanctorum & domesticos Dei. Et est locutio huiusmodi desumpta a consuetudine humana, qua aliquorum nomina ascribi solent ciuibus, dum ciuitate donabantur, aut qua reges aliquos amicorum numero inscribere solebant. Sic ergo scriptura Dei est annumeratio alicuius inter amicos Dei. Vnde toties in scripturis fit mentio de libro vitæ, vel viuentiũ, qui nihil est aliud quam notitia Dei, qua nouit ordinatos a se ad vitam æternam. *Nomina scripta in cælis quid*

In ipsa hora exultauit in Spiritu sancto. Postquam discipulos de subiectione dæmonum gaudentes Dominus admonuit, qua in re potissimum gaudere debeant, commodè etiam ipse cum gaudentibus discipulis gauisus est, sed gaudio dissimili. Nã illi quidem humano affectu gaudebant placentes sibi in dæmonum subiectione: Dominus vero spirituali gaudio gauisus est, non ob id quod dæmones suo nomini subijcerentur, vnde nomini eius multum accessit gloriæ: sed quod Dei benignitate veritatis cognitio discipulis insipientibus reuelata esset, quod fere aliud non erat quam gloriari, & gaudere quod nomina eorum scripta essent in cælis. Exultauit, inquit, in Spiritu sancto, id est, per Spiritum sanctum, qui habitans in Christo homine ad actualem hanc exultationem eum commouit. Græcè tamen non est præpositio in, nec adiectiuum, sancto, sed

sed tantum exultauit Spiritu, vt sensus esse posset; Exultauit spiritu suo, & animo, ad differentiam exultationis corporalis. Vnde & nostra litera accipi potest, vt significetur eum exultasse in animo, & Spiritu suo, qui est sanctus. Cæterum hæc gratiarum actio Christi simul cum illis sequentibus. Omnia mihi tradita sunt, &c. Habita, & exposita sunt supra in cap. Conc. 47. ex Matth. cap. 11. Quæ vero postea sequuntur. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, &c. Habita sunt in Matth. cap. 13. in cap. Concord. 51.

Proponitur parabola de Samaritano.

Luc. 10. CAP. LXXXI.

ECce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum. In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixitq; illi: Rectè respondisti, hoc fac & vives. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præteriit. Similiter & Leuita cum esset secus locum, & videret eum pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eū, misericordia motus est, et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum et vinum, & imponens illum in iumentum suū duxit in stabulū, & curā eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, et ait: Curam illius habe, & quodcunq; supererogaueris, ego quum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans eum, &c. Hæc historia contigit populo præsente, & verisimiliter in synagoga, vbi multis doctoribus sedentibus, & Domino cum eis disputante, iste surrexerit, dicitur enim: Ecce quidā legisperitus surrexit. Itaque hic legisperitus audiens Dominum proprio more de vita æterna, & regno cœlorum disserentem, adijt Dominum: non discendi quidē animo, sed tentandi, nimirum experiri volens quid respōderet: nū forte aliquid legi contrariū dicturus esset ad vitam æternā, quā prædicabat consequendam, expediens, an aliquid minus dicturus esset

esset, quam ipsemet ex intima legis cognitione intellexerat ad vitam æternam quam maximè expedire, & sufficere. Porro quoniā hic scriba Dominum tentando interrogauit, & de lege tentauit: commodè Dominus ipsum ad legem remittit; & conatum illius repellens, dum ostendit se legi non esse contrarium, & simul illum arguens, quod illud ab alio interrogaret, quod ab ipso alij discere deberent: ac proinde notans illum interrogātem vel nescire, quod scire ex nominis professione teneretur, vel non simplici, sed subdolo animo interrogare, quod sciret. *In lege*, inquit, *quid scriptum est?* Quasi nescio tu legis in ea scriptum esse, qui legis doctor appellaris. q.d. Non est quod existimes alia te auditurum ex me, quā quæ in lege continentur, quæ cum scire tenearis mirum est te interrogare quasi nescias.

Ille respondens dixit: diliges Dominum Deum tuū ex toto, &c. Hoc præceptum accipiendum vt generale mandatum non internam tantum & actualem præcipiens dilectionem, sed etiam habitualē atque externa opera, sicut & secundum dilectionis præceptum, quod sequitur, patet, quia Dominus in illis duobus præceptis dicit mum. comprehendi totam legem, & Prophetas, hoc est omnia alia præcepta. Nam, vt probat D. Bernardus vbicunque in scripturis dilectio exigitur, non tam exigitur dilectionis affectus, quam charitas operis. Cum enim Dominus dixisset, diligite inimicos vestros, mox velut indicare volens quomodo sint diligendi, infert de operibus. Bene facite his, qui oderunt vos. Sic ergo non impletur hoc præceptum in affectu impletur autem in habitu, & externa operatione, cum homo in omni operatione sua retinet habitualem dilectionem: quod tunc fit, cum nihil vult aut facit dilectioni Dei contrarium. Quod autem totaliter illa de qua in præcepto, accipi debeat vulgari modo, quo dicimus aliquem totum esse in studijs, quia scilicet præcipua eius occupatio, & cogitatio est in studijs, nec aliud quid præter studia magnopere amat, & curat, solis studijs intimè afficitur, reliquis vero frigidè, & obiter: patet ex infinitis scripturis, quibus dicuntur aliqui sancti fecisse aliquid ex toto corde, & tota anima. De Dauid enim Dominus loquens ad Ieroboam, ait: Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mādata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitū esset in conspectu meo. Ecce Dominus ipse dicit Dauidem, qui tamen aliquando grauiter etiam peccauerat in toto corde se secutū, dicturus proculdubio ipsum dilexisse se etiā in toto corde suo: eū hoc sit Deo aliquē diligere ipsum in toto corde, sequi illū in toto corde. Et idē Dauid nō veretur ad Deū dicere, In toto corde meo exquisiui te, & similia multa occurrūt passim in scripturis: quę quis intelligit, facile etiā intelligit quomodo præcipiatur Deus diligendus ex toto corde, & quomodo quod præceptū est impleri possit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex toto corde ex tota anima.

Cæterum pro explicatione, & distinctione quatuor illarum partium, quæ in hoc præcepto ponuntur, ex toto corde, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: varia nimis dicuntur à varijs. Proinde cum ex tanta varietate nihil certi possit haberi magis videndum quid scripturis sit conforme: ex quibus obseruaris dicendum videtur non esse curiose assignandam harum partium distinctionem: sed siue tres siue quatuor partes ponantur: in hoc præcepto idem semper significari: nec aliud per plures partes, quam si solum dictum esset: diliges Deum ex toto corde tuo. Nam in hac parte reliqua includuntur, quæ non nisi maioris explicationis gratia adiecta videntur: ob quod factum est vt non semper eadem, nec æquè multa sint apposita. Quod enim in illo ex toto corde reliqua includuntur, patet: quia in scripturis aliquando illud solum ponitur, aliquando additur secundum, nempe ex tota anima, aliquando vero etiam tertium, ex tota fortitudine tua: cum tamen semper idem Scriptura velit significare. Nam vt supra citatum est, Dauid dicitur in toto corde secutus Dominum, Iosias vero ex toto corde, anima, & virtute: cum nihil minus voluerit significare Scriptura de Dauide, quam de Iosia. Itaque in hoc etiam dilectionis præcepto ad illud ex toto corde maioris emphasis, & declarationis causa addita sunt nunc duo, nùc tria. Cordis enim nomine, & affectus, & intellectus includitur, proinde ad illius explicationem additur ex anima, & ex mẽte: quorum illud affectum significat, istud intellectum. Vnde apud Marcũ pro mente habemus intellectum. Rursum ad hoc vt toto corde dicatur quis aliquid facere, necesse est pro virili faciat, vnde adiectũ est explicationis gratia, & ex tota fortitudine tua.

Secundũ charitatis præceptum genio vale.

Et proximum tuum sicut teipsum. Sicut in primo præcepto duo præcipiuntur, scilicet diligere Deum, & modus diligendi nempe ex toto corde: ita in hoc præcepto duo etiam præcipiuntur, nempe dilectio proximi, & modus dilectionis sicut teipsum. Notandum autem non dici diliges proximum tuum quantum teipsum, quia ordo naturæ & charitatis (de qua scriptum est ordinauit in me charitatem) habet vt plus me, quam proximum diligã. Sed dicitur, sicut teipsum, hoc est eo modo, quo teipsum diligis. Cõsequitur ergo quod hic presupponatur dilectio propria, naturalis, & eius modus: hoc est dilectio propria talis, qua quis seipsum diligit naturaliter sic, vt velit sibi bonum, nolit sibi malum; velit alios sibi benefacere, nolit alios sibi malefacere. Hic ergo est etiã modus, quo

Modus dilectionis proximi.

ad exemplum proprię dilectionis iubemur diligere proximum, vt scilicet etiam illi velimus bona obuenire, mala nolimus, vtq; tempore, & loco opportunitis illi studeamus benefacere, semperq; caueamus malefacere. Atque hunc esse modum de quo præceptum est intelligendũ patet ex eo quod Dominus hoc præceptũ Matt. 7. sic alijs

sic alijs verbis explicauit: Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines ita & vos facite illis. Quod enim hac sententia veluti explicauerit istud dilectionis proximi præceptũ, patet ex eo quod subiungit, hæc est enim lex & Prophetæ, quod Matth. 22. dicit de duobus istis dilectionis præceptis, & Paulus ad Rom. 13. de præcepto dilectionis proximi. Qui, inquit, diligit proximum legem impleuit, & plenitudo legis est dilectio. Porro quemadmodum in primo præcepto, ita etiam in hoc verbum diliges accipiendum, nõ tantum vt actualem, vel habitualem voluntatis affectionem designet: sed vt etiam comprehendat externa opera proximo ex huius modi affectione exhibenda, vt satis manifestum est ex parabola, quam Dominus subiungit, qua docet quomodo proximus sit diligendus. Quid autem per proximum sit intelligendum, & ex parabola patebit, & prius prolixe dictum est in cap. Conc. 40.

Dixitq; illi rectè respondisti, hoc fac & vives. Approbat primum Dominus eius responsionem dicens. Rectè respondisti. Nam vt posthea dicit in duobus illis mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ, deinde ad id, quod rectè dictum erat, etiam faciendum hortatur dicens, hoc fac, & vives q.d. Nõ satis tibi esse putes quod quid sit optimum, scias præ alijs, sed hoc quod optime respondisti etiã opere adimple, & vives vita æterna, de qua quæsiuisti: quæ hic quidem incipit per gratiam, & perficitur per futuram gloriam.

Ille autem volens iustificare seipsum dixit ad Iesum. Communiter istud ab omnibus intelligitur in malum, idq; rectius. Nam posthea Luc. 16. Dominus in malum dicit de Pharisæis, vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. Itaque hic iustificare pro declarare, & ostendere iustum accipitur. Quemadmodum enim superiori responsione se declarauerat doctum Domino approbante eius responsionem: ita iam se voluit monstrare etiam iustum. *Et quis est*, inquit, *meus proximus?* Voluit enim hac interrogatione declarare se sollicitum esse de legis diuinæ intelligentia, quod est iustorum. Sicut enim inter Iudæorum peritos apparet fuisse controuersiam de primis & maximè necessarijs mandatis: ita etiam quis proximi nomine esset intelligendus: Vnde per interrogationem eius de quo quæstio erat apud Iudæos voluit sibi probitatis nomen iste Scriba comparare: vt qui assiduè versaretur in lege Dei, & de ea intelligenda esset sollicitus.

Suscipiens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat, &c. Verbum suscipiens (sic enim legendum non suspiciens constat ex Græco ὑπολαβὼν) hic positum est pro excipiens, & succedens in vicem respondendi. Significatur enim Dominum suscepisse propositam quæstionem, & ad eam respondere instituisse. Quod videri potest Euãgelista dixisse, ad differentiam eius quod Do-

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus in prima fecit interrogatione, quando non fuscepit quæstionem ad respondendum, sed eandem in interrogantem rejecit. Cum autem certum sit Dominum hac parabola ad genere docere voluisse, quis pro proximo habendus sit oportet ostendere quomodo proposito Domini deseruiat, & ad propositam legisperiti quæstionem respondeat. Itaque quoniam Pharisæi & Scribæ proximi nomine interpretabantur fere significari sua gentis homines, aut qui eis benefacerent, ita vt huic legi adderent, Odio habebis inimicum tuum: hinc Dominus hac parabola indicat proximum non esse ludi Iudæi fœminis, sed vnumquemque hominem sub hac appellatione comprehendendum. Non tamen Dominus curæ sunt simpliciter tantum respondere ad propositam quæstionem, & ei satisfacere: sed occasione pro more plus docere voluit, quam quæreretur. Quoniam enim Iudæi de religione, & pietate gloriabantur, ac Samaritanos velut irreligiosos abominabantur, nec vt proximos habebant: hac parabola simul etiam ad reprimendum Iudæorum fastum notare voluit, illos gentibus & Samaritanis in vera pietate, & dilectionis proximi obseruatione esse inferiores: cum inuentus sit Samaritanus illi misericordiam exhibuisse, quem hi, qui primas religionis partes in Iudaico populo obtinebant, Sacerdos scilicet, & Leuita præterierant; indicans etiam veram pietatem, & religionem magis consistere in subleuatione miserorum, quàm in externis cæremonijs, de quibus sibi placebant Sacerdotes, & Leuitæ. Rursum quoniam Scribæ magis studebant intelligere, quam seruare legem, curiosè de dictionibus disputantes: Dominus hoc exemplo proposito docere voluit non tantum quis proximus habendus, sed & quomodo sit diligendus, vnde concludens ad imitationem prouocat dicens. Tu fac similiter. Primo ergo in hac parabola ob oculos ponit hominem valde miserum, & miseratione dignum, locum conuenientem calamitati eius obseruans.

Proximi nomine quis intelligatur.

Homo, inquit, *quidam descendebat ab Hierusalē in Iericho, &c.* (Hierusalem enim in montanis est loco, Iericho in conuallibus) *& in via incidit in latrones*. Scribit enim D. Hieronymus inter Hierusalem, & Iericho fuisse locum periculosum, qui dicebatur Adomin, id est, sanguinum, quia multis in eo sanguis crebris latronum insidebatur incursibus. Duplicem autem illius calamitatem notat cum subdit, latrones primùm spoliasse eum duumbus, quæ habebat, ac deinde non hoc contentos etiam vulnera inflixisse, ita vt semiuiuus, aut vt habent Græca semimortuus, quamquam hoc idem sit, relinqueretur in via, mox periturus, si nemo succurreret. Multis ergo nominibus hunc Dominus notat miseratione dignum; nempe quia homo, quia omnibus exutus, quia grauiter vulneratus, quia mox periturus, quia ab omnibus destitutus; postremò quod sibi succurrere non valeret. Tam misero autem homine ob oculos posito, vt Iudæorum crudelitatem, & immisericordiam graphicè depingeret, secundo loco producit Sacerdotem & Leuitam, quorum maximè intererat huic misereri, tum quod primas religionis partes sibi vendicarent, tum quod hic homo in eorū regione inuentus esset, imo etiā Iudæus esset atq; Hierosolymitanus quēadmodum satis indicatur cum è Hierusalē descendisse dicitur in Iericho, qui tamen nulla erga tam miserum commoti sunt misericordia.

In Epistola ad Eustochium.

Accidit, inquit, *vt Sacerdos quidam descenderet per eandem viam*, & cum vidisset illum, non solum nullum impendit beneficium, sed etiam sine commiseratione præterijt, cum & ob religionis professionem potissimum debuisset præstitisse Dei præceptum, cuius obseruatio illi gratior est, quam victima, & holocausta, & ob generis, ac ciuitatis vinculum maximè erga illum misericordia moueri. Post hæc *accidit vt eadem transiret Leuita quidam*, à quo meritò quis item expectasset obseruationem præcepti diuini, quod deditus templo frequenter sacris operaretur: Sed & is quoque viso saucio præterijt, neque quicquam opis attulit fratri, & populari suo. Hac autem narratione cum iam Dominus Iudæorum crudelitatem, & præposteram religionem notasset, è regione intolerandæ huiusmodi in Sacerdote, & Leuita crudelitatis, opponit tertio loco summam humanitatem eius, à quo minimè illa expectanda videbatur; ita vt ex hac oppositione magis & illorum crudelitas, & istius humanitas ostendatur. Itaque Samaritanum introducit, quasi præ omnibus gentibus Iudæi maximè auersabantur, sicut & illi Iudæos, vt à Samaritano minimè expectāda videretur tanta humanitas Iudæo homini exhibita.

Samaritanus, inquit, *quidam iter faciens venit iuxta eum*. Et cum vidisset eum mox misericordia motus est erga eum & si Iudæum, cum ipse esset Samaritanus. Nec tantum misertus est, sed neglecto itineris dispendio propius accessit, & obligauit vulnera eius, infundens prius oleum, & vinum quæ forte secum pro viatico assumpserat, quorum commistura vulneribus curandis commoda erat, quod oleum sit lenitiuum, vinum vero malorum humorum astrictiuum. Nec hoc officio contentus imposuit illum in iumentum suum, ac deportauit in stabulum πανδοχεῖον, hoc est diuersorium, & hospitium meritorium, sic Græcis dictum, quod quoslibet recipiat. Deductum autem hominem in suum diuersorium etiam diligentius curare studuit, aduocans scilicet chirurgum. Et cum altera die itineris necessitas vrgeret, nondum tamen satisfactum sibi putabat, nec illum hospiti proprio sumptu curandum reliquit, sed prolatis duobus denarijs dedit stabulario, i. hospiti meritorio, vt tantisper illius curā haberet,

πανδοχεῖον.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quousque ipse peracto itinere redijsset dicens, habes prætium, de meo cura hunc, & quidquid vltra summam hanc impenderis, non peribit tibi, sed ego reuertens persoluam. His omnibus cum Dominus pulchrè exaggerasset huius humanitatem, subiecit;

Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? Hoc est, quis horum trium videtur tibi se exhibuisse proximum, & proximi officio functus, erga eum, qui incidit in latrones, vt non voluerit Dominus significare alios non fuisse proximos: sed non gessisse se tanquam proximos, nec agnouisse illum tanquam proximum. Postquam autem Dominus significauit Samaritanum etsi genere alienum, se proximum misero illi præbuisse, & illum pro suo proximo recte agnouisse, illudque scriba ipse affirmauit, tum subiungens;

Vade, inquit, *& tu fac similiter*. Significans pro proximo habendum omnem eum, qui ope nostra indigeat, in quem incidere contingit, sine discrimine gentis, & personarum: nec simpliciter habendum, sed etiam dilectionem, quam proximo debemus opere comprobandam, atque in huiusmodi misericordia misericordiæ exhibita putandum maiorem, & solidiorem consistere pietatem, quam in sacrificijs illis legalibus ob quæ Sacerdotes & Leuitæ sæ religiosos putabant. Sic intellecta Domini interrogatione, & vltima responsione, patet quomodo Dominus hac parabola aptissimè quod quærebatur, nempe quis esset noster proximus, doceat; & propter hoc etiam alia, ob quæ supra diximus hoc exemplum ab ipso assumptum.

Martha Dominum suscipit hospitio.

Luc. 10. CAPVT LXXXII.

FACTVM est autem dum irēt, et ipse intrauit in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam &c. Castellum, in quo hic dicitur Martha Dominum suscepisse in domum suā: satis est certum fuisse Bethaniam. Nā hanc Ioā. cap. 11. dicit

dicit fuisse castellum Mariæ, & Marthæ sororum Lazari: quare castellum, quemadmodum sæpe in Euangelijs accipi debet pro vico, pago, aut ciuitatula. Quod autem dicitur, *dum irent*, accipiendum est vel de prosectione, qua post missos discipulos circuibat ciuitates & castella, in quibus illi prædicauerant, vel potius de prosectione in Hierusalem, siue ea cuius meminit Lucas cap. 9 (quam ex Ioanne ostendimus factam ad celebrandum festum scenopegiæ) siue qua alio aliquo tempore per Bethaniam ascendit in Hierusalem. Nam supra diximus post relictam Galilæam Dominum in Hierusalem frequenter conscendisse. Notandum autem quod non Maria simul cum Martha, sed sola Martha dicitur Dominum suscepisse in Domum suam. Nam cum Maria hæc sit ea, quę dicitur in Euangelijs Magdalena, vt supra ostensum est cap. 55 & Magdalena è Galilæa Dominum sit secuta in Iudeā vt dicitur Matei 15. nō ipsa habitauit hoc tēpore in Bethania, sed verisimile est eā fecisse Dominū familiarē Marthæ, & Lazaro fratribus suis: vt per eā Martha susceperit Dominum in domum suam. Pulchrè autē Euāgelista describit quomodo duæ sorores in diligendo Iesu concordes, in ostensione dilectionis diuersæ fuerint; ac cum vna esset vtriq; pietas erga Dominum, diuersa tamē fuerit pietatis functio: quomodo in vno corpore varij sunt membrorum vsus, & in corpore Christi, quod est Ecclesia, varia sunt dona Spiritus;

Maria, inquit, *etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*. Vbi illud etiam additum videtur ad significandū ipsam non obiter audisse verbum Iesu, quomodo & distracta Martha audire potuit, sed sic audiuisse vt etiam sese totam ad audiēdum composuerit, feriata ab omnibus negotijs domesticis, vel vt simpliciter significetur eā simul cū alijs mulieribus assedisse pedibus Iesu: Et bene quidē specialiter hæc mulier secus pedes Domini sedere elegit, quod illos osculando, & lachrymis tigando peccatorū suorū remissionem impetrauerit. *Martha autem satagebat*, id est, anxiè torquebatur, vel vt est Græcè significantius περιεσπᾶτο, id est, distrahebatur, siue distendebatur, *circa frequens ministerium*, id est, circa multam ministrationem. Cum autem ægrè omnibus obeundis sufficeret, quæ tractando Domino parare cupiuit, & videret sororem feriatam assidentem pedibus Iesu; non expostulat cum sorore, quam sciebat auelli non posse; sed Iesum subincusat, qui illam suis sermonibus ab ea quæ tunc necessaria videbatur, functione remoraretur.

Domine, inquit, *non est tibi curæ quod soror mea*, passa est hactenus me solam ministrare? Iube igitur vt me adiuuet; q.d. alioqui scio non auelletur abs re nisi tu iusseris.

Et respondens dixit illi Dominus: Martha martha, &c. Quemadmodum vtraque soror pie Domino afficiebatur, ita vtriusque Do

Universidad de Deusto
Biblioteca

minus delectabatur affectu, sed Mariæ quietè præfert solicitudini Martheę. Et quidè explectandũ humano iudicio videbatur, vt Marthæ suggestionibus, & precibus acquiesceret, ac Mariã sorori adesse præciperet, quod illa adeo Dominũ diligeret, vt dispendium set monũ Christi, quorũ & ipsa erat auida ferre eligeret, quo tantum hospitè dignè exciperet, vsque ad fatigationè multam ea in re incumbens. Maria vero se suãque voluptatem & cõmodum in Christo quærere videbatur, etiã cum tempus exposceret, & locus, à Dominico subtrahens se ministerio, quasi immemor omni rei suum esse tẽpus: Verũ longe secus Christus iudicabat, quã hominũ iudicio iudicaturus putari poterat; declarans se magis & suauius refici eorũ auiditate, qui ab ipso auditos sermones traiecũt in viscera animarũ suarũ, vt salui fiãt, quã variis, & lautis ferculis magna in gratiã ipsius sedulitate paratis. Primũ ergo quod ad Martham interpellantẽ pertinet dicit, Martha, Martha sollicita es, &c. Duplicatio nominis vel facta est ad mouendam attentionẽ eius quæ distracta erat, vel in signum beneuolentiæ ipsius erga Martham. Non enim obiurgat Dominus Martham & si interpellentem & subinculantem ipsum & sororẽ ab eo quod optimũ erat auocantem: sed blãdè eam compellans, indicauit sollicitudinis & turbationis nimietatẽ, eiusque functionem inferiorem esse functioni sororis. Solicita inquit es & turbaris. Solicitudinẽ enim sequitur turbatio. Erga plurima. pro circa multa. Multis autem his circa quæ Martha distrahebatur Dominus vnum opponit, cum subdit; *Porro vnum est necessarium*, aut vt est Græcè, ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, id est, vnius autem est indigentia aut necessitas, vel, vno autem est opus. Quod dupliciter intelligi potest quemadmodum indicat Theophyl. Altero modò vt his verbis intelligatur Dominus voluisse solicitudinem suam Martham remittere, & minuere debere, & sit sensus: Frustra circa multa, & varia nostri causa turbaris Martha. Non enim multis indigemus alimentis, sed vno solo nobis opus est, nempe vt comedamus qualitercunque non varijs. Aut sic; non oportet te circa tã multa tumultuari, vni rei intentã te esse oportebat, si quid rectè curatũ velles. Non enim tã multa simul rectè curabis, sed nec multa ad id quod agis sunt necessaria. Secundus hos intellectus, quod sequitur; Maria optimã partem elegit, &c. A superioribus est separatum, vt intelligendum sit Dominum postquã Martham monuit aliquid solicitudinis remittere, deinde hac sententia excusasse, & commendasse factum sororis. Altero modo intelligi potest his verbis Dominus significasse, vnum aliquid esse hominibus ad salutem necessarium, nempe attentionem doctrinæ cælestis, ac studium rerum diuinarum; vt ex his verbis iam inferatur sententia, quæ sequitur; Maria optimam partem elegit, & sit sensus: Tu quidem Martha circa multa occuparis: verum præ-

pę multis istis vna res est, quæ omnibus est necessaria, nempe studium, & cognitio Dei. Istud vnum quoniam Maria elegit meliorem partem quam tu elegit. Quod autem dicit Dominus hanc Mariæ partem non auferendam ab ea: accipiendum est vel vt simpliciter significetur eam per ipsum Dominum non auellendam ab optimo, quod elegit quemadmodum fieri petiuit Martha; vel subtilius vt significetur eam partem, neque in futura vita ab ea auferendam, quando a Martha auferenda erat circa multa distractio. Elegerat enim Maria contemplationi insistere, quæ in futura vita non auferetur, sed perficietur. [Porro ex Ecclesiastica institutione hæc Euangelica historia in Tẽplis decãtatur in Assumptione gloriosæ virginis Mariæ; idque ob id potissimum, quod cum non habeat ea festiuitas proprium sibi Euangelium, finis huius historiæ per accommodationem optimè conuenit diuæ virgini. Ipsa enim etiam dicta Maria, ea die optimam partem consecuta est, quæ nũquam auferetur ab ea.]

Docet orationis & modum & vim Luc. 11.

CAPVT LXXXIII.

Et factum est, quum esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis dicite. Pater sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnũ tuum. Panẽ nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice cõmoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illũ. Et ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis: Et si nõ dabit illi surgens eò quòd amicus eius sit, propter improbitatẽ tamẽ eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & operietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem numquid lapidem dabit illi? Aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum numquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quantò magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?

Et factum est cum esset in quodam loco orans, &c. Factum est, inquit,

inquit, id est, accidit, cum esset in quodam loco orans, quèadmodum frequenter facere solebat: tùm ob assumptæ carnis dispensationem, tum in nostrum exemplum, postquam ab oratione cessauit dixit vnus ex discipulis eius ad eũ; *Domine doce nos orare, &c.* Videbat enim præceptorẽ nouum vitę institutũ & exercere, & admonere, nouã ergo etiam orationem quæsiuit vitę instituto conuenientẽ: vt ne eius discipuli hac in parte inferiores essent discipulis Ioannis. Docet itaque Dominus præscripta illis forma & quam paucis sit orãdum, & quę sint suis discipulis petenda. *Cum*, inquit, *oratis dicite Pater, &c.* Hęc autem oratio vt à nobis quidem legitur apud Lucam, pauciora habet quam oratio apud Matthæum. Omittitur enim, noster, qui es in cœlis; &, Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, &, Sed libera nos à malo. In Græcis tamen codicibus tota ponitur ista oratio, sicut in Matthæo, nisi quod non additur illa coronis, quæ à Græcis adiecta est in Matthęo. Ostẽdit autem Aug. Orationẽ Lucæ breuiorem in verbis non minus secundũ sensum continere quam oratio Matthæi. Tertia enim illa petitio, fiat voluntas tua continetur in duabus præcedentibus. Nõ enim sanctificari potest nomẽ Dei, nisi fiat eius voluntas ab hominibus in terra, & si aduenerit in nos regnum Dei, pulso regno Sathanæ, vtique fiet voluntas eius in terra sicut in cœlo. Sic & vltima illa pars: Sed libera nos à malo, includitur in præcedenti: Et ne nos inducas in tentationem: imò vna, eademque est petitio, quemadmodum indicat aduersatiua, sed. Non enim dictum est. Et libera nos a malo, verum, sed libera nos à malo, vt sciat vnusquisque in eo se liberari à malo, quod non iaciatur in tentationem. Præterquam autem quod hæc oratio apud Lucam pauciores habet partes, etiam in quibusdam dictionibus differt ab oratione Matthæi. Ex qua certe varietate palam est, quam Euangelistæ non fuerint de verbis superstitiosi. Præscripserat enim hanc precandi formam summus Magister Christus: & tamen in tantula precatiũcula non consentit Lucas cum Matthęo, quædam omittens, quædam immitãs, eandem tamen retinens sententiam. Et certè consentaneum vero est Lucam sic orasse, vt nobis orandi formam tradit authore Christo: vt hinc discere possimus non tam de verbis sollicitos nos esse inter orandum oportere, quam vt spiritu oremus, & mente; & attendamus potius quid oremus, quam quibus verbis: quamuis in publicis precibus à præscriptis verbis nõ sit recedendum, ne offendicula nascantur, & dissensiones. Cætera quæ ad orationis huius partinent explicationem: quæte circa Matthæum in cap. Concordiæ. 41.

In Ench. cap. 115. & 116.

Et ait illis; Quis vestrum habebit amicum, & ibit, &c. Postquam docuit Dominus quid sit orandum, in sequentibus ostendit quæ sit orationis vis, maximè si sit perseuerans: vt sic & ad fiduciã impe-

Orationis vis.

impetrandi inter orandum, & ad constantiam inuitaret; quæ duo sunt orationi summè necessaria. Quo ergo ad hęc magis incitaret Parabolam assumpsit de amico exorante amicum per improbã, & instantem præcationem: Porro accommodatio Parabolæ secũdum intentionem Domini hoc modo est per argumentum à minori facienda. Si tantum valet instans Amici precatio apud amicũ hominem, vt si inoportuno tempore, quo iustè negari poterat petit ab eo aliquid, ille etsi non moueatur respectu amicitiæ, tamen victus improbitate precantis, etiam amplius offerat quam petebatur: multò magis valebit apud Deum hominibus amicissimum, cui nullum tempus est inoportunum quique precantium improbitate non offenditur, sed delectatur adeo vt quod iustè negari poterat, aut etiam debebat, veluti perseuerantia precantis victus concedat, idque etiam copiosius, quam petebatur, vel ob id maximè differens dare quod petitur, vt accendens desiderium vberius donet quam petitur. Per hanc accommodationem patet exemplum adductum duo ostendere; nempe quod perseuerantia orationis etiam id impetrat, quod iustè poterat negari, & quod plus impetrat, quam petebatur. Ideo enim dicitur in exemplo, dabit ei quot quot habet necessarios, hoc est, non tantum tres panes, quos petebat, sed quotquot habet necessarios. Præterea vero exemplum indicat nos ad Deum tanquam ad amicum summa cum fiducia accederedebere, quomodo de quo in Parabola, fretus amicitia, etiã intempesta nocte non est veritus amicũ dormientẽ interpellare, & recusantis exaudire ostium improba, & inuerecunda perseuerantia pulsare. Postremum Parabola indicat etiam qualia debeamus à Deo petere, nempe bona, & quæ ad vitæ spiritualis sustentationem nobis, & alijs sint necessaria, & vtilia, quemadmodum ille de quo in exemplo, panes dicitur petisse, non autem ciborum lautitias.

Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis, &c. Applicat modo Dominus præcedentem Parabolam suo propolito, quamuis non omnia in Parabola indicata explicet. Et ego inquit dico vobis, quibus verbis sua illos authoritate confirmat ad fiduciam impetrandi. Est autem sensus; Quemadmodum ille, qui amicum interpellat petẽdo, querendo, & pulsando impetrat quod vult: ita & vos ad eius exemplum petite à Deo, & dabitur vobis. Præsupponit autem petenda ea, quæ superius docuit oranda, quæque & in præcedenti parabola, & etiam sequenti indicat: nempe ante omnia cælestia, & spiritualia bona, quæ à cælesti Patre filios cælestes petere cõuenit, sicut a terreno patre terrena. Porro quæ hic apud Lucam ponuntur habita sunt, & exposita in Matt. cap 7. in cap. Cõcord. 43. Nec est hic quicquam peculiare, nisi quod in fine pro Spiritum bonũ. Matthæus habet, bona, & quod in Parabola de Patre quem orat filius,

Universidad de Deusto
Biblioteca

filius, tertium additur de ouo, & scorpione, quod non est in Matthæo. Non est autem necesse mysticam aliquam significationem requirere in pane, & lapide, pisce, & serpente, ouo, & scorpione: quod tamen quidam faciunt, sed nimis varie & coactè. Nã sicut præcedens Parabola, ita & hæc assumpta est vt per comparationẽ argumento à minori, imò à contrario ostendat Patris cælestis in exorando facilitatẽ, quemadmodum patet in Parabolæ accõmodatione. Significatur ergo quod cũ Patres terreni etsi sint mali, filijs suis petentibus non dant, quemadmodũ inimici facere solent prò necessario pane inutilem lapidem, aut pro pisce & ouo vtili & delectabili serpentem, & scorpium noxios, sed dant eis bona, quæ precari sunt: multò magis Pater cælestis natura optimus daturus est filijs suis petẽtibus, se & eis digna: Itaque Parabola, & eiusdem conclusio indicat & qualia sint à Deo petenda, & quales esse debeant, qui à Deo sunt exaudiendi, nempe tales qui illum diligant, quique illum, vt Patrem suum inuocare possunt.

Reprehendit præposteram Pharisæorum mundiciam. Lucæ 11.

CAPVT LXXXIIII.

ET cùm loqueretur rogauit illum quidam Pharisæus, vt prandaret apud se. Iesus autem ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit, intra se reputans, dicere, quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illũ: Nũc vos Pharisæi, quod de foris est calicis & catini, mũdatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentam, & rutam, & omne olus, & prætenitis iudicium & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væ vobis, quia estis vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Væ vobis, qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos, profectò testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidẽ eos occiderunt, vos autem ædificatis eorũ sepulchra. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur, vt inquiratur sanguis omnium prophetarũ, qui effusus est à cõstitutione mũdi à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinẽ Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis,

vobis, requiretur ab hac generatione. Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Cũ autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & legisperiti graviter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent eum.

Et cum loqueretur, rogauit illum quidam Pharisæus, &c. Quo tempore, aut loco istud contigerit incertum est, sicut & de multis alijs quæ sequuntur in Luca. Itaque cum quodam tempore Dominus loqueretur ad populum, quidam Pharisæus, vel quod iam esset vtcunque Domino affectus, vel quod videri vellet illi esse bene affectus; rogauit illum vt prandaret secum. Non recusauit Dominus, nulli se non prebẽs, vt omnes ad se attraheret. Ingressus ergo, mox accubuit, pretermittens studio morem Pharisæorum & Iudæorũ, quo, vt habet Marcus cap. 6. solebant se studiose abluere ante cibi sumptionem. Quare Pharisæus id animaduertens cœpit intra se reputans dicere, id est, tacita secum cogitatione quærere quid esset causę, quod Dominus non esset baptizatus, hoc est, lotus manibus priusquam accumberet. Iesus itaque intelligens quanta esset Euãgelicæ, & veræ pietatis pestis illa Pharisæorum religio vana aeriter illam coarguit, ac reprehensionis argumentum pro suo more desumit, imprimis ab his rebus, quæ in manibus erant, his scilicet quæ in mensa erant apposita calice, & catino, quorum illud est vas vnde sumitur potus, istud vnde cibus. Cæterum quo rectè intelligatur quod Dominus hic dicit, sciendum hunc sermonem de mundatione calicis & catini esse parabolicum. Nam sub exemplo calicis, & catini vult Dominus significare internam, & externam hominis mundationem, vt sensus à Domino intentus sit iste: Miraris Pharisæe, quod non lauerim manus ante prandium, externam enim mundiciem miro studio sectamini, verè similes ijs, qui exteriora pocnli, catiuique mundant diligenter, interiora relinquentes sordida. Nam cum soliciti sitis, ne illoris manibus cibum sumatis: negligitis tamen quod intus est vestri mundare, cum illud plenum sit iniquitate & rapina. Hanc similitudinem a Domino indicatam Lucas ponit imperfectam. Nam cum cœpisset dẽ calicis mundatione externa dicens, quod deforis est calicis, & catini mundatis; subiungit de interna hominis mundatione dicens, quod autem intus est vestri, plenum est, &c. cum dicendum videretur, quod autem intus est illorum. Sed hac digressione nota tur Domini sermonem esse parabolicum. Porro aduerbium, nũc, cum dicit Dominus. Nunc vos Pharisæi, videtur positum tanquã contemptim, & vehementer dictum. Dicit autem, vos Pharisæi, notare volens non tantum personas præsentes, sed totum Pharisæorum ordinem, quibus ob præposteram mundiciem obijcit stultitiam, & insipientiam, dicens,

Stulti,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? q.d. O vos imprudentes, & peruersi iudicij. Cum propter Deum, & religionis causa diligentem mundandi corporis curam habeatis: cur non etiam eadem ratione animo mundando incumbitis: cum à Deo sint condita & corpus, & anima? Oportet enim intelligere hic Dominum præsupponere causam institutæ à Phariſæis corporalis mundationis: nempe quod ea non fuit instituta ciuilitatis causa, sed quasi per eam Deo quis placeat, vt per quam Dei opus mundaretur. Nisi enim hæc intelligatur ratio præsuppositi non conuenienter ad eos refellendos subijceret Dominus: Qui fecit quod deforis est, &c. Et hactenus quidem Dominus ostendit interiorem munditiam non minus, imò magis curandã, quàm exteriorem. Nam quod non minùs, secunda sententia, quod autem etiam magis præcedens parabola demonstrat. In sequenti vero sententia ostendit interiorem munditiam apud Deum sufficere, & quomodo ea haberi possit.

Quod superest.

Veruntamen, inquit, *quod superest, date eleemosynam, & ecce*, omnia munda sunt vobis. In qua sententia pro illo, quod superest Gr. τὰ ἐνόντα quę dictio ab illis exponitur per τὰ παρόντα, id est, ea quæ adsunt, & quæ habetis: idemque voluit significare Interpres, per quod superest, vt sit sensus, date in eleemosynam id quod vobis superest, id est, adest. Significare enim voluit non posse id dari, quod iam præterijt, & consumptum est: sed tantũ quod adhuc adest, & in manibus est. Nõ voluit Dominus autẽ eleemosynã de iniustis fieri bonis, aut eam solã sufficere raptoribus, & iniustis Phariſæis: sed præsupponit eam debitè debere fieri, & ei etiam reliqua esse coniungenda, quæ ad salutem sunt necessaria homini, quemadmodum in similibus sententijs semper est præsupponendum, vt cum dicit Dominus: Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Deus Pater peccata vestra: cum ad consequendam à Deo peccatorum remissionem etiam alia sint necessaria. Eleemosynam autem singulariter ab istis expetit, quod ea sit contraria rapinæ & iniustitiæ, ac ob id aptum medium mundandi se ab iniustitia, & rapina, cum contraria curentur contrarijs. Itaque sensus est, vt interiora vestra per rapinam & iniustitiam coinquinata mundentur, date ex his quæ in vestra sunt potestate eleemosynam, vt qui alicna iniustè accepistis, iam è contra largiamini vestra alijs: sicque fiet vt mũdato animo omnia etiam exteriora munda sint vobis coram Deo. *Sed væ vobis Phariſæis qui decimatis, &c.* Cum occasione data vt superioribus Dominus notasset præpositam religionem Phariſæorum per humanorum mandatorum obseruationem: pergit iam & aliud adiungere, quo eorum etiam præposita religio deprehenditur in mandatis diuinis. Licet autem verbum decimare, sicut & quod correspondet apud

Decimare

apud Græcos ἀποδεκατοῦν & apud Hebræos asar, ambiguum sit: ac significet & decimas dare, & decimas accipere: attamen cum non Phariſæorum, sed Sacerdotum & Leuitarum fuerit accipere decimas: melius hic accipitur pro decimas dare. Non vult autem Dominus reprehendere in Phariſæis, quod decimas etiam olerum darent, cum post ea videatur aperte asserere illas esse necessarias: sed quod cum in minimis essent studiosi, maiora legis negligerent: quanquam etiam intelligi possit illos ob huiusmodi decimationem reprehensos non quod factum illud malum esset, sed quod per hypocrisin & sanctitatis simulationẽ fieret, quemadmodũ ex eo patuit, quod præteriret maiora legis. Vnde apud Matthæũ dicitur, Væ vobis scribæ & Phariſæi hypocritæ. Cæterũ cum dicitur, *& præteritis iudicij, & charitatẽ Dei*, nomen iudicium, quod varie à diuersis accipitur, dicendum est secundum scripturæ phrasim põ sitũ esse pro iustitia. In scripturis enim facere iudicium & iustitiã, est iuste & cum æquitate cõuersari. Itaque duo dicit, iudicium, & charitatem Dei. Iudicium, quo ad homines cum quibus viuimus, charitatem quo ad Deum quem colimus. Cum autem subdituri

Hæc autem oportuit facere & illa non omittere: Hæc refertur ad iudicium, & charitatem, & illa ad decimationes: significaturque ante omnia necessarium esse charitatem, & iudicium seruare, ac secundo loco decimationes illas habendas: quo Dominus significauit se illas non reprehendere, ne haberent quod calumniari in ipso possent tanquam legi contrarium.

Væ vobis Phariſæis, qui diligitis primas cathedras. Notat modo Dominus Phariſæos superbiæ & hypocrisæos. Superbiæ quidem cum dicit; Qui diligitis primas cathedras, &c Nõ dicit, qui primas obtinetis cathedras & salutamini in foro; sed qui hæc diligitis: quia non ipse res, sed earum affectus & desiderium est culpabile. Hypocrisis autem cum dicit;

Væ vobis quia estis vt monumenta quæ non patent, id est, apparẽt, & homines ambulantes supra nesciunt ea esse monumenta. Quo Dominus significat parabolicæ, quemadmodum sepulcha mortuorum sub terram occultata, continent intra se putredinem, & corruptionem, sed quę hominibus est incognita: & Phariſæos cum virtutum impuritate interius pleni essent, eam tamen exteriori sanctitatis specie tegere, atque ita fieri, vt homines qui cum ipsis conuersabantur non aduerterent eorum impuritatem in animo latentem.

Phariſæi à legisperitis in quo differrent.

Respondens autem quidam ex legisperitis ait illi; Magister: Differebant a Phariſeis legisperitis quod apud nos religiosi & Theologi. Illi enim ex sua professione, & ordine præ alijs maiorem sanctitatẽ præ se ferebant; Hi vero maiorem in scripturis doctrinam. Erat tamen magna inter eos connexio eo quod vtrique essent capita populi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

puli, multi etiam ex legisperitis essent & Pharisæi. Itaque quod Pharisæis dictum erat, quidam legisperitus etiam in suum ordinem dictum putans esse interpretans, eo quod legisperiti etiã obtinerent primas cathedras in synagogis, & cum Pharisæis magnam haberent familiaritatem, eorumque institutum approbarent: ait Dominus:

Magister, hæc dicens etiam nobis legisperitis contumeliam facis. Itaque occasione data ab hoc legisperito Dominus etiã propria quadam ratione ostendit imminere væ ipsis legisperitis, vt vanum eorum deprimat supercilium.

Et vobis, inquit, *legisperitis væ, quia oneratis homines oneribus*, Quæ portare non possunt, vel vt est Græce φορτία δυσβάστακτα, id est oneribus portatu difficilibus, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Quo sermone allegoricè pulchrè significat Dominus eos multorum, & grauissimorum præceptorum obseruationem seuerè exigere à populo, interim sibi indulgentes omnem licentiam, omnem impositi oneris grauitatem fugere, cum contra fieri oporteret, vt seipsos potius arctarent, alijs vero multa indulgerent. [Onerabant autem scribæ homines dupliciter. Primo quia præcepta omnia legis seuerissimè interpretabantur, & ad vnum, atque exactissimè eorũ obseruationẽ exigebãt. Alteromodo quia præter præcepta legis Mosaicæ, instituebant multas alias graues cæremonias & constitutiones, quæ cum deberent esse leuamẽta, & compendia seruandæ legis, onera tantum erant grauantia, non iuuantia. & vix portabilia.]

Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres, &c. Cum Scribæ & Pharisæi videri vellent ædificando Prophetarum sepulchra colere Prophetas, & damnare occisores eorum: tamen quia hoc non vero sed hypocritico fecerunt animo, & quia vere erant affectu & imitatione filij occisorum, quos & patres suos vocabãt: Dominus eorum factum retorquet in contrarium, tanquam id secerint vt patrum suorum impietatem approbantes statuerent illis trophea. Filiorum enim est parentum crimina tegere, & occultare, & ea quæ in parentibus laudi ducunt posteritati commendare. Proinde cum monumentis Prophetarum sumptuosè exstructis, alerẽt memoriam criminis eorũ, quos parentes suos vocabant, & qui vere etiam eorum erant secundum affectum parentes: bene Dominus hinc colligit eos consentire operibus patrum suorum, & væ interminatur ob sepulchrorum ædificationem.

Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas. Propterea, inquit, hoc est quia vos consentitis operibus patrum vestrorum. Sapientiam autem Dei seipsum vocat. Nam apud Matthæum est. Ideo ego dico vobis. Porro Dei se sapientiam modo vocat, quod hæc non dixerit, tanquam homo, sed tanquam Deus, qui mira-

Sapiẽtia Dei Christus.

bili consilio omnia prudenter temperat & est omnium futurorum prescius. Ideoque & per præteritum dicitur dixit, non dicit quo intelligeremus ipsum hoc iam olim decreuisse, & per suos Prophetas prædixisse. Per Prophetas autem intelligi possunt doctores veteris testamenti, per Apostolos noui: aut per vtrumque doctores noui testamenti. Siquidem & Euangelium suos habuit Prophetas. Ex illis, inquit, occident, hoc est, quosdam illorum occident. Non enim omnes illos occiderunt. Cum autem sequitur: *vt inquiratur sanguis*, coniunctio vt, debet accipi consecutiuè si referatur ad occident, & persequẽtur. Non enim ideo occiderunt, vt sanguis illorum requireretur: sed illud ad illorum occisionem est cõsecutum. Potest tamen accipi vt finalem causam denotet, si referatur ad verbum mittã, vt sit sensus: Mittam ad vos eos, quos tamen scio occidendos à vobis, vt iusta Dei vindicta veniat super vos, & omnes cognoscant quam iusta sit vltio Dei grauissima in vos. Cæterum illud *à generatione ista*, quauis aliqui putent coniungi posse cum effusus est, melius tamen coniungi debet cum verbo inquiratur; tum quia Matthæus habet, vt veniat super vos omnis sanguis, tum quia subijcitur. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione. Sanguinem autem requiri ab aliquo est secundum Scripturæ phra- *Psal. 9.*
sim, vltionem effusi sanguinis aut perditi hominis sumere de aliquo. Sic de Deo dicitur requirens sanguinem eorum recordatus est. Dicit autem Dominus sanguinem omnium Prophetarum & iustorum, qui effusus est à mundi cõstitutione, hoc est exordio requirendum à Iudæis, vel potius generatione illa Iudæorum cui tunc loquebatur, quia ab illa tanquam consummatrice, peccatorũ parentum suorum, per effusionẽ sanguinis Christi & Apostolorũ eius, & tanquam generatione vna cum Patribus præcedentibus requisita est vltio sanguinis omnium Prophetarum; quando per Titum, & Vespasianum crudelissimo excidio perdita est gens Iudæorum, succensa ciuitate sancta Hierusalem, & alijs ciuitatibus eorum destructis, multisque eorum crudeliter occisis, ac reliquijs vendundatis, & dispersis in omnes gentes, sed & generatione eorum tota à Deo reprobata, & in eius locum alia generatione, nempe populo gentium, delecta. Porro cum sequitur:

A sanguine Abel, vsq; ad sanguinẽ Zacharia. Notandũ ipsum Abel computari inter Prophetas. Fuit enim procul dubio Spiritu diuino afflatus, per quem & præcognouit venturum quandoque mundi Saluatorem, quẽ & suo sacrificio, & morte sua præfigurauit. Porro quod ad Zachariam hunc attinet: cum Hieronymo sentiẽdum esse illum cuius fit mentio 2. Paral. 24. filiũ scilicet Ioaidæ sacerdotẽ, qui populum derelinquentem legẽ Dei liberè redarguẽs, lapidibus obrutus est à populo, iuxta imperiũ Regis Ioas, idq; in atrio domus Domini. Hoc enim cõuenit cũ eo quod hic dicitur periisse

Zachariæ iste quis fuerit.

inter ędem, & altare holocaustorum scilicet, quod erat in atrio ante introitum Templi. Nam quod Zacharias iste dicatur à Matthæo filius Barachiæ, cum in Paralip. dicatur filius Ioiadæ: primũ fieri potest Ioiadam fuisse binominem deinde Barachiam scriptum esse pro Ioiadã, quod alius quidã Zacharias legatur filius Barachiæ. Cæterum quare istius Zachariæ Dominus meminit dicens, vsque ad sanguinem Zachariæ, cum hic ante quadringentos annos tum mortuus esset, & post eum multi Prophetæ, sint à Iudæis occisi: diue pertillimum cõuenientes rationes possunt reddi: Altera quod Zacharias ille vltimus sit, qui in canonicis scripturis legitur interfectus à Iudæis. Altera quod scriptura tantum explicat petitionem vindictæ in Abel, & Zacharia. In Abel cùm dicitur: Ecce vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra In Zacharia, cùm narrat eum morientem dixisse: Videat Dominus & requirat. Quia enim de vindicta sanguinis Prophetarum Dominus loquebatur, par fuit vt illorum sanguinem commemoraret, quorũ vindicta petita traditur in sacra scriptura: vt ex his duabus vltionibus petitis intelligantur similiter petitæ vindictæ omnium aliorum Propheratum, ac proinde rationabiliter sit dictum, vt inquiratur sanguis omnium Propherarum, tanquam petens vindictam à sanguine Abel, cuius sanguis clamauit ad Deum, vsque ad sanguinẽ Zachariæ, qui moriens dixit: Videat Dominus, & requirat. Quo autem Dominus confirmaret, quod dixit, & certitudine superuenturæ vltionis ad resipiscentiam prouocaret infideles, adiecit: Ita, hoc est, profecto (Græce enim est ναὶ, pro quo in Matthæo est, Amen) dico vobis, requiretur ab hac generatione.

Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ. Verbum tulistis, dupliciter accipi potest. Tollimus enim gladium ad iter, & tollimus quod ab alijs auferimus. Simplicius autem fuerit primo modo accipere, vt sit sensus, recipistis in vos, & vendicatis vobis clauem scientiæ, hoc est doctrinam aut munus docendi alios. Itaque secundum hunc sensum non dicit Dominus Scribis, & Pharisæis væ, ob id quod tulerint clauem scientiæ, sed væ referendum est in sequentia ad hunc modum; væ vobis, qui, vel quia cum receperitis in vos clauem scientiæ, tamen ipsi non introitis per eam clauẽ ad veram scientiam, & regnum cælorum, & quod peius est, ac magis contra vestram professionem, eos qui introire cœperunt, quãtum in vobis est, prohibuistis, auocantes eos à fide in me, per quã est hominibus via ad veram sapientiam, & regnum cælorum.

Cum autem hæc ad illos diceret, &c. Cum Dominus libertate magna diuinam præ se ferente authoritatem proferret sermones hos, sub amaros quidem, sed salutiferos, si voluisset recipere pharmacum: Scribæ & Phariſæi præ superbia non ferentes se tam liberè reprehendi vehementer offensi sunt: eumque non possent obiecta negare

negare crimina, quod taciti apud se agnoscerent vera esse, quæ dicebantur; nec auderent palam in illum moliri aliquid mali; *cœperunt grauiter insistere*, hoc est vigere Dominum varijs quæstionibus, insidiantes ei, & quærentes venari aliquid de ore eius; quo possent eum accusare, ne priuato quodam odio, sed fludio religionis illum viderentur persequi. Porro pro illo: *os eius opprimere de multis*, Græcè est ἀποστομίζειν, quod Theophyl. dupliciter exponit. Fit, inquit, ἀποστομίζειν cum plures interrogant vnum de alijs, at que alijs argumentis, tum enim qui non potest respondere speciem præbet insipientis. Altero modo vt ἀποστομίζειν sit illaqueare aliquem, & ab ore eius capere illum. Quæ explicatio magis conuenit cum eo quod sequitur, ἀποστομίζειν.

Quærentes aliquid capere ex ore eius. Vbi Lucas seipsum videtur exponere. Neque enim illa insidiantes ei, & quærentes, &c. competunt in eos, qui occludant os loquentis.

Docet non timendam mortem corporis.

Lucæ 12. CAPVT LXXXV.

MVLTIS autem turbis circumstantibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento Phariſæorum, quod est hypocrisis. Nihil enim opertum est quod non reuelabitur, neque absconditum quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidũt corpus & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete. Nõne quinque passeres veneunt dipondio, & vnus ex illis non est in oblitione coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis. Dico autem vobis. Omnis qui cunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemauerit non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates nolite solliciti esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere.

A.16.64. B.8.64. A.10.55. B.4.51. C.8.51. A.10.55. B.8.66. C.9.66. A.12.49. B.3.49. A.10.55. B.13.122. C.21.122.

Multis autem turbis circumstantibus, &c. Græcè est ἐπισυναχθεισῶν τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, id est, congregatis myriadibus turbæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc est congregata innumera turbæ multitudine. Siquidem myrias, quod propriè significat decem milia Græcis ponitur pro immensa multitudine. Itaque cum Dominus Phariſæorum & Scribarũ hypocriſim ſermone ad illos directo apertè redarguiſſet, nec illi hinc meliores redderentur, ſed potius peiores, ſicque declaratũ eſſet inſanabilem eſſe eorum malitiam, voluit Dominus palam eorum hypocriſim traducere, ne quis incautus eorum ſimulatione falli poſſet: proinde relictis Scribis, & Phariſæis, multis turbis iam ipſum circunſtantibus, adeo vt ſe inuicem conculcarent, conuertit ſermonem ſuum ad diſcipulos ſuos; quos ante omnes ab hypocriſi liberos, & immunes eſſe oportebat. *Attendite*, inquit, hoc eſt cauete vobiſipſis (Græce enim eſt προσέχετε ἑαυτοῖς) *à fermento Phariſæorum*. Attendite inquam tum ne eorum hypocriſi decipiamini, & rectum putetis quicquid illi rectè videntur dicere, & facere, tum ne & vos illos mutando eorum fermento inficiamini, & corrumpamini? Ne autem dubitaretur quid dicat Phariſæorum fermentum adiecit; *quod eſt hypocriſis*, id eſt, ſuſtitiæ, & pietatis ſimulatio. Et rectè hypocriſim fermentum metaphoricè vocauit, quod ſicut modicum fermentum totam farinæ maſſam cui commiſcetur, & ſub qua latet, corrumpit: ita ſimulatio latens in animo, omnia opera quantumuis in ſpeciem bona, vitiat.

Nihil enim opertum eſt, quod non reueletur, &c. Videtur Dominus hac ſententia, & ſequenti dehortari velle ab hypocriſi, quod quidquid in præſenti vita eſt occultum, ſit aliquando vel in præſenti vita, vel certe in nouiſſimo iudicij die manifeſtandum. Quoniam enim hypocriſis eſt vitium latens, eique vitio ſe homines ſubijciunt, vt per illud ſua vitia tegant, rectè Dominus ad dehortandum ab hypocriſi, è regione dicit: Nihil eſſe opertum in præſenti vita, quod non aliquando reuelabitur (Græcis enim ſunt futura indicatiui) in futuro ſcilicet vita, & procedendo à ſpecie ad genus, vt vnico verbo omne occultum comprehendat, & exponat quod dixit, ſubijcit: *neque abſconditum quod non ſcietur*; quod probat adiungens:

Quoniam quæ in tenebris dixiſtis in lumine id eſt, palam dicentur (vel vt habent Græca, audientur) *& quod in aure locuti eſtis in cubilibus*, vel penetralibus præcubitum in rectis. Quibus ſignificatur omnia hominum dicta quantumuis occulta, manifeſtanda. Opponit lumen tenebris, & tecta penetralibus, & ſignificat nec tenebras, nec modũ dicendi ſecretum, ſcilicet in autem, nec locũ ſcilicet in penetralibus, & cubiculis poſſe aliquid retinere ſemper occultum, ſed omnia palam eſſe deregenda, & veluti in rectis prædicanda. In quo alludit Dominus ad morem Paleſtinæ regionis, in qua tecta domorum plana erant, vt ex illis concionem ad populum habere liceuerit vt dictum eſt circa cap. Matth. 10. in cap. Concord. 55. vbi hæc eadem paucis quibuſdam mutatis habentur dicta diſcipulis, ſed in ſenſu longè diuerſo.

Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui, &c. Hæc rectè ſubiuncta ſunt; vt quoniam facilè illi offendunt impios, qui ſine hypocriſi omnia & dicunt, & faciunt, & veritatem liberè & verbis, & factis prædicant; ſuos Dominus muniret, ne mali alicuius metus eos abduceret à ſyncera veritatis Euangelicæ prædicatione. Apparet autem Dominum vocare diſcipulos amicos ſuos ratione amoris quo ipſe eos proſequebatur: quod hac ratione alibi eos vocet amicos, vt cum dicit, Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. Commodè autem iam cum ad mortem pro ſe ſubeundã, & martyrium adhortatus eſt, ſuos vocat amicos, hoc eſt, dilectos à ſe, tum vt blanda appellatione, & ſuo erga illos amore ad redamandum eos prouocet etiam vſque ad mortem pro ſe ſubeundã, tum vt intelligerent Dominum benè illis conſulere, dum ad mortis contemptum eos adhortatur, & illius tanquam amici præſidio freti, non metuerent eos, qui corpori mortem inferre poſſent. Porro tres rationes, quibus vtitur hic Dominus ad dehortandum à timore malorum, & mortis ab hominibus inferendę, habitę ſunt & declaratæ in cap. Conc. 55. circa cap. Matthæi 10. tantum in verbis eſt quædam inter Matthæum & Lucam differentia.

Et omnis qui dixerit verbum in filium hominis remittetur illi, &c. Harum ſententiarum quis ſit genuinus ſenſus, dictum eſt in cap. Conc. 40. tantum hic videndum, quomodo hæ ſententiæ propoſito loco ſeruiant. Itaque quoniam dixit de negantibus ſe his iam ſubiunctis ſententijs oſtendit variis modis quoſdam ipſum negare, nec omnium idem eſſe & æquale crimen. [Forte & ideo has ſubiecit ſententias, vt ſignificaret quam magnum ſit peccatũ eorum qui ipſum ſemel agnitum negarent poſtea, & blaſphemarẽt, quemadmodum fecit impius apoſtata Iulianus. Tales enim non filium hominis, ſed filium Dei conculcant, & ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt, vt habet Paulus.]

Cum autem inducent vos in ſynagogas, & ad magiſtratus, &c. Dicit in ſynagogas, propter Iudæos, ad magiſtratus, & poteſtates, propter Gentilium tribunalia. Dicit quahter, aut quid reſpondeatis propter modum dicendi, & propter ea, quæ ſunt dicenda. Nam de vtroque ſolent eſſe homines ſolliciti. Pro reſpondeatis dictio Græca ἀπολογήσησθε plus quid ſignificat, videlicet reſpondere accuſanti pro defenſione cauſæ intentatæ, vt ſit ſenſus; Nolite anxie cogitare quibus modis verba facturi ſitis, & qua ratione defenſionẽ inſtituturi, quidue pro defenſione cauſæ adducturi, quemadmodũ vulgus reorum facit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Docet abijciendam diuitiarum solicitudinem. Lucæ 12.

CAPVT LXXXVI.

AIT autẽ ei quidam de turba: Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatẽ. At ille dixit ei: Homo, quis me cõstituit iudicẽ aut diuisorẽ super vos? Dixitq; ad illos: Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquã vita eius est ex his quæ possidet. Dixit autẽ similitudinẽ ad illos dicens: Hominis cuiusdã diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicẽs: Quid faciã, quia non habeo quo congregẽ fructus meos? Et dixit, hoc faciam. Destruã horrea mea, & maiora faciã, et illuc cõgregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, et dicã animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autẽ illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuã repetunt à te: quæ autẽ parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & nõ est in Deum dives. Dixitq; ad discipulos suos: Ideo dico vobis. Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neq; corpori quid induamini. Anima plus est quã esca, & corpus plus quã vestimentũ. Cõsiderate corvos, quia nõ seminant neq; metunt, quibus non est cellariũ, neque horreũ, & Deus pascit illos: quanto magis vos pluris estis illis? Quis autẽ vestrum cogitando potest adijcere ad staturã suam cubitũ vnum? Si ergo neq; quod minimũ est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Cõsiderate lilia, quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autẽ vobis, Neque Salomõ in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. Si ergo fœnũ quod hodie est in agro, & cras in clibanũ mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit, quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurũ non deficientẽ in cœlis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit: vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Ait autem ei quidam de turba: Magister dic fratri, &c. Quemadmodum occasione reprehensæ in Pharisæis & Scribis hypocrisis, Dominus dehortatus est suos ab hypocrisi, & hortatus ad liberam veritatis prædicationem etiam ad mortis vsque contemptum: ita nunc alia data occasione ab Euangelista narratur ipsum etiam suos dehortatum ab auaritia, & solicitudine. Cum enim esset frequentissima turba circa Iesum, quidam e turba non est veritus Dominum interpellare pro consequenda hæreditatis terrenæ portione: cum hactenus nemo rem tam humilem ausus fuisset petere ab eo.

Magister, inquit, *dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.* q.d. Magister, frater meus occupat communem hæreditatem, ac tergiuersans prorogat, aut penitus recusat partitionem: præcipe ergo illi vt mecum diuidat hæreditatem. Dominus itaque velut indignans, quod à negotio cælesti, ad quod solum à Patre missus fuerat, interpellaretur ad carnales, ac sordidas curas; simulque docere suos volens, non oportere implicari negotijs prophanis eũ, qui gerit munus Apostolicum, respondit;

Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Quibus verbis significat illum, & si rem per se iustam peteret, malè tamen à se eam peteret: vt qui nec à Deo, nec ab homine constitutus esset ad administrationem eius, quod petebatur negotij. Mundũ habere suos iudices, qui lites tam humiles dirimere & possint, & debeant. Iudicẽ non se negat constitutum, neque diuisorem, sed super vos, inquit, dissidentes scilicet de re terrena.

Dixitq; ad illos, videte, & cauete ab omni auaritia, &c. Post redargutionem importunæ huius auari hominis petitionis, Dominus eius occasione & omnes quidem generaliter munire satagit aduersus auaritiæ pestem, & deinde suis speciatim discipulis solicitudinem etiam necessariorum eximere. Itaque quod ad prius attinet dixit ad illos, nempe discipulos, & circunstantes turbas.

Videte, & cauete ab omni auaritia. Quod sic intelligi potest: Cauete non tantum ab aperta, & manifesta auaritia, quam committunt fures, & latrones, sed etiam ab ea, quę speciem habet iustitiæ qua scilicet quis iustis titulis plus habere (est enim πλεονεξία) desiderat, aut retinere. Affert autem Dominus conuenientem rationem ab auaritia dehortatoriam: *Quia*, inquit, *non in abundantia cuiusquã vita eius est ex his quæ possidet*: quam orationem certum est sic intelligendam: non in abundantia alicuius hominis, est vita ipsius hominis. Significatur enim quod nõ propterea quia quis abũdat diuitijs, vita etiam eius ex tali abundantia abundat, hoc est fœlicior est, & longior: sed contra potius abundantia & miseriorem, & breuiorem efficit hominis vitam. Miseriorem quidem quia affert secum multas solicitudines: Breuiorem vero, quod frequenter occasio sit, vt quis ea abutens non solum vitam gratiæ perdat, sed etiam ebrietate, nimioque luxu ante tempus vitam corporalẽ finiat aut vt exigente diuina iustitia propter sua peccata citius ab hac vita tollatur.

Dixit autem similitudinem ad illos dicens: Homo, &c. Quo Dominus crassio populo altius infigeret, quod dixit, aptissimam affert similitudinem, & exemplum, quo ostendit abundantiã non adferre

fœliciorem, & longiorem vitam; sed eam contra potius sequi solicitudinem, & vitæ breuitatem.

Hominis, inquit, *cuiusdã diuitis*, qui scilicet multos habebat agros, multasque possessiones. *vberes fructus attulit ager*, vel vt habent Græca χώρα, quod magis regionem significat, vt intelligamus agrorum multitudinem, & magnitudinem.

Et cogitabat intra se dicens; Quid faciam? quia non habeo; quo congregẽ fructus meos. Obseruandum hoc in Auaro, abundantiã non tantum adferre solicitudinem, & miseriam, sed quod mirandũ est etiam maiorẽ egestatẽ & indigentiam. Prius enim quàm agri vberes attulissent fructus, non egebat homo iste nouis horreis: nunc vero magis egere cœpit & de indigentia conqueri. Illud enim nõ habeo, indigentis est. Sic semper in diuitibus cum diuitiarum copia crescit & inopia, quod sempẽ de augenda familia & statu cogitẽt. Tandẽ autẽ stultitiæ & incogitãtiæ impulsu sic dixit apud se:

Hoc faciam, destruã horrea mea, & maiora faciã, vel vt habẽt Græca, ædificabo. Quid obsecro stultius, quam in infinitũ laborare, cũ cura ædificare, & rursum cum cura diuerte. Iam vero non tantum insipientiam, sed etiam impietatem sonat quod subiecit; *Et illuc*, inquit, *congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.* Congregaturum se dicit, qui an in crastinũ viueret ignorabat, immemor & incertitudinis vitæ suæ, & quot pericula fructuum collectionẽ antecedere possint. Omnia se dicit congregaturum, nimirum nec pauperibus, nec sacerdotibus portionem aliquam etiam debitam relinquens. Sibi nata esse dicit, & sua vocat, quę in communem hominum vsum, communis omnium hominum pater Deus, cõmunisque omniũ mater terra suppeditauit, quæque hinc secũ auferre non posset, nec in sua haberet potestate. Nec solum sua dicit, quæ nata erant e terra, sed etiã bona sua, cũ diuitiæ, & abundantia rerum temporalium sint res indifferentes: quæ per sese nec bonum nec malum faciant hominem. Itaque & in his merito est reprehẽdendus, & multo magis propter ea, quæ in suo consilio subiecit; *Et dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos, ege.* Animæ bona dicit, quæ corporis, nõ mentis sunt bona. Annos plurimos sibi pollicetur, qui nec de crastino securus erat. *Requiesce*, inquit, à labore *comede, bibe, epulare*, magno scilicet apparatu, aut vt habent Græca εὐφραίνου hoc est gaude. Audiamus iam Dei de hoc homine iudicium. Ille enim in occulto quidem loquebatur (*cogitabat* enim, *dixit apud se*) & tamen verba eius in cælo exaudiebantur, & examinabantur. Inde igitur ei responsa veniunt à Deo, interna sua inspiratione conscientiam eius alloquente.

Stulte, inquit, *hac nocte animam tuam repetent à te.* Stultum pronunciat, eum diuinum iudicium, quem humanum iudicium circunspectum diceret, & prudentem, vt qui sibi in futurum prospiceret.

ceret. Et quidem merito stultus dicitur, quod abundantiam sibi vertit in occasionem angustiæ, & inopiæ quod sibi nata putauit, quæ multis nutriendis data erant, quod per temporalia bona non cogitauit æterna sibi paranda, quod temporalia, animæ bona esse duxit, quod sibi tãsecurus plurimos pollicebatur annos, quodque de his esset solicitus, quibus nunquam erat fruiturus.

Hac, inquit, *nocte repetent animam tuam à te.* Bene dicit hac nocte, quod in nocte fere alteri huiusmodi apud se consultent, quodque in tenebris crassissimis insipientiæ detineretur. Non dictum est ei, hac nocte morieris, sed quod grauius erat auditu, animam tuam repetent à te, cui hæc omnia parasti, cui multos, & fœlices annos in hac vita pollicitus es, hanc animam repetent à te ministri scilicet diuinæ iustitiæ. Subditur ad maiorem eius stultitiæ, condemnationem; *Quæ autẽ parasti cuius erũt?* q.d. Tua certè non erunt, cum terrena tantum parauerit quæ necesse est mundo relinquas, nec solum tibi cui ea destinasti non cedent, sed nec tibi manifestum cuius hæc erunt, vtrum hæredis, an peregrini, amici an inimici, quod ipsum etiam adaugeat mœrorem. Porro ne hoc exemplum tantum ad voluptatem narratum putare quis posset, sed ad nostram commonitionem; nempe vt Dei in hoc homine sententiam metuentes studeamus huic esse dissimiles, adiecit Dominus;

Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Sic inquit est, hoc est etiã omnis talis est stultus. Aut potius sic est, hoc est, sic se habet, qui sibi thesaurizat, &c. hoc est cũ minime sperat, vita præsens simul cum rebus auferetur; cumque præterea nihil habeat prorsus infœlix & deploratus rectà petit gehennã. Apparet enim duas illas partes, qui sibi thesaurizat, & non est Deũ in diues sic à Domino coniunctas, vt significaret fieri non posse, vt quis sibi thesaurizet, & sit in Deum dives. Dicitur is hoc loco thesaurizare qui in suum vsum, ac suam tantum voluptatem multa congregat, & congregata conseruat. Porro cum Græca non habeant (alioqui enim obscuriot est illa oratio, non est in Deum dives) pro dives, nomen substantiuum πλούσιος, sed participium πλουτῶν rectius sic verti patent. Qui sibi thesaurizat, & non in Deo ditescit, vt duo participia θησαυρίζων & πλουτῶν, similiter reddantur per suum verbũ, & εἰς θεὸν accipiatur pro ἐν θεῷ sicut superius aliquoties εἰς pro ἐν positum est. Dicitur autem ditescere in Deo, primum quidem is, qui per eleemosynas multa sibi merita parat; deinde generaliter quisquis abundat in operibus bonis.

Dixit autẽ ad discipulos suos, ideo dico vobis, Nolite, &c. Illatio horũ ex præcedentibus talis est, Quandoquidẽ is Deo displicet, qui solicitudine rerum coaceruandarũ tenetur, quemadmodũ patuit in propo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

propoſito per paraboläm homine, qui non diſplicuit quia multa habuit, ſed quia de illis retinendis ſolicitus fuit; rurſus quãdoquidem humana ſolicitudo nihil facit ad fœlicitatem vitæ, & quia vita hominis à ſolo pendet Dei arbitrio, vt patet ex prædictis: ideo dico vobis diſcipulis meis, quos vt ad perfectionem maiorem vocaui, ita oportet præ aliis vulgatem hanc ſolicitudinem reijcere.

Nolite ſolliciti eſſe, &c. Habentur enim hæc omnia vſque ad illud. Nolite timere puſillę grex; Matth. cap. 6. in cap. Concord. 42. Nec eſt hic quicquam peculiare notatu dignum præter duo, quorũ alterum eſt, quòd cum apud Matthæum generaliter dicatur de omnibus volatilibus. Reſpicite volatilia cœli, hic peculiariter dicitur de coruis; conſiderate coruos, quemadmodum & Pſal. 146 de coruis ſingulariter dicitur; qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum. Rectè autem dicetur coruorũ propterea ſingularem fieri mentionem, tum ad commendandum magis Dei erga homines prouidentiam ex illius prouidẽtia erga aues rapaciſſimas, & odioſiſſimas, tum quod corui ſint voraciſſimi, multo egentes cibo: ob quod & longius fugant pullos ſuos iam robuſtos, quemadmodum ſcribit Plinius. Alterum hic peculiare eſt illud; *Et nolite in ſublime tolli*, pro quo Græcis eſt; μὴ μετεωρίζεσθε, quod non proprie pertinet ad timorem quod Græci vocant μεγαλοφρονεῖν, vel ὑψηλοφρονεῖν, ſed magis vt ne curemus ea, quæ ſupra nos ſunt. μετεωρα enim vocãtur, quæ ſunt in nubibus, & in ſublimi aëris regione, de quibus Meteorologica ſcripſit Ariſtoteles. Proinde vel intelligendum, cum Eraſmo, Dominum ſignificare voluiſſe, non eſſe anxie aſtrorum curſum, & aëris, cæliq; diſpoſitionem obſeruandam, quemadmodum plerique faciunt, obſeruantes omnia tempeſtatum præſagia, & ex aſtrorum curſu de futuris conſulentes, ac palleſcentes, quoties aſtra minitantur annonæ penuriam. Aut intelligendum Dominum alludere ad geſtum eius, qui præ magna ſolicitudine angitur, vultum ad cælum attollens, vt ſit ſenſus, Ne anxiè oculos in cælum ſubleuetis, heſitantes de diuina prouidentia, in quem ferè ſenſum interpretatur Theophilactus.

Coruorũ cur ſpecialis fiat mentio Lib. 10. *nat. Hiſt. cap.* 12 & *Ariſt. li.* 6. *de hiſt. anim.*

μετεωρίζεσθε.

Nolite timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro, &c. Poſtquam variis rationibus ſolicitudinem vitæ, & rerum terrenarum à ſuis Dominus exeunt; radicem iam huiuſmodi ſolicitudinis eximit, nempe timorem. Vocat autem diſcipulos ſuos puſillum gregem ob numeri paucitatem, & eorundem impotentiam, ac infirmitatem. Quoniam enim diſcipuli ſibi timere poterant ob ſuam paucitatem, & imbecillitatem ab egeſtate, aliiſque huius mundi malis, tanquam impares, qui omnibus illis malis ſuperiores eſſe poſſent, ne nimiè ſolicitudine intus prohibita; Nolite, inquit, time re, & hic grex puſillus, Non tamen illud ex puſillus tantum in diſ-

in diſcipulos competit, ſed & in omnes, qui perfectionis diſcipulorum ſunt imitatores; quod hi ad reliquam hominũm multitudinem ſint pauci, imò & in omnes veros & bonos Chriſtianos. nã & hi pauci ſunt, ſi fiat ad infideles, & malos Chriſtianos comparatio. *Quia complacuit patri veſtro*, id eſt, Deus pater veſter ſua gratuita bonitate diſpoſuit vobis dare regnum. [Proinde cum Deus pater veſter ſit, ac ob id pro paterna ſua bonitate non poſſit veſtri curam deponere, cum etiam regnum vobis, quãtumuis iam apud mundum humilibus, & contemptis dare diſpoſuerit, idque ab æterno non veſtris prouocatus meritis, ſed ſolo ſuo voluntatis beneplacito: non eſt cur diffidatis, quin terrena huius mundi bona, quantum neceſſe eſt, etiam ſit ſuppeditaturus.] Huius ergo regni conſideratione omnem metum inopiæ rerum terrenarum excutite; imò quoniam cæleſte vobis regnum eſt præparatum in poſſeſſionem, vt regno illi cæleſti aptiores ſitis, & digniores; ſi quæ in hoc mundo poſſidetis, vendite ea, & erogate ea in eleemoſynã; iuxtà theſaurizaturi hac ratione ad illud regnum, ad quod ordinati eſtis. Eſt ergo illud, Vendite quæ poſſidetis, &c. euangelicum non tam præceptum, quàm conſilium. [Quod Beda indicat duobus modis poſſe impleri. Altero cum quis collectam ex venditis poſſeſſionibus pecuniam diſtribuit in eleemoſynam; atque hic eſt proprius huius loci intellectus. Altero, cũ quis omnibus ſuis poſſeſſionibus diuenditis, aut pro Domino derelictis, nihilominus poſtea labore manuum operatur, vnde & ſibi victum tranſigere & alijs eleemoſynam dare queat, quod eſt maximæ perfectionis à Paulo exhibitæ.] Cætera quæ ſequũtur de theſaurizando in cœlis, habita ſunt etiam ſuperius ex Matth. cap. 6. in cap. Concord. 42. tantum illud hic eſt peculiare;

Facite vobis ſaccoſ, qui non veteraſcunt; qua locutione allegorica recte dicemus ſignificari ſic eſſe expendenda & reponenda bona temporalia, vt illorum nõ perdatur fructus, ſed imperpetuum ex his fructus haberi poſſit. Itaque ſi quis diſtinctè requirat, quid per ſaculos non veteraſcentes accipiendum ſit, rectè dixeris pauperes eſſe illos ſaccolos, quod in eis expenſæ, & repoſitę facultates nunquam pereant.

Docet officium fidelis ſerui erga venturum Dominum Lucæ 12. CAP. LXXXVII.

SINT lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardẽtes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs, vt cùm venerit, & pulſauerit, confeſtim aperiant ei. Beati ſerui illi quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit

Universidad de Deusto
Biblioteca

nistrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia ve-
A.24.124 nerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus: Domine ad nos di-
A.24.124 cis hanc parabolam, an ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus inuenerit ita facientem, verè dico vobis, Quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit seruus ille in corde suo, Moram faciet Dominus meus venire, & coperit percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari. Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum plus petent ab eo. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque
A.10.35. dum perficiatur? Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duo in tres: diuidentur pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem oriētem ab occasu, statim dicitis, Nimbus venit,
A.16.64. & ita fit: & quum Austrum flantem dicitis, Quia æstus erit, & fit. Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à vobisipsis non iudicatis quod iustum est? Quum autem vadis cum aduersario tuo ad principem in, via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex
A.5.40. tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi non exies inde donec etiam nouissimum minutum reddas.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, &c. Postquam Dominus discipulum suum & superfluis exuit, & ab omni solicitudine, & cupiditate temporalium nudauit, regnique cælestis ingessit mentionem: opportunè iam ipsum ad ministrandum sibi inducit, atque regni illius vigilem expectationem. Itaque rectè subiungit;

Sint lumbi vestri præcincti, &c. Quæ Domini sententia est locutio allegorica, qua significatur oportere nos esse paratos ad occurrendum Domino venturo, & ad arripiendum iter virtutis in nocte huius seculi. Similitudo enim est mutuata à more vulgari seruorum

uorum Domino in nocte occurrentium, aut eorum qui nocte se parant ad iter. Quoniam ergo nocte ambulaturi & lumbos debēt habere præcinctos, ne vestium onus & prolixitas impedimentum eis præbeat & lucernas debent habere accensas, ne in tenebris impingant; ideo duo hæc etiam à suis Dominus requirit: in lumbo- *Lumbi*
rum quidem præcinctione significans, vt cuta rerum terrenarum *præcincti.*
depositā, quæ impedimento est virtutis iter aggressuris, aut Domino suo occursuris, expediti sint & prompti tum ad ambulandū viam virtutis, tum ad occurrendū Domino, eos ad fœlicitatē hinc *Lucernæ*
euocanti. In lucernis vero accensis significans opus esse, vt mentes *ardentes.*
nostræ pulsis errorū tenebris, vera sint fide illuminatæ, & percharitatē accensæ, ne verò lumine destituti impingamus in tenebris ignorātiæ; aut cum fatuis virginibus inueniantur lāpades nostræ extinctæ, sicque cū sponso sponsa nō possumus ingredi ad nuptias. Hic videtur genuinus huius loci intellectus si sequētia cōsideremus: D. *Hom. 18.*
tamen Gregor. non ineleganter hunc locum aliter explicat, quam quam præter præcipuam Domini intentionem.

Et vos similes hominibus expectātibus Dominū suum, quando, &c. Cum priori sermone Dominus præceperit nos similes esse, his qui se parant ad iter in nocte: iam noua parabola similes nos esse vult seruis Dominum suum nocturno tempore à nuptijs reuersurum expectantibus. Quæ similitudo in tribus consistit. Primum vt sicut illi serui sint prudentes & fideles, assidue vigilant; quod incertum habeant quando Dominus sit reuersurus à nuptiali conuiuio, quod vespertino tempore celebrari consueuit: ita & nos in nocte huius mundi solicitè caueamus, ne obrepat somnus peccati, sed perpetuo vigilemus in bonis operibus occupati; quod incertum nobis sit, quando Dominus noster venturus sit, siue ad vniuersale totius mundi iudicium, siue ad particulare cuiusque iudicium, post mortem cuiusque subeundum. Secundò vt sicut serui vigilantes confidenter expectant Dominum suum, quem quod à nuptijs reuersurus sit, expectant vēturum lætum, & iucundum, & eorum vigilantiam collaudaturum: sic & nos discutientes torporis, & peccati, somnum, non metuamus Domini aduentum, sed cū fiducia illum expectemus, nobis venturum è gaudijs regni cælestis (quæ per nuptias sæpè significantur) lætum, ac hilarem, & nostram vigilantiam comprobaturum, & remuneraturum. Tertio, vt sicut illi venienti, & pulsanti Domino confestim aperiunt ostium domus, lætique iuscipiunt: ita & nos Dominum, mox, & lætanter suscipiamus, cum venerit circa tempus mortis, & pulsauerit per immissam ægritudinem, aut mortem. Quo autem nos ad similitudinem illorū seruorum Dominus præmio, & honore prouocaret prosequens Parabolā dicit; Beati hoc est sæ
lices sunt serui illi, *quos cū venerit Dominus inuenerit vigilantes:* Et

quare

quare beatos pronuncier additi. *Amen dico vobis*, quod Dominus ip se vt ex nuptijs hilaris, ita etiam exhilaratus seruorum sedulitate, *præcinget se*, parans seipsum ad seruiendum.

Et faciet illos discumbere, & transiens, hoc est, præteriens more ministrantium mensis, obseruansque quid cuique desit aut quisque desideret, *ministrabit illis*. Dicta sunt enim hæc ad literam de Domino aliquo homine cum seruis suis fidelibus comiter, & benignè se gerente, quem Christus fingit (vt nonnunquam fieri solet) exhilaratum primum nuptiali conuiuio, deinde seruorum vigilantia, nouam cænam seruis parare, vt qui fideles se seruos exhibuerunt læti sint cum ipso in nuptijs exhilarato, & se vicissim illis veluti seruum exhibeat, quorum erga se fidelitatem reipsa expertus est. Huiusmodi ergo Domini facto parabolicè Christus significat fœlices esse, quos ipse inuenturus esset vigilantes in fide, & bonis operibus, eo quod talibus veluti Dominus sit concessurus accumbere in mensa regni cælestis, & communicaturus illis suorum gaudiorum fruitionem, ac prouisurus ne quid illis ad iucundam vitam desit, imo largiter suppeditaturus quidquid desiderare possint. Sic enim satis est Parabolam applicare, vt non sit necesse ostendere quomodo Dominus se est præcincturus, aut quomodo transiens ministrabit illis.

Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia, &c. Noctem veteres in quatuor diuidebant vigilias, vel custodias quarum quælibet tres continebat horas, post quas prioribus custodibus succedebant noui in seruandis ciuitatum mœnijs, & hostium aggressibus. Hinc est quod secundæ, & tertiæ vigiliæ hic fit mentio per quas profunda nox significatur. Non fit autem mentio quartæ vigiliæ, eo quod vltra tertiam vigiliam non consueuerit differri reditus a nuptijs. Nec primæ item fit mentio, quod illud tempus in superiori sermone sit indicatum. Porro locus hic ad literam dupliciter potest intelligi, & iuxta hanc duplicitatem etiam diuersa erit parabolæ ad rem significatam applicatio. Primò enim intelligi potest seruos significari fore beatos, si Dominus veniens in secunda vigilia inueniat eos vigilantes, etiam si in prima vigilia nó vigilauerint: & similiter si Dominus veniens in tertia vigilia inueniat eos vigilantes, etiam si in prima & secunda non vigilauerint, vt quod ad sensum præcipuè a Domino intentum attinet, intelligamus significatum beatos fore quoscunque Dominus in morte inuenerit vigilantes, siue in prima, siue in media, siue in vltima ætate intenti fuerint, etiam si in prima, vel in secunda non vigilauerint. Hoc enim communiter hic significatum intelligitur, vt nó desperet, qui vel in media ætate, aut vltima, hoc est senectute, incœperit vigilare. Altero modo sensus esse potest beatos esse seruos, qui non solum vigilant in prima vigilia, quod factu facile est, sed etiam

Noctis vigilia quatuor.

etiam in secunda, & si opus est, etiam in tertia, vt quacunque vigilia nocturna Dominus veniat, inueniat eos vigilantes. Secundum quem intellectum significabitur hic à Domino opus nobis esse perseueranti vigilia, nec satis esse vt ad tempus vigilemus, expectantes ipsum solicitè; vt deinde non ferentes moram ipsius incidamus in torporem, & somnum: sed necesse esse vt longanimiter illius aduentum semper, & in quacunque ætate expectemus. Atque hunc sensum præcipuè a Domino intentum esse, ex eo patere satis patet, quod Lucæ 21. Vbi etiam propter certitudinem aduentus sui ad vigilandum hortatur, Vigilate, inquit, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere illa omnia, quę futura sunt, & stare ante filium hominis.

Hoc autem scitote quia si sciret paterfamilias qua hora, &c. Præcedenti parabola ostendit præmium seruorum vigilantium, hac autem pœnam, & malum eorum, qui non vigilant. Pro eius autem intellectu sciendum imprimis ad hoc potissimum spectare istam parabolam, vt intelligamus diem Domini venturam sicut fur in nocte, tempore scilicet, & hora, qua non putatur; atque ob id nobis perpetuò vigilandum esse, ne si dies illa nos dormientes inueniat, incidamus in tale malum, quale patitur paterfamilias dormiens à fure nocturno oppressus: qui paterfamilias vtique vt huiusmodi periculum effugeret, vigilaret si præsciret furis aduentum. Applicatio ergo parabolæ secundum nostram lectionem (Græcis enim hæc per præteritum leguntur; si sciuisset qua hora fur venturus esset, vigilasset vtique, & non permisisset perfodi domum suã) taliter fieri potest. Paterfamilias si sciret qua hora fur esset vẽturus vigilaret, &c. Ideo & vos huius exẽplo vigilate, quia cũ certũ sit vobis diem Domini venturum, veniet tamen ille tãquam fur in nocte, hora qua non putatis: quare ne vos imparatos dies illa tanquam fur opprimat, vigilate ad exemplum boni patris familias. Si enim homines vigilant, ne pereat pecunia, multò magis vigilandum vobis est ne pereat anima. In hoc ergo consistit similitudo: sicut ille vigilaret contra furem, ita & nos contra diẽ Domini, quæ veniet sicut fur in nocte, vigilare debemus. Porro quæ hic dicuntur de aduentu Domini, aut filij hominis: intelligenda sunt & de aduentu eius vniuersali, quo scilicet ad omnium iudicium est venturus, & de aduentu eius particulari, quo in cuiusque morte venit ad singulos iudicandum. Vtrumque enim aduẽtum incertum quoad tempus esse voluit, vt semper essemus vigiles, ac parati occurrere venturo: sic viuentes quasi semper mori parati; aut nouissimum eius aduentum excipere. [Quoniam autem hic significatur filium hominis venire in morte cuiusque, ad eum qui moritur: hinc plerique credunt & est communis sententia Dominum vnoquoque homine, maximè Christiano moriẽte, adesse

illi cum sanctis Angelis, quando etiam rationem vitæ reddit anima. Quidam tamen aduentum illius particularem intelligunt imperium eius, quo iubet, vt anima a corpore separetur. Et omnino credidérim in morte cuiusque nunc illio, nunc isto modo aduenire.

Ait autem illi Petrus, Domine ad nos dicis hanc parabolam? &c. Quoniam Dominus quædam dicebat inter docendum, quæ peculiariter pertinebant ad Apostolos, & quædam, quæ generaliter ad omnes: hinc Petrus omnium Apostolorum, vt solet nomine modo interrogat, num Dominus prædictam parabolam de fatre familias propter Apostolos dixisset, an propter omnes. Et causa dubitandi videri potest esse, quia Petrus sciebat se, & condiscipulos suos electos ad officium Patris familias, cuius officium est domui custodiendæ inuigilare. Dominus autem non respondit Petro aperte, vt nec plerumque respondere solet, sed per ea, quæ post addidit, facit intelligere ea, quæ sunt superius dicta, ad omnes quidem pertinere, sed peculiariter ad Apostolos, eisque similes: ideoque parabolam alterant adiungit, quæ propriè pertinet ad præpositos Ecclesiæ, quæ tamen etiam suo modo ad omnes pertinet, vt patebit. Dicit ergo Dominus;

Quis putas est fidelis dispensator & prudens, &c. dicit: Quis putas, & qui nam significans raros esse, qui fideles sint dispensatores, & similiter raros esse qui Ecclesiæ suæ bene præsint, quorum quæ debeant esse conditiones: pulchrè subindicat hac parabola. Primo enim debent agnoscere se dispensatores esse non Dominos, vt non pro suo libito agant omnia, sed pro voluntate sui Domini: Deinde fideles eos esse oportet, & simul prudentes. Fideles quidem, vel fidos, vt non fallant, prudentes vero vt non fallantur. Tertiò non sibi vsurpare debent dispensandi officium, sed constitui a Domino. *Quem*, inquit, *constituit Dominus super familiam suam*. Postremum agnoscere debent præpositi Ecclesiarum ad quid sint aliis præpositi a Domino, nimirum nõ vt accipiant ab illis, sed potius vt dent; *Vt*, inquit, *det illis in tempore tritici mensuram*, vel vt est Græcè σιτομετρίον, quod commodius, & elegantius verti posset, demensum vnica dictione. Mos enim fuit (vt autor est Donatus in Phormionem Terentianum) quaternos frumenti modios quolibet mense singulis seruis admetiri, idque demensum est appellatum, vel à mense, vel à metiendo. Attamen non malè interpres vertit tritici mensuram: si modo nomen speciei triticum pro nomine generico frumenti accipiatur. Ex his patet quare, quod ad literam attinet, dicatur, vt det illi demensum, vel frumenti mensuram, idque in tempore sibi congruo, nempe singulis mensibus. Quod autem ad rem intentam attinet, significatur ad hoc à Domino præfici quosdã suæ familiæ,

familiæ, vt ei temporibus oportunis pabulum doctrinæ spiritualis, & Sacramentorum exhibeant: idque secundum modum indigentiæ, & capacitatis quorumlibet. Postquam autem indicauit Dominus conditiones, & officium boni dispensatoris, subijcit eiusdem fœlicitatem, & præmium dicens; *Beatus*, id est, fœlix est *ille seruus, quem cum venerit Dominus*, qui peregre profectus illum præfecit suæ familiæ, *inuenerit* non solum ita prius fecisse, sed sic *facientem*, quomodo ei vt faceret constitutum erat. Et quare eum beatum dicat ostendit dicens. *Verè dico vobis quoniam*, id est, quod non iam satis erit constituisse illum super famulitium suum, sed expertus eius fidelitatem, super omnia etiam quæ possidet *constituet illum*, dicens illi vt alia parabola habet explicatius: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, &c. Per quæ parabolice significat Dominus eos, qui hic præfecti familiæ Christianæ fide optima munus suum obeunt, ab ipso cum ad iudicandum redierit, præficiendos omnibus suis bonis, quod fiet cum cælestium suorum bonorum eos participes faciet; idque abũdantius quam cæteris sanctos, quando simul cum Christo regnabunt, iudicabunt nationes, & dominabuntur impiorum, ac possidebunt eum cælestibus etiam vniuersam terram. Declarato autẽ & officio, & præmio boni dispensatoris prosequitur Dominus etiã crimina, & supplicium mali dispensatoris: cuius quidem crimina duo facit, quæ solent esse malorum seruorum; nempe conseruorum suorum, quibus præfectus est, oppressionem, & bonorum Domini ad voluptates absumum.

Quod si, inquit, *seruus ille* à Domino præfectus famulitio, *dixerit in corde suo*, id est, cogitauerit *moram facit Dominus meus venire*, id est, Dominus meus differt reditum, eoque consilius *cœperit percutere seruos, & ancillas*, in quos contra ob cõmunem cum eis cõditionẽ, humanus esse deberet, & de bonis Domini neporari cœperit, edendo, & bibendo gulosè, *veniet aliquando Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit*, & offensus illius crimiribus *diuidet eũ*, aut vt habent Græca dilecabit eum *partemq; eius ponet cum infidelibus*, id est, infidis seruis, hoc est faciet eum consortem sortis infidorum seruorũ. Loquitur enim Dominus, quod ad exemplum vnde sumitur parabola, attinet, de Domino aliquo, qui offensus seruo dissecat corpus illius in duas partes, occidens eum, & hac ratione faciens eum subite sortem, quam ante eum infidi serui subierunt; aut potius qui diuidit seruum malum à sua familia, non dignans eum diutius suo contubernio, & infidis seruis in pistrino, aut carcere, aut alijs supplicijs coniungens. Per hæc ergo parabolicè significatur, quod si quis Christianæ familiæ præfectus ob moram aduentus Dominici se sperans diu victurum, aut discredens Dominum ad iudicium venturum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

cœperit iniuria quauis conseruos afficere, & bonis ei concessis ad suas voluptates abuti: is Domino veniente ad eum in morte, aut in iudicio vniuersali, dissecabitur ab ipso cum corpus ab anima misere auelletur, aut cum à sanctorum consortio separabitur, ac æternæ morti addictus erit, sortemque accipiet in inferno cum reliquis infidis seruis. [Porro quanquam hæc parabola propriè pertineat primum quidem ad Petrum, & eius successores, qui totius familiæ Christi sunt constituti dispensatores, vt meritò hæc responsa sint Petro interroganti, ac deinde etiam ad omnes Episcopos, & Ecclesiarum pastores & rectores, nec non ad seculares Principes: tamen vt nemo est qui sibi soli viuere debet, quique nō etiam habet, quo proximis prosit, ita suo modo hæc parabola etiā ad omnes pertinet, docens omnes vt si eo quod a Deo in bonum aliorum, & suarum virium rectam gubernationem acceperunt, fideliter & prudenter vsi fuerint, à redeunte Domino nostro cœlestibus bonis sint præficiendi. Si vero contra & iniurij fuerint in proximos & acceptis a Deo ad suas voluptates abusi fuerint, abijciendi sunt a familia Domini in gehennam.

Ille autē seruus qui cognouit voluntatē Domini sui & non, &c. Est hic alius parabolicus Domini sermo manifestus, si accommodes rebus humanis. Ita enim fieri in seruis hominum videmus, idque iuste, vt si quis sit cui Dominus communicauit arcana consilij sui, & cui indicauit quid fieri velit; quidque animo eius sit quā maximè gratum, nec tamen is se primum quidem parauerit ad faciendum, deinde vero etiam fecerit, quæ sciebat ex animo velle Domini: multis plagis & verberibus a suo Domino afficiatur. Qui vero fuerit de grege seruorum, cui Dominus non sic indicauerit animi sui voluntatem, si quid commiserit dignum animaduersione vapulet quidem, sed plagis paucis. Ad huiusmodi ergo in rebus humanis exemplum docet Dominus parabolicè futurum etiam hominibus apud Deum, vt qui ampliori dignatus est diuinę voluntatis cognitione, si secundum eam non viuat, grauius sit puniendus à Deo, qui vero minori, minus sit puniendus. Quod autē Dominus hac parabola docuit, vniuersalioribus confirmat sententijs, quibus rationem reddit dicti, cum subdit;

Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo, &c. Quasi dicat, & vt in genere dicam, Omni cui multum est datum, &c. Videntur autem & hæ sententiæ à vulgo mutuatæ vt frequēter facere solet Dominus, & esse parabolicæ, & exemplares, vt per quas ex rebus humanis diuina insinuantur. Sic enim est in rebus humanis, vt qui multum beneficij alicui contulit, multum etiam gratitudinis, & beneficētiæ vicissim ab eo requirat & qui alicuius fidei commendat, aliquid custodiendum, vel in bonum aliorum dispensandum multum etiam ab eo requirat, nempe quidquid de posui-

posuit custodiendum aut rationem omnium dispensatorum. Ad hoc ergo exemplum rerum humanarum significatur multā rationem Deum exacturum ab his, quibus multa sunt data, aut commendata.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi, &c. In præcedentibus Dominus per parabolas prouocauit discipulos suos, vt ad exemplum boni serui, & dispensatoris, quisque pro ratione suorum donorum studeret, quæ ei sunt commissa exequi, & Domini sui voluntatem adimplere: nunc itaque commodè subijcit, quod maximè ab eis fieri velit, & ad quid dona quisque sua conferre debeat: nimirum vt Euangelij prædicatio longe, lateque spargatur, & fructum faciat. Per ignem autem hic quidam intelligunt ipsum Spiritum sanctum, aut charitatem, & ardorem diuini amoris: rectius tamen ad propositum Domini per ignem Euangelica prædicatio intelligitur, quæ tamen non potest ignis appellari, nisi quatenus in ea vim suam exercet Spiritus sanctus; propter quod in Apostolos Euangelium vbique predicaturos in ignis specie descendit. [Ignis ergo dicitur Euangelica prædicatio, quia non vt lex vetus, nec vt humana doctrina frigida esset & inefficax, sed in virtute cooperantis Spiritus frigidos mundi homines accensura erat ad pietatem vitam eosque à suis sordibus purgatura: ita vt consumptis peccatis veluti fœno, & stipula animæ hominum innouarentur. Deinde quod longe, lateque dilaranda erat, omniaque suis flammis ad se tractura, purgatura electos, vstura impios, qui audito Euangelio accendendi erant odio contra illud.] Hunc ergo ignem Dominus è cælo veniens secum attulit, ideoque dicit se venisse vt illum mitteret in terram; significans è cælo illum in terram allatum; vt qui planè cælestis sit, nec in terra inueniri poterit, nisi è cælo mitteretur. Quanto autem desiderio teneretur incendendi huius, significat cum subijcit: *Et quid volo nisi vt accendatur?* Pro quo Græca habent καὶ τί θέλω εἰ ἤδη ἀνήφθη, id est, & quid volo, si iam accensus est? Sensus est: Illud vnicè desidero, vt ignis ille per vniuersum orbem per vos accendatur. Veget inquit Theophyla. vt accendatur ignis ille. Itaque quid volo, positum est pro, nihil aliud volo, & si iam accensus est, celeritatis habet emphasim; & in, si, subest tacita significatio voti: Vnde D. Hieronymus quibusdam locis citans hoc testimonium, habet, & quam volo, vt ardeat.

Baptismo autem habeo baptizari; & quomodo coarctor, &c. Pro coniunctione (autem) rectius verteretur. Sed baptismo habeo baptizari; vt sic aduersatiuo modo significetur, quare nondum fiat, quod volebat. Nō enim exilire potuit ignis iste de quo loquitur, nisi percussus prius esset in cruce silex corporis ipsius. Tunc enim

Euangelica prædicatio ignis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euangelica doctrina spargi potuit per vniuersum mundum, & omnes accendere, quando salutis Euangelicæ modus agnosci potuit, & prædicari innoxium vltrò pro noxijs sustinuisse mortem ignominiosam. Hanc autem suam mortem Dominus tropo nouo baptismum vocat sicut & Matth. 20. non suam solam passionē, sed & filiorum Zebedæi: primum quod in cruce propriè cruoris tinctione erat perfundendus (baptismus enim nihil aliud est quam tinctio) deinde quod mors illi foit velut mortalitatis ablutio, & ad vitam cæleitem purgatio: ad cuius imitationem & nos baptizamur, cum regeneramur in ipso. Dicit autem se coarctari vsque dum perficiatur, propter ardentissimum pro salute hominum obeundæ mortis desiderium. Sicut enim spes quæ differtur affligit animam: ita & desiderium rei, quæ differtur. Porro quoniā ignis quem Dominus venerat missurus in terram, cum esset accensus, magnos excitaturus esset in mundo tumultus: ideo ne hinc turbarentur discipuli, recte etiam iam subiecit Dominus, quod & supra Matth. 10. in cap. Concord. 5. habitum est.

Mors Christi baptismus dicitur.

Putatis quia pacem veni mittere, &c. Quorum intelligentiam ibi require. Dictum enim est ibi de quinque in vna domo fiat mentio, & quæ sint illæ quinque personæ. Dicitur autem *tres in duos, & duo in tres dividentur* siue quia quandoque duo credunt, & tres increduli in illos insurgunt; quandoque tres credunt, & duo in illos insurgunt siue quia quando tres sunt contrarij duobus, duos etiam necesse est contrarios esse tribus, quæ intelligentia magis conuenit sequentibus.

Dicebat autem ad turbas, cum videritis nubem orientem, &c. Postquam ad cōmonitionem discipulorum Dominus docuit ad quid in hunc mundum venerit, iam conuersus ad turbas, occasione mittionis de suo aduentu in hunc mundum facte reprehendit eas, quod tēpus aduentus sui non agnoscerent ex variis rerū indicijs: cum in rebus longe leuioris momenti tam sagaciter cōiecterent tempora qualitates.

Cum inquit, *videritis nubem orientem ab occasu*, id est, occidentali cæli parte *statim dicitis, nimbus venit. & ita fit* vt in plurimum: *& cum videritis austrum flantem, dicitis.* Ex obseruata consuetudine peritiæ, quia, id est, quod *assuetus erit & ita fit. Hypocritæ*, qui scilicet simulatis vos esse cupidos discendæ veritatis, cuius ex animo vos non esse cupidos res ipsa declarat: *dispositionem cæli & terræ nostis probare, hoc autem tempus* aduentus Messiæ *quomodo non probatis?* & animaduertitis: cum illius obseruatio magis sit vobis tum vtilis, tum necessaria; & ex multis, certisque indicijs per Prophetas significatis agnosci possit certius, quam ex cæli dispositione temporum qualitates? Similia apud Matthæum supra in cap. Concord. 64. ex cap. Matth. 16. habentur dicta à Domino

mino ad Scribas & Pharisæos, quos etiam hic maximè notasse, quamuis turbas alloqueretur, ostendit nomen hypocritæ, quo fere nomine illos taxare solet.

Quid autem & à vobisipsis non iudicatis, quod iustum est? Cum Græca non habeant: Cum autem vadis vt nos legimus, sed cum enim vadis &c. Certum est hanc interrogationem ad sequentia, non autem ad præcedentia esse referendam. Sequentem autem parabolam omnino ad hoc adhibuisse Dominum apparet, vt inuiaret ad reconciliationem cum Deo, quandiu tempus esset, meū dari, idque exemplo humano, quo solent hi, qui ad iudicium sunt pertrahendi ab aliquo si sapiunt, laborare omnibus modis, vt cum illo tedeant in gratiam priusquam ad iudicem pertrahātur, vbi exactum ius eos experiri necesse esset. Proinde illud: Quid autem, & à vobisipsis, &c. hunc commodè habebit sensum: Cur autem etiā ex humanis vestris factis, & ex his quæ facere soletis non iudicatis, quod iustum est fieri hoc tempore à vobis. Sic enim iam rectè sequitur illatum à Domino paradigma, quod quomodo tractari debeat, satis patet ex his, quæ circa Matthæi locum dicta sunt. Significare enim vult Dominus, quod quemadmodum ipsi, quibus loquebatur, cum aduersario suo cito compositurus essent, ne pertracti ad iudicem maius inciderent periculum: ita eos si in re salutis ipsorum, non minus sapcrent, quam in rebus humanis merito studere oportere, vt cum Deo redirent in gratiam, cum iam ille vltro gratiam suam offerret ipsis: ne postea neglecta occasione hac, seueritatem diuini iudicis expetiti cogantur. Itaque quanquam non sit necesse singula huius parabolæ persequi, vt dictum est in Matthæo: rectè tamen præaduersarium cuius hic fit mentio intelligitur designari parabolicè aut ipse Deus, quem omnis peccator, habet aduersarium, aut ipse diabolus, quem aduersarium nostrum Petrus appellat, & ab accusando, & criminando diabolus dictus est. Hic ergo diabolus peccatores trahit ad Principem & iudicem Christum, qui eosdem tradit Angelis exactoribus diuinæ iustitiæ, mittendos in carcerem inferni, vnde non liberabuntur, quia nunquam debitum persoluetur. Ex prædictis etiam satis patere potest quomodo hic locus sic explicatus cum præcedentibus conueniat. Cum enim superius Dominus docuerit eos merito debuisse agnoscere tempus aduentus sui, eosque redarguerit, quod tempus illud non agnouerint, qui tamen ex dispositione cæli temporum qualitates probare nossent: nunc docet temporis huius occasionem non esse negligendam; eosque redarguit, quod pro salute æterna non id facerent, quod pro rebus temporalibus facerent.

Docet pœnitentiam agendam ob Dei patientiam. Lucæ 13.

CAP. LXXXVIII.

ADERANT *autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Et respondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë & occidit eos, putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Hierusalem? Non dico vobis, sed si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis. Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, usquedum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.*

Aderant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de, &c. Cū in superioribus auditores ad resipiscentiam, & reconciliationem cum Deo ineundam, quandiu tempus est adhortatus esset: cōmoda sese obtulit occasio, qua cœptam materiam prosequeretur, & ad pœnitentiam eos prouocaret per terrorem imminentis diuinæ vltionis. Aderant inquit quidam in ipso, id est, in eodem tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum *sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs ipsorum*, id est, quos Pilatus inter sacrificandum interfecerat, ita vt misceretur eorum sanguis cum sanguine hostiarum suarum. Siue autem hi Galilæi fuerint ex sectatoribus Iudæ Galilæi, cuius mentionem Lucas facit in Actis cap. 5. siue nō: constat eorum cædem tum recens fuisse patratam ob aliquod eorum facinus. Porro qui de his Galilæis Domino nunciasse dicuntur, ferè intelliguntur hoc fecisse, vt Galilæorum illorum impietatem tam atroci & nouo supplicio punitam Domino indicarēt, & illorū seditiosum animū detestantes Pilati factum cōmendarent, execrantes illos velut maximos peccatores, ac cupientes scire quid de illis Dominus pronunciaturus esset. Eo enim animo eos hæc Domino narrasse apparet ex subiuncta Domini responsione, qua videtur corrigere voluisse eorum opinionem, qua putarunt illos præ alijs fuisse peccatores, qui tam crudelem, & nouam pœnā dederunt. Itaque horum gloriationem, qui sibi placebant, tanquam

Galilæi isti qui fuerint.

quam meliores occisis Galileis Dominus hoc loco reprimit doces, ex vltione. quæ de illis est sumpta, non colligendum ipsos fuisse grauiores peccatores, esse enim etiam ipsos a qualibus, aut etiam maioribus obnoxios peccatis, ob quę nisi resipiscant, similiter sint perituri. Dicit autem, *omnes similiter peribitis*, non significare volēs eodem genere mortis perituros, sed simpliciter omnes malè, & crudeliter, ac inopinato perituros. Porro piscinam Siloam in Hierusalem fuisse iuxta muros ciuitatis, in quibus multæ fuerunt turres; patet ex Nehemia. cap. 3.

Dicebat autem & hanc similitudinem. Arborem fici, &c. Cū omnibus interitum minatus esset, nisi agerent pœnitentiam; addit parabolam, quæ rem ante oculos ponerēt, & quod futurum erat, admoneret. Est autem parabola per se aperta satis, vt quod ad literam pertinet non sit in ea quicquam annotādum, nisi forte quod cum dicitur, vt quid etiam terram occupat, pro occupat. Græcis est καταργεῖ, quod propriè est onerare inutili onere; vt intelligamus non solum inutiliter occupare terram, sed eandem etiam onerare: vt à qua succum trahat sine fructu. Deinde in illo; Et si quidem secerit fructum, eclipsis est, aut apoſiopesis. Nam subintelligendum, bene erit, aut sinemus eam, aut aliud commodius. Porro hac parabola peculiariter notare voluit Dominus gentem Iudaicam, & significare (vt in genere eam applicemus) populum illum diu à Deo expectatum vt fructum faceret, breui perdendum, si modo pergerent esse steriles, & in obstinata sua malitia persisterent. Cæterum tamen quanquam excidium Gentis Iudaicæ Dominus peculiariter notare voluerit; nihil dubium quin etiam hac parabola in genere omnes & singulos tunc præsentes auditores, & in illis etiam nos, ad quos eius doctrina peruentura erat, admonere voluerit, ne Deum prouocantem, & expectantem ad pœnitentiam negligeremus. Itaque per ficum hanc parabolicè etiā significatur quisque homo, maximè fidelis, in vinea Domini, hoc est Ecclesia plātatus; qui si etiam post trium annorum expectationem, hoc est, post multum temporis, aut post iuuentutem, adolescentiam, & virilem ætatem, ac demùm post culturam eis ab Ecclesiasticis cultoribus impensam pergant manere infrugiferi, excindendi sunt, & in ignem mittendi.

Sanatur mulier contracta. Lucæ 13.

CAPVT LXXXIX.

ERAT *autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit*

illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem archisynagogus indignans quia sabbatho curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die sabbathi. Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocrita, unusquisque vestrum sabbatho non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiã Abrahæ, quam alligauit satanas ecce decem & octo annis non oportuit solui à vinculo isto die sabbathi? Et quum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortũ
A 13.19 B 4.32. A.15.33. *suum, & creuit, & factum est in arborem magnum, & volucres cæli requieuerunt in ramis eius. Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnũ Dei? Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satæ tria, donec fermentaretur totum.*

Erat autem docens in synagoga eorum sabbathis, & ecce, &c. Nulla hic reprehendenda est coherentia, cum certum satis sit Lucam sicut & cæteros, pleraque coniunxisse obiter, & vno commemorato ad aliud transisse, prout inter scribendũ memoriæ occurrebat. Itaque quemadmodum iam aliquoties fecit, commemorare rursum volens peruersum Iudæorum, & maximè eorum, qui apud eos primi erãt iudicium de factis Iesu optimis, & salutiferis: *Erat*, inquit quodam tempore docens in Synagoga quadam eorum die Sabbathi, quando ad audiendam legem omnes Iudæi ab operibus vacantes conueniebant in Synagogam. *Et ecce*, cum sic ex more doceret Sabbathis in die, & loco celebri, aderat ibi inter reliquos, *mulier quæ habebat spiritum infirmitatis*, id est, quæ affligebatur infirmitate quadam à dæmonio, idque iam annis decem & octo. Erat enim ex diaboli operatione adeo inclinata corpore in terram, & contracta, vt nullo modo posset caput erigere, & sursum respicere.

Quam cum videret Iesus, hoc est prius quã aut ab ipsa muliere, aut ab alijs pro eius sanitate interpellaretur, ad solum eius aspectũ (qui in Christo semper secuturæ salutis omen est) motus erga ipsam misericordia, ostendere volens se venisse vt dissolueret opera diaboli, & hominum mala depelleret, suamque quam præmisit doctrinam miraculo confirmare volens, mox vocauit eam ad se, eique parcens, & magna cum spe venientĩ, ait: *Mulier dimissa*, id est, liberata es ab infirmitate tua. In quibus verbis ea pro sis positũ est, i. vocamus (scilicet pro Imperatiuo hebraica phrasi) aut potius ideo dictum est, liberata es quam sis, vt mulieris ũdem magis accenderet, ac suam potentiam declararet, quemadmodum & paralytico de quo Mat. 9. non est dictum, Remittantur tibi peccata tua, sed remittuntur, vel vt habent Græca, remissa sunt. Secundum quem posteriorem modum probabiliorem sanè dicendum vlterius quod impositio manuum quamuis commemoretur à Luca post verborum prolationem, præcesserit tamen eam, quodque statim ad contactum mulier fuerit sanata, aut quod inter pronunciandum verba illa cum contactu sanabatur. Mox ergo vt Dominus eam tetigit vtpote sua carne, eique suis verbis sanitatem pollicitus est, mulier eius verbis credẽs erecta est: liberata tam facili negocio à morbo tam diuturno, & planè immedicabili: & agnoscens planè cælestẽ esse beneficium glorificabat Deum.

Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbathis, &c. Indignatum dicit Euangelista quod Iesus Sabbathis curasset, non quod ille à populo glorificaretur, vt intelligamus indignationẽ hanc non tam ex inuidia profectam, quam ex peruerso iudicio, quo imbutus Phariseorum fermento non potuit discernere, qua in re vera pietas esset ira, zelum habens Dei, sed non secundũ scientiam. Cum autem indignaretur archisynagogus Christo, non est tamen ausus illum reprehendere, veritus eius potentiam & authoritatem, sed conuersus ad turbam, ex indiscreto erga sabbathũ zelo, veluti ex suo officio dixit, *respondens*, hoc est subijciens hæc verba ad factum Christi;

Sex dies sunt, in quibus oportet operari, in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbathi. Hanc itaque tam stolidam eius vocem (opus enim plane diuinum inter opera numerat plane humana, & seruilia) non tulit clementissimus Dominus, sed acriter confutauit, idque non ex scripturis, sed sic vt illius peruersum iudicium contra communem hominum sensum esse declararet: ratione sumpta à proposita materia, vt scilet, nimirum à vinculi solutione, quam cum non iudicarent illicitam in boue & asino, iudicauerunt illicitam in homine, idque filiã Abrahæ, & quam Sathanas humani generis hostis miserrimè & diuturno tempore ligatam tenuerat. Comparans enim mulierem hanc cum boue, & asino, tria in ipsa comparatione dicit, quæ ad anxesim faciunt. Filiam enim Abrahæ vocat, vt sic ex comparatione eius cum boue, & asino nullieris nobilitatem apud Iudæos indicaret, qui magnum quid esse putabant, esse filium Abrahæ. Deinde & sathanam alligasse eam commemorat, quo magis ostendat dignum esse eam solui, idque etiam die sabbathi. Tertiò addit & temporis prolixitatem, vt vel huius consideratione ostendat hanc dignam fuisse sua misericordia, & omnium cõmiseratione, ideoque cum aduerbio dicit, *ecce decem & octo annis*. Nec emphasi caret quod non dicit simpliciter à vinculo, sed à vinculo isto, tam misero scilicet, tam diuturno, tamque indigno humanæ conditioni. Porro hypocritam vocat Dominus archisy-

Universidad de Deusto
Biblioteca

archisynagogum, quod ex iustitiæ zelo videri vellet populum admonere, cum à vera iustitia longè abesset. Quoniam autē sermo Domini perspicuam habebat veritatem, & ad sensum etiam communem humanæ naturæ consentaneus fuit, pudorem incussit obtrectatoribus eius, vnde sequitur;

Et cum hæc diceret erubescebant omnes aduersarij eius. Vt quos tā aperta ratione redarguisset, cui nullo modo respondere possent. Ceterum omnis populus, quod non haberet animos prauis Pharisæorum iudicijs & passionibus imbutos, *gaudebat in vniuersis quæ gloriosè fiebant ab eo.*

Dicebat ergo; cui simile est regnum Dei, &c. Has easdem parabolas & suprà dixit Dominus Matth. 13 in cap. Concord. 52 vbi latè satis pertractatæ sunt.

Docet angustam esse viam regni cœlorum. Lucæ 13. CAPVT XC.

Ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Hierusalē. Ait autē illi quidā: Domine si pauci sunt qui saluāntur? Ipse autē dixit ad illos: Cōtendite intrare per A.7.43. *angustā portā, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & nō poterūt. Quū autē intrauerit pater familiæ, & clauserit ostiū & incipietis foris stare, & pulsare ostiū, dicentes: Domine aperi nobis, & respondēs dicet vobis: Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coràm te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis. Discedite* A.8.45. *à me omnes operarij iniquitatis, ibi erit fletus & stridor dentiū, cū videritis Abraham & Isaac, & Iacob & omnes prophetas in regno Dei, vos autē expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone,* A.10.100 *& Austro & accūbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi qui erūt pri-* P.10.100 *mi, & sunt primi qui erunt nouissimi. In ipsa die accesserunt quidā pha-* A.10.101 *risæorum dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite dicite vulpi illi, Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die cōsummor. Verūtamē oportet me hodie, & cras, et sequēti die ambulare, quia nō capit prophetā perire extra Hieru-* A.21.110. *salē. Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties voluī congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pēnis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Et ibat per ciuitates, & castella docens & iter faciens in Hierusalē. Profectio in Hierusalem, cuius hic fit mentio, quæ fuerit, an vltima illa, qua ad mortem accessit, an ad aliquam imminentem solemnitatem, incertum est. Cum certum sit post relictam Galilæā Dominum frequenter accessisse Hierusalem, vt supra ostēsum est, nisi quod verisimile est Lucam significare voluisse, Dominum se iam præparasse ad subeundam mortem in Hierusalem, quam sibi sciuit imminere. Itaque cum quodam tempore esset in via ad Hierusalem, quidam quoniam Dominum audiuit inuitantem omnes ad salutem, interrogauit illum si pauci essent qui saluantur, id est, saluabuntur. Dominus autem suo more non respondet directè ad propositam quæstionem; sed ex ea occasionem arripuit docendi, id quod magis erat necesse cognoscere: nempe modum, quo ad salutem est perueniendum, & tamen sua responsione simul etiam quæstioni satisfecit, indicans paucos fore, qui salutem assequātur, quia multi quærent intrare, & non poterunt.

Contendite, inquit, hoc est certate, & omnibus viribus conemini intrare per angustam portam; significans labore opus esse, & conatu, ob ingrediendi per angustas portæ difficultatem: & conandū cuique vt veluti præripiat alteri ingressum, quod angusta porta paucos recipiat. Cæterum quid per angustam portam sit accipiendum: dictum est in cap. Concord. 43 circa illud Matth. 7. Intrate per angustam portam. Verū de veritate eius quod sequitur, quia multi querent intrare, & non poterunt, dubitari potest. Sed si sequentia spectemus, patebit satis istud dictum de futura vita, subditur enim in declarationem huius, quomodo postquam ingressus fuerit Patersamilias, tunc incipient quidam cupientes intrare pulsare ostium frustra. Proinde cum dicitur; multi quærent intrare, non debet intelligi de introitu in portam, vel per portam angustā, quā in Matthæo diximus intelligendā viam virtutis: sed de introitu ad vitā, & regnū cælorū; in quo non est alicui post hic vitam introitus, nisi hic ingressus sit per portam virtutis angustā.

Cum autem intrauerit pater familias, & clauserit ostiū, &c. Quod dixit de quærentibus intrare prosequitur Dominus latius per subiunctam Parabolam, qua illud quod de quærentibus intrare dixit, in ludæis euentuum significat. Loquitur autem de seipso Dominus sub similitudine alicuius patrisfamilias, qui postquam cum suis amicis, quos ante ostium stans expectauit, ingressus est domum ad conuiuium, & clauserit ostium admittere & agnoscere recusat eos, qui postea pulsant ostiū. Itaque Dominus noster nūc se habet veluti Pater familias aliquis, qui vel sedēs in domo, vel stās ante ostium Domus apertum expectat, & recipit amicos ad cōuiuium vocatos; quia vsque ad mundi consummationem expectat quos recipiat; recipitque qui digni sunt ad conuiuium fœlicitatis æternæ; ad quod iam omnibus per virtutem ostium patet. Erit autem veluti Paterfamilias qui surrexit (sic enim est Græcis) aut intrauit, & clausit ostium, omnibus quidem in nouissimo

die

Universidad de Deusto
Biblioteca

die vniuersalis iudicij, cuique vero etiam in hora mortis, quia tũc non amplius expectabit recipiendos, nec erit vltra facultas ingrediendi, sed erit tunc veluti clausum ostium regni cælorum, quod ia cuique quamdiu viuit, & in genere omnibus hominibus vsque ad consummationem seculi est apertum. Quod autem dicit quosdam post ostium clausum foris stantes pulsaturos, & dicturos Domine, Domine aperi nobis, ac post primam repulsam subiuncturos, comedimus coram te, & bibimus, &c. Non sic sunt accipienda, quasi hæc omnia sic sint ab impijs repellendis, aut ab ipso Domino dicenda: sed per hæc quæ commemorantur sic secundum exigentiam parabolæ significatur parabolicè tales tunc quidem summoperè optaturos admitti ad ingressum, & nihil illis profuturam aut appellationem Domini, aut familiaritatem, quam cum ipso Domino habuerunt in carne, sed veluti planè incognitos reijciendos. Hoc enim significat eius subiuncta responsiõ.

Nescio vos vnde sitis, hoc est, sicut inter meos non agnoscam vos: propterea quod me Dominum appellabitis, & inuocabitis: ita nec ob familiaritatem, quam mecum in terris habuistis. Nec tantũ velut alienos vos habebo, & velut incognitos excludam à gaudijs regni cælestis: sed etiam procul à me esse iubebo, & iubendo faciam. Hoc enim significatur per hoc quod subditur dicendum à Patrefamilias.

Discedite à me omnes operarij iniquitatis, quod de ijs dicitur, qui in vita sua toti sunt addicti peccatis. Certum est autem parabolam prædictam à Domino dictam esse contra Iudæos sui temporis, cum quibus scilicet tum Dominus conuersabatur: sed per accõmodationem rectè etiam intelligemus dictam contra malos Christianos, in quos magis competit quam in Iudæos dicere illud: Manducauimus coram te, &c. eo quod longe maiori, & diuiniori cum Christo iam fruantur familiaritate, coram ipso manducantes, & bibentes prætiosum eius corpus, sanctumque eius sanguinem; in quorum item plateis iam Christus docet, quia per suos doctores eis palam Patris voluntatem annunciat: vestris his quoniã operarij sunt iniquitatis, nec per angustã portam intrare contendunt, nihil proderit in illo die, quod inuocauerint, ipsum tanquã Dominum suum, aut quod dicere poterunt se mirabili quadam eius consuetudine hic fruitos esse, sed velut plane incogniti habebuntur, & ejicientur.

Ibi erit fletus & stridor dentium. Dixit iniquos Iudæos excludendos, nec non & abiciendos, addit iam quod his grauius videtur, nempe exclusionem, & abiectionem, secuturum grauem dolorẽ, & horrorem, quæ per fletum, & stridorẽ dentium significantur. Ibi inquit, hoc est in loco, an quẽ discedere cogemini erit fletus & stridor

stridor dentium, id est, color, & horror maximus, cum videritis Abraham, &c. Quibus verbis significat eorum calamitatẽ ex alio rum conspecta fœlicitate duplicitèr ægendam, primum quod videbunt se alienos à Patriarcharum, & Prophetarum consortio, ex quorum se progenie natos esse gloriabantur, & in quorum mentis sibi placebant, adeo vt propter illos persuaderent sibi non posse se reijci. Deinde quod ipsis exclusis qui se solos credebant recipiendos, visuri essent gentes ex omni orbis natione coniunctas Patriarchis in gaudio, & fœlicitate regni cælestis, quibus tamen cum Patriarchis nulla fuit secundum carnem cognatio, nulla cum Christo secundum carnem familiaritas. Subijcit autem:

Et ecce sunt nouissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant nouissimi, &c. Qua sententia significat mirabilem fore rerum mutationem contra Iudæorum illorum expectationem, vnde & addit aduerbium, ecce: Est autem sensus, & ecce sunt, id est, erunt tunc nouissimi, qui olim erant primi, quia Iudæi qui primi aliquando erant apud Deum, & prælati Gentibus, tunc erunt nouissimi, & Gentibus inferiores: & contra tunc erunt primi, qui olim erãt nouissimi: quia gentes credulæ prælatæ erunt Iudæis, quibus prius erant inferiores. Porro sicut superiora, ita & hæc per accommodationẽ quadrant in malos Christianos, eos maximè qui inter Christianos primum aliquem obtinent locum.

In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi, &c. Hos non bono, nec syncero animo Domino illa suggerisse, ratis significat Lucas, cum Pharisæos fuisse testatur, quos fere introducũt Euangelistæ veluti Christi hostes. Itaque quidam Pharisæorum siue offensi his quæ contra Iudæos magna cum libertate docebat, siue gloriam eius, qua suam obscurari sentiebant, nõ ferentes, aut etiam experiri volentes, num metu mortis commoueri posset, & eos obtutari, accesserunt, & simulata beneuolentia suadent ei vt exeat, ac recedat. Herodis machinationem indicantes, de quo quod nunciauerunt Domino verum ne fuerit, an à Pharisæis confictum vt Herodis nomine, qui Ioannem occiderat Dominũ terreret, incertum est: nisi quod secundum multis videtur probabilius. Cæterum videri potest hæc contigisse in Galilæa, quod in ea principatũ haberet Herodes, non autẽ in Iudæa, vt illius quod dicunt: Exi hinc, sensus sit, recede è Galilæa, quia Herodes Princeps huius prouinciæ vult te occidere. Id si verum est, dicendum hæc à Luca narrari per recapitulationem vt multa forte in his capitibus narrat, quæ in Galilæa gesta sunt, cum capite nono Christum commemorauerit Galilæam reliquisse. *Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi:* Theophylactus post Cyrillum intelligit nomen vulpis non pertinere ad personam Herodis, sed magis ad ipsos Pharisæos, qui illud de Herode confixerant, vnde notant Græca non habere

vulpi

vulpi illi, sed ἀλώπεκι ταύτῃ, id est, vulpi huic, veluti Dominus demonstrare voluerit præsentes Pharisæos potius, quam Herodem. Et sane verisimile est falsum fuisse, quod de Herodis conatu significauerunt, quod & cum imprimis fama Iesu ad Herodem peruenisset, de ipso honorificè senserit, cupieritque videre eum, vt dicitur Lucæ nono, & postea cum à Pilato ad ipsum missus fuisset, cupidè illum susceperit, & illætum a se dimiserit; vbi etiam Lucas dicit eum cupiuisse à multo tempore videre eum; nimirum à tempore quo fama Iesu ad ipsum peruenerat, vt nono cap. idem scripserat. Itaque quoniá Pharisęi isti subdola mente Dominũ accesserũt prætexentes Herodis conatum, & fingentes sibi curam saluatoris: Dominus illorum corda sciens, mansuetè, & adumbratè pro suo more eis respondet, dicens; *dicite vulpi huic*, faciens quidem illos suspicati Herodem, eo quod singulari numero diceret vulpi, sed Pharisæos dolosos, & subdolè sese in hoc negotio gerentes notãs, dicendo huic, non illi. Sed vt vt est, siue Pharisæos, siue Herodẽ nomine vulpis notare voluerit, hac sua responsione significauit, nihil sibi esse periculi ab homine, neminemque se timere; præscire quidem se occidẽdum, sed vitam suam se habere in sua potestate, nec alio vel tempore vel loco occidendum, quàm quo erat constitutum. Iubet autem illud peculiariter dici;

Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio; tum vt notet crudelem Iudæorum ingratitudinem, qui eum possent odisse & persequi, qui talia eis impenderet beneficia, nec aliud quàm benefacere nosset, quique ob id amore potius quam persecutione dignus esset: tũ vt suam diuinam notaret potentiam, quam frustra humana potentia, quantacunque ea esset, impedire conaretur; tum etiam quia sciebat id animos Pharisæorum potissimum dolere, quod per miracula gloriam sibi apud homines pararet. Per illud autem, *hodie, & eras*, non certos dies significat, sed ex familiari loquendi consuetudine, temporis breuitatem. Solemus enim quando modicum tẽpus significare volumus dicere, hodie, & eras. Sic & illud tertia die significat tempus non multò post, vt sit sensus, & non multo post, aut breui per mortem sum consummandus. Bene autem Dominus suam mortem consummationem vocat, non consumptionẽ aut perditionem sicut supra Lucas eam vocauit exitum, & assumptionem, & Dominus ipse exaltationem, & Baptismum. Per illam enim Dominus magis est perfectus, & consummata sunt in eo omnia, quæ de ipso erant scripta. Sequitur;

Verumtamen, hoc est priusquam tamen consummer, oportet me secundum præscriptum scilicet, & ordinationem Patris, *hodie & eras & sequenti die ambulare*. Circa quæ verba est nõnulla difficultas, sed simplicius fuerit intelligere per hodie, & eras, & sequenti die iam significati idem, quod prius per hodie & eras, nempe modicum

dicum tempus, vt sit sensus; Oportet me modico tempore solito more adhuc perambulare diuersa loca docendo, & miracula operando. Nec id absurdum videri debet, quod iam dicat se tertia etiam die ambulare debere cum prius tertię dici consummationem sui tribuerit, miraculorum vero operationem ipsi hodie & eras: quia sic erat tertia die consummandus, vt tamen in ea die ambulare adhuc deberet, vtpote in fine tertiæ diei occidendus, quemadmodum rectè dicere potuisset, ejiciam dæmonia hoc, & sequẽti mense, & tertio mense consummabor. oportet tamen antequam interficiar me adhuc conuersari inter homines, & huc illucque ambulare hoc & secundo & tertio mese. Ideo autẽ repetẽdo dicit secũdo se miracula ad tẽpus operaturũ, quia cum prius id simpliciter dixisset, nũc dicit quod oporteat ipsum ea operari, & causam quare oporteat adcit: *Quia*, inquit, *nõ capit Prophetã perire extra Hierusalẽ*. In qua oratione, capit, ponitur impersonaliter, sicut & apud Græcos τὸ δὲ χωρεῖ. & est sensus; Non capit, id est, non conuenit, nõ decet, nec eis possibile, q.d. ipsa rerum natura no fert. Quod dupliciter intelligi potest. Primum enim accipi potest dictum peculiariter à Domino de seipso, de illo scilicet eximio Propheta, de quo Moyses Propherã suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, quomodo Faber, & alij quidam intelligunt. Sic enim nullũ est de veritate sententię dubium. Fieri enim non potuit vt alibi Christus moreretur, quàm in Hierusalem, quia vt ibi moreretur a Patre decretum fuit, vt ciuitatis illius impietas omnibus declararetur: comprehendendo tamen nomine Hierusalem etiã suburbia ciuitatis, aut potius intelligendo nomine ciuitatis significati ciues Hierosolymitanos, a quibus Christus occisus est. Quod si in genere accipiatur dictum de quouis Propheta, quemadmodum videtur accipiendum, eo quod accusatiuo Prophetam, non additur apud Græcos articulus: tam cum certum sit multos Prophetas etiã insignes occisos extra Hierusalem: dicendum Dominum hic vulgari modo hyperbolica, aut ironica locutione vsum, qua significare voluerit nusquam alibi magis conuenire, vt Prophetæ occidantur, quam in Hierusalem, vt in qua communiter talia cõtigerint, & innocentium sanguis frequenter, ac copiosè effusus sit, tantamque esse iniquitatem Hierosolymitanorum, vt crimen occidendi Prophetas aliis quodammodo non permitterent, sed sibi vsurparent, & ferme proprium facerent, & proinde etiam ab eis occidendum inter alios multos Prophetas ipsum caput Prophetarum; vt sic impleretur mensura iniquitatum eorum, & veniret super eos omnis sanguis Prophetarum, qui effusus est. [Dicit ergo Dominus oportere se adhuc aliquanto tempore obambulare per ciuitates, & spagos, nec Herodem, aut quemuis alium hoc posse impedire, quod fieri non possit vt alibi moriatur, id est, quod nusquam

magis conueniat ipsum, aut quemuis Prophetam mori quàm in Hierusalem, veteri scilicet illa Prophetarum interfectrice.

Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas, &c. Quoniam superiori sententiæ Dominus meminit crudelis impietatis, qua Hierusalem vrbs regis magni diuinis beneficiis præ aliis orbis ciuitatibus donata, contra Prophetas Dei seuiisset, & adhuc esset sæuitura; præuidens iam imminere insanabili ciuitati supremum excidium, & perpetuam Dei derelictionem, deplorat illam quod toties spreta Dei bonitate meruerit extremam vltionẽ. Itaque exclamate cœpit Hierusalem, Hierusalem, &c. ipsa exclamatione, & geminatione suam commiserationem, suumque dolorẽ, ac amorem salutis ipsius insinuans. Commemorat, & Matth. hanc deplorationem cap. 23. vt appareat Dominum non semel hæc dixisse. Alloquitur autem proculdubio sub ciuitatis nomine ipsos ciues, vnde postea facta mutatione dicit; *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sequitur, quod insigne est charitatis diuinæ indicium:

Quoties volui congregare filios tuos, quèadmodum auis, &c. Magnæ enim charitatis fuit, quod non semel tantum, sed multoties adeo cupiuerit eius filios, hoc est inhabitatores, omnesq; Iudæos, qui ad eã tanquam matrẽ confluebant, ad se congregare, idque ea semper reluctãte: sed id adhuc magis charitatẽ Dei arguit, quod nõ simpliciter filios eius cõgregare voluerit, sed eo modo, quo auis nidũ suum. i. pullos suos sub alas, hoc est summo cũ desiderio, & solicitudine. Græca dictio ὄρνις aneeps est & aduẽ, & ad gallinã. Et quidẽ mirus est amor omnibus fere auibus ad cõfouẽdos, & protegendos pullos, sed præcipuè gallinis, vnde magis conueniebat vertere gallinam quemadmodum apud Matthæum vertit interpres, cum eadem sit dictio vtrobique. Quod autẽ hic dicitur; *quoties volui*, non est intelligendum de voluntate Dei efficace, quam vocãt voluntatẽ beneplaciti, sed de volũtate Dei optatiua, quã vocãt voluntatem signi eo quod, hæc voluntas Deo tribuatur ratione quorundam operum Dei, quæ in nobis voluntatis nostræ sunt signa, de qua duplici Dei voluntate est dictum latius in cap. Concor. 41. circa illud orationis Dominicæ. Fiat voluntas tua. Dicit ergo se multoties voluisse, quia multoties illis occasiones varias obtuleri, quibus ad ipsum pertraherentur, mittendo Prophetas præcipiendo, imitando, cõminando. Porro quoniam Ierusalem toties monita, & vocata, obedire vocanti pertinaciter noluit: prædicit dignam illis venturam vltionem.

Ecce, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta, &c.* Intelligitur communiter Dominus hac sententia significasse excidium vrbis Hierosolymitanæ, & gentis Iudaïcæ, factum postea per Romanos, vt quod hic dicitur, idem sit cum illo Psalmistæ; Fiat habitatio eorum deserta, &c. Secundum quem sensum sic est hic locus

locus explicandus; vobis, id est, in vestram confusionem, vestrorumque criminum vindictam, relinquetur domus, id est, habitatio vestra deserta ab omni inhabitatore. Verum propter pronomen vobis, magis videtur hac sententia Dominus significare voluisse habitationem Iudæorum à Deo relinquendam iam ipsis Iudæis, vt qui Dei præsentia, & protectione se reddiderunt indignos. Hanc autem diuinæ gratiæ derelictionem secuta est illa, de qua alij intelligunt, solitudo facta per Romanos. Sed de derelictione diuinâ magis esse intelligendum; etiam sequentia indicant, per quæ Dominus declarare vult, quomodo derelinquetur illis domus eorum deserta. Nam pro eo quod Lucas habet, dico autem vobis, &c. Matthæus habet, dico enim vobis; non me videbitis amodo, &c. Cæterum de veritate, & intelligentia huius sententiæ non parua est difficultas; Theophyl. & Euthymius post Chrysostomum sic intelligunt;

Non me videbitis amodo, hoc est post breue tempus, quo sum vobiscum adhuc in mortali hac carne conuersaturus vsque ad iudicij diem, quando vel inuiti cogemini me agnoscere esse Messiam, & in illum de quo dixit Propheta: Benedictus, qui venit in nomine Domini, neque cogemini adorare, quia mihi curuabitur omne genu cælestium, terrestrium, & infernorum. Tunc enim rursum videbunt eum corporaliter. [Solet autem Dominus Iudæis in primo suo aduentu ipsum agnoscere recusantibus secundi filii aduentus ingerere mentionem, quo illum vel inuiti agnoscere cogẽtur, cum videbunt eum venientem cum potestate, & claritate magna. Vnde passionis suæ tempore interrogatus num esset Christus, respondit se esse, & subiecit veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientẽ in nubibus cæli.] Quod si alicui dura videatur hæc expositio, qua intelligitur impios, & incredulos Iudæos (nã his Dominus loquitur) in nouissimo die cum Dominum videbunt, dicturos illud; Benedictus qui venit in nomine Domini, cum ea vox sit excipienti ũ aliquem cum gaudio, quo mali ipsum in iudicio non excipient: intelligendum significari à Domino, Iudæos qui in primo eius aduentu illum noluerunt agnoscere Messiam, & benedictum Domini, dru ab ipso derelinquendos, & quamuis Messiam suũ longo tẽpore expectaturi essent, non prius tamen ipsum illos visurum corporaliter, quam circa finem mundi conuersi fuerint ad fidem, dicturi tunc de Christo veniente ad iudicium; Benedictus qui venit. Tempus enim, quo ad fidem conuertetur Iudæorum natio, docet Paulus esse cum intrauerit plenitudo gentium. Tum autem fore consummationem seculi, & mox venturum iudicium docet postea Dominus dicens post prædicatum Euangelium

Universidad de Deusto
Biblioteca

in vniuerso mundo venturam consummationem. Hic sane intellectus vt optime conuenit proposito, ita multum conuenit cum illo Oseæ: Dixi, inquit Dominus, ad eam: dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego expectabo te, quia dies multos sedebunt filij Israël sine Rege, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod, & sine Theraphim. Et post hæc reuertentur filij Israel & quærent Dominum Deum suum, & Dauid Regem suum, & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius in nouissimo dierum. Quid hoc enim est aliud, quam Iudæorum domum relinquendam delertam, nec visuros Regem suum, nisi post multam expectationem in nouissimo dierum, quando illum venturum mox ad Iudicium cum gaudio excipient? Proinde putarim hunc esse genuinum huius loci intellectum.

Sanatur hydropicus in sabbatho. Luc. 14.

CAPVT XCI.

ET factum est, cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbatho manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Ecce homo quidã hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & Pharisæos, dicens: Si licet sabbatho curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrũ asinus aut bos in puteũ cadet, & nõ cõtinuò extrahet illũ die sabbathi? Et non poterãt ad hæc respõdere illi. Dicebat autẽ & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cũ inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honorior te sit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locũ tenere: sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autem & ei qui inuitauerat: Cũ facis prandiũ aut cœnã: noli vocare amicos tuos: neque fratres tuos, neq; cognatos neque vicinos diuites, ne forte te & ipsi reuocent, & fiat tibi retributio: sed quũ facis conuiuiũ, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia nõ habent retribuere tibi, retribueretur enim tibi in resurrectione iustorũ. Hæc cũ audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, &

euocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus nunciauit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias dixit seruo suo: Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Et ait seruus, Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, Quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

Et factum est cum intraret Iesus in domum, &c. Factum est, inquit, hoc est accidit cum introisset Iesus in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbathi die ad manducandum panem (neque enim dedignabatur Dominus ad illorum conuiuia accedere, & si non sincero animo ab eis rogaretur, cupiens omnes lucrifacere) & ipsi Pharisæi (vbi & coniunctio abundat, & apposita est ex phrasi Hebraïca) qui simul erant inuitati obseruabant eum, num quid diceret, vnde possent accusare eum, aut faceret quod contra sabbathi esset religionem. Cum ergo obseruarent eum, ecce parata erat calumniæ occasio. Aderat enim illic homo quidam hydropicus stans ante illum, quem verisimile est ab ipsis Pharisæis missum consistere in conspectu Domini, vt illi occasionem offerrent faciendi, quod reprehenderent. Verum misero huic profuit venisse in conspectum Domini. Sanitatem enim consecutus est, etiam si verbis eam non peteret: siue quod sic fuit à Pharisæis instructus, siue quod Pharisæos ipse metueret propter sabbathum. Itaque cum Dominus ad aspectum miseri moueretur misericordia, ac multo magis dolens ob Pharisæorum cœcitatem, & malitiam, præuenire volens eorum calumniam, ac declarare se non ignorare quid apud se cogitarent, respondens ad illorum scilicet cogitationes, & obseruationem, dixit ad legisperitos, & Pharisæos: *An liceat sabbatho curare?* Qua interrogatione excludit eorum calumniam. Neque enim iustus calumniandi factum Domini locus illis esse potuit, qui interrogati num liceret, non prohibuerunt, idque cum omnium se magistros profiterentur. Cum ergo illi interrogati iam obticuissent, quemadmodum & alias idem interrogati siluerunt (neque enim dicere poterant, licere, quando quidem sic locuti fuissent contra suam obseruationem, neque dicere audebant non licere, quod metuerẽt ab illo

reprehendi, quēad modum euenit) Dominus apprehensum hydropicum contactu suo illum sanauitque post redditam sanitatem, nō illum in suam seruitutem sibi reseruauit, nec apud se ad oblectationem detinuit, sed mox à se dimisit. Sanauit autem non solo verbo, sed apprehendens illum; vt ritualitatem Phariſæorum sic confutaret, & exemplum quo postea eos redarguit, suo facto magis conueniret. Quoniam autem sciebat Dominus hoc facto offensos animos Phariſæorum vt post sanatum corpus mederetur & mētibus prauis indictis infectis, respondens ad cogitationes ipsorum, quæstionem eis proponit, per quam ex rebus factis die Sabbathi à seipsis, intelligere possent factum eius multo magis ab omni calumnia liberum esse debere. Congruenter autem hydropicum (vt annotauit D. Aug.) animali, quod in puteum cæcidit comparauit, quia humore laborabat, & veluti è puteo in quo submergendus fuerat, subtractus fuerat Domino illum apprehendente. Porrò nō simpliciter Dominus ex illorum facto, suum factum non esse dignum calumnia eorum ostendit, sed exemplo proposito simul etiā notat illorum & præpositeram religionem, & auaritiam: vt qui in eo quod, si opus erat dicendum, tantum fuit opus charitatis atque rent eum violare Sabbathum, cum in simili opere cupiditatis non iudicarent se violatores Sabbathi. Notat autem eos modestè tantum, & quod iuitum est eis iudicandum relinquit, nec tam apertè eos incessit, vt mox superius in Synagoga ipsum archisynagogū, quod non vt ille apertè factum ipsius calumniatorum.

Dicebat autē & ad inuitatos, parabolam intendens quomodo, &c. Conuiuio corporali exceptus Dominus in sabbatho, conuiuium vtcissim ipse instruit se, ac sabbatho dignum, variisque ferculis adornatum, vtpote salutari miraculo, ac doctrinis variis, prout cuique conuiuarum opus erat, Cum enim Phariſæi superbia & auaritia maximè laborarent, hæc potissimum vitia in eis iam curati conueniebat. Sumit autem Dominus suo more occasionem docēdi hæc ab his, quæ ad conuiuium, in quo tum erat pertinent: docens nos semper ex re præsenti materiam ædificationis aliorum decerpere. Porro doctrinæ, quam tradidit inuitatis occasio fuit, inquit, Euangelista, quod intendebat hoc est attendebat, & considerabat (est enim Græcis ἐνίχω quod hic idem est quod περιέχω) quomodo primos accubitus eligerent (vel vt potius vertendum puto) elegissent. Attendebat autem, & considerabat Dominus eos eligere, vel elegisse primos accubitus siue oculis suæ diuinitatis, quibus etiam occultos eorum affectus agnouit, siue etiam oculis corporalibus, ex signis quibusdam externis obseruatis in eis. Postquam ergo hoc obseruasset, dicebat ad inuitatos parabolam hanc:

Cum inuitatus fueris, &c. Quę Domini doctrina ad literā quidē sonat morale documentū de modo accūbendi in conuiuijs seruando

uanda, verum præcipuam Domini intentionem non esse id docere, quod litera significat, vel ex eo satis patet, quod Lucas hanc doctrinam vocet parabolam. Ideo enim parabolam vocat, quod sub hoc sermone, quo ad ciuilem quandam in conuiuijs seruandā modestiam hortatur ad literam, docere Dominus voluerit sectādam vbique, & semper humilitatem, & sui depressionem, fugiendam vero sui exaltationem; quod per hāc fiat, vt quis pleramque ab hominibus, semper autem à Deo humilietur, per illam vero contra fiat, vt quis à Deo & hominibus exaltetur. Vnde in fine significās quorsum hanc dixerit parabolam, adijcit sententiam generalem;

Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c. Qua sententia & alias Dominus vsus est, vt Luc. 18. & Matth. 23. Est ergo hæc Domini doctrina similis multis parabolicis sermonibus Salomonis, in quibus sub præceptis ciuilium virtutum, & morum, Spiritus sanctus ad veras virtutes informat sapientiæ canditatum. Porrò nuptiarum magis, quam cuiusuis alterius conuiuij Dominus mentionem facit; quod ibi maximè primi accubitus ambiantur, tanquam in conuiuio celebertimo, & honorificentissimo, quodque ibi etiam maximè ignoretur qui sint etiam alij inuitati. Dicit ergo:

Cum inuitatus fueris ad nuptias. Et ad solenne aliquod conuiuium, non discumbas ex teipso, sine iussu eius, qui te inuitauit, in primo loco: ne forte aliquis honoratior te etiam sit inuitatus, cui iubeatis à communi inuitatore cedere cum rubore, idque adeò sæpe, vt qui primum tibi vendicaueras locum, nouissimum tandem obtineas. Sed cum vocatus fueris vade potius & recumbe in nouissimo loco. Sic enim fiet vt ab inuitatore iussus ascendere, gloriam ex humilitate cōsequaris. Cum enim dicitur, vt cum venerit, qui te inuitauit, &c. Coniunctio, vt, videtur accipi debere consecutiuè. Non enim docere voluit Dominus eo fine vltimam locum deligēdum, sed quid consecuturum sit. Nam alioqui Dominus doceret qua ratione gloriam quis venetur apud homines, cum contra hic curare voluerit inanis gloriæ morbum. Et in hunc quidem modū habet se doctrinæ Christi explicatio, & tractatio literalis, qua ciuilibus rationibus dehortatur ab accubitu primi electione, & adhortatur ad submissionem inter accumbendum: secundum præcipuum verò scopum sirum ostendere voluit exemplo isto humano modestiam sequi gloriam, & contra arrogantiam humiliationē. q.d. In omnibus te submisse geras; sic enim fiet vt magis exalteris, & glorioſius; cum contra si te extuleris, cum maiori pudore sis deprimendus cum ab hominibus, tum à Deo.

Dicebat autē & ei qui se inuitauerat; Cum facis prandiū, &c. Post quā inuitatis opportunū doctrinę ferculū exhibuit admonēs eos modestiæ: etiā inuitatori cōmodū missum exhibet monēs eū misericordiæ, & benignitatis in pauperes. Porro per hoc quod dicit;

Noli vocare amicos, &c. Certum est Dominum non plane damnare, aut prohibere etiam amicos, fratres, & cognatos alendæ dilectionis causa conuiuijs adhibere, sed summa eius, quod hic docere voluit, est vt ne secundum vulgi existimationem satis humanos, & benignos nos esse arbitremur, si humanitatem erga eos demõstrauerimus, qui paria nobiscum faciunt, vtque si meritorie. & cũ fructu vero, & perpetuo consequendo à Deo hospitales esse velimus, non in diuites, sed in pauperes hospitalitatẽ præstemus. Docere enim Dominus voluit conuiuia diuitibus parata ex suo genere non esse æternę vitę meritoria, quod mercedẽ suã in hac vita recipiant; conuiuia autem pauperibus parata ex suo genere meritoria esse æternæ vitæ, quod ea Dei intuitu eis parãtur qui hic retribuere non possunt, pro quibus proinde Deus suo tẽpore mercedẽ sit repẽsurus. Ergo quod dicitur, Noli vocare amicos, &c, consiliũ potius est, quàm præceptum, consilium inquã, quo Dominus significerit modum, quo cum maiori fructu conuiuiũ quibusdam parari potest: & quo docet quomodo hospitalitatẽ sectemur nobis dignam, nec nobis cũ Ethnicis communẽ. Itaque sensus est, Cũ facis prandium aut cœnam, i. cum animus tibi est exhibere cõuiuium aliquod, si vis illud bene, & cum maxima tua vtilitate collocare, noli vocare diuites, qui vel amici tibi sunt, vel cognati, vel vicini (tria enim hec hominum genera cõmuniter conuiuijs adhiberi solent) ne quando & ipsi te vicissim inuitent, & fiat tibi retributio in præsenti vita. ac proinde amittas æternæ vitæ mercedẽ; sed pauperes voca, nec in ipsis æstima conuiuij impensam perire, quẽadmodum vulgus iudicat, quod non habeãt vnde rependant. Hoc enim ipso beatus eris, quia non habent. i. non possunt retribuere tibi. Retribuetur enim tibi longe plenius suo tempore, quam à quoquam amico, aut diuitè hic retribui tibi posset non quidẽ potissimum in presenti vita, in qua quidquid rependitur tẽporarium est, sed *in resurrectione iustorum*, quando erit tempus retributionis, quando pro temporarijs recipies æterna, pro temporali refectione, perpetuam cælestium gaudiorum fruitionem. Hæc est cælestis magistri doctrina longe diuersa à mundi Sapientia.

Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus dixit, &c. Quoniam Dominus occasione conuiuij, in quo erat, differuit quędam de modo accedendi ad conuiuia, & vocandi ad conuiuia, ac inter cætera dixit retribuendum his, qui pauperes pascunt, in resurrectione iustorum: quidam intelligens, & bene, significari à Domino in resurrectione iustorum tales vicissim à Deo pascendos, & ad mensam regni cælestis recipiendos: tactus desiderio cælestis illius conuiuij, dixit: *Beatus cui contiget edere panem in regno Dei*. In quo licet videre quanta fuerit efficacia verborum Christi, quisque eorum fructus, quod clementer adeo cõuiuias

uias sine omni mordacitate docuerit. Quoniam autem iste beatũ dixerat, cui contingeret edere panem in regno Dei, Dominus occasione hinc accepta, per parabolam cœpit ostendere, quibus hęc fœlicitas potissimum sit obuentura, quique & qua ratione ab ea sint excludendi: nimirũ quod Iudæi, aut Iudæorum primores etsi primo ad cæleste conuiuiũ vocati, suo tamẽ vitio essent excludẽdi, & in illorũ locum successuri quique ex Iudæis, & gentium omnium promiscua multitudo vndique collecta. Hic enim est parabolę prę cipuus scopus. Itaque ad hoc commodè, & sine mordacitate, maioque gratia significandum, introduxit Dominus hominem quondam diuitem, qui in ciuitate aliqua constituerat exhibere cœnam magnificam, quæ & multis constaret sereulis, & multis esset parata. Qui proinde ad hanc vocauit multos è ciuibus suis, viros diuites, & honoratos, vt fieri soler. Sed his hora cœnæ rursum vocatis per seruũ. & propter aliarum rerũ occupationes friuolas venire recusantibus: indignatus eis, quod ad tam honorabile conuiuiũ venire ob res friuolas prætermitterent; nec tamen permittere voles vt frustra expensæ conuiuij factæ essent: iussit sine delectu vocari in illorum locum primum quidẽ pauperes, debiles, cœcos, & claudos, & id genus in ciuitatis plateis, ac vicis repertos, qui ob famem & inopiam non erant facile, vt alij recusaturi, ac deinde illis non sufficientibus ad conuiuium etiam peregrinos, & extetos quosque extra ciuitatem iuxta vias, & sæpes repertos, quos & compelli voluit, si forte vel grauarentur, vel pię pudore non auderent venire. Et parabola quidem hic se habet: cæterum per hominem istum re ctè accipitur Dominus seipsum, qui verè homo erat, significasse, vel ob id quod vltima parabolæ conclusio, dico autem vobis, &c. Videtur dicta à Domino magis in persona sua, quam in persona Patrisfamilias, de quo est parabola, vt post dicetur. Per cœnam magnã intelligunt quidã fœlicitatẽ ęternę beatitudinis, cõuiuium scilicet, in quo sancti accumbent post hanc vitam, quod rectè per cœnam significatur, eo quod finem nesciat, nec aliud sit ei conuiuiũ successurum. Quam quidem æternam fœlicitatẽ potissimum hic significari, ex eo satis constat, quod hæc parabola dicta sit occasione factæ mentionis de manducando pane in regno Dei, & tamen nihil vetat quin simul intelligatur significari & conuiuium, quo in præsenti vita pascitur militans in terris Ecclesia: immò vt simul debeat intelligi, ipsa parabolę consequentia exposcere videtur. Nã alioqui per horã cœnæ, tepus mortis, aut extremi iudicij videbitur intelligendum: quo tempore non facilè inuenitur, qui per rerum terrenarũ occupationes se à cœnę participatione excuset. Sicut autem vna est Ecclesia militans in terris, & triumphans in cælis, & vita æterna, quæ post hanc vitam perficitur, hic incipit per fidem: ita vnum quodãmodo est conuiuium, quo pascitur militãs,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quo triumphans Ecclesia; quandoquidem vnus est Deus, quo hic fruimur per fidem, & illic per speciem, vnus Christus, quo hic fruimur sub sacramēti velamine, & illic sine velamine, vnus vtrobique panis, vnus idemque potus, quamuis diuersimodè paratus, & sumptus. Hoc ergo conuiuium ad vtrunque seculū sed maximè ad futurū pertinens cœnæ comparatur: tum quod in nouissima mundi ætate paratum, tum quod finē nesciat, vt dictū est. Magnæ autem cœnæ, tum ob multitudinem vocatorum, tum ob copiā, & abundantiam eius; quæ sine fastidio omnes accumbentes sic saturat, vt nihil vnquam vel esuriant, vel sitiant. Ad hanc cœnam homo Christus, qui eā magnis sanè sumptibus, pretio scilicet sui sanguinis parauit, per seipsum quidem primum inuitauit multos, omnes scilicet Iudæos, Iudeorumque primores, tanquam honoratiores conciues suos, ac deinde per Apostolos suos & prædicatores (quorum ordo per seruum missum significatur) rursum vocauit hora cœnæ vt ad eam venirent, qui à se prius erant inuitati. Venturi enim hora cœnæ erat, & est post Christi mortem, quando iam cælum reseratum est, & omnia redemptionis nostræ mysteria propalata sunt, vt dicere possit seruus, venite, quiaiam parata sunt omnia. Per eos autem qui & inuitati à Domino, & hora cœnæ vocati per seruum recusauerunt venire ad cœnam ob alias quasdam occupationes: significantur vel in genere Iudæi, vel specialiter Iudeorum primores sese à parata eis cœna subtraxisse, dum alij, alijs rebus terrenis occupati nihil minus curabant, quam regnum Dei. Sunt autem res terrenę circa quas occupati solent homines, & per quas impediri solent vel possessiones, vel voluptates. Possessionum autem alia in fundis consistit, alia in pecudibus. Vnde per tres illos, qui in parabola diuersis distenti occupationibus recusauerunt adire cœnam, significantur quotquot quacunque rerum terrenarum implicatione excluduntur à regno cælorum; qui scilicet, vt habet Lucas in parabola seminantis, audierunt verbum Dei, & a solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Tria enim quibus homo impeditur à regno cælesti his verbis significata, etiam significantur in hac parabola per tres recusatores. In primo enim ostenditur impedimentum diuitiarum, in secundo impedimentum solicitudinis (quanquam in vtroque vtrunque satis notetur impedimentū: vt nō sit differētia nisi in materiæ diuersitate, in tertio vero notatur impedimentum voluptatis carnalis. Non potuit autem Dominus commodè in parabola notare studium honorum: quia illud non conueniebat parabolæ. Non enim solēt homines studio honorum sese à solemni conuiuio subtrahere, sed potius ob honorum studium illud captare. Quod autem reuersus seruus nunciauit excusantium responsa Domino suo, iratusque Dominus iussit

tit aliot vocati: significat Dominum offensum Iudæis primò vocatis, & venire renuentibus, mandasse Apostolis de recusatione Iudæorum dolentibus, & in oratione conquerentibus, alijs prædicari Euangelium. Et si per primos illos recusatores intelligantur Iudæorum primores, vt intelligendum videtur plerisque ià per pauperes e vicis ciuitatis introductos ad conuiuium intelligendi sunt abiecti, & plebei Iudæorum, qui a Scribis & Pharisæis habebantur pauperes, debiles, cæci, & claudi, vtpote incompositi, & indocti, quales plerique per Apostolorum predicationē, post missum Spiritum conuersi sunt ad Christum. Per eos vero, qui extra ciuitatē colleeti sunt, & introducti ad cœnam intelligendi Gētiles, ad quos sine lege Dei viuentes vitam plane incompositā, & in viarum varietate errantes post Iudæorum vocationem missi sunt Apostoli, vt impleretur electorum numerus, qui ex Iudęis compleri non potuit. Si autem, vt quibusdam placet per primos recusatores, intelligantur in genere Iudæi: iam per pauperes, debiles, cœcos, & claudos in vicis ciuitatis repertos, intelligendi Gentiles, quibus mox postquam Iudæi se reddidissent indignos regno Dei. Apostoli ex mandato Domini Euangelium prædicarunt, qui scilicet vicini erant terræ Iudęorum, aut cum eis in eisdem morabantur ciuitatibus, quos Iudæi vt cœcos, & claudos despiciebant, sicut etiam reuera pauperes, & miseri erant coram Deo. Per eos vero qui tertio vocati sunt é vijs, & sepibus extra ciuitatem, intelligendi quilibet obscuri populi in extremis orbis angulis commorantes, ad quos deinde prædicatorum ordo extrusus est, & in finem vsque seculi extrudetur, quousque impleatur electorum numerus. Itaque duplici hac missione serui ad eos qui ab ipso Domino non erant inuitati, significabitur iterum atque iterum miseris gentibus mittendos, qui eas vocent ad lautitias cælestes, donec Euangelium ad omnes orbis angulos perueniat & impleatur domus Domini. Quod autem dicitur seruo iam emisso in vias, & sæpes: *compelle intrare*, indicat ardens desiderium, & summā liberalitatē Domini cupietis suas delitias quamplurimis cōmunicare, & rursum significat fortū ingentem vim predicationis Euangelicę, ac plane diuinam, quæ effectura erat, vt Ethnici, qui beluino potius, quàm humano ritu degēbant, tā subito, ac in tanta multitudine, ad tantam philosophiam euocherentur, vt videri possint coacti, & vis quędam illis illata [. Huiusmodi autē coactio, qua seruos suos vult vti erga quosdā, quanrū est ad propositū Domini, in tribus potissimū consistit. Primū scilicet in miraculorū operatione, quibus mirē pertra ti sunt ethnici ad fidē, secūdo in predicationis, & doctrinę assiduitate, & cōstātia, tertiò in vitę sinceritate, & integritate, quā si in doctore viderint homines, mirè permouētur ad veritatis, quā prædicat susceptionē. Ideo autē in tertia potius quā in prima vel secūda

serui

seruj missione dicitur compelle intrare ; vt sicut dictum est significaretur ardens Domini desiderium, & subindicaretur vehementiorem, & constantiorem prædicationem adhiberi oportere Gentibus potissimum barbaris, vtpote fortiter à dæmonibus detentis, & in profundum errorem demersis, qui & pondere peccatorum depressi vereri merito potuissent ad cœnam magnifici intrare Domini.] Concludit autem Dominus suam parabolam his verbis:

Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, &c. Quibus verbis Dominus affirmare solet id, quod attendere vult auditores. Significatur ergo Iudæos primum vocatos protsus destituendos Dei vera cognitione, & à regni cælestis gaudijs excludendos.

Docet omnibus renuntiandum. Luc. 14.

CAPVT XCII.

A.10.15. A.16.66. B.8.66. C.9.66.

IBANT autem turbæ multæ cũ eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne posteaquam posuerit fundamentum, & nõ potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem, non sedẽs prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente legationem mittẽs, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Bonum est sal, si autem sal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, A.5.39. *sed foràs mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.* B.9.71.

Ibant autem turbæ multæ cum eo, & dixit ad eos, &c. Docet his Dominus quanti sit esse discipulum ipsius, nec putandum professionem discipulatus sui esse delicatam: cuius doctrinæ occasionem ei dedit, quod cum esset aliquando in via ad Hierusalem, & ad crucẽ pergeret, multam habebat turbam hominum se comitantem; veluti professũm se illius esse, aut optare fieri discipulos. Itaque docet hac occasione Dominus conuersus ad sequentes non satis esse ad hoc vt quis discipulus eius sit, vt sequatur illum pedibus corporis, sed quidquid, quantumuis magnum, quantumuis charum postponendum Euangelicæ Philosophiæ, deponendos omnes

nes carnales affectus, animumque parandum ad crucẽ cũ ipso baiulandam; quæ etiam supra Dominus requisiuit Matth. 10 cap. Conc. 15. & Matt. 16. Mar. 8. & Lucæ 9. in cap. Conc. 66. ex quorum locorum explanatione petendus est loci huius intellectus. Dicit ergo:

Si quis venit ad me (gressibus scilicet corporis, vt tunc multi ad illum venerunt, aut gressibus fidei, vt nunc venire ad ipsum licet) *& non odit* omnes eas personas quas naturali quodam impulsu homines diligunt: quales sunt potissimum parentes, deinde vxor, & proles, tertio fratres & sorores: insuper autem, quod est omnium difficillimum, si etiam non odit suipsius animam, *non potest meus esse discipulus.* Porro odium hoc non est simpliciter accipiendum, sed quatenus hi quos vult odio haberi contrariantur ipsius præceptis, & impediunt hominem ab adhæsione eius ad Christum. Sic & propriam animam odire oportet, quia desideria eius non tantum debemus subijcere Christo, sed etiã odire in ea id quod Christi præceptis est contrarium; vt cum contra Christum optat vitæ longeuitatem, aut voluptates aliquas carnales. Qui autem non sic odit prædicta, non potest esse discipulus Christi: tum quia non est capax doctrinæ Christi, tum quia non poterit doctrinæ eius esse executor, & obseruator. Quorsum autem quis animam suam odire debeat, ostendit Dominus cum subijcit:

Et qui non baiulat crucem suam, & sic venit post me, id est, me sequitur imitatione, non potest meus esse discipulus. De qua oratione, quod ad primam eius partem pertinet, dictum est circa cap. Matth. 10. & 16. Cæterum cum dicitur; Non potest meus esse discipulus, dupliciter hic potest accipi nomen discipuli. Primo vt eo nomine comprehendatur omnis Christianus. Nam omni bono Christiano necessarium est odium; ac dictum & baiulare crucem suam. Secundo, vt eo nomine intelligatur Dominus solum comprehendisse tales, quales erant Apostoli & 70 Discipuli, qui scilicet non tantum Euangelica præcepta, sed & cõsilia obseruare perfectionis vellent: quomodo hic accipi nomen discipuli patet ex eo quod in fine dicitur:

Qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus; Vbi generali illo modo, quo omnis fidelis dicitur discipulus Christi, non videtur nomen discipuli accipi posse, cum non sit omnium Christianorum renuntiare omnibus quæ possident. Iam certum satis nomen discipuli in tribus his locis & sententijs eodem modo esse accipiendum; quare si speciali hoc modo, quo postea videatur accipiendum, etiam hic accipiatur, dicendum à futuro discipulo Dominum peculiariter exigere odium parentum, &c. & baiulationem crucis, cum tamen omnium hæc sint Christianorum, quod ea maximè & sublimiori modo necessaria sint

futuro

Universidad de Deusto
Biblioteca

futuro discipulo. Non enim ei, qui perfectionis Christianæ candidatus est, sufficit odire parentes, reliquosque cognatos, & animam propriam, quatenus hi contrarij sunt præceptis Euangelicis, & ab his, quæ ad vitam æternam consequendam sunt necessaria auocat: sed etiam quatenus auocãt à consilijs Euangelicis & à perfectione hominem remorantur; ita vt parentes & cognatos relinquat & animæ suæ etiam in rebus licitis non condescendat: quod qui facit ad crucem ferendam magis præ alijs debet esse promptus, vt cui plura aduersa sint occursura.

Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, &c. Quoniam superioribus sententijs Dominus significauit, quã non sit delicata professio fieri discipulum ipsius, & quæ ad hoc sint necessaria, idque ideo significauit, vt eos qui ipsum corporaliter comitabantur, & ostendebant se velle eius fieri discipulos, admoneret seipsos considerare, & explorare, num ita essent affecti, vt discipulum eius esse oportebat: ideo parabolis quibusdam, & exemplis humanis iam ostendit merito quenque debere sese dispicere, examinare, & præparare priusquam aggrediatur negotium arduum sanè, & nequaquam delicatum. Nec est hic laborandum, vt singula quæ in parabolis istis duabus dicuntur, rei propter quam assumptæ sunt accõmodentur; quod in hoc tantũ parabolæ istæ à Domino sint adductæ, vt ex prouidentia, quam homines præstant in rebus humanis, non ita magni momenti si diuina spectes, discamus qua prouidentia ad professionem discipulatus Christi nos debeamus præparare. Itaque non est magnopere inquirendum, quid per turrim in parabola significetur, quid per sumptus, quid per decem, vel viginti milia, &c. cum ea non sit parabolarum ratio, nec ad significandũ aliquid mysticè per illa Dominus hæc dixerit: sed tantum vt ex cura, & circũspectione, qua aggredi homines solent ardua aliqua negotia humana, intelligamus qua cura & circunspectione aggredi debeamus arduissimam professionem Euangelicæ vitæ, aut perfectionis; vt perinde sit quasi diceret: Quemadmodum turrim ædificare volens, si sapit, non temere aggreditur quod cogitat, sed antequam iaciat fundamenta, sedens per otium supputat quantis impendijs opus sit ad turrim absoluendam, & si deprehenderit rẽ familiarẽ angustiorem esse, quam vt ferre possit sumptus necessarios, abstinet, ne si semel iacto fundamento postea desiterit, non solum sumptus perdat, sed etiam omnibus fiat ridiculus. Et quemadmodum Rex cum alio Rege pugnaturus prius apud se expendit vires regni sui, & si compererit vires sibi esse ad conflictum impares, omnibus modis tentat ab eo pacem obtinere, ne si cum illo confligat grauius malum, ac dedecus ferat: sic multo magis oportet vos expendere robur animi vestri priusquam profiteamini vos fore sectatores meos; ne si impares huic negotio, quo non est

est aliud maius, aut fortius à semel cæpto resilueritis, & in grauiorem ignominiam apud Deum & Angelos, & in maius damnum salutis vestræ incidatis. Hic est scopus harum parabolarum a Domino intentus.

Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ, &c. Videtur hæc conclusio sic intelligenda: Ergo vt ad cum modũ quo ædificaturus, aut pugnaturus vires suas expendit, etiam vos in negotio discipulatus mei robur vestrum libretis: scitote quod quisquis ex vobis non etiam, quemadmodum dixi de odiendis amicis, & cruce baiulanda renunciat omnibus suis possessionibus, non potest meus esse discipulus. Vt aduerbium sic, non tantum indicet parabolarum applicationem, sed etiam illud quod, sicut superius dictum est, si quis non oderit, & qui non baiulat crucem suã, non potest esse discipulus: ita etiã discipulus nõ potest esse, qui nõ etiã renunciauerit omnibus possessionibus. Est autẽ renunciare omnibus possessionibus proprie, eis spõte cedere, & veluti valedicto eas dimittere. Vnde istud proprie ad eos pertinet, qui nõ simpliciter volũt esse discipuli Christi, quomodo omnes in eũ credentes, dicuntur illius discipuli, sed ad eos qui sic discipuli dicerẽtur, quomodo Apostoli, & 70. discipuli: quorũ perfectionẽ omnes fere primi credentes sectãti sunt, velut necessaria esset possessionũ renunciatio. Sicut tamẽ omnia præcedẽtia, quanquã maximè ad perfectionis Euãgelicæ studiosos pertineãt, etiã suo modo pertinent ad omnes Christianos: ita etiam & quod hic exigitur. Oportet enim omnẽ bonum Christianũ si nõ reipsa, saltẽ affectu renũciare omnibus possessionibus suis. Id fiet si animũ suum illis nõ apponat, & paratus sit potius eas perdere, quam facere, quæ Christi præceptis sunt cõtraria: vt sicut odire debet amicos suos, & animam suã cum Christo sunt cõtrarij: ita eis relinquat possessiones suas, cum earũ retentio consistere non posset cũ obseruatione mandatorum eius. Dominum tamen potissimum loqui de renunciatione reali, qua Apostoli omnia sua reliquerunt, & quam imitari debeant Apostolicæ perfectionis studiosi, etiam patet ex sequentibus eũ subditur

Renuncians omnibus possessionibus.

Bonum est sal. Nam illud cum sequentibus dictũ est peculiariter de Apostolis Matth. 5. & Marc. 9. Et tamen etiam parabola talis ad omnes Christianos suo modo pertinet; quandoquidem omnes tales esse debent, vt suæ conuersationis & sermonis acrimonia aliorum vitam insulsam condire possint, & à corruptione proximos eximere; ita vt tota hæc Domini doctrina peculiariter quidem pertineat ad primitiuæ Ecclesiæ fideles, & eos qui modo illorum perfectionem sectantur: generaliter tamen etiam suo modo ad omnes cuiusuis temporis Christianos pertineat, & admiranda sit Christi doctrina, vt quæ diuersis seculis, diuersisque hominibus, cum eadem sit, conueniat diuersimodè

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro exigentia status, & conditionis eorum. Adijcit autem Dominus Parabolam salis hoc loco, qua & alibi vsus est, vt etiam per eam ostendat, quanta esse debeat perfectio eorum, qui volunt heri discipuli eius, & eos merito expendere debere, num ad huiusmodi munus pares esse possint. *Bonum*, inquit, id est, bona res, & vtilis est sal, quamdiu scilicet vigorem habet. Valet enim & seruādis & condiendis omnibus cibis. Si autem sal euanuerit, id est, insipidū fiat, & vigorem suum perdat, nec perditum suum vigorem recuperare aliqua re potest, nec adeo vllius esse vsus, vt nec in terram, nec in sterquilinium, vtile sit, in quod alioqui omnes mittuntur corruptiones, ita vt prorsus illud abijci oporteat conculcandum ab hominibus. Ita etiam significat Dominus præclaram rem esse discipulum eius, atque hunc sali similem esse oportere vt sua tum vita, tum conuersatione aliorum corruptiones consumat. Verum videndum ne qui vice salis esse debeat, ipse insulsus ante sit, aut efficiatur. Sic enim futurum vt veluti planè desperatus, & omninò inutilis longè contentius abijciatur in gehennam, quàm si salis locum nunquam occupasset. Adiecit autem Dominus post hæc, quod solet, cum maximi momenti res monuit, quæ & dignæ essent summa animaduersione, & sine pressa attentione non possent intelligi, non solum propter parabolarum obscuritatem, sed multò magis ob rem à vulgi capta, & affectibus alienam;

Qui habet, inquit, *aures audiendi* (quod clarius verteretur ad audiendum) *audiat*: vt sit sensus, Cui datæ sunt aures mentis aptæ ad attendendum his, quæ dicuntur, eaque expendendum, ac intelligēdum, is audiat, hoc est attendat, & attendendo expēdat, atque expendendo intelligat.

In festo encœneorum, eripit se lapidantium manibus. Ioannis 10. CAP. XCIII.

FACTA *sunt autē encœnia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eū Iudæi, & dicebāt ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus dic nobis palam. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus:* Multa

Multa bona opera ostēdi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderūt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deū. Respōdit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra. Quia ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. & nō potest solui scriptura. quē pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum. Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia pater in me est, & ego in patre. Quærebāt ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum. Et abijt iterum [a] *trans' Iordanem* [b] *in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic* [c] *& sequutæ sunt eum turbæ multæ,* [d] *& credidērunt* [e] *iterum* [f] *turbæ ad eum,* [g] *& sicut consueuerat, iterum docebat eos,* [h] *& curauit eos illic.* [i] *& dicebant, Quia Ioannes quidem signum fecit nullum: omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.*

A. 19.
B. 10.
† b. vltra
▷ d. &
mui ve-
nerunt.

Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis, & hyems, &c. Dictio illa Græca, quæ est apud Ionnem ἐγκαίνια, Encænia significat festiuitatem quandam Iudæorum, quam celebrabant in memoriam Templi dedicati, & initiati, qualem nos dedicationē vocamus. Nā præter dedicationem illam primam factam sub Salomone in mēse septimo, itemque alteram factam post secundi templi ædificationem, à reuersis è captiuitate Babylonica; Tertia fuit dedicatio facta mense nono (qui correspondet ferè nostro Nouembri) à Iuda Machabæo, post repurgationem Templi ab Antiocho prophanati, & extructionem noui altaris. In huius ergo dedicationis memoriam Encœnia, de quibus hic mentio fit, fuisse celebrata, patet tum ex eo quod hyemis tempore hæc sit facta, tum quod à Iuda Machabæo institura fuerit annua festiuitas ob factam illā templi purgationem, & altaris dedicationem, quæ & hodie dicitur à Iudæis celebrari.

ἐγκαίνια.
2. Reg. 8.
1. Esd 6.
1. Macha. 4.

Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis, &c. Ne in ipsis interioribus templi, aut in eo quod proprie erat templum, in quo non licebat ambulare, sed nec ingredi nisi solis sacerdotibus, ambulasse Dominus putaretur, adiecit Euangelista, in porticu Salomonis, loco scilicet ad ambulādum parato, in quo verisimile est Dominū docuisse, quoties in tēplo docuisse dicitur. Dicitur autem porticus Salomonis, non quod eam Salomon ædificasset (hæc enim vna cum templo à Chaldæis incendio perierat) sed fortè quod eodem loco, & ad similitudinem eius, quam Salomon ædificauerat hæc porticus constructa fuerit; aut quod in ea vel stāte ad loquendum populo consuetus sit Salomon, aut demorari pro sacrificijs peragendis.

Porticus Salomonis.
4. Reg. vl. timo.

Circundederunt ergo eū Iudæi, & dixerūt ei: Quousque, &c. Ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, quoniam scilicet eum iam præsentem habebant & in loco conuenienti, Iudæi veluti ex condicto conuenientes aduersus eū, circuncinxerunt eum, ne scilicet elabi, & effugere posset, ni prius illorum voluntati satisfeciſſet, & veluti cupidi discendæ veritatis, cum re vera ansam calūniandi venarētur, dixerunt ei; Quousq; animā nostrā tollis. i. ſuſpendis, hoc est quandiu animos nostros, aut nos ſuſpenſos tenes verborū tuorum ambiguitate: *Si tues ille Christus*, quem expectamus (nā Græcis dicitur cum articulo ὁ χριστος) die nobis palam, & liberè, posito scilicet omni metu, & verborum inuoluero. Dominus autem etsi eorum vafriciem compertam haberet, & multis modis quæſtionis eorum tum malitiam, tum inſipientiam refellere posset ac dicere, qui fit, vt teſtimonium meum requiratis, quem prius Samaritanum, ac dæmoniacum aſſeruiſtis, de quo & dixiſtis, teſtimoniū tuum de teipſo non est verum, & conſtituiſtis vt extra ſynagogam fieret quiſquis me Chriſtum confiteretur? mauluetè tamen illis reſponder, docens non in omnibus coarguendos esse tentatores, ſed multa patienter ferēda. Dicit ergo fruſtra eos quærere vt diceret num esset Chriſtus, tum quod cum prius id ſatis dixerit credere tamen noluerint, tū quod opera ipſius apertè teſtarētur quis eſſet, quibus potius credendum fuerat quam verbis ipſius.

Loquor, inquit, *vobis, & non creditis*, Vbi pro loquor Græcis est εἶπον, id est, dixi, quod ſcilicet ego ſim Chriſtus. Id enim ſatis ſupra ſignificauit. Itaque ſenſus est; Iam aliquoties dico, & dixi vobis quod quæritis, nec tamen creditis mihi. Quid ergo opus est rurſum dicere? *Ipſa opera quæ facio*, id est, miracula, quæ ædo in nomine Patris mei, id est, ex mandato, & poteſtate Patris, teſtimonium perhibent de me certiſſimum. Teſtantur enim me miſſum à Deo, & me eius esse filium, cum eum prædicem Patrem meum, in cuius nomine hæc conſtat fieri. Sed vos vt non creditis verbis, ita nec factis meis, ideque mirum non est, quia non estis ex ouibus meis, quas ab æterno mihi Pater deſignauit, & commendauit. *Oues enim meæ*, hoc est, electi, & prædeſtinati à Patre vocem meam tanquam ſui paſtoris vocem audiunt, hoc est, agnoſcunt credentes & obedientes mihi, & ego viciſſim agnoſco eas pro meis ouibus, curam eis paſtoralem impendens. Et quoniam illæ vocem meam agnoſcunt, ob id ſequuntur me tanquam ſuum Paſtorem, qui eos ad læta educit paſcua, nec falluntur ſequentes. Nam ego eis ſequentibus do & in præſenti per fidem, & maximè in futuro ſeculo vitam æternam, nec peribunt inæternum, mea nimirum manu eas protegente, &, id est, quia nemo rapiet eas è manu mea, hoc est poteſtate & protectione ac poſſeſſione mea.

Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo, &c. Hic probat

probat Dominus quod dixit: Non rapiet oues meas quiſquam de manu mea. Probatur autem id apertius, & clarius ſecundum lectionem græcorum, qui habent hoc loco; Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est. Secundum tamen lectionem noſtram legerunt D. Aug. & Hilarius hunc ſenſum intelligentes: Id quod Pater meus dedit mihi natura ſcilicet, & poteſtas, quam Pater meus generando dedit mihi, maius omnibus est, hoc est, ſuperat omnium ſiuè hominum, ſiue dæmonum vim, & propterea nemo poteſt rapere quicquam de manu Patris mei, ac proinde nec de mea, quia ego & Pater ſummus vnum per naturam, & potentiam. Iudæi ergo quoniam hanc naturæ & potentiæ æqualitatem ſignificatam illis verbis intelligebant, vt verè ſignificabatur, exiſtimantes eam aſſertionem blaſphemam esse; lapides rurſum tollunt, vt & ſupra cap. 8. feciſſe Ioannes commemorauit; vt eum tanquam blaſphemum iuxta legem, lapidarent, quæ præcepit bleſphemos obrui lapidibus. Hinc ergo conuicti ſunt, quod non diſcendi cauſa eum interrogauerunt, vt diceret eis palam nūm eſſet Chriſtus, ſed vt haberent occaſionem aliqua accuſandi aut impetendi illum.

Reſpondit eis Ieſus; Multa bona opera oſtendi vobis, &c. Hoc est, exhibui vobis, hoc est multis vos affeci beneficijs ex Patre meo, id est, ex mandato, & poteſtate Patris mei, ſanando ſcilicet infirmos veſtros, excitando mortuos, ac viam ſalutis vobis annunciando, propter quod eorum operum me iam lapidatis, hoc est, lapidare intenditis, & quantum in vobis est lapidatis. Ideo enim dixit potius lapidatis, quam vultis lapidare, vt ſignificaret eos iam ad lapidandum paratos, & quantum in ipſis erat, quod volebant, opere compleſſe repreſſos autem diuina fuiſſe virtute, ne quod volebant perficerent: niſi forte quidam iam lapides aliquos Domino permittente in ipſum iecerint. Iudæi itaq; his verbis Domini prouocati, vt vel crimen proferrent, vel amentiam ſuam, & ingratitudinem profiterentur.

De bono, inquiunt, *opere*, hoc est, propter bonū opus, *non lapidamus te*, id est, lapidare te paramus, *ſed de blaſphemia*, hoc est propter blaſphemiā, & hoc est, quia, *tu cum ſis homo facis teipſum Deū*, hoc est ingeris te pro Deo, & vſurpas tibi diuinitatē. Nam coniunctio &, cum hic dicitur, & quia tu homo cum ſis, &c. non est hic coniunctio ſignificatiua alterius criminis, quaſi ſignificentur duo eſſe crimina, ob quæ ipſum lapidarēt Iudæi, ſed vel accipitur expoſitiuè, vel emphaticè, quaſi diceretur de blaſphemia, & de tam enormi blaphemia.

Reſpondit eis Ieſus; Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, &c. Quoniā Iudæi Dominum calumniabantur blaſphemare, quod ſe homine

Universidad de Deusto
Biblioteca

diceret esse Deum: primò quidem Dominus ex scripturis, quibus illi plurimum tribuebant, desumpto argumento ostendit nullam blasphemiam dicere se hominem esse Deum, vel filium Dei. Deinde demonstrat certò argumento se verè esse Deum, & vnum cum Patre. Quod ergo ad prius attinet sic dicit,

Nonne scriptum est in lege vestra, Psalmo scilicet 81. Nam nomine legis hic comprehenditur totum vetus Testamentum, cum alibi lex distinguatur à Prophetis, & Psalmis.

Ego dixi dij estis. Quod potissimum dictum est de Iudicibus, Sacerdotibus, & Prophetis populi Israelitici, quos in Exodo aliquoties Deos Scriptura vocat, vt cũ dicitur, Dijs nõ maledices, &c. Ex hac autem Scriptura cõtra intentatam sibi à Iudæis blasphemiã pergit argumentari, non solum monstrando quod secundũ Scripturam sine blasphemia potest dici homo Deus: sed etiam quod si secundum Scripturam homo vocatur Deus ex minori Dei dono, nulla sit blasphemia se hominem ex singulari, & maiori Patris dono dici Deũ, & filiũ Dei. *Si*, inquit, *illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Vbi subaudiendum est Deus pro suppositoverbi, dixit, vel potius Sciptura: porro illud ad quos sermo Dei factus est, sic videtur recipiendum, quibus commissa est potestas, & demandatum munus alijs imperandi. Post explanatam autem scripturam adiecit Dominus ad argumenti sui confirmationem, & iã irrefragabilitatem eius dicens;

Et nõ potest solui Scriptura, id est, destrui, & irrita, falsaue esse, aut tanquam falsa negari: Cæterum in eo quod sequitur;

Quẽ Pater sanctificauit, & misit in mundũ, vos dicitis quia blasphemas: Sciendum est, quod coniunctio quia, ex Græca phrasi hic posita abundat; ratione cuius coniunctionis quidã mutarũt blasphemas in blasphemat, cum in secunda persona legendum esse & Græci codices testentur, & Latini emendatiores. Deinde subintelligendum est illi, vel mihi, vt hic sit ordo: mihi, quem Pater sanctificauit vos dicitis blasphemas, &c. Porroverbum sanctificauit optimè cum Hilario sic exponitur vt Christo conueniat quatenus homini, eũ quẽ Pater santificasse intelligatur, non eo modo, quo alios homines, sed singulari aliquo modo: nẽpe quia ipsum segregauit ab vniuersis mortalibus, humanã eius naturãvnĩ diuinitati in vnitatẽ personæ, ac per hoc ipsum sine mẽsura replẽs omni plenitudine gratiarũ spiritus, de qua nos omnes accipimus: ex qua sanctificatione Christi hominis factũ est, vt Christus homo dicatur filius Dei. [Hũc autẽ singularẽ santificationis modum satis significauit, cum dixit: Quem Pater sanctificauit, & non quẽ Deus sanctificauit, &c. Alios enim dixit deos dictos, quia sermo Dei factus fuit ad illos: se vero filiũ Dei esse, quia Pater ipsum sanctificauit. Si autẽ Pater illum vt Pater sanctificauit, fecit ergo illũ sanctum suum filiũ, quod fieri

Sanctificasse filiũ quomodo intelligatur Pater.

fieri nõ potuit nisi per gratiã vnionis ex qua profluxit omniũ gratiarum plenitudo in Christũ hominem, hoc est ergo Patrem sanctificasse Christũ, quod Petrus dixit Actuũ decimo, Deũ vnxisse eũ Spiritu sancto.] Sicut autẽ Dominus de se homine loquẽs suã diuinitatẽ insinuauit dicẽs, quẽ Pater sanctificauit, ita etiã eũ subiũxit;

Et misit in mundum. Propriè enim nemo mitti dicitur ab aliquo in locum quendam, nisi antequam mitteretur esset, & apud eum esset, à quo mittitur: vnde significat se & fuisse antequam in mundum mitteretur, & apud Patrem fuisse. Misit autem Pater Christũ in mundum, dum eum hominem mundo visibilem fecit, & ad docendum, ac redimendum delegauit; proinde bene prius dicitur sanctificauit, & deinde misit in mundum. Non enim prius illum misit in mundum, & deinde sanctificauit, sed sanctificando illum modo prædicto misit in mundum. Itaque contra Iudæos calumniantes ipsum tanquam blasphemum ob id, quod cum esset homo Deũ se esse significaret, Dominus hoc loco vult ostendere se hominem, esse ratione sanctificationis filium Dei: nõ quod secundum eam naturam sit filius Dei, secundum quam est sanctificatus, & missus: sed quod ratione illius sanctificationis vna sit humanę & diuinæ naturę persona.

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi, &c. Postquam à se Dominus Blasphemiæ calumniam excussit, pergit iam id cõfirmare, & comprobare, quod illis calumniandi, & indignãdi fuit occasio: nempe, Ego & Pater vnum summus; apertius iam diuinitatem suam, & æqualitatem, ac vnitatem naturæ cum Patre astruens, quam probat ab operum identitate. Ab vnitate enim operationum consequitur necessario & vnitas naturæ & potentiæ. Non enim dicit: Si non facio opera talia, qualia Pater meus, sed si non facio opera Patris mei, vt significaret eadem esse, & non solũ similia, vel æqualia opera sua & Patris. Opera autem Patris de quibus loquitur sunt, solo imperio resuscitare mortuos, expellere dæmones, curare quæuis morborum genera. Si inquit, nõ facio opera, quæ nemo operari potest nisi Deus Pater meus: Liberum vobis facio non credere mihi asserenti me esse filium Dei, & vnum cum Patre. Contra si facio ea opera, vt me facere res ipsa declarat, & si propter susceptæ naturæ infirmitatem, aut propter odium mei, quod animos vestros occupat, non vultis mihi credere verbis de meipso testificanti, saltem operibus credite idem, quod ego verbis de me testificantibus, vt ex operibus cognoscatis, & hoc est, credatis, quod Pater in me, & ego in Patre. id est, quod ego & Pater vnũ sumus, & individua societate alter alteri cohæreat. [Quod enim prius dixit; Ego & Pater vnum sumus, nunc dicit. Ego in Patre, & Pater in me, quo apud Ioannem etiam postea significauit naturæ vnitatem, idque valdè aptè. In omnibus enim creaturis nõ possunt

Opera Patris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt inueniri duo, quorum vtrunque proprie loquendo, dicatur esse in alio, idque ideo, quia nō reperiuntur duo, quorum sit vna, eademque numero natura. Quia vero vna est Patris & filij natura, & substantia, & Patris substantia tota est in filio, & filij vicissim in Patre; ideo totus Pater in filio, & totus filius vicissim subsistit in Patre.

Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus, &c. Quāquam diuina Christi virtute, eiusque efficacibus verbis territi fuerint Iudæi ab eius lapidatione, tamen vt erant impersuasibiles, non penitus deposuerunt animum persequendi ipsum, sed quemadmodum olim, ita & modo tentabant eum comprehendere: verum ipse rursum diuinam suam virtutem declarans exiuit è manibus eorum. Modus autem quo exiuit cum hic non explicetur, videtur fuisse ille qui descriptus est cap. 8. quando scilicet reddidit se Iudæis inuisibilem. Secedit autem in fines Iudeæ, cædem futori Iudæorum, & absentia sua mitigari faciens eorum morbū. Porro trans Iordanem vadit in eum locum, vbi erat Ioannes olim baptizans in principio; non temerè hunc sibi deligens locum, sed quod ad literam quidem attinet, ob id, vt occasione loci prouocarentur homines ad conferendum Iesum cum Ioanne, & in memoriam eis reducerentur præclara Ioannis de Iesu testimonia in eo loco perhibita, quemadmodum occasione loci euenisse mox Euāgelista Ioannes commemorat. Locus autem quē Euangelista notare voluit, fuit Bethabara, vbi cap. 1. dixit Baptistam trans Iordanem baptizasse, ac de Christo post se venturo præclara testificatum, eundemque ibi digito demonstrasse præsentem. Quoniam autem in Bethabara olim ad Ioannem Dominus venerat: ideo hic dicit eum iterum abijsse in eum locum. In hoc ergo loco deserto commoratus est aliquandiu Dominus, veluti pertæsus ciuitatū impietatem. Et ecce plerique tum celebritate loci propter Ioannem, tum magis fama Christi quę nusquam eum latere permisit, exciti venerunt ad eum, quibus solita suæ benignitatis officia impendit. Docebat enim vt habet Marcus, & languidos curauit, vt habet Matthæus. Cæterum quoniam miracula etiam hic operabatur, occasione loci prouocati sunt, qui conuenerant primum quidē ad comparandum Iesum cum Ioanne quoad miracula, vnde dixerunt:

Bethabara.

Ioannes quidem signum fecit nullum, cum scilicet iste multa & magna faciat signa. Nam altera comparationis pars causa breuitatis est prætermissa. Quod autem significare voluit eos dixisse Euangelista tale est: Si Ioanni credidimus, qui nullum fecit signum, multò magis huic, qui tot tantaque operatur est signa, quibus dictorū suorum fidem cōciliat. Deinde vero etiam occasione loci memores Ioannis de Iesu testimoniorum, dixerunt.

Omnia, autem, *quecunque dixit Ioannes de eo vera erant*, hoc est multa

multa quidem & præclara Ioannes de hoc testificatus est. & prædixit, quæ omnia vera fuisse cum ea diceret, iā res ipsa satis declarat. Itaque per hæc duo nempe considerationem excellentiæ Iesu supra Ioannem, & recogitationem testimoniorum Ioannis de Ie fu: factum est vt multi illic crederent in eum.

Proponuntur parabolæ de oue, drachma, & filio perditis Lucæ 15.

CAPVT XCIIII.

ERANT autem appropinquantes ei publicani & peccatores vt audirent illum. Et murmurabant pharisæi & scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam dicens: Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domū conuocat amicos & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nōne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat eam? Et quum inuenerit, conuocat amicas & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis gaudium erit coram angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consummasset, facta est fames validè in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villā suam vt pasceret porcos, & cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autē adhuc longè esset, vidit illū pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.

Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulũ saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro, & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniã & chorum, & vocauit vnũ de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Ipse dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatũ, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respõdens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer: sed postquàm filius tuus hic, qui deuorasset substantiam suam cum meretribus, venit, occidisti illi vitulum saginatũ. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est.

Erant autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores, &c. Inter multos qui in fine capitis præcedentis dicti sunt ab alijs Euangelistis conuenisse ad Christum, eodem loco etiam accesserunt ad eum Publicani, & peccatores, quales olim eodem loco causa doctrinæ & baptismi ad Ioannem confluxerant. Id videntes Scribæ & Pharisæi, qui nusquam aberant à Domino, vbique & semper quærentes quod carperent, solito suo more cõtra Dominũ nunc murmurabãt, id in eo reprehẽdentes, quod summè fuerat prædicandũ. *Hic* inquiunt, *peccatores recipit & manducat cum illis.* Quod autẽ dicunt tale est; Hic qui nouam quandã sanctimoniam profitetur, tamen non vitat malorũ consortia, sed notos, & infames etiam peccatores ad colloquium admittit, & adeo non fugit eorum congressum, vt etiam cibum cum illis capiat, non cogitans quod multorum contubernio contaminentur boni. taque Dominus vt sui factum à Pharisæorum calumnia vindicaret, & illorum fastuosam sanctitatem coargueret, tres Parabolas proposuit, diuersis argumentis eodem tendentes: nimirũ vt ex his quæ in quotidiana accidunt consuetudine, intelligerent omnes quanta cura peccatores sint ad resipiscentiam inuitandi, quantaque benignitate recipiendi cum resipiscunt, & quantoperè sit omnibus gaudendum de eorum resipiscentia & receptione; tantum abest vt quis obmurmurare debeat aut inuidere.

Et ait ad illos Parabolam istam: Quis ex vobis homo qui, &c. Vt Parabolæ istæ commodè tractentur, sciendu quod in duabus hæ prioribus, quæ similis sunt generis, Dominus ex his quæ in rebus humanis quisq; erat facturus, & in quotidiana cõsuetudine accidere

re solẽt, ostẽdere voluit nõ esse mirandũ si peccatores admitteret, & reciperet. Sibi enim ad instar hominis, qui ex multis ouibus vnã perditãm, aut mulieris, quæ ex multis drachmis vnam perditam diligenter requirit, & ob repertam vehementer gaudet, aliosque ad congaudendum sibi prouocat, meritò summam esse curam vt perditum, & adhuc errantem quemque ad electorum numerum pertinentem in viam reducat, electisque coniungat, eoque cum Publicanis & peccatoribus lubenter congredi vt ad resipiscẽtiam eos prouocaret; ex qua & sibi, & secum Angelis Dei singulare gaudium sit prouenturum: atque ob id Pharisæos & Scribas, qui illud iniquè ferebant declarare se diuersam à Deo, atque sanctis eius Angelis mentem habere, ac proinde prauam, & Sathanicam. Hic est parabolarum scopus à Domino intentus, quemadmodum patet ex applicatione ipsius, quanquam ea ab ipso non nisi ex parte fiat, pro more enim suo reliqua relinquit nostræ intelligentiæ. Quod autem dicitur in conclusione primæ parabolæ, *maius esse gaudium in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia, &c.* Sic accipiatur Dominus locutus de ijs qui sunt iusti secũdum eum modum, quo in scripturis aliqui dicuntur & sunt iusti, (vt magis est intelligendum quam de his, qui putabant se iustos nec indigere pœnitentia, quales erant Scribæ, & Pharisæi) dicendum ipsum asserere tales non indigere pœnitentia, quia in statu salutis constituti non egent status mutatione, quam includit nomẽ pœnitentiæ; nec tali egẽt pœnitẽtia, quali hi qui ex professo sunt peccatores. Maius autem gaudium dicit esse de vno pœnitente quam multis iustis ad eum modum, quo in hac eadem parabola dixit apud Matthæum hominem aliquem magis gaudere super errabunda oue reperta, quam super 99. quæ non errauerunt: videlicet quia maius actuale, & sensibile gaudium est de vnius pœnitentia, quam multorum innocentia; quomodo Pater aliquis magis gaudet de vnius filij restituta valetudine, quam de multorum filiorum, qui nunquã fuerunt in periculo integra sanitate; etiamsi omnes filios ex æquo diligat, aut etiam sanos magis diligat. Cogitandum enim Dominum in multis vulgarissimè locutum, atque de diuinis ac spiritualibus rebus disseruisse tanquam de humanis.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit, &c. Eodem tendit hæc parabola, quo duæ præcedentes, sed alio modo proposita est, & alterius ab illis generis. Superiores enim exempla sunt, ab his quæ in quotidiana accidunt consuetudine desumpta, non tam comparatione huiusmodi exemplorum ad rem eam, ad quã declarandam assumuntur: hæc vero citra expressam aliquam cõparationem, certi alicuius hominis factum proponit, veluti rem gestam, ex qua relinquetur intelligendum allegoricè, quod significandum

Universidad de Deusto
Biblioteca

candum erat secundum exigentiam rei, de qua agebatur. Cuius generis parabolas pleraſque habet Lucas, vt cap. 10. parabolam de homine, qui incidit in latrones, cap. 14. de homine qui fecit cœnam magnam, cap. 16. de diuite epulone; quales parabolæ magis sunt ænigmata, & obscuræ allegoriæ, quam nudæ parabolæ. Vt autem hæc parabola, in qua sub exemplo humano diuina, & spiritualia significantur, commode ad indicandam Domini intentionem tractetur, oportet imprimis eam ad literam tractare, veluti narrationem rei aliquando gestæ circa duos vnius Patris filios, ac tum indicare quæ sint significata à Domino huiusmodi narratione: non disquirendo singula anxiè, cum certum sit in omnibus parabolis multa dici pro exigentia exempli quod assumitur, magis quam pro significatione rei propter quam parabola proponitur. Dicit ergo:

Homo quidam habuit duos filios. Quorum adolescentior, qui scilicet per adolescentiam minus sapiebat, nec vt accidere solet, ferebat subesse imperio patris etsi benignissimi, sed libertatis auidus erat, dixit patri suo;

Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit, id est, quæ mihi obuenit, & ad me pertinet, quasi diceret; experiri cupio, quid ex ea luen facere possim meo marte, perlustrare volo regiones, vt ex multarum rerum vsu prudentiam mihi comparem. Pater, vt erat indulgens, filij petitionem recusare noluit, tum quod rem iustam, aut certè non iniquam petere videbatur, tum quia non iudicauit expediens retinere inuitum. Itaque partitus est inter duos filios substantiam, vnicuique assignans suam portionem cum potestate vrendi vt vellet, non tamen sine spe profectus. Ac maior quidem non sese separauit à domo paterna, sed se, suaque omnia in eius potestate reliquit, habens cum illo omnia communia: nimirum prudentia sua, quam per annos maiore habuit, secum cogitans, hac ratione se sibi, suisque rebus melius consulere. Minor vero intra dies paucos diuenditis omnibus, contracta præsente pecunia peregre profectus est in regionem longè à patria dissitam. Hic autem constitutus cum sui iuris iam esset, & à Patre semotus, qui illum ad honesta suis consilijs posset prouocare; ex sese vero per adolescentiam non saperet, & ad vitia, ac luxum non solum promtus esset, sed etiam aliorum consortio iuuenum inuitaretur, factum est, *vt breui tempore dissipauerit omnem substantiam suam.* idque non infœlicibus negociationibus, aut alijs infortunijs sed *viuendo luxuriosè*, hoc est agendo cum meretricibus in omni luxu vestium & conuiuiorum, vt adolescentibus, vtpote ad libidinem, & luxum pronis, vsuuenire solet. *Postquam autem omnia consummasset*, i. consumpsisset, *orta est fames in regione illa* in qua iuuenis peregrinabatur, vnde etiam ipse amicis ita simul, & re destitutus *cœpit egere*, adeo, vt præ inopia, gladio, vt dici solet, acerbissimo, is cui olim graue erat subesse clementissimo patri, coactus sit sese tradere in seruitutem ciui peregrino, & barbaro, qui illum non ciuili alicui labori, & seruitio applicuit, quod forte nullum artificium quale in ciuitatibus exerceri solet, didicisset; sed è ciuitate misit *illum in villam suam*, hoc est, in agrum suum idque non vt pasceret oues, aut boues, sed *vt pasceret porcos*, quos pascere dedecorosissimum est officium apud omnes homines, sed maximè apud Iudæos abominantes carnem suillam. Cumque liberali genere natus in tam fœdam seruitutem se demisisset ventris gratia, non est tamen vel hac ratione assecutus, quod quærebat. *Cupiebat enim implere ventrem suum* non solum frumento, nec tantum ipsis leguminibus, quibus pauperes in magna egestate vesci solent, sed etiam *siliquis*, hoc est, folliculis ipsis, quibus legumina includuntur, *quas porci manducabat*, & tamè nec has quisquam illi dabat ad saturitatem. Et hactenus quidem parabola proponit filij iuuentis insipientiam, & quæ eam secuta est miseriam; deinde verò proponit eiusdem ex miseria natam seriam pœnitentiam, Patrisque erga eum summam benignitatem. *In se*, inquit, *reuersus*, hoc est iam tandem per summã inopiã & miseriã ad sui considerationẽ conuersus, qui prius per illecebras huius mundi veluti mente captus erat, & extra se raptus, nihil eorum quæ ad suam salutem spectabant considerans, dixit; *Quanti*, id est, quam multi non solum vernaculi serui, sed etiam mercenarij, qui mercede conducti suam operam alijs locant *in domo Patris mei abundant*, non dico siliquis, quas ego desidero, sed *panibus*, ego autem tam diuitis Patris filius longè sum infra illorum fœlicitatem *cum fame hic peream.* Atque hic quidem primus erat ad salutem gradus reminisci vnde deciderat, & quo reciderat. Restabat vt ne animum planè deijceret, & desperans sibi necem inferret, aut fame pœnitus enecari sineret. Itaq; ex consideratione clementiæ paternæ spem bonam concipiens, sic apud se proposuit, & consultauit; *Surgam* deposito mœrore qui me in terram prostratum detinet *& ibo* confidenter *ad Patrem meum*, non quod habeam aliquid, quo me purgem, aut quod stultitiæ meæ prætexam, sed vnam spem habens in paterna eius clementia, ob quam petere audeam, non quidem vt in pristinum locum me recipiat, sed vt saltem, inter suos mercenarios habeat. Dicam ergo ei; *Pater* (nimirum hac appellatione ad clementiam eum commouens) *peccaui in cælum & coram te*, id est, & Deum offendi, & te *iam non sum dignus* qui vocer filius tuus, proinde illud tantum peto, vt misertus mei me habeas eo loco, quo vnum quẽlibet è mercenarijs tuis. Itaq; surgẽs venit ad Patrẽ suum. Cum autem necdum peruenisset ad ædes paternas, & adhuc longe esset

vidit

vidit illum Pater ipsius, vt est oculata pietas, nec tamen iusta ira permotus refugit ab eo, ac sese illi subtraxit, sed mox ad aspectum miseriæ eius quam præ se ferebat nuditate, macie, vultuque tristitia, *misericordia motus est*, iustam iram flectens ad misericordiam. Nec misericordia simplici motus est, sed tanta, vt non expectato filij aduentu, ipse non tantum procederet obuiam venienti, sed etiam accurreret, ac pietate natiua victus, necdum auditis filij precibus irrueret in collum eius, ipsumque oscularetur, non abhorrens eius sordes contingere: sed omnium iniuriarum immemor filio seipsum damnante ipse absoluit, cumque seipsum filius abdicaret, ipse Pater restituit in pristinam dignitatem. Versus enim ad famulos ait: *Cito proferte stolam primam & induite illum.* Est autem stola vestis genus ad talos vsque demissæ, quæ non seruis, aut mercenarijs conuenit, sed filijs. Græcis additur articulus duplex qui sic explicari potest: stolam illam primam, aut illam stolam, illam inquam primam: vt intelligamus non de qualibet stola dictum, sed certa quapiam. Quod autem dicitur primam, quidam putant positum pro præcipuam, sed rectius intelligitur significare pristinam: vt intelligamus filium exutum stola, qua in domo Patris indutus solebat, cum abiret à Patre, atque eandem a Patre asseruatam iussam afferri. Iubet autē & annulo manus ornari, & pedes nudos calceamentis; quin & præ nimio gaudio iubet è stabulo vitulum adduci, non quemuis, sed vitulum saginatum, aut vt item hic est Græcè cum duplici articulo τὸν μόσχον, τὸν σιτευτὸν, id est, illum vitulum, illum inquam saginatum, vt certum & insignem vitulum accipiamus designari, eoque mactato omnes domesticos suos ad cōgaudendum, sibi prouocat; quemadmodum in præcedentibus parabolis fecit qui perditam ouem inuenit, & mulier quæ reperit perditam drachmam, vnde & ipse dicit de filio, *perierat & inuentus est*, id est, sicut mortuus erat mihi, & mihi reuixit. Et hactenus quidem de filij prodigi resipiscentia, & patris erga eum clementia. Sequitur tertio loco de filij senioris indignatione, & Patris iussim etiam erga hunc non minus adhibenda benignitate.

Stola.

Erat autem, inquit, *Filius eius senior in agro*, non quidem porcos pascens, sed terræ colendæ intentus, aut prospiciens quid agerent mercenarij & serui. Et cum ex agro reuersus appropinquaret domui paternæ audiuit *symphoniam*, id est, concentum musicum & tantum conuiuarum, & *chorum*, id est, multitudinem concinentium, & cum intellexisset causam nouæ & insolitæ lætitiæ, & præ omnibus magis se cōmuni gaudio adiungere debuisset seruis congratulātibus fœlicitati fratris, *ipse indignatus noluit intrare.* Quod cum resciisset Pater cupiens etiam hunc communis lætitiæ participem esse, non neglexit indignabundum, sed ingressus ad illum cœpit non vt iuste poterat, increpare illum de iniusta, & impia indi-

gnatione, sed rogare illum blandè, vt omisso stomacho iungeret se communi conuiuio, paternam suam clementiam etiam in hunc mirè offendens. Ille vero nec tanta optimi Patris comitate mitescit, sed & cum Patre arroganter expostulat, & fratrem impiè accusat, dicens: *Ecce tot annis seruio tibi; & nunquam mandatum tuum præterij, & nunquam dedisti mihi vel hœdum* vnde cum amicis meis iucundè epularer. Sed *postquam filius tuus* (neque enim præ indignatione dicere voluit frater meus) hic, qui deuoxit eum scortis substantiam suam (aut vt habent Græci tuam, quod est odiosius) *venit, occidisti illi*, quod habuisti prætiosissimum, & delicatissimum, nempe vitulum illum saginatum. His auditis Pater impia expostulatione non est commotus ad iram, nec, ne magis eum exasperaret superbam, & falsam eius obmurmurationem redarguit: sed his prætermissis studet blandis verbis indignantis animum placare, ac veluti satisfacere expostulanti filio, suggerens illi quid esset in hoc negotio officij ipsius. *Fili*, inquit, *tu semper mecum es & omnia mea, tua sunt*, q.d. Non est quod quæraris, quasi munus tibi faciam, aut fecerim quam fratri tuo, tu enim particeps semper fuisti omnium meorum gaudiorum, & omnia mea in tua sunt potestate, tibique sunt communia. Quod vero ad id attinet, quod in fratre tuo iam à me gestum est *epulari, & gaudere te* non indignari, & inuidere oportebat, idque non solum quo Patris gaudium tua congratulatione augetes, sed etiam quia hic ob quem gaudemus *frater tuus est, qui cum nobis fuerit mortuus, iam reuixit, cum perditus nobis fuerit, iam inuentus est*. Hactenus literalis ipsius exempli tractatio, quam ideo lōgius prosecuti sumus, vt imagine à Domino tam accurata delineata probè inspecta, & cognita, melius solidam rerum mysticè significatarum intelligentiam assequamur. Itaque vt in genere parabolæ scopum ostendamus, docere hac Dominus voluit inexplicabilem esse Dei erga peccatores reuertentes misericordiam atque clementiam, adeo vt ea homines alios etiam iustos, aut iustitiæ nomine sibi placentes, licet horum fratres, qui præcipuè hinc gaudere deberent, offendat. Atque ita tacitè arrogans Phariſæorum supercilium perstrinxit, qui fratrem illum maiorem, de fœlicitate minoris dolentem tum reserebant, damnantes quod in ipso Saluatore, Dei clementia in præsenti congressu cum Publicanis, & peccatoribus tam præclarè sese exereret. Vt autem ad singularum partium tractationem descendamus, per adolescētiorem filium peccatores designantur, propterea quod adolescentia ad vitium prona sit, quod que inuenilis cuiusdam stultitiæ, & instabilitatis sit, deserto optimo Patre Deo vitiorum seruituti sese addicere. Quod autem Pater ad petitionem filij minoris, diuiserit filijs substantiam significat, Deum vnicuique homini dedisse liberū arbitrium, vt viueret vnusquisq; non

Parabola scopus generalis.

Applicatio partis cularis.

non ex necessitate imperantis Dei, sed ex sua voluntate. Liberum enim arbitrium est velut portio substantiæ, quæ ad nos pertinet, quia humanæ naturæ debetur, ac per illud à cæteris distamus animantibus, deditque illud nobis Deus velut quasdam facultates, quibus nutriri, ac ditescere possemus. [Nec iam hic quærendū quo modo filius iunior dicatur petisse portionem substantiæ, cum omnes ex natiuitate habeamus liberi arbitrij potestatem. Non enim singula sunt nimis curiosè persequenda, cum nō omnia sic possint inueniri in re significata, quemadmodū in exemplo. Satis ergo est hoc intelligere significatum, quod quēadmodum Pater parabolicus noluit filium inuitum retinere, sibique seruire; ita & Deus omnes nos reliquit in manu proprij consilij potestatem faciens viuēdi vt volumus.] Potest autem substantiæ diuisio etiam referri ad omnia Dei dona, quæ diuersis diuersa Deus distribuit. Quod autē iunior acceptā suā substantia peregrè profectus est in regionē longinquam; significat peccatorem non ferentem mitè iugum Domini, iuuenili quadā stultitia, & inconsideratione elongare se à Deo, non locorum spatijs, sed affectu, iuxta illud Psalmistæ. Ecce qui elōgant se à te, peribunt. Quod filius à Patre separatus, & in regione longinqua degens dissipauit substantiam suā viuendo luxuriosè: significat peccatorē à Deo iam elongatū, ac his cōiunctum qui longè sunt à Deo, naturales liberi arbitrij vires ac cætera Dei dona inutiliter expendere, eisque abuti, ac perdita, carnalique vita corrūpere. Quod post omnia cōsumpta facta est fames non simplex, sed valida in illa regione, ac ob id cœpit egere: significat quod bonis vniuersis naturę simul & gratiæ aut consumptis, aut corruptis, intellectu scilicet per peccata obscurato & voluntate effecta infirma ad bonum, & multum inclinata ad malum, tum demum peccator inter malos viuens incidit in summam inopiam panis spiritualis, nempe verbi diuini, & virtutum, quibus mens & nutritur, & cōfirmatur. Quod inopia cogente iunior filius abiens adhæsit vni ciuium, aut vt legit D. Hieronymus; vni de principibus regionis illius: significat peccatorem suis consumptis in summa inopia constitutum magis magisque elongari à Deo, ac iam perfectè, ac totaliter subijci dæmoni, atque in eius venire potestatem, qui ciuis est, & princeps regionis peccati. Hic itaque illum in suam receptū potestatem veluti in villam suā mittit ad pascendum porcos: siue quia illum iam impellit, vt se totum prodigiosis immergat vitijs, & ab vrbanis luxibus degeneret ad brutales, ac tota sua impia vita pascat impuros dæmones, quorum cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio, & vniuersa vitia, siue quia eum ita proficere facit in malo, vt iam & aliorum malorum fiat dux & magister. Quod autem porcorum pastor in regione famis cupiebat saturare ventrem suum de porcorum siliquis, nec dabatur: significat peccatorē huiusmodi semper

semper quidē desiderare vt carnalem appetitum satiet his rebus, quibus dæmones, & impij homines pascuntur, & delectantur, nunquam tamen eam satietatem assequi, quod nihil rerum huius mūdi mentem hominis saturare queat, quodque diabolus, vt indicat D. Hiero. cum aliquem sua arte deceperit, proprium que iugum ei imposuerit, accendat quidem in eo desiderium vanorum delectabilium, priuet tamen eum concupitis. Cum enim iam perfectæ homine possident dæmones, inuident ei satietatem appetitus, quā tamen suppeditabant, priusquam illum sibi plenè subiecissent. Vt autem prædictis Dominus insinuauit peccatoris miseriam & vilitatē: ita sequentibus indicat quomodo multis extrema calamitas, & peccatorum magnitudo resipiscentiæ est occasio, ac qualis debeat esse peccatores resipiscentis pœnitentia. Quod ergo in se reuersus filius prodigus dixit. Quāti mercenarij, &c. significat peccatores eos, qui de numero sunt filiorum Dei, hoc est, electorum, cū in profundum peccatorum venerint, tandem per vitiorum fastidium, & propriæ tum miseriæ, tum vilitatis considerationem ad sese redire, ac secum cum cordis maximo gemitu deplorando, cōparare statum virtutis, vnde exciderunt, & statum peccati, in quē suo vitio sunt prolapsi. Cæterum per mercenarios, cum quorum fœlicitate filius prodigus suam comparat infœlicitatem: intelligi primò recte possunt hi qui sola spe bonorum temporalium à vitijs abstinent, & Deo seruiunt, qui longè meliore sunt conditione, quam hi qui præcipites se dant in vitia. Quoniam enim sese seruant in familia Patris cælestis, ideo abundant panibus, hoc est, multis bonis à Deo fruuntur etiam secundum animam nutriti pabulo verbi diuini. Secundo imperfecti quique, qui in seruitio diuino spectant fere beatitudinis æternæ consecutionem, & nondum perfectum filiorum affectum induerunt; ita vt solo amore Dei Patris, virtutibus insistant. Quod autem filius prodigus post comparationem suæ infœlicitatis cum fœlicitate mercenariorum dixerit: Surgam, & ibo, &c. significat peccatorem post considerationem suæ conditionis secundo loco ex consideratione diuinæ clementiæ concipere spem misericordiæ impetrandæ, ac ob id proponere apud se cum omni humilitate, ac simplici cōfessione peccatorum, Dei implorare, & quærere misericordiam; sic tamen vt non audeat petere restitutionem in pristinum statum, ac priora dona, sed tantum vt intra eius familiam recipiatur. Primum ergo proponit se surrecturum è vitiorum sordibus, in quibus iacet, ac deinde relicto vitiorum statu, iturum affectu ad eum, quem nouit esse patrem suum, tum etiam paternam clementiam paterna cōpellatione imploraturum dicendo: Pater peccaui in cælū, &c. quia scilicet in cōspectu cæli nō veritus sum tam grauia cōmittere crimina, & insuper coram te peccaui,

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui etsi nobis sis inuisibilis, omnia tamen vides, quæcunque vbiuis aguntur locorum. Sancto huiusmodi proposito facto, tertio loco necesse est, vt quod proposuit exequatur, quod significatur ei sequitur. Et surgens venit ad Patrem suum. Porro vt tribus istis gradibus elegãter perscriptus est verè pœnitẽtiæ modus: ita sequẽtibus pulchrè delineatur summa, & inopinabilis Dei erga peccatores benignitas. Quod ergo dicitur, cum adhuc longe esset, vidit eum Pater ipsius, &c. Significat Deum sua gratia præuenire peccatorem, iuxta illud, desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua, &, dixi confitebor &c. Amplexus enim cum osculo ipsam gratiam reconciliantem significat, quæ his signis est descripta, ad significandum magnitudinem affectus, & effectus diuinæ benignitatis erga pœnitentem. Quod autem subijcitur filius nihilominus dixisse quod proposuerat: isignificat peccatorem verè pœnitentem, etsi sentiat in se diuinæ benignitatis consolationem, non tamen cessare ab humili suorum peccatorum, & suæ indignitatis confessione. Quod tamẽ non dicitur addidisse, quod etiam dicere proposuerat;

Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: Significare potest peccatorem eum in se sentire cœperit diuinam consolationem veluti absorptum à paterna benignitate, se totum proijcere in Patris gratiam, nihilque petere, sed tantum confiteri suum peccatum, & indignitatem. Quod autem post hæc Pater iusserit filium indui prima stola, annulo manus, & calceamentis pedes ornari: simpliciter rectè accipitur tantùm significare, quod Deus adeo delectatur humili peccatoris confessione, vt quia homo sese indignum reputat, ipse ei pristinam gratiam & dignitatem restituat. Nam & Ezech. 16. His tropis significat Dominus loquens ad Ierusalem, qualiter eam multis modis decorauerit dicens: Vestiui te discoloribus, & calceaui te hiacintho, & cinxi te byssо, & indui te subtilibus, &c. Iam verò si quæratur quomodo dicatur filius senior indignatus, cum personam gerat iustorum: dicendum est primum quidem quod ea quæ hic dicuntur de filio seniore gerente iustorum personam, dicta sunt à Domino ad notandum ipsos Pharisæos, & Scribas, qui iusti volebant haberi, quibus Dominus per sanctum filij, senioris, quod nemo non culpandum fateretur insinuare voluit quam iniquè, & impiè ipsi tanquam iusti indignarentur Publicanos & peccatores recipi à Christo. Postremum cum Hieronymo & Caietano etiam rectè intelligitur significatum iustis quibusdam adhuc scilicet imperfectioribus, ex consideratione immensæ benignitatis diuinæ erga graues peccatores, nasci aliquid inuidiæ, & obmurmurationis: at Deum tamen & proborum salute vicissim esse sollicitum, ac per internas suas inspirationes corrigere oborientes animo huiusmodi cogitationes, ac reduce-

reducere ad saniores cogitationes; Quæ pro mystica tractatione eorum quæ de filio seniore dicuntur sufficiunt, vt non sit necesse magis particulatim persequi singula.

Parabola de villico iniquo. Luc. 16.

CAPVT XCV.

DICEBAT autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intrà se: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantũ debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede, cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait ille: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est, & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verũ est quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odiet, & alterum diliget. Aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire & mammonæ. Audiebant autem omnia hæc pharisæi qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. Deus autem nouit corda vestra, quia quod hominibus altũ est, abominatio est ante Deum. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Facilius est autem cœlum & terram præterire, quam de lege vnum apicẽ cadere.

A. 6. 42.

A. 11. 47.

A. 5. 39.

Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, &c. Postquam tribus parabolis præcedentibus Dominus cõfutauit calumniã Pharisæorum, & obmurmurationẽ, quartã iam adiecit de dispẽsatore iniquo, ad redarguendã presentiũ Phariseorũ auaritiã. Nam horum gratia, & occasione hanc etiã parabolã esse dictã, patet satis ex sequẽtibus, cũ dicũtur hæc omnia auari Pharisæi audiuisse, & ob id Dominũ deriliisse. Cũ autẽ superiores tres parabolas

dixerit ad Phariſæos: nũc ad diſcipulos ſermonẽ cõuertit, quãuis Phariſæorum notare volens auaritiã. Sciebat enim huius doctrinæ non eſſe capaces, nec eam approbaturos Phariſæos: vnde diſcipulos ſuos alloquitur, volens illos a morbo illo Phariſaico curare & præſeruare, cuius notandi, & de eo diſſerendi occaſionẽ præbuerunt Phariſæi ſua præſentia, & obmurmuratione. Porro priuſquam parabolæ huius ſcopus, & myſticus ſenſus explicetur, primum notandum circa literam quod pro villicus Græcis dicto eſt Latinis auribus non inſolens οἰκονόμος œconomus, id eſt, diſpenſator. Deinde cum dicitur centum cados olei, pro cados, Græcè eſt batos: Batum tamen & cadum ſiue metretam pro eadem menſura accepiſſe Diuum Hieronymum patet ex lib. 14. comment. in Ezech. cap. 45. Decima, inquit, pars cori in ſpeciebus liquidis vocatur batus ſiue cadus: non ergo mirum quod hic pro batos legamus cados. Batus autem mentura erat liquidorum, æqualis ephi menſuræ aridorum, quarum vtraque decima fuit pars cori. Vnde conſtat villicum illum iniquitatis plus remiſiſſe ei qui centum cados debebat, quam ei, qui centum batos, quamuis hunc remiſerit 50. illi vero tantum 20. Sed de menſuris hæc pro præſenti loco ſufficiunt. Cæterum quod diſpenſator iſte dicitur dixiſſe; Accipe cautionem tuam vel literas tuas, & ſcribe hoc, vel illud: ſic videtur intelligendum, vt ipſe tradiderit eis in manus eorum ſyngraphas obligatoriam olim ab eis ſcriptam, eaque rupta, aliam iuſſerit ab eis ſcribi, in qua tantum fatererentur ſe debere 30. vel 80. Quodautem ſequitur. Et laudauit Dominus, &c. quidam putant non verba eſſe Chriſti, ſed Euangeliſtæ interrumpentis Chriſti ſermonẽ; verum magis apparet hæc adhuc eſſe verba Saluatoris, eo quod ſtatim ſequatur ab eo dictum; Et ego dico vobis, &c. Itaque magis intelligendum Saluatorem, quod ſic propoſito ſuo conueniret, fingere Dominum illius diſpenſatoris veluti liberalem, delectum ingenio illius, laudaſſeque eum, non quod fraudem commiſiſſet, ſed quod prudenter egiſſet, ſibi proſpiciens in futurum: quẽadmodum eum audimus ab aliquo patratum facinus, ſed ingenio è, etſi damnemus factum, laudamus tamen ingenium; dolemuſque eum, aut alios non in alijs rebus melioribus tale ingenium exercere, quod & hic Saluator quaſi ægrè ferens ſubijcit, quia filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Vbi illud in generatione ſua perinde eſt ac ſi, vt apertius verti poſſet diceretur, in genere ſuo, hoc eſt eo modo, quo tales dicuntur eſſe prudentes, non autem abſolutè. Senſus ergo eſt quod filij huius ſeculi ſuo modo prudentiores ſunt & callidiores ad proſpiciendum ſibi de ijs, quæ ad præſens ſeculum pertinent, quam filij lucis, ad curandum ea, quæ ad vitam illam pertinent, quam ipſi ſpectant. Filij autem huius ſeculi, vel filij lucis, phraſes ſunt Hebraicæ, quibus ſignificantur

Batus. Cadus. Metreta.

ficantur homines adiecti huic ſeculo, & qui iam lucem Euangelicam amplexi ſunt. His præmiſſis, vt ad myſticam huius parabolæ tractationem & explicationem intentionis Domini deueniamus: id primò certum eſt, quod villicus iſte iniquitatis, qui a Domino nobis ad imitandum proponitur, non quo ad omnia, quæ de ipſo narrantur imitandus proponitur. Non enim aut Domino noſtro facienda eſt aliqua fraus, aut de ipſa fraude, & alienis eleemoſynæ erogandis neque eos, à quibus recipi volumus in æterna tabernacula tanquam debitores Domini noſtri, fas eſt intelligere cũ iuſti & ſancti pontifimum ſignificentur hoc loco, qui eos introducant in æterna tabernacula, à quibus neceſſitates eorũ in præſenti vita ſunt ſubleuatæ. Proinde in hac maxime parabola, ſumma dũtaxat ſpectãda eſt, nec ſingula ſic ſunt perſequẽda, vt in quibuſlibet partibus ſimilitudinẽ propriã quæramus, & ſingula villici nobis accõmodemus. Quæ autẽ ſit huius parabolæ ſummaex his quæ Dominus parabolæ ſubiecit ſatis licet colligere cũ explicãs quorſum hæc dicta ſit, adijcit; *Et ego dico vobis facite vobis amicos, &c.* Quanquã hic nõ cuncta explicet in parabola ſpectãda, ſed tantũ, id quod eſt præcipuũ, reliqua noſtræ intelligentiæ relinquẽs. Sũma ergo parabolæ in tribus cõſiſtit; Primũ, vt intelligamus nos omnes bonorũ corporaliũ nõ eſſe Dominos, ſed tantũ diſpenſatores, ac ob id exactã a nobis rationẽ poſcendam aliquando, vt ſumma cũ ſolicitudine curãdum nobis ſit, qua illa ad voluntatẽ Domini diſpenſemus. Secundò ad hoc tẽdit parabola, idq; præcipuè, vt ſicut diſpẽſator ille cũ intelligeret ſe ſua priuandũ diſpenſatione, ſollicitus fuit, vt futuræ vitæ proſpiceret, nec aliud præſentius reperit, quam vt bonis Domini ſui in ſuũ cõmodum vtens quãdiu poſſet pararet ſibi amicos ex bonis Domini ſui, qui ipſum ſuo munere deſtitutũ, alterũtita & nos cogitemus aliquãdo nos à tẽporalium horũ bonorũ diſpẽſatione amouẽdos, ac ob id ſoliciti ſimusqua ratione nobis in æterna vita, vbi nõ erit horũ in manu noſtra diſpẽſatio, proſpicia mus: ſciamuſq; illã demũ proſpiciendi nobis rationẽ eſſe cõmodiſſimã, ſi ex acceptis diuinitus facultatibus beneficiamus liberaliter pauperibus, per quos in æterna ſimus recipiẽdi tabernacula, cũ defuncti fuerimus diſpenſationis noſtræ officio. Tertio ad hoc tendit parabola, vt intelligamus, quod ſi Dominus iniqui diſpenſatoris pallius diſpendia laudat diſpenſatoris prudentiam, quod aduerſus Dominum quidem fraudulenter, ſed pro ſe prudenter egerit: multò magis à Domino noſtro, qui & ditiſſimus eſt, & nullum damnum poteſt ſuſtinere, & cuius præceptum eſt vt pauperibus beneficiamus, laudandi ſumus, ſi bonis eius noſtræ diſpenſationi commiſſis ab ipſo, ita in noſtrum commodum vtamur, vt per ea nobis paremus locum in æternis manſionibus. His tribus in parabola obſeruatis, cætera relinquenda

Parabola huius ſũmatim explicata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt tanquam pro exempli cõmoda narratio ne tantum dicta, præcipuè cum parabola hæc ex earum sit genere in quibus comparatio sumitur ex dissimilitudine.

Mammona iniquitatis.

Et ego dico vobis: facite vobis amicos de mammona, &c. Mammona iniquitatis Hebraica phrasi positum est pro Mammona iniquo, quemadmodum supra villicus iniquitatis pro villico iniquo. Porro Mammona non Hebræa, sed Syriaca vox teste Hieronymo, diuitias significat, vt circa Matth. cap. 6. dictum est. Ratio autem quare Dominus non simpliciter dixerit de Mammona, sed de Mammona iniquo est propter similitudinem maiorem indicandam inter nos, & iniquum villicum quem imitandum proposuit: vt scilicet sicut ille de iniquis diuitijs sibi parauit amicos, & nos de iniquo Mammona faciamus. Deinde & ob id vocauit iniquas diuitias, quia ab iniquitate descendunt, & parantur si non alia, saltem ea, qua nimio studio, & diligentia congregantur, aut qua illicitè seruantur, non erogando eas pauperibus quemadmodum oportebat: quandoque vero, & frequenter ex iniquitate qua non satis iustis modis ab alijs acceptas sibi vsurpat, & appropiat aliquis: vel certè propterea dicuntur iniustæ, quia sunt materia omnis iniustitiæ & iniquitatis. Cæterum amicos de Mammona iniquitatis Dominus nos vult parare, vt nos recipiant in æterna tabernacula cum defecerimus, hoc est, cum ex hoc mundo, emigrare cogemur, sunt potissimum sancti & fideles pauperes eique maxime, qui omnia sua propter Dominum reliquerunt aut perdiderunt, pleni diuitijs spiritualibus, quales etant illi in Ierusalem pauperes, pro quibus collectas fieri ab hortatur in Epist. ad Corinth. Paulus, quas ipse per sese in Ierusalem detulit. Dicuntur autem illi recepturi suos benefactores in vltimum simpliciter quidem quia propter illos Christus eorum benefactores recepturus est, qui sibi imputat factum, quod illis impenditur iuxta illud: Quod vni ex minimis, &c. Subtiliori vero ratione tum quia simul regnabunt cum Christo, & dominabuntur populis, ac iudicabunt nationes, & proinde simul etiam cum eo recipient benefactores suos in cælum, tum quia illis communicant merita, & diuitias spirituales, qui ipsis sua temporalia impartiuntur, iuxta illud Pauli. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, &c.

2. Cor. 8.

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est, &c. Quo magis ad benignè dispẽsanda præsentia bona prouocaret Dominus, alias etiam ex occasione eiusdem parabolæ subijcit documentum de pœna scilicet mali dispẽsatoris tẽporalium facultatũ, quam duplicem ferè insinuat, nempe quia talis & in præsenti tẽpore ingnus apud Deum habebitur, cui veriores diuitiæ quia scilicet sunt verę diuitię (est enim etiam hęc vna ratio cur diuitias vocet iniquas)committantur dispensandæ, & in futuro seculo sua apud Deum carebit mercede. Primum itaque horum ostensurus premittit duas prouerbiales, & à vulgo desumptas sententias generales. Qui fidelis est, inquit, in minimo, &, i. etiã in maiori, aut magno, (vt habẽ: Greca) est fidelis *& qui in modico* (aut vt est Græcè in minimo) iniquus est, & in maiori iniquus est, quibus vulgaribus sententijs significatur, quid in plurimum eueniat, quodque homines ex minoribus factis maiorum coniecturam facere soleant. Ex his ergo infert Dominus, quod suo seruit proposito:

Si ergo in iniquo Mammona. Re scilicet minima, si ad spiritualia bona fiat compatatio, *non fuistis fideles*, dispensando ea secundum voluntatem Domini vestri: *quod verum est, quis credet vobis*, hoc est spirituales diuitias, quæ solæ vera sunt bona, Deus nequaquam cõmittet vobis dispensandas. Discipulos enim alloquitur, & in eis omnes nos, quos significat indignos esse, & ineptos, quibus Euangelium Dei alijs prædicandum committatur, aut alia dona spiritualia dentur in ædificationem & vtilitatem aliorum. Opponit autem id quod verum est iniquo Mammonæ, significans diuitias terrenas non verè esse diuitias, sed fallaces, vt quę verè diuites & beatos homines non reddant, nec hoc præstare possint, quod pollicentur. Post pœnam autem infidelis dispensatoris, quę ad præsens pertinet seculum, subiungit & de ea, quæ ad futuris pertinet, rursumque vtitur vulgari sentẽtia. Vulgo enim dici solet, eum qui in alienis rebus est infidelis, dignum esse cui etiam non dentur, quæ ipsius sunt. Vnde id suo accommodans proposito dicit.

Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Alienum vocat diuitias temporales, quod eas pleno iure non possideamus, cum minimo momento, vel ipse nobis, vel nos illis eripiamur: quodque eas Deus hominibus concedat non tanquam eorum propria bona, sed tanquam ea, quæ per eos vult dispensari. Id quod nostrum est vocat cælestia, & æterna dona, quia ad eorum possessionem creati omnes sumus, conueniuntque nobis secundum id quod potissimum sumus: nempe rationales, ac sola hæc cum obtenta sunt, beatos nos faciunt, nec eripi nobis possunt. Itaque significat eos, qui modo in alienis opibus dispensandis non fuerint fideles, sed subtraxerint eas alijs quibus debentur, Deum vicissim subtracturum illis propria ipsorum bona, id est, præter illa cælestia generaliter etiam & ea bona spiritualia, quæ in præsenti vita à Deo hominibus cõferuntur. Pergit autem Dominus post hæc dehortari ab auaritiæ, & pecuniæ studio, ac rursum vulgares assumens sententias accommodat eas suo proposito. Nemo, inquit, seruus potest duobus Dominis seruire, &c. Hæc autem tractata sunt in cap. Concor. 42. citra cap. Matth. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari &c. Apud Græcos additur coniunctio, &, ante Pharisæi; audiebãt autem omnia hæc & Pharisæi, vt sit sensus. Quanquam dixerim Dominum hæc dixisse ad suos discipulos, tamen etiam Pharisæi audiebant hæc omnia, qui cum essent auari, i. pecuniarum amatores (Græce enim est φιλάργυροι) & ob id huius doctrinæ non essent capaces, deridebant Dominum huiusmodi docentem, aut, vt est efficacius apud Græcos, ἐξεμυκτήριζον, i. subsannabant eũ, aut naso suspendebant eum. Deridebant autem eum quod ipse Dominus vt pauper, adhortaretur diuites ad suorum bonorum in pauperes distributionem, quod diuitiarum possessores tantum diceret esse dispensatores, quod consuleret diuitibus per eleemosynas sibi pauperes facere amicos, quod diuitias vocaret mammona iniquũ, quodque asseueret fieri non posse vt quis Deo colendo operam daret, & diuitijs colligendis, cum huiusmodi non didicissent ex lege Mosaica, sed contra hęc suis cultoribus promittat diuitiarum affluentiã. Quoniam ergo Pharisæi sinceram Euangelij doctrinam irridebant, seuerè eos Dominus redarguit dicens;

Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus. Hoc est opinionem vobis iustitiæ parare studetis apud homines, facientes scilicet omnia opera vestra, vt videamini ab eis, ac his rebus studentes ex quibus homines sanctitatem æstimant, externis scilicet cæremonijs, baptismatibus, & id genus rebus, atque vitia vestra palliantes sub specie boni, vt auaritiæ studium sub specie promissionum legis, & imitatione Patriarcharum: at quantumuis iusti habiti sitis ab hominibus, qui tantum ex externis iudicant, Deus nouit corda vestra, & quia scit ea plena esse hypocrisi, elatione, auaritia, inuidia, vos abominatur. Tale enim quid addere oportet, vt quod sequitur cohæreat; quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Non enim hæc sententia causali probatur illud, Deus nouit corda vestra, sed quod qui apud homines iusti, & magni sunt, illorumque Deo sint abominabiles.

Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Sensus est. Offendit vos (quod nouo more diuitiarum neglectum, contemptum, & distributionem exigam) cum eas suis lex polliceatur. At scitote, quod lex & Prophetæ, i. Prophetarum scripta vsque ad Ioannem habuerunt suum tempus, vt docerent vos quid faciendum esset; at a diebus Ioannis non amplius terrena bona promittuntur, sed regnum Dei euangelizatur, i. annunciatur: cuius proinde noua prædicatio, noua etiam habet præcepta, ac terrenorum bonorum contemptum merito exigit. Nec est inefficax huiusmodi prædicatio, etsi noua & vobis ridicula. Quantumuis enim vos rideatis; tamen omnis ad regnum cælorum vim facit, hoc est, multi admodum pro illo consequendo summo feruore confluunt, veluti contendentes illud præripere aliis, adeo vt propter illud parentes, & cognatos omnes alacriter relinquant, suas item possessiones prompte aut relinquant, aut pauperibus distribuant, ac denique animam propriam sequi totos abnegent, & auidi sint consequendi regni cælorum, quod prædicatur. Idem dictum a Domino habitum ex Matth. cap. 11. in cap. Conc. 47. vbi plura dicta sunt pro explicatione huius loci. Porro ne quia dixit, lex & prophetæ vsque ad Ioannem, calumniari ipsum possent tanquam legis destructorem, subijcit de legis indissolubilitate dicens: *Facilius est autem cœlum & terram præterire, quam* de lege vnũ apicem cadere, id est, quam non hat vel minimum quod in ea scriptũ est. vide Conc. Cap. 39.

Differit de matrimonij indissolubilitate. Matth. 19. Mar. 10. Luc. 16.

CAPVT XCVI.

Tt accesserunt ad eum pharisæi, [&] interrogabant eum tentantes eum, & dicentes: Si licet viro dimittere vxorem suam quacunque ex causa? At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudij dare, & dimittere. Quibus respondens Iesus, ait: Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & fœminam, fecit eos Deus? Et dixit propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellũ repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud [&] permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem creaturæ non fuit sic. Dico autem vobis quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & alham duxerit, mœchatur: & qui dimissam a viro duxerit, mœchatur. Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogabant eum, & ait illis: Quicunque dimiserit vxorẽ suã & aliam duxerit adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt. Et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

† b. accesserunt
† b. adduxerem suam. Posi dictione creatura sequitur apud Marcum quæ prius fuit posita, à dicitione masculũ vsque non separet.
▷ c. omnis qui dimittit ||a. altera ducit. † c. ducit.

Et accesserunt ad eum Pharisæi & interrogabant. &c. Ex collatione trium Euangelistarum hic concidentium apparet, quod

cum Pharisæi audissent suam illam ob conuersationem Domini cum peccatoribus ob murmurationem tribus parabolis consutam; suam item auaritiam alia parabola notatam, quæsierunt occasionem venandi aliquid ex ore eius, quod calumniari possent; eamque desumpserint ex eo quod dixit Dominus legem & Prophetas locum habuisse vsque ad Ioannem; facilius tamen esse vt cælum & terra præterent, quam vel minimum aliquid legis. Horum enim verborum occasione venire illis facile potuit in mentem, vt huiusmodi legis quæstionem ei proponerent, quam verisimile est illo tempore fuisse agitatam inter Pharisæos & scribas controuersam. Quærebant autem hanc quæstionem sub specie animi cupidi discendæ veritatis, sed te vera tentantes eum, hoc est experiri cupientes num quid in dubia illa quæstione dicturus esset, quod in calumniam rapere possent.

At ille respondens dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses, &c. Quamquam sciret Dominus Phariseos maligno animo quod quærebat interrogare: tamen pro mira sua bonitate, vt & alias, non desistit quæ veritatis erant, saltem propter præsentes docere; pro immensa autem sapientia sua ita temperauit suam responsionem, vt earum transeat decipulam, nec possint calumniari, qui quidvis dicere se posse calumniari parabant. Responsurus ergo sapientissimus Magister captiosis Pharisæis, & sic responsurus, vt eos sua ipsorum caperet versutia; primum, vt ex Marco patet, quæsiuit quid de re quæ quærebatur Moyses præcepisset. Quæsiuit autem non tanquam ignorans: sed vt se legis contemptorem non esse declararet, sicut illi sperabant ex responsione ipsius se sollecturos, & vt proposita ab illis constitutione Moysis, cui innitebatur diuortij consuetudo apud Iudæos, aliam deinde ex eodem Moyse constitutionem antiquiorem, eamque non Moysis sed Dei, commodè inducere, & opponere posset. Quum autem Dominus quærat quid de proposita materia præceperit Moyses: Pharisæi respondent, non quid præceperit, sed quid permiserit.

Moyses, inquiunt, *permisit libellum repudij scribere.* Sic & eũ Pharisæi postea interrogarent, quid ergo Moyses mãdauit dari libellũ repudij, & dimittere? respõdit Dominus; Ad duritiã cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Constitutio enim Moysis diuortiũ spectãs, habebat aliquid permissionis, & aliquid præceptiue: quare confuse hic dicitur nunc mandasse, nunc permisisse Moyses. Postquã autem Pharisæi proposuissent cõstitutionem Moysis, cui nitebatur diuortij cõsuetudo: Dominus vicissim illis proponit antiquiorem Dei circa propositam quæstionem, constitutionem: cui tũ ob antiquitatem, tum quod Dei esset non Moysis, Mosaica constitutio merito cedere deberet.

Non legistis, inquit, *quia qui fecit ab initio masculum & fœminam creauit*

creauit eos? Sic enim legendum est, vt ὁ ποιήσας pro quo nos habemus, qui fecit, absolute positum valeat idem quod factor, vel creator, & sit sensus: Non legistis quod creator omnium rerũ fecit eos in initio masculum & fœminam? Nam apud Marcum in simili, imo eadem sententia, illud ab initio, sic construitur cum sequenti verbo fecit. Porro decisurus propositam quæstionem Dominus primum in memoriam reuocat istud masculum & fœminam creauit eos scriptum 1. cap. Gen. & cap. 5. repetitum; vt per hoc probet coniugium ab initio a Deo institutum & non ab homine. Cum enim in productione auium, piscium, & iumentorum nulla fiat mentio masculi, & fœminæ, in sola hominis productione dicitur, masculum & fœminam creauit eos: ad significandum coniugiũ, quod in solo homine locum habet, à Deo institutũ esse, idque inter vnum, & vnam. Videri autem potest etiam ob id Dominum citasse illud, Masculum & fœminam creauit eos, vt in memoriã reuocaret, quomodo scriptura in hominis productione nunc singulariter loquatur, nunc pluraliter: eo quod duo primi homines ex vno homine substiterunt in distinctione sexuum; ita vt ex ipsa creatione monstratum fuerit eos & si duos persona, esse tamen quodãmodo vnum hominem. Vnde dicit Scriptura; Creauit Deus hominẽ ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum masculũ & fœminã creauit eos. Sic enim rectè subiuncta est altera scriptura ex secundo capite desumpta, qua postquam probatum est cõiugium esse à Deo institutũ, etiam probatur sic esse institutum, vt sit inseparabile. Sequitur enim.

Et dixit; Propter hoc relinquet, &c. propter hoc nempe quia ex vno masculus & fœmina primo subsitetunt. Præcedit enim in Genesi ante hanc sententiam; hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. Dicitur autem hic Deus dixisse (nam suppositum verbi dixit est Deus) eum in Genesi hæc videantur esse verba Adæ: quia Adam hæc non dixit nisi afflatu diuino, quo cognouit ex latere suo vxorem esse creatam à Deo: quãquam sic sunt hæc verba posita in Genesi vt possint esse verba Moysis Dei præceptum promulgantis. Porro his verbis, *relinquet homo Patrem & matrem*, videtur significatum maiorem, & inseparabiliorem debere esse coniunctionem hominis cum vxore sua, quam cum parentibus propijs, idque ideo, quia prima primi mariti vxor de ipsius viri parte formata est, quomodo non formatur homo de parentibus suis: Deo per hoc significare volente coniuges inter seſe cohærere debere, perinde ac si vnus essent homo; & ad hoc à se institutos vt per carnalem copulam vna efficerentur caro. Hoc est enim quod sequitur:

Et adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Adhærebit inquit per amorem diligendo scilicet eam vt propriũ corpus, & per

cohabitationem ad vinculum perpetuum. Nec solum adhærebit, sed erunt duo etiam in carne vna, siue vt Græca habent in carne vna, quod Hebraica phrasi idē est atque erunt duo vna caro. quemadmodum ex Domini patet conclusione, quomodo etiam dicitur Adam factus in animam viuentē, pro eo quod est factus anima viuens. Dicuntur autem duo coniuges vna caro non tantum propter carnalē commixtionem sed etiam ob vnā, & communē vtriusque corporis potestatē. Ex hac ergo scriptura infert Dominus primō vnā conclusionem, quæ est vltimorum illorum verborum interpretatio. Itaque iā non sunt duo, sed vna caro; significans proinde non magis posse separari virū ab vxore, quàm possit in duo diuidi caro vna. Iam inquit, hoc est quandoquidē a Deo sunt coniuncti in vnam carnē, non sunt amplius duo à sese diuisi, sed sunt vna caro. Infert deinde Dominus & alteram conclusionem principalem, qua respōdetur ad quæstionem Pharisæorum: Quod ergo Deus coniūxit homo nō separet. Dicit quod, potius quā quos, cūm mē de pluribus fiat sermo: quia de pluribus vt de vno loquitur de coniugibus scilicet duobus, vt de vna carne. Hac ergo sententia Dominus directè respōdet propositę quæstioni, significās nō licere viro dimittere vxorē suā: quia cum Deus maritum & vxorem coniunxerit idque in vnam carnem. Homo nullus tantæ temeritatis esse debet, vt separet coniunctum à Deo. Homo inquit non separet, quia Deus quod coniunxit solus separare potest, quemadmodum & facit per mortem alterius coniugum.

Libellus repudij.

Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellū &c. Quid, id est, cur ergo Moyses mandauit maritis dare libellum repudii, & sic dimittere vxores? Cum prius dixerint interrogati à Domino quid Moyses præcepisset, respondérunt vt est apud Marcum Moysen permisisse dari libellum repudij; nunc verò dicunt: Quid ergo Moyses mandauit, fortè vt obiectio eorum esset fortior, & magis vrgeret: durius enim erat, quod contra legem Dei aliquid Moyses mandasset, quam si tantum permisisset? At vt illi astutè obiecerunt mandatum Moysis, ita Dominus vicissim callidè pro mandauit, respondet permisit, vt quidem certè Matthæus habet. Nam Marcus etiam mandari meminit. Aut ergo illis; *Quoniam* id est, quod Moyses ad id est, propter (nā sic rectius hic verti potuisset præpositio πρὸς) *duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras*. Est autem duritia cordis animi obstinatio, qua quis non vult credere suggerenti bona, aut vera, ita vt credat dicenti, aut obediat præcipienti. Quod ergo significare Dominus voluit rule est. Moyses nō quidē vt vos queritis præcepit simpliciter aut dari libellum repudii, aut dimittere vxores, sed permisit, idque non sponte, sed coactus, non ob insitimitatem vestram, sed potius ob expectam satis in vobis duritiam cordis vestri: quia scilicet

licet nō permissuri eratis, vt contra morem aliarum gentiū, apud quas ius erat maritis dimittendi vxores suas, præciperetur vobis nunquā dimittere vxores vestras; & si præciperetur periculum erat multorum grauiorum malorum, nempe defectionis à cultu veri Dei, vxoricidij, veneficij, & similium malorum. Permisit ergo, non quod per sese bonum esset, sed propter grauius malum vitandum. At ab initio creaturæ vel creationis non fuit sic, quando sicut initio cōueniebat, hominum mentibus nondum corruptis, quod statuebatur optimum erat, vt proinde ad illam primeuam Dei ordinationē sit potius respiciendum, quam ad Mosaïcam permissionem; necessitate quadam ob malitiam vestram recedentē ab equissima Dei institutione extortam.

Dico autem vobis quia quicunque dimiserit vxorem suam nisi ob &c. Postquam Dominus ex ipsa primæua Dei institutione ostendit matrimonium debere esse indissolubile, & Moysi permissionem contrariam diuinæ institutioni vitio hominem introductam fuisse, lege à se cum authoritate lata renouat antiquam constitutionem & tollit introductam permissionem. Suam enim authoritatem declarat dicens; dico autem vobis, Tollit autem Mosaïcam permissionē in duobus vt dictum est circa Cap. Mat. 5. in cap. Conc. 40. Vbi hæc eadem penè habentur. Nam nec permittit dimissionem vxoris quacunque de causa, sed tantum ob fornicationem, nec permittit dimissæ alteri iungi. Porro illa exceptio, *nisi ob fornicationem*, non est referenda ad totam orationem, sed tantum ad partem præcedentem: vt non significetur licere ob fornicationem aliam ducere, sed tantum licitum esse dimittere vxorem ob fornicationem, & sit sensus; Quicunque dimiserit vxorem suam, quod non licet nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Hunc autem verum esse sensum patet ex eo quod reliqui duo Euangelistæ exceptionem hanc quæ omitti potuit, omiserunt: absolutè pronunciantes omnem eum adulterare, qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit: ac proinde etiam eum qui dimiserit ob fornicationem, si aliam superduxerit. Addidit autem hanc exceptionem Matthæus, ne videretur iam Dominus contrà id quod supra dixerat cap. 5. nullam dimittendæ vxoris causam relinquere, & quia Pharisæi non tantum quæsiuerunt nūm liceret dimittere vxorem, sed etiam nūm quacunque de causa liceret: quod vt solus Matthæus commemorat; ita ipse solus hic conueniēter narrat relictam à Domino vnam dimittendæ vxoris causam. Quod autem istud Dominus significare voluerit, apertè constat ex subiecta sententia;

Et qui dimissam duxerit, adulterat; Hic enim certū est nō posse repeti ad verbum dimissam, nisi ob fornicationem, vt significetur dimis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dimissa in ob fornicationem duci posse sine adulterio. Nam si esset melioris conditionis dimissa ob fornicationem, quàm ea, quæ præter suam culpam dimitteretur. Consequens ergo est significari adulterare omnem eum qui quamuis dimissam ducit, ergo & qui ob fornicationem dimissam ducit: & proinde ob fornicationem dimissa, non est à priori vinculo libera. Alioqui enim cum ea adulteriu non committeretur.

Dicunt ei discipuli eius; Si ita est causa hominis cum vxore, id est, Si ad hunc modum se habet negotium viri cum vxore non expedit nubere, id est, cõtrahere matrimonium. Dicunt autem hæc discipuli, non quod de veritate verborum Domini dubitabant, sed quod de eis admirarentur aut cõiunctio si, accipitur pro quia. Postea hanc discipulorũ collectionem Dominus nec apertè approbat, ne videretur condemnare matrimonium, nec reprobat, ne postposita castitate illud ambiendi omnibus daretur occasio: sed mira verborum temperamento respondet dicens:

Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Vbi verbum capere idem est quod, non omnes in se susc ipere, nec tenere, hoc est approbare verbum hoc, scilicet de non iucundo matrimonio. Nã pronomen (hoc) omnino demonstrare videtur id quod dicebant Apostoli, nempe, non expedire nubere. Sic ergo dictum est: Non omnes capiunt verbum hoc, quomodo apud Ioannem dicitur, Sermo meus non capit in vobis, quod non est aliud quam vos nõ capitis sermonem meum, id est, non eum susc ipitis, nec approbatis. Itaque discipulis inferentibus ex verbis Christi quod non expediat nubere: Dominus sua responsione significat re vera expedientius esse &: melius non inire matrimonium, eo quod sit Dei donum singulare; non expedire tamen omnibus, nempe non his, qui illud verbum non capiunt. Ostensurus autem Dominus esse aliquos, quibus datum est continere, & qui sint quibus datum est vt capiant verbum hoc, subijcit tria Eunuchorum genera, quorum primum naturale est, secundum coactum, tertium voluntarium. Proinde horum generum ad inuicem cõparatione, ostendit tertium genus ab aliis differentia, & solum illud esse, quod ob continentiam laudem mereretur:

Eunuchorum tria genera.

Sunt enim, inquit, *Eunuchi, qui de vtero matris sic nati sunt*: nimirum qui ex natiuitate carent membris ad generationem necessarijs, aut etiam qui natura sunt frigidi, & matrimonio inepti. *Et sunt Eunuchi, qui facti sunt*, scilicet Eunuchi ab hominibus, excisis testibus licet ab eis virilibus: *Et sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt*, non scalpello membrorum exectione, sed voluntaria continentia; nec simplici continentia, sed omnimoda abdicatione veneris: quod fit inuiolabili proposito, & voto continentiæ; quod votum laudatis hic Dominus commendat dicens, qui seipsos castrauerunt.

Verecundia.

Non

Non enim dicit, qui se assidue castrant, sed qui seipsos castrauerunt. Certũ est autem Dominũ non loqui de corporali castratione quæ damnabilis est, sed de spirituali. At quemadmodum per corporalem castrationem fit, vt quis sit impotens ad venerem: ita & spiritualem necesse est vt suo modo consequatur impotentia generandi. Hæc autem est impotentia generãdi legitimè & sine peccato, in quam non incidit homo nisi per votum explicitũ, vel implicitum. Non dicit autem qui à Deo castrati sunt, sed qui seipsos castrauerunt; propterea quod cum prius significauerit Dominus continentiam esse donum Dei, nunc significat etiam nostrum esse opus, & à nostra pendere liberi arbitrij potestati. Et quoniam non omnis continentia etiam sponte susc epta laudabilis est apud Deũ: ideo adiecit Dominus propter regnum cælorum: significans eam solam continentiã Deo probari, quæ hac de causa susc ipitur. Postquam autem Dominus commemorauit esse quosdam, qui se castrauerunt propter regnum cælorum subiecit:

Qui potest capere, capiat; significans rursum neminem se posse castrare nisi ex dono Dei, & rem hanc tantam esse vt nõ sit à quoquam exigenda, aut omnibus consulenda, sed his tantum, qui sentiunt se vires habere huic negotio pares. Illud enim, capiat, consulentis est, non præcipientis.

Parabola de diuite epulone proponitur.

Lucæ 16. CAPVT XCVII.

HOMO quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vulneribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebãt de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vulnera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autẽ & diues, & sepultus est in inferno. Et suum autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarũ in sinu eius: & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremitatem digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meã, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autẽ hic consolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volũt hinc transire ad vos, nõ possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait Abraham: Habent Moysen & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abra-

Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, &c. Cum Pharisæi auari irriderent Dominum per parabolam dispensatoris iniqui, & per ea, quę illi Parabolę subiecit, blandè muitantem ad hoc, vt benignitate in egentes, omnes paratent sibi æterna habitacula, & idonei tedderentur, quibus vera bona, & thesaurus vitæ æternæ committerentur: quo irrisores illos iam cohiberet, & metu percelleret, terribile quoddam diuitis cuiusdam exemplum proponit, quo & à facultatum abusu deterret, & ad benignitatem quodammodo compellit: ostenditque præterea in diuitijs, & voluptatibus huius vitæ non constituendam fœlicitatem, vt ferè homines faciunt, sed has potius detestandas veluti pernicioſas hominis: ob paupertatem vero, aliaque huiusmodi mala neminem iudicandum infœlicem, sed ea potius habenda veluti futuræ fœlicitatis materiã: vt etiam hinc intelligamus verum esse, quod mox superius dixit; Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Dubiũ autem est an hoc exẽplum sit tantũ Parabola, vt sit rei non gestæ, sed tamen veluti gestæ narratio conficta ad aut ditorum ædificationem, an sit vera historia rei gestæ, vt nomen proprium Lazari indicare videtur. Quod si quis Parabolam nudam esse velit, fateri, tamẽ debet longe dissimilem esse alijs Euangelicis Parabolis. Nam in alijs ex similitudine rerũ humanarũ, aut terrenarum docentur diuina; hoc est: ex his quæ contingunt in rebus humanis ostenditur quæ contingant, aut fieri debeant in rebus diuinis. Hic vero non sic. Nõ enim cõmemorãdo quę hic fiũt, ostenditur status futuræ vitæ, sed de futuræ vitæ statu apertè disseritur: quanquã non sine allegoricis locutionibus. Similiter si historiam quis esse dixerit, & rei gestæ narrationem: necesse tamen est fateatur non omnia sic contigisse, vt narrantur. Proponit ergo Dominus hoc exemplo duos homines diuersæ conditionis in præsenti tempore, quorum mirabili modo mutata est conditio in futuro seculo. Et imprimis hominẽ quendam proponit diuitem, qui diuitijs suis humano iudicio non videbatur abuti, sed ad ea illis vtebatur, ob quæ ferè homines ambiunt diuitias, & ad quæ si partas, aut concessas diuitias accommodauerit quis, laudari solet ab hominibus mundanis. Tria ergo huic homini Dominus tribuit, ex quibus homo in hac vita iudicatur esse beatus, diuitias, & ex diuitijs paratas prætiosas vestes pertinentes ad splendorem, & gratiam apud homines, & lauta conuiuia quotidiana pertinentia ad carnis voluptatem. Non est autem Græcis proprie epulabatur sed ἐφαιμάττετο, quod significat oblectatum & lætantem: vt non tantum

tantum æpularum delitiæ significentur, sed quod eas cum lætitia & iocunditate sumpserit; quo & sanitas corporalis eiusdem diuitijs insinuatur, sine qua nulla est voluptas conuiuiorum, & reliqua quæ ad hilaritatem faciunt conuiuiorum, vt cantus musices, organa, amicorum præsentia, & similia. His tribus diuitis conditionibus opponuntur tres alterius conditiones diuersæ. Nam ei quod dicitur homo quidam erat dives, opponitur; Et erat quidam mendicus. Et quod dicitur, qui induebatur purpura, & byſſo, opponitur; Qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus; et autem quod dicitur, & epulabatur non aliquando solùm, sed quotidie splendidè, opponitur; cupiens saturari de micis, quæ cadebãt de mensa diuitis. Ex industria autem Dominus mendicum nominauit dicens nomine Lazarus, cum diuiti non apponat nomen, sed tantum dicat homo quidam, vt quemadmodum indicauit D. Gregorius, indicaret contrarium euenire apud Deum, & apud homines, apud quos plus solent sciri nomina diuitũ, quàm pauperum. Quorum quum incidit mentio, dici solet, homo quidã, aut pauper quidã. At contra Deus humiles, abiectos, & incognitos multo ex nomine nouit, & approbat; superbos vero, & honoratos ignorat, & despicit. Et hactenus quidem in diuite proponitur à Domino exemplar maximæ fœlicitatis humanæ, in mendico verò exẽplar infœlicitatis extremæ; quę vt a Domino per prædictã narrationem in vtroque sunt propositæ: ita etiã tecte & diuitis vitia, & mẽdici virtutes ab eo notãtur. Et diuitis quidem vitia erant quod diuitijs sibi ad dispensandum concessis abusus sit, expendens eas tantum ad ambitionem, & voluptatem, quod carnis tantùm curam habuerit non etiam animæ, quod pauperis non sit miserius, idque eius qui tam erat calamitosus, cumque inopiam, & calamitatem non potuit ignorare, vt qui ad ianuam eius iaceret, oculis eius semper expositus, quodque cum magna fœlicitas mitiores, & benignniores soleat homines reddere, ne in tanta quidem fœlicitate commoueretur misericordia erga tam egregiè miserum, vt vel saltem idem beneficientiæ illi præstaret quod canibus suis: inhumaniot etiã canibus, qui quod potuerunt misero præstiterunt lingentes vlcera eius: negligentissimus animæ suæ, vt qui nec de damno pereuntium micarum cogitauerit facere lucrum, quemadmodum vt faceret mendicus cupiuit. Medici autẽ virtutes fuerunt quod summam illam & paupertatis, & ęgritudinis miseriam patienti animo tolerauerit, idque non solũ cũ apud se esset, sed & cum coram cerneret maximã illam diuitis abundantiã, & fœlicitatem, atque eiusdem in se tam inhumanam experiretur immisericordiam etiam à canum facto condemnatã. nec tunc quidẽ aut de Dei cõquirẽs iustitia, aut diuiti male precatus, quodque summa eũ modestia tãtum de micis saturari cuperet, nec tantillum quidẽ

Diuitis vitia.

Lazari virtutes.

impor-

importunitate obtinere contendens, sed miseriæ suæ ostentatione potius quàm clamore mendicans. Itaque quod dicitur canes veniebant, & lingebant vlcera eius, additum est & ad condemnandũ magis diuitis inhumanitatẽ, & ad commendandũ magis pauperis patientiam, qui experiebatur etiã canes hominibus humaniores. In diuite ergo hoc proponitur exemplum quod diues quisque fugiat & abominetur in paupere vero exemplum, quod pauper quisque & calamitosus imitetur.

Factum est autem vt moreretur mendicus &c. Descripsit in superioribus Dominus diuersas pauperis & diuitis cõditiones in præsenti tempore nunc ostendit vtrumque eundem excepisse in hoc sæculo finem, ac post eum vices rerum in ipsis mirabiliter esse inuersas in futuro sæculo: vt hinc discamus non meriti hominis fœlicitatem vel infœlicitatẽ ex his quæ contingunt in hac vita. Dicit ergo, Factũ est vt moreretur mendicus, sed rursum subijcit; *mortuus est autem & diues*, q. d. Nec hunc diuitiæ à morte liberare potuerunt. Prius quidem mortuus est mendicus, vt intelligamus Deum cito ipsum huius vitæ calamitatibus exemisse, ac per nimias calamitates mortem ipsius acceleratam & præuentam; diuitem vero per prosperam valetudinem, & omnium rerum affluentiã matura morte decessisse, ac Deũ illi diutius concessisse suam in hoc mundo fœlicitatem, quam pauperem in hoc permiserit mundo affligi. Cum autem & pauperi, & diuiti vnus fuerit finis huius vitæ, mors scilicet: non tamen vtriusque post hũc finem eadem fuit cõditio, sed inuersis vicibus ille quidẽ, *portabatur ab Angelis in sinũ Abrahæ, hic vero sepultus est in inferno*. Dicitur autem portatus ab Angelis, quod Angelorum ministerio deductus sit ad locũ quietis. Nondum autem in cælum delatus dicitur, quod illud tunc nõdum esset apertum, sed in sinum Abrahę dicitur deportatus tropica locutione, similitudine scilicet mutuata à patentibus, qui filios suos quos tenerè diligunt in sinum suũ recipiunt, atque in eo fouent. Quoniam ergo Abrahams erat Pater omnium Iudæorum, ad quẽ suum genus referebant: in illius sinum Iudæus Lazarus delatus dicitur; ad significandum quod ab illo sit receptus benignè in sanctorum consortiũ, atque vna secum quiete donatus, ac spe gaudiorum regni cælestis ipsi Abraham primò promissi, recreatus ab Abraham. Ei autem quod mendicus Lazarus portatus dicitur in sinum Abrahæ, pulchrè opponitur quod diues dicitur sepultus in inferno, loco scilicet pœnarum, & omni carente refrigerio, in quo sepultus dicitur, quod anima eius fuerit in profundo infernalium suppliciorũ collocata, ac sub terram quasi in tumulo conclusa, & religata, æternæque ibidem morti tradita. Sciendum tamen Græca non habere, & sepultus est in inferno, sed post & sepultus est, perfectus est punctus. Deinde sequitur, Et in inferno eleuans oculos suos. Secundum quam Græcorum lectionem, & distinctionẽ de solo diuite mortuo dicitur quod sepultus sit, quod pauper illa aut non fuerit sepultus, aut sine honore aliquo: diues autem post mortem nihil aliud glorię consecutus est, quam quod cum honore delatus sit ab hominibus ad sepulchrum; pro quo honore mea dicus portatus est ab Angelis in sinum Abrahæ.

Sinus Abrahæ.

Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham. &c. Obseruandum quam iustæ rerum vicissitudines Euangelicis verbis significentur. Qui enim olim erat in variis delitijs; iam deprehenditur non in vno tantum tormento, sed in multis. Ideo enim pluraliter dicitur cum esset in tormentis. Qui olim Lazarũ ad ianuam suam iacentem veluti ex alto despiciebat, aut ne videbat quidem: hic iam eundem procul semotum diligenter aspicit, & sublimem suspicit in sinu Abrahæ Patris sui requiescentem. Qui olim affluebat omni terũ copia; iam etiã vnius guttæ refrigerãtis laborat inopia. Qui prius lingua peccauerat, indulgens scilicet ei iugiter omnigenas ciborum lautitias, ac per eam forte petulanter incessens pauperem, aut recusans quod ab eo petebatur; in lingua peculiarem pœnam sentit, quia per quæ peccat quis, per hęc & punitur. Qui olim vlcerato pauperi vel minuta mensæ suæ dare neglexit: in inferno positus vsque ad minima quærenda peruenit, nec tamen impetrauit. Porro quoniam hic oculi, lingua, & id genus corporalia membra tribuuntur diuiti damnato, & Abrahę atque Lazaro beatis, & tamen catholica doctrina habet animas exutas corpore non esse corporales: dicendum est dominum hoc loco de animis corpore exutis loqui tanquam adhuc corpore circundatis, ac spiritualia corporaliter describere, quod illa aliter cognoscere nequeamus: quemadmodum Scriptura etiam Deo tribuit membra corporalia, cum certum sit illum non esse corpoream. Itaque per hoc quod eleuatis oculis dicitur in tormẽtis suspexisse eminus Abrahã & Lazarũ in sinu eius: significatur quod oculis mẽtis, hoc est intellectu suo comprehenderit Abrahę fœlicitatem longe separatam à sua infœlicitate; atque agnouerit Lazarũ olim à se impiè neglectum beata quiete cum Patre credentium fruentem. Quod certè diuina reuelatione, & ordinatione factũ est, vt quemadmodũ mendici in præsenti vita infœlicitas augebatur ex conspecta ab ipso diuitis fœlicitate: ita nunc vice versa diuitis miseria ex cõspecta Lazari beatitudine augeretur. Quod autẽ clamans præ nimio dolore inuocauerit misericordiam ab Abraham, & petierit extremo digiti Lazari linguam suam refrigerari: significat eum summopere desiderasse ab Abraham, vt per ministerium Lazari aliquantula remissio tormentorum ei concederetur. Nõ autem Lazarum inuocasse introducitur, veluti non ausus fuerit, quod in illum fuerit tam inhumanus: sed Abraham inuocat, quod Iudæi in illo tam

Oculi, lingua quomodo hic tribuãtur Lazaro mortuo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tanquam Patre suo gloriarentur: ob quod iste cum esset Israëlita, confidebat de paterna eius benignitate rem tam exiguam posse impetrari: proinde eum inuocat nomine Patris dicens Pater Abraham. [Satis autem fuerit ex eo quod dicitur diues iste cruciatus in flamma, intelligere ipsum, & omnes damnatos ineffabilibus tormentis, & omnia huius mundi supplicia excedentibus excruciari; pauperem autem & omnes sanctos esse in gaudiorum refrigerio suauissimo, ac id intelligentes solicitos esse quomodo & illa tormenta effugere possimus, & ad hæc gaudia peruenire potius, quam de ignis quo cruciari dicuntur dãnati qualitate an-

Libr. 2. de Genesi ad literam cap. 5.

xiè disputare. Melius est enim, inquit Aug. dubitare de occultis, quam litigare de incertis.]

Et dixit illi Abraham, fili recordare quia recepisti bona, &c. Blandè illum compellat, non dedignatus eum appellare filium, vt intelligamus hinc sanctorum pium etiam erga damnatos affectum, & discamus vicissim & nos afflictos etiam iustè non incessere quibus digni sunt nominibus. Diligenter autem obtemperandum, quod Abraham indicare volens quare vtriusque vices modo essent mutatæ, non obijcit diuiti aliqua scelera, nec explicat aliquas Lazari virtutes, sed tantum dicit, quod diues receperit bona in vita sua, & ideirco eum cruciari: Lazarum vero, quod perpessus sit mala, esse in solatio: vt intelligamus, rem esse maxime pernicioſam homini versari in otio summo, & delitijs, atque honoribus frui, & rursum, nihil homini vtilius, quam exerceri afflictionibus. [Significant ergo verba Abrahæ iustum illud Dei iudicium, quo reprobis, & valis iræ aptatis in interitum in hac vita plerumque concedit bonorum huius mundi affluentiam, ne semper illis sit malè, & alicubi habeant sua bona, electis autem, & vasis misericordiæ quæ præparauit in gloriam, immittere afflictiones & aduersitates, quibus exerceantur: quod fieri nõ possit vt quis & hic regnet cum mundo, & postea cum Christo. Ideoque notandum Græca nõ tantum habere recepisti bona, sed bona tua, vt deinde cum subditur, & Lazarus similiter mala, subaudiatur mala sua; & intelligamus significari Deum vnicuique & bona, & mala præparasse; & qui in hac vita suam in bonis portionem accepit, malorum partẽ post hanc vitam accepturum, & contra.]

Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnũ firmatũ est, &c. Et in his omnibus, inquit, pro super, vel præter hæc omnia, hoc est, præterquã quod iusto Dei iudicio tibi nõ consolatio, & refrigerij, sed cruciatus debeatur, etiã impossibile est, vt quã petis tibi præstẽ misericordiã; quia impossibile est, vt quis ex nobis vos adeat. Hoc enim significatur cum subditur, inter nos & vos chaos magnum firmatum est. Vbi dictio chaos valde impropriè debet accipi pro

Chaos.

hiatu, qualis existere solet nõnunquam in terræmotu. Huiusmodi autem

autem terræ hiatus, seu voragὁ, si modo magna sit, impedit ne quis ex vno loco ad alium pertranseat; proinde metaphora hinc desumpta dicitur, hiatus magnus inter nos & vos: nõ solũ est, sed etiã firmatus est: quo aliud non significatur, quam. sic esse separatos dãnatos à pijs, vt impervius sit vtriusque ad alteros transitus.

Vt hi qui volunt hinc ad vos transire non possint. Dicit qui volunt aut propter naturalem voluntatem, qua sancti cuperent subuenire damnatis, cum alioqui respicientes ad diuinam iustitiam, eique suam voluntatem conformantes, non velint quod naturaliter volunt; aut potius quia etiam si vellent, non possent. Porro cum certum sit Abraham hæc non verbaliter respondisse diuitis introducitur tamen dixisse illi fili recordare, &c. quia diuiti petenti refrigerium suggerebatur, quam iuste iam puniretur, & omni consolatione destitueretur, & contra Lazarus consolatione frueretur. Sic per hoc quod dicitur dixisse de hiatu, significatur diuiti notificatum æternam fore reproborum à beatis separationem, ac refrigerij nullam esse damnatis spem. Et alioqui si hoc exemplum tantum est parabola, dicendum est hæc à Domino sic conficta esse, vt intelligeremus damnatis post hanc vitam nullam esse spem, vel liberationis, vel refrigerij, ne ab his quidem in quibus multum confidebant in vita præsenti: quemadmodum confisus fuit iste diues in Patriarcha Abraham; damnatos quidem imploraturos refrigerium, sed eosdem intellecturos quam iuste crucientur, quodque imperpetuum sint cruciandi.

Et ait; Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum Patris, &c. Cum audiret se non posse exaudiri in eo, quod pro se orabat, pro fratribus supplicat: sed vt prior eius oratio reiecta est, quod esset de re impossibili; ita & hæc quod esset de re supernacua, vt intelligamus damnatos nihil aut pro se aut pro alijs impetrare posse, nec quicquam recte præcari. Ergo, inquit, quoniam scilicet chaos, vt dicis, obstat; quo minus mihi per Lazarum subueniri queat; saltem illud te oro Pater, vt quem non potes mittere mihi, mittas in domũ Patris mei. Non enim tale chaos inter vos, & vivos firmatum est, vt non possit vobis ad illos esse accessus, aut è cõtra. Mitte ergo eum in domum Patris mei. Habeo enim ibi adhuc quinque fratres, vt testetur illis. i. admoneat eos, aut testimonium illis perhibeat de statu, qui est post vitam temporalem, aut de mea condemnatione, & pœnarum magnitudine, ne si ingrediantur meis vestigijs etiam ipsi veniant in hunc locum diuersorum tormentorum. Huiusmodi autẽ diuitis præces pro salute fratrum non ex charitate, aut bono affectu erga fratres proruperũt, sed ex pœna, & cruciatu, quo afficiebatur, Deo ita permittente eum torqueri per recordationem fratrum. Si autem exemplum hoc non historia esse dicatur sed parabola tantum, dici poterit idẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod supra, nempe hæc a Domino sic conficta esse, cum sic gesta non essent, tantum ad erudiendum, & monendum viuos, ne suæ impœnitentiæ prætexant, quod de statu vitæ futuræ nihil vnquam didicerint ex his qui è futura vita redierunt. Nec dubium est, quin hic sit scopus huius narrationis, etiam si sit vera historia. Poterant enim Pharisæi, aut alij inter Iudæos ridere quę Dominus dixerat de summis cruciatibus diuitis, ob id quod recepisset bona in vita sua; quemadmodum auari Pharisæi supra irridebant eum contra auaritiam disputantem; poterant eorum confirmationem postulare sibi fieri per resuscitationem aliquorum ex mortuis: proinde oportune hac narratione eos reprimit non sua, sed Abrahæ authoritate, quem dicit diuiti sero supplici, & sero suorum curam gerenti respondisse;

Habent Moysen, & Prophetas, hoc est Moysis, & Prophetarum libros, audiant illos loquentes, & testificantes illis per sua scripta, & lectionem eorum in synagogis. Ad quod diues improbus iã præcatot, & ex seipso fratres suos iudicans respondit

Non Pater Abraham. Audient illos fortasse, *sed si quis ex mortuis ierit ad eos*, & testificatus scilicet fuerit eis, tunc pœnitentiam agent, & resipiscent à vita, quam modo degunt. Hic iam ergo Abraham hanc vulgi confutans cogitationem respondit.

Si Moysen & Prophetas non audiunt credendo, & obediendo eis, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei. Quod quam verè dictum sit, & recta ratio docet, & experientia. Ratio quidem, quia ei qui Moysen & Prophetas suscipit, certior est authoritas, & veritas eorum librorum, quàm posset esse eius, qui è mortuis resurgeret. Experientia vero, quia Iudæi eo quod non credebant satis Moysi, ac Prophetis, nec his qui ex mortuis resurrexerunt, credidere runt, imò Lazarum Mariæ, & Marthæ fratrem, cum ex mortuis resurrexisset, occidere voluerunt, & Dominum ipsum post suam resurrectionem acrius in suis membris persecuti sunt.

Docet scandalum vitandum, & fidei virtutem. Lucæ 17.

CAP. XCVIII.

A.18.71. *A.18.72.*



IT ait ad discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala væ autem illi per quem veniunt, vtilius est illi si lapis molaris imponatur circa collu eius, & proiciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis. Attendite vobis. Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens

dicens: Pœnitet me, dimitte illi. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis. Quis autem vestrum habens seruum arantem aut pascentem boues, qui regressus de agro dicat illi: Statim transi & recumbe: & non dicit ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & vos, quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Interrogatus autem a Iudæis quando veniet regnum Dei? Respondens eis dixit: Non veniet regnum Dei cum obseruatione: neque dicent, Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. A.17.68. A.21.112. B.11.113

Et ait ad discipulos suos: Impossibile est vt non veniant scandala. Ideo secundum Theophylactum iam de scandalo subijcitur, ne turbarentur discipuli videntes Pharisæos irridere Christum, de faciendis eleemosynis, & diuitiarum periculo disputantem. Hac ergo occasione primum dicit fieri nõ posse, considerata scilicet hominum corruptione, & malitia, quin eueniant scandala hoc est, impedimenta salutis, & tamen quia hæc necessitas nullum cogit, væ dicit illi per quem eueniunt scandala, quod vtilius illi esset si appenso circa collum eius lapide molari, secundum morem Palestinæ regionis, proijceretur in mare, quam si scandalizet, hoc est offendat, & impedimentum præbeat salutis vni de pusillis istis, id est, quantumuis humilibus, & abiectis istis, qui scilicet credunt in me: quia qui vel vnum talem scandalizauerit, ob id proijciendus est in profundum inferni, quod longè est grauius quam proijci in mare. Proinde postquam dixit & necessaria esse scandala, & pessimè tamen illi fore per quem fiunt, tertiò commode admonet suos vt ab his sibi caueant.

Attendite, inquit, Hoc est, diligenter cauete vobis, ne scilicet aut cui sitis offendiculo, quia væ illi per quem fiunt scandala, aut scandala, quæ necesse est euenire, vos scandalizent & ad lapsum pertrahant.

Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, &c. Postquam docuit Dominus cauendum esse ne in quę scandalizemus, hoc est, ne in quem peccemus præuidens fieri nõ posse, quin & inter fratres, hoc est Christianos eiusdem religionis scandala oriantur: docet quomodo agendum sit cum fratre scandalizante, & peccante in nos; nolens huiusmodi scandala à nobis esse prætereunda & negligenda quemadmodum negligenda sunt impiorum, & infidelium scandala. Duo autem circa peccantem fratrem fieri præcipit: Primum vt si peccauerit in nos, neque negligamus illius salutẽ, neq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

lædentem vicissim lædamus: sed cupidi salutis eius increpemus eum, ac increpatione nostra ad pœnitentiam prouocemus. Secundò, vt si pœnitentiam agat, hoc est resipiscat, & signa displicentiæ dat, agnoscendo scilicet admissum peccatum, & veniam eius petendo, remittamus ei; nullam scilicet requirentes ab eo vltionem, imò nec satisfactionem aliquando iniuriæ illatæ. Non quod etiam antequam pœnitentiam agat non debeamus remittere peccatum in nos admissum: sed quod id quod prius apud nos in corde remisimus, etiam ore remittendum sit, & ipsa communione, & familiaritate, quæ ante pœnitentiam ei salubriter subtrahitur, testari debeamus factam ex animo admissi peccati remissionem. Ne autem quam fratri debemus in remittendis peccatis indulgentiam certis concludamus terminis, subiecit:

Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi, hoc est quotiescunque peccauerit, & resipuerit, remitte illi. Porro loquitur hic procul dubio Dominus non potissimum de remissione Sacramentali, sed fraterna. Dicit enim, Si peccauerit in te frater tuus remitte illi. At Sacerdos, qui Dei vice in terris remittit peccata, non remittit ea tanquam fratri, sed tanquam subdito, nec remittit ea tanquam in se admissa, sed tanquam admissa in Deum. [Consequitur tamen etiam hoc loco Sacerdotem semper pœnitenti debere remittere peccata. Cum enim Deus præcipiat vt pœnitenti fratri semper remittat frater, & Dei indulgentia longè vincat humanã: non potest Sacerdos, qui indulgentiam Dei hominibus impendit, certum indulgentiæ numerum seruare erga peccatorem, quẽ non potest seruare frater erga fratrem. Reliqua, quæ hic essent dicẽda, dicta sunt circa Matthæum, in cap. Conc 72.

Et dixerunt Apostoli Domino, adauge nobis fidem &c. Occasio petendi augmentum fidei Apostolis forte fuit, quod Dominus de paruulis fecerit mentionem, quos scandalizari noluit. Solet enim Apostolos suos vocare pusillæ fidei homines. Dicunt ergo Domino: Adauge nobis fidẽ, fiduciã, quã toties commendasti, & cuius defectum in nobis frequenter culpasti: vt auctiorem nacti fiduciam possimus ad ædenda miracula, ad implenda præcepta tua, atq; ad impetrandum quiduis à Deo esse aptiores. Dominus autem sua responsione ostendit eos rectè petere fidei augmentum; quod perfectæ fidei magna sit vis atque huiusmodi fidei commendatione fidem quantum in se est, confirmat, & auget in eis, aucturus in eis non verbis, sed Spiritus sui efficacia fidem, post suam in cælos ascẽsione nonnunquam magis conueniret illum pro sua diuinitate agere, & illi essent capaciores suscipiendi fidem perfectam.

Si, inquit, *habueritis fidem, &c.* Eadem sententia supra habita, & exposita est Matth. 17. in cap. Concord. 68. nisi quod ibi mõtis fiat

tis fiat mentio, hic autem moti, aut vt est Græcè Sycamini. Tunc enim montem aliquem demonstrabat Dominus, cui forte vicinus erat, cum ea diceret, nunc autem arborem aliquam fortè obuiam, cum idem vtrobique significetur.

Quis autem vestrum habens seruum arantem, aut pascentẽ. &c. Quoniam in præcedentibus Dominus exegit quædam singularia, nimirum diuitiarũ in pauperes distributionẽ, voluptatum cõtemptum, solicitã scandalorum vitationem, ac facilẽ in peccantes indulgentiã; ne quis cum hæc omnia, aut aliqua horum perfeciset, sibi placeret, & efferretur: nunc iactationis affectum, qui boni operatione consequi solet, euellit. Ad quod è rebus humanis profert exemplum, de seruo, quẽ nullus Dominus quantumuis cõmodus solet ex agro reuersum honore afficere; ob diurnum eius laborẽ, sed rursum iubet, ac debitam adhuc exigit seruitutem, & nec sic quidem gratiam habet ei. Hoc ergo exemplo nobis proposito accommodans illud suæ intentioni subiungit;

Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite; Serui inutiles sumus quod debuimus facere fecimus. In qua applicatione aduertendum, quod cum propositi exempli narratio exigere videbatur, vt diceret Dominus, Sic & vobis etiam cum feceritis omnia, quæ vobis sunt præcepta, Deus nullam est habiturus gratiam, nec honore ob id vos afficiet, sed inutiles vos seruos appellabit: non sic quidem dixit; sed vos, inquit, dicite, serui inutiles sumus. Voluit enim hoc exemplo Dominus ad humilitatem nos informare; & magis hoc agit, vt intelligamus quid de nobis ipsi sentire debeamus, quam quales nos reputet Deus Dominus noster. [Hic enim eos qui præcepta sua exequuntur, non inutiles seruos est vocaturus, sed vt in alia parabola dicitur in nouissimo die illis dicturus est, Euge serue bone, & fidelis. Imo ne quidem pro seruis tales est habiturus, sed pro amicis. Vos enim amici mei estis, inquit, si feceritis quæ præcipio vobis. Quod autem præcipit vt dicamus nos seruos inutiles, cum omnia præcepta adimpleuerimus: non sic est accipiendum quasi quis sit qui omnia adimpleuerit (in multis enim, inquit Iacobus, offendimus omnes) sed sensus est; etiam si feceritis omnia, tamen agnoscite vos seruos inutiles: quo significatur quam inutiles nos debeamus reputare, & nos deprimere, cum aduerterimus nos multa præcepta non adimpleuisse. Aut sensus est; Cum in vna aliqua re feceritis omnia, quę vobis sunt præcepta, vt cum feceritis, quæ præcepta sunt de erogandis facultatibus, aut de remittendis proximo peccatis, agnoscite tamen vos, seruos inutiles.] Duplici autẽ ratione dicere nos possumus seruos inutiles. Primum quia Domino nostro operibus nostris nihil cõmodamus, nihilque lucri facimus. Secundo, quia nihil vtra,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam debemus, & præceptum nobis est, facimus. Sic enim & in rebus humanis seruum inutilem vocare solemus, qui ex se nihil facit, sed tantum ea, quæ imperantur: magis scilicet studens, vt non flagelletur à Domino, quam vt illi prosit. Atque ad hanc secundam rationem Dominum respexisse patet satis ex eo quod sequitur; Quod debuimus facere, fecimus: quod indicat causam, quare nos debeamus reputare seruos inutiles: vnde Græca habent coniunctionem causalem ὅτι, id est, quia quod debuimus facere fecimus. Id autem sic est intelligendum, fecimus tantum quod debuimus facere, vel nihil aliud fecimus, quam quod facere debebamus. Alioqui nemo facile est, qui dicere possit se fecisse, quidquid facere debuit.

Interrogatus autem à Pharisæis quando venit regnum Dei, &c. Occasio huius quæstionis fuit, quia Dominum frequenter audiuerunt de regno Dei disserentem, imo & Ioannes, ac Apostoli, & ipse Dominus prædicationem suam à regno cælorum auspicati sunt dicentes: Appropinquauit regnum cælorũ. Cum ergo ab omnibus his promissum regnũ Dei, Pharisæi nondum venisse agnoscerent: interrogant Dominum siue serio, siue quod magis est veri simile, irrisorie, quando venturum esset illud regnum Dei. Dominus autem etsi curiose, aut irrisorie interrogantibus non dedignatur respondere. Docet autem sua responsione tempus regni Dei non posse præcognosci, & antequam veniat prospici: significans proinde studendum potius cuique vt semper paratus sit, qui in regnum illud admittatur, quam curiose de tempore eius aduẽtus inquirere. Ac deinde & regnum Dei iam venisse asserit, notãs prorsus Pharisæorum, qui illum forte venerant irrisuri, stupiditatẽ, qui rem præsentem, & apud eos existentem non agnoscerent. Habet enim regnum Dei duplicem statum. Alterum spiritualem, & inuisibilem, quo scilicet in præsenti vita Deus regnat in cordibus fidelium per fidẽ, spem, & charitatem. Alterum non solum spiritualem, sed etiam corporalem, & manifestum, quo scilicet Deus manifestè est regnaturus, non tantum in animis hominum, sed etiam in corporibus iam glorificatorum in corpore, & anima. De vtroque isto regni Dei statu loquitur hic Dominus. Et primum quidem de posteriore dicens; Non veniet regnum Dei quemadmodum regnum aliquod humanum, cum obseruatione, tẽporis scilicet, hoc est sic vt homines possint imminens tẽpus aduẽtus obseruare, & prospiciendo præcognoscere. Neque cũ venerit dicere poterunt: Ecce hic est regnum Dei, aut ecce illic. Subito enim, & inopinatè, vincet, atque cũ venerit, non in vno loco terrę consistet, aut incipiet, sed totum simul orbẽ occupabit: quemadmodũ fulgur inopinatè erumpẽs totã simul terrãoccupat extẽdens se ab oriente in occidentẽ vsque. De priore autem statu regni Dei loquitur,

Regni Dei duplex status.

tur, cũ inobseruabilem fore aduentũ regni Dei confirmat ex præsentia regni Dei hominibus tamen incogniti, dicens.

Ecce enim regnum Dei intra vos est, quasi dicat: vel hinc discere potestis, quã non veniet cum obseruatione regnum Dei, quod cum iam venerit, venisse tamen ignoretis. Et rursum non est, quod curiose quæratis de aduentu eius, aut vanam existimetis Ioannis & meam de imminente Dei regno promissionem: cum iam sit intra vos, id est, inter Iudæos iam suam vim exerat per miraculorum operationem, dæmonum expulsionem, & multorum ad fidem cõcursum. Ideo enim & supra dixit: Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia: profecto peruenit in vos regnum Dei. Cæterũ quę sequuntur hic apud Lucã singula suis locis reposuimus & exposuimus.

Proponitur parabola de Pharisæo & Publicano. Luch 18. CAPVT XCIX.

DIXIT autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros parabolam istam: Duo homines ascendebant in templum vt orarent, vnus Pharisæus & alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum raptores iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suã ab illo, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. A. 23. 12. C. 14. 9.

Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tanquam, &c. Præmiserat Lucas Parabolam, qua docetur orationis perseuerantia. Itaque iam commodè subijcit Parabolam, qua docetur etiam humilitas in oratione seruanda. Dixit autem hanc Dominus non ad discipulos, vt quæ apud Lucam præcedunt, sed ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, scilicet essent, id est, qui confidebãt in se quod essent iusti (sic enim habet apertius Græca) & præterea aspernabantur cæteros. Sic enim Pharisæos notare voluit Euangelista duplici nomine peccantes. Primum quod propter externa quædam opera confidebant se esse iustos, cum non essent iusti, secundo quod sic sibi iustitiæ nomine placerent, vt cæteros aspernarentur tanquam iniustos, & peccatores. Contra huiusmodi ergo Dominus Parabolam hanc proponit, qua eorum notat arrogantiam, & simul consolationem suggerit peccatoribus ex animo pœnitentibus proposito exemplo; quo & quàm noxia sit arrogantia, & quam efficax apud Deum humilitas ostenditur. Porro Parabola hæc eius est generis atque ea quæ præcessit de diuite

epulone. Nam & hic dubium est an sit exemplum hoc rei verè gestæ, an non gestæ quidem, sed ad auditorum vtilitatem confictũ tanquam rei gestæ. Siue autem sit res verè gesta, siue non, Parabola dicitur, quod exemplum istud ad hoc sit propositum, vt ex eo intelligatur, quod in fine Dominus vniuersaliter infert, nempe quod omnis qui se exaltat humiliabitur, & contra, habet autem Parabola sic.

Duo homines ascendebant in templum (situm enim fuit templum Salomonis in monte). Ascẽdebant autem, *vt orarent*, hæc est enim sola causa, ob quam templum sit adeundũ, iuxta illud domus mea domus orationis vocabitur. *Vnus* horum erat Pharisæus & alter erat Publicanus. Pharisæus stans, pro more quidem orantiũ tunc recepto (nã & Publicanus postea stetisse dicitur) sed tamẽ ipso habitu animi, confidentiam & elationem præ se ferens. Stans ergo apud se orabat. Benè sanè apud se orasse dicitur, quia non orabat apud Deum, qui eius orationem non audiuit, nec approbauit. Dicitur autem orasse & si nihil petisse legitur, quod orare in scripturis nonnunquam generaliter accipitur, vt etiam includat in sẽ gratiarum actionem, & sit generaliter idem, quod colloqui cum Deo.

Deus, inquit, *gratias tibi ago*. Nõ reprehẽditur quia Deo gratias egit, sed quia gratias agẽdo & malè sibi placuit, & alios præ se superbè contempsit, & eum qui secum ascenderat orandi causa Publicanum aggressus est, condemnans eum cuius cor non nouit imò cuius pœnitentiæ & correctionis signa aduertere potuit. Cõplectitur autem eius oratio duas partes conuenienti ordine dispositas quemadmodum duæ sunt partes iustitiæ. Primum enim dicit, quæ ei aberant mala, quia prima iustitiæ pars est declinare à malo, & secundo dicit quæ ei aderant bona, quia secunda iustitiæ pars est facere bonum, iuxta illud, Declina à malo, & fac bonum.

Non sum, inquit, *sicut cæteri hominum*: Nõ quod se omnibus omnino hominibus præferre voluerit, sed cæteri homines determinantur per sequentia cum subditur *Raptores, Iniusti, Adulteri*. Secunda orationis eius pars est: *Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo, &c.* Quibus verbis non se tantum ab apertis, & magnis illis vitijs liberum, sed & magnis, & singularibus virtutibus præditum ostendit, & se non tantum superiorem esse hominibus apertè malis, sed & bonis plerisque gloriatur. Ieiuno inquit, non tantum quibus diebus omnes secundum legem & maiorum statuta ieiunant, sed bis in vnoquoque Sabbatho, hoc est hebdomada. Sic enim Hebræi hebdomadam vocant à præcipuo eius die, qui Hebdomadæ finis est. Decimas do non tantum quemadmodum vulgus frumenti, vini, & olei, sed etiam omnium quæ tissima

possideo, decimans etiam mentam rutham, cyminum, ac minutissima quæque. Et hactenus quidem de Pharisæo, sequitur de Publicano, in quo tres notantur suo ordine conditiones, omni vere & digne pœnitenti, & necessariæ, & sufficientes: quarum prima est propriæ indignitatis agnitio, & quæ ex illa nascitur fugæ ipsius detectio, & erubescentia. Hæc enim notatur cum dicitur stetisse à longè, procul scilicet ab altari semotus, vt qui indignum se reputabat propius accedere ea loca, in quibus Deo sacrificaretur, & velut præsens coleretur. Rursum idem notatur per id, quod sequitur, nolebat nec oculos ad cælum leuare, censens scilicet eos indignos visione superna, vt qui amauissent bona terrena spectare, & quærere, agnoscensque se indignum, qui eo conuerteret intuitum, vbi is suam habet sedem, quem se cognouit offendisse. Secunda conditio est serius de peccatis commissis dolor, qui in isto notatur, cum dicitur percutisse pectus suum, præ contritionis scilicet dolore, & veluti reprehendens cor suum, quod admissorum criminum illi origo fuisset, & causa. Hic autem ex contũctione aduersatiua, sed, magis videtur significatum, quod nec manus, nec oculos voluerit in cælum tollere, sed manu, quam in cælum tulit Pharisæus percutiebat pectus suum. Cæterum vt peccator veniam asse quatur, non satis est agnoscat suam indignitatem, seque deijciat, ac ex animo doleat: sed ne ex indignitatis consideratione in desperationem prolabatur, & abundantiore tristitia absorbeatur, adiungere prædictis conditionibus debet & bonam de diuina benignitate confidentiam. Hæc enim si illis desit pertrahẽtur per illas homo in desperationem: si autem sola adsit sine humilitate & contritione pariet præsumptionem, nec impetrabit remissionem. Hæc autem fiducia Publicano adfuisse notatur, cum & orasse, & paucissimis orasse dicitur. Neque enim orasset, si de Dei erga se indulgentia confisus non fuisset, nec tam paucis orasset, si non multum confisus fuisset. Non enim credidit se exaudiendum in multiloquio, more Ethnicorum: *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori*. Oratio sane breuis in verbis, sed efficax, & magna sensu quam ob id à Publicano prolatam Dominus proponit, vt & nos ad eum modum orare discamus; cum si modo hæc parabola non sit res verè gesta, sed à Domino conficta, hæc oratio à pectore Domini processerit. In qua hoc obseruandum, quod Publicanus nihil aliud quam misericordiam petit, & talem misericordiam, qua Deo reconcilietur. Nulla enim præcedit merita, nullas adfert excusationes in peccatis, sed libere se peccatorem confitetur: & dum sibi Dei implorat propitiationẽ, hoc est placabilitatẽ; significat id maxime animũ ipsi us torquere, quod Deũ offensum haberet, nihil magis optare, quã

Tres cõditiones pœnitentis necessariæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

* * autẽ * * oblata sunt ei paruuli*. offerebãt eis pueros * * autẽ * *. autẽ *. vero ▷ * * dixit. ‖ *. * pueros †*. *. ne prohibueritis eos. *. * nolite vetare eos ▷ * cœlorum ‖* * quicunque non acceperit † *. * puer † *. vnus ▷ *. * interrogauit eum ‖*. ait † *. faciés vitã æternam possidebo ▷ *. percipiam ‖*. Qui † *. vnus est bonus Deus ▷ *. *. vnus ‖*. * præcepta †*.

vt illum habeat placatum, & amicum. Hoc enim significat Græca dictio ἱλάσθητι, hoc est placatus esto, hoc & latina dictio propitius esto, hoc est, clemens, & benignus. Porro cum in Pharisæo audiuerimus, superbum accusatorem, in Publicano autem humilem reum: audiamus nunc & iudicem sententiam pronunciantem.

Dico, inquit, *vobis descendit hic iustificatus*, id est, Dei gratia ex peccatore iustus effectus, ab illo Pharisæo, hoc est, magis quã ille, id est, descendit iam iustior quam Pharisæus: non quod Pharisæus etiam descendit iustificatus vel iustus, sed comparationem impropria, quia scilicet ille nõ descendit iustus. Aut potius Publicanus dicitur iustior descendisse quã Pharisæus, quia & Pharisæus aliquam habebat iustitiã, operũ scilicet iustitiã qua & corã hominibus, & suo iudicio iustus habebatur: sed hanc iustitiã vicit iustitia Publicani, vt quæ Dei esset iustitia, & coram Deo iustitia, cuius laus non ex hominibus sed ex Deo est. Ostendit autem Dominus æquitatẽ suæ sententiæ, quam de Pharisæo & & Publicano protulit, per generalem illam sententiam, qua & supra vsus est, dicens:

Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Quemadmodum enim a puarum fluenta, ad vallium decurrunt profunda, & quo vallis est decliuior, eo plures aquæ congregantur in eam: sic diuinarum charismatum gratiarum ad corda descendũt humilium, qui quanto humiliores fuerint, tanto copiosiorem gratiam suscipiunt.

Paruulis manum imponit, & adolescentem diuitem ad perfectionem inuitat. Matt. 19. Marc. 10. Lucæ 16. CAPVT C.



† *tunc* † *afferebant* * *ad illum & infantes* ' *vt* ▷ *tangeret illos* [&] * *manus eis imponeret, & oraret.* * *Quod cùm viderent* ' *discipuli* * ▷ *comminabantur offerentibus.* [&] † *increpabat eos* ▷ *Quos cùm videret* ' *Iesus* * ▷ *indignè tulit, & conuocans illos* ▷ ' *ait* * *illis:* ' *Sinite* ‖ *paruulos* ' ▷ *venire ad me* ' *& nolite eos prohibere* * *venire ad me,* ' *talium enim est regnum* ▷ *Dei* ▷. *Amen dico vobis* ‖ *Quisquis non receperit* ' *regnum Dei sicut* † *paruulus* ' *non intrabit in illud* ▷ *Et complexans eos, & imponens manus super illos benedicebat eos.* * *Et cùm processisset eis manus, abiit inde.* ' *Et* ▷ *cùm egressus esset in viam,* * *ecce accedens* [&] ▷ *procurrẽs* † ' *quidam* ' * *princeps,* ▷ *genu flexo ante eum,* ▷ ▷ *rogabat eum* ‖ * *dicens* * *illi* ' *:* ' *Magister bone, quid* * *boni* † ' *faciam vt* ▷ *habeam* ' *vitã æternam* ' *? Iesus autem* ' *dixit illi: Quid* ▷ *me dicis bonum,* [&] * *me interrogas de bono?* † ' *Nemo bonus nisi* ▷ *solus* ' *Deus* ' *. Si autem vis ad*

ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ ‖ ▷ *Mandata* * *nosti:* † ' *Non homicidium facies. Non adulterabis. Non occides. Non furtum. Non falsum testimonium dices* ' ▷ *Ne fraudem feceris.* ' *. * Nõ oc Honora patrem tuum & matrem * tuam. diliges proximum tuum sicut teipsum* ▷ ▷ *At ille* * *adolescens* ▷ *respondens* ‖ ' *ait* * *illi:* ' *Hæc omnia* † *custodiui* ' *à iuuentute mea* * *quid adhuc mihi deest?* * *Quo audito* ▷ *Iesus* * ▷ *intuitus eum, dilexit eum & ▷* ' *ait* ' *illi* * *Iesus* * *Adhuc* ▷ *Ne furaunum tibi deest* * *Si vis perfectus esse* * *vade,* ' *vende* ‖ *omnia quæ habes, ne falbes, & da pauperibus & habebis thesaurũ in cœlo, & veni sequere me.* ' ‖ *sum testiQuũ audisset autẽ adolescẽs verbũ* * ▷ *contristatus* * *est* ▷ *in verbo,* [&] *monium* * *abiit* ▷ *tristis* ' ‖ ' *erat enim habens multas possessiones* ' . * *Videns au dixeris. tem Iesus illum tristem factum* ▷ *& circumspiciens* * *Iesus* * † ' *dixit* ' ▷ * *Qui* * *discipulis suis* ▷ *Quam difficilè, qui pecunias habent in regnum Dei* ‖ * *dicit* ▷ *introibunt* ' . * *Amen dico vobis. Quia diues difficile intrabit in reg- † ▷ * obser num cœlorum.* ▷ *Discipuli autem obstupescebant in verbis eius. At Iesus rauersus respondens ait illis Filioli quam difficile est confidentes in pecunys in regnũ Dei introire!* * *Et iterum dico vobis* ' *Facilius est* * *camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnũ* ‖ *Dei* * ▷ *Audiuit autem hic* * *discipuli mirabantur valdè* ' . * *Et dixerit qui* ‖ ▷ *quæcũaudiebant.* * *dicentes* ▷ *ad semetipsos* ▷ *Et* ' *quis* * *ergo* † ' *poterit salnus* ▷ *esse* ' ? * ' *Aspiciens autem* ▷ *illos* * *Iesus* † ' *ait* * ' *illis:* * *Apud homines* * *hoc* * *impossibile est,* ▷ *sed non apud Deum* ' . ▷ *Omnia enim* * *quæ impossibilia sunt apud homines* ▷ *possibilia sunt apud Deum.* ▷ *Et* ▷ *his ille ad post hæc* * *tunc respondens* ▷ *cœpit ei* ‖ ' *Petrus dicere* ' *: Ecce nos* † *dimisimus* ' *omnia & secuti sumus te* * *quid ergo erit nobis?* ◁ ' *Iesus* ' * *autem* ▷ *respondens* ‖ ▷ *dixit* ' *illis:* * *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel Et omnis quod reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. ▷ Amen dico vobis, nemo est qui † reliquerit* ' *domum, aut fratres* ▷ *aut sorores* ▷ *aut* ▷ *patrem aut matrem* ' , ' *aut vxorem,* ▷ *aut filios,* ▷ *aut agros propter me & propter* * *regnum Dei,* [&] ▷ *euangelium,* ▷ ‖ *qui non accipiat centies tantum* ' . ▷ *nunc* ▷ *in tempore hoc,* ▷ *domos & * * fratres & sorores & matres & filios & agros cum persecutionibus.* ▷ *& in seculo futuro vitam æternam* * *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*

Et tunc afferebant ad illum & infantes, &c. Vt quidam pueros & infantes Christo afferrent ad hoc vt eos tangeret, & vt Matthæus apertius explicat, vt manibus suis illis impositis oraret pro illorũ salute, eisque bene precaretur: id eos comouit, quod ex præcedẽtibus eius virtutibus experti fuerãt Dominũ per impositionẽ manuum

* ▷ *. cœlorum* ▷ *. Qui magis ad mirabantur* † ▷ *. * potest* ▷ *. * ri*

manuum, & orationem à multis repulisse varia mala: credentes proinde per huiusmodi manuum impositionem & orationem etiam præmuniri posse infantes à malis, & diaboli potestate. Cęterum discipuli videntes piam parentum in offerendo sedulitatem, non satis memores quomodo Dominus aliquando aduocato puerulo statuerit eum in medio discipulorum, declarans satis facto & verbo quanti faceret paruulos: increpabant offerentes, tum quod importunam, & improbam putarent huiusmodi oblationę; quia scilicet Domino alioquin satis occupato, rebus huiusmodi leuioribus fieret negotium; tum quod indignum putarent magnitudine Domini occupari rebus illis leuibus, zelantes scilicet pro Domini sui tum quiete, tum honore. Quod autem in Marco legimus discipulos comminatos offerentibus; non est aliud quam quod reliqui duo dicunt eos increpasse illos. Nam Græcis apud omnes tres Euangelistas idem est verbum nempe ἐπιτιμᾶν, quod interpres nunc vertit increpare, nunc comminari. Videns autem Dominus discipulorum factum, quanquam sciret ab ipsis ex aliqua parte geri officiosa quadam sedulitate: tamen quatenus ex affectu quodam humano, & superbia proficiscebatur, indignè tulit, idque eo magis, quod non ita multò ante eis commendauerat paruulos, eorum exemplo ad modestiam ipsos prouocans. Itaque conuocatis ad se discipulis suis ait illis;

Sinite paruulos venire ad me, causamque affert, *quia taliũ est regnum Dei*. Vbi signãter dictum esse taliũ, & non horũ annotauit D. Hierony, vt ostenderetur nõ etatẽ regnare, sed mores, & his, qui similem habent innocentiã & simplicitatẽ premiũ repromitti. Vnde explicãs illud magis Dñs adiecit, vt est apud Marcũ & Lucam;

Amen dico vobis, quisquis non receperit regnũ Dei sicut, &c. Quod idem est cum eo quod supra dixit in cap. Conc. 70. Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Aduertendũ tamen in hac sententia, quod sicut hic positum est pro velut, vel tanquam; significatur enim imitatio personæ hoc sensu, qui non acceperit factus similis puero: Taliũ enim proculdubio refert cõditionẽ illam animi, quam habent infantes, & paruuli. Eam ergo cõditionẽ quicunque habent siue per ętatem, siue per voluntatem, & imitationẽ eorum est regnum Dei; si modo tamen ad Christũ veniant aut per se, vt adulti rationis compotes, aut per alios oblati, vt paruuli, & infantes. [Sane quod Dominus paruulos non tantum ad se venire permiserit, sed etiam complexatus sit eos vt habet Marcus, & iuxta votum offerentium parentum impositis manibus suis eos benedixerit, hoc est, bene præcatus sit eis, & bene precando gratiæ suæ participes fecerit (non potuit enim Christi benedictio nõ esse efficax, cuius benedicere benefacere est) manifestè arguit infantes, & vsu rationis carentes gratiæ Christi participes

cipes esse posse. Proinde rectè ad imitationem horum offerentiũ paruulos Ecclesia quotidie perfideles Christo infantes offert, vt in baptismo gratię eius, qua certum est eos indigere, participes fiãt; vt sic Dei regnũ, quod taliũ hic esse dicitur, cõsequi possint.]

Et cum egressus esset in viam, ecce accedens & procurrens, &c. Post quam ad oblatam occasionem Dominus humilitatis doctrinam proposuisset, alia mox oblata est occasio docendi etiam diuitiarũ contemptum, accedente scilicet ad eum diuite quodam, & rogante qua ratione vitam æternam sibi parare posset. Fuit autem ille, vt ex omnibus tribus patet Euangelistis admodum diues, fuit adolescẽs, vt ex Matthæo patet & Marco. A Luca verò etiam princeps dicitur, quia scilicet magnæ apud Iudæos authoritatis & potentiæ propter diuitias. Hic ergo Domino etiam in viam egresso non tantum accedens, vt habet Matthæus, sed etiam accurrens, vt habet Marcus, ac genu coram Iesu flectens in reuerentiæ signum, cupidus assequendi vitam æternam, quã sua doctrina nouo modo Dominum promittere intellexit, interrogabat eum dicens:

Magister bone, quid boni faciã, vt habeã vitam æternã, &c. Ad hãc interrogationẽ Marcus quidẽ, & Lucas dicũt Dominũ primũ respõdisse, Quid me dicis bonũ? Matthęus verò; quid me interrogas de bono? Dicendũ itaq; Dominũ vtrumq; respõdisse, & cur se dicere bonũ, & cur se de bono interrogaret. Nã adolescẽs & bonũ appellauerat, & de bono interrogauerat dicens; Magister bone, quid boni faciã? Ad quod cõmodè sic intelligitur vtrumq; respõdisse Dominus; Quid me dicis bonũ, & me tanquã bonũ scilicet interrogas de bono? Quoniã enim adolescẽs Dominũ appellabat bonũ, blandimẽto captãs illius beneuolentiã, cùm tamen nihil aliud existimaret eum esse, quam purum hominem, sed ceteris eminentiorem, & quoniam de bono faciendo, quo promereri posset vitam æternã interrogabat: Dominus omnẽ bonitatis laudem ad solum Deum transfert, qui solus natura, & verè bonus est, vnde subijcit;

Vnus est bonus Deus scilicet, vel vt habẽt alij, Nemo bonus nisi solus Deus q.d. Merito deberes nec me dicere bonũ, quem existimas esse purũ hominẽ, nec te putare posse aliquid boni facere, quod solus Deus dicẽdus sit vere bonus, cuius comparatione nõ iustificabitur omnis homo, nec quoduis opus hominis. [Non ergo negat se bonum esse & Deũ, sed ab illo nõ se appellãdũ bonũ, sed significat, qui ipsum purũ hominẽ crediditq; quod nõ ob dixit quasi reprehenderit in eo, quod se nondũ crediderit esse Deũ, sed ob duas has potissimũ causas. Primũ vt suo exẽplo doceret, quod cũ ab aliquibus laudamur, retorquere debeamus proprias laudes in laudẽ diuinã, & cõsideratione nostri defectus nõ admittere in animo adulantiũ, & captantiũ nostrã beneuolentiã, voces Deo proprie cõuenientes. Secundo vt hunc percunctatorem ab adulationis vitio liberaret,

& ta-

Et in eum * *dixit* ▷ * *apud Deum autem possibilia sũt* ‖ *. Petrus dixit ei.* ‘. *ait autem Petrus* ‖ *. reliquimus* ▷ * *Qui* ‖ *. ait* ‡ *. reliquit* ▷ * *parũ* ‖ *. & nõ recipiat multo plus* va G. 13. 90.

& tacitè admoneret ne seipsum bonum existimaret, etiam cum omnia Dei mandata perfecisset: sed potius solum Deum bonũ & omnis bonitatis authorem suspiceret, cui omnis boni gloria trãscribenda est.] Credidit enim iste, dum Iesum, quem hominẽ tantum putauit, bonum appellat, & de bono à se faciendo interrogat, etiam se quoque bonum fieri posse per bonum quod facturus esset: proinde vt ad humilem de se, suisque operibus existimationẽ illum, & in illo nos Dominus prouocaret, boni honorificam appellationem à se & omni opere humano in Deũ transfert. De hinc ad reliqua quæstionis respondet.

Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. Quibus verbis significat & liberi arbitrij vim dum dicit, Si vis, & solam vitam eternam verè esse vitam, dum interrogatus de vita æterna respondet, Si vis ad vitam ingredi; & se vitæ eternæ prædicatorem non solum non esse contrarium legi, sed nec alia requirere, quam legem: dum dicit, serua mandata. Audiens autem adolescens exigi mandatorum obseruationem, & æstimans alia quædam præcepta esse præter legalia, quæ ei vitæ fierent causa, si quidem audierat eum vt noua quædam promittentem, ita vt noua quædam hominibus præcipere, interrogat quænam essent ea præcepta, quæ essent ipsi seruanda. Tum Dominus ostendens se non de alijs locutum mandatis quam quæ legis erãt; *Mandata*, inquit, *nosti*. Deinde & enumerat aliquot ea scilicet quæ sunt secundæ Tabulæ, & ad proximos pertinent. Et quidem omnes tres Euangelistæ commemorant à Domino dicta quatuor illa negatiua præcepta decalogi; Non occides, Nõ mœchaberis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices. At Marcus his etiam quintum addit; Ne frandem feceris, aliena scilicet illicitè accipiendo. Id autem positum puto pro vltimo decalogi præcepto: Non concupisces domũ proximi tui, Nõ seruum, Non ancillam, Non bouem, Nõ asinum, nec omnia quæ illius sunt. His iam apud Matthæum subijcitur generale illud præceptum, in quo omnia præcepta ad proximos spectantia recapitulantur teste Paulo; Diliges proximum tuum sicut teipsum. [Circa quod apud solum Matthæum additum præceptum, dubium proponit Origenes, quomodo si hoc etiam præceptum adolescens iste seruauit, quemadmodum se seruasse dicit, eius responsionem Domino approbante, qui intuitus eum dilexisse illum dicitur, dicatur ei: Adhuc vnum tibi deest, & tanquam nondum perfecto dicitur, Si vis perfectus esse: cum in illo mandato, diliges proximum tuum, omne mandatum secundum Paulum recapituletur, & contineatur: vt ob id nihil ei deesse possit, qui illud impleuerit, sed perfectus sit, vt qui omne mãdatum impleuerit.] Dicendum ergo, quod hoc quidem præceptum dilectionis proximi adolescens iste compleuerit, sicut tunc illud Iudæi implendum putabant,

putabant, nullum scilicet inferendo nocumentum manifestum proximis, & communia dilectionis officia eis exhibendo, non autem diuidendo cum proximis suas possessiones quemadmodum requirit Christiana perfectio. Itaque quanquam Dominus putasset offendisse illum non satis præceptum illud obseruasse; tamen quoniam ille non arroganter responderat se omnia illa seruasse, sed animo simplici, & cupido etiam maioris perfectionis (quã cupiditate declarauit dicens vt est apud Matthæũ, quid adhuc mihi deest?) ideo benigne illũ intuitus tanquã simplicẽ, & nequaquã versutum dilexit eum, quasi vehemẽter appetentem salutem; quanquã adhuc auaritiæ tyrannidẽ præpediretur. Et quoniã veluti nõ cõtentus obseruatione legis quærebat quid adhuc ipsi deesset, Dominus ab imperfectione iustitiæ legalis eũ vocat ad perfectionem iustitiæ Euãgelicæ dicens: Si vis perfectus esse. Imperfecti enim sunt, qui sola legalia cõplent præcepta, quia & ipsa imperfecta erant propter Iudæorum imbecillitatem. Cæterum quod dicit Dominus,

Adhuc vnum tibi deest, non sic est accipiendum, quasi vnũ istud sic ei defuerit, vt sine illo non posset ingredi ad vitam; sed quia iuuenis cum dixisset se omnia illa seruasse à iuuẽtute, id est, pueritia sua, quæsiuit quid adhuc mihi deest, hoc est, quid præterea facere possem, vt habeam vitã æternam, respondit Dominus; adhuc vnũ tibi deest, hoc est, adhuc vnũ restat quod facias, & adijcias factis, vt habeas vitam æternã, non quod sine ipso nõ posset habere, sed quod per istud certius & plenius esset habiturus vitam æternã. Vnde & subijcitur, Si vis perfectus esse, hoc est, si vis nihil tibi deesse, quod faciat ab obtinendam vitam æternã, vade & vende, &c. [Non est tamen etiam intelligi vnum illud quod dicit Dominus ei deesse, necessarium ei fuisse ad salutem. Deerat enim ei contemptus diuitiarum, nimisque afficiebatur diuitijs suis, vt patet ex sequentibus, & in eis nimium confidebat. Quamdiu ergo hic in eo fuit affectus, vnum ei deerat ad vitam ingrediendam necessarium; nimirum vt si non diuitias suas, saltem affectum hunc abijceret.] Notandum autem quod cũ Dominus dixisset, Si vis perfectus esse, non tantũ addidit, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, sed etiã subiecit, & veni sequere me: quia nõ in facultatũ vẽditione & distributione cõsistit potissimũ perfectio, sed in perfecta sequela Christi, ad quã vendere omnia, & dare pauperibus via quædam est. Cum enim dicit sequere me, non tantum loquitur de sequela corporali, sed multo magis de sequela per imitationem charitatis, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, &c. Vnde in Marco apud Græcos additur sequere me tollens crucem; quanquam id possit videri alibi de hic adiunctum. Adiecit præterea Dominus:

Et habebis thesaurum in cælo; quasi diceret, & non peribunt tibi

Universidad de Deusto
Biblioteca

facultates tuæ pauperibus distriburæ: sed hac ratione certiores, & abundantiores tibi in cælo diuitias parabis.

Cum autem audisset adolescens verbum contristatus est. Quamuis valde auidus esset adolescens ille perfectionis, tamen diuitiarum quas possidebat abundantia & amor non permisit eum amplecti quod volebat. Contristatus est enim in sermone Domini, dolens quod nō nisi diuitijs abiectis perfectionem assequi posset, & adeo dolens, vt Christo derelicto abierit, affectum eius bonum obruentibus diuitiarum spinis. Itaque illo cum tristitia abeunte, conuersus Dominus ad discipulos suos, ne quando pœniteret eos suæ paupertatis, cœpit de diuitiarum periculo disserere, dicens secundum Marcum & Lucam: *Quam difficile*, hoc est verè valde difficulter, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Quod Matthæus sic extulit sensum eundem seruans: *Amē dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.* Itaque per eos, qui pecunias habent, non simpliciter intelliguntur apud Marcum & Lucam, qui in crumenis suis habent aliquos nummos, sed vt ex Matthæo patet, qui diuites sunt, & multas habent facultates. Nomine enim pecuniæ, sicuti & dictione Græca hic posita χρήματα significantur plerumque omnia fortunæ bona siue mobilia, siue immobilia. Cum autem discipuli, vt habet Marcus, obstupescerent in verbis eius, id est, propter verba eius, nimirum quod viderēt tā multos esse diuites, & omnes ambire diuitias: Dominus rursum quidem repetit, quod dixerat, quo magis illud inculcaret, & confirmaret: sed sic repetit, vt blandimento mitiget sermonis asperitatem, & interpretetur non intellectam obscuritatem;

Filioli, inquit, *quam difficile est confidentes in diuitijs, in regnū Dei introire.* Pro eo ergo quod prius dixit, qui habent pecunias, nunc dicit, confidentes in pecunijs, significans de quibus diuitibus potissimum sit locutus. Et tamen generaliter dixit, tum quod hi, qui etiam si habeant diuitias, tamen non apponunt illis cor, nec confidunt in illis, coram Deo sint spiritu pauperes, tum quod rarum sit inuenire diuites, qui in diuitijs suis non confidant. Confidunt autem in diuitijs suis, qui in his sibi placent, & per eas securiores viuunt, promittentes sibi per eas malorum liberationem. Difficile autem est huiusmodi intrare in regnum Dei, quia difficile est tales abstrahi ab illa fiducia. Non contentus autem Dominus dixisse primum quidem in genere difficile esse diuitē saluari deinde peculiariter difficile esse confidentes in pecunijs saluari: addidit tertiò quod his magis durum est, quo à diuitiarum amore, efficacissime abstraheret.

Confidere in diuitijs

Iterum, inquit *dico vobis, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum Dei.* Quod simplicites intelligi potest, non ideo dictum esse illud illo facilius, quia vtrūque

que Deo soli esset possibile, vnum autem altero quadam ratione illi facilius: sed tantum huiusmodi locutione significatum est impossibile esse, & valde impossibile diuitem intrare in regnum cælorum. Itaque sic dictum est; Facilius est camelum, &c. Quomodo dicere solemus de duobus sese capitali odio prosequentibus, Facilius fuerit aquam igni miscere, quam hos inter sese reconciliare: significare volentes id omnino fieri non posse. Quod si quæratur, quomodo iam Dominus dicat impossibile, & valde impossibile esse, quod prius tantum dixit difficile: dicendum est vtrūque verum esse. Difficile enim est diuitem ingredi in regnum cælorū ea ratione, quæ dicta est, nempe quia difficile est eum abstrahi ab amore diuitiarum, nec eis abuti sæpe. Impossibile vero tum, quia quandiu manet confidens in diuitijs, non potest ingredi, tum quia non sua virtute, sed sola Dei gratia, eaque efficaci, & potente, potest a fiducia, amore, & abusu diuitiarum abstrahi, vt sic possit ingredi regnum Dei. Nec tamen necesse fuerit dicere hac sententia Dominum significasse impossibilitatem: sed simplicissimum fuerit dicere hyperbolem esse in hac locutione, qua Dominus vulgari modo locutus significare tantum voluerit, valde difficile esse diuitem ingredi regnum Dei: qualis locutio est cum dicitur: Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum; non quod absolutè istud sit impossibile æquè atque illud, sed hyperbolica locutione significatur istud esse admodum difficile. Ad quem modum etiam in proposito non tam significari impossibilitatem, quam difficultatem, patet ex Luca, qui cum dixisset: Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt; pro probatione huius subijcit; Facilius est enim camelum per foramen acus transire, &c. Non ergo hac sententia nisi magna significatur difficultas.

Et dixerunt qui audiebant, dicentes ad semetipsos, &c. Discipuli qui admirabantur primum audientes Dominum asserentem difficile esse diuitem ingredi in regnum Dei iam valde, & vt habet Marcus περισσῶς, hoc est supra modum admirabantur, audientes facilioremē etiam esse ingressum cameli per foramen acus, quam diuitis in regnum Dei, atque hinc intelligēs significari impossibilem esse diuitum salutem, & ob id & si inopes essent, tamen pro aliorum salute turbati, ac dolentes tam multos secludendos à regno cælorum dicebant ad semetipsos, hoc est, vt melius verti potest, ad sese mutuò vel inter sese πρὸς ἑαυτοὺς: *Si sic res habet, quis ergo poterit saluus fieri?* Quod discipuli generaliter ideo interrogāt secundum Augustinum, cum Dominus tantum dixerit de diuitibus, quod intelligerēt etiā si nō omnes haberēt diuitias, esse, tamē paucos, qui nō summè afficerētur diuitijs, easq; habere desiderarēt,

diuites autem non tam propter opum affluentiam, quam propter animum quem habent erga diuitias, difficulter esse saluandos. Dominus itaque ne quo conciperent a discipulis animi tristitiam mitigaret & benigne eos est intuitus (verbo enim intuendi Euangelistæ significarunt Dominum mansueto oculo turbationem mentis eorum, sedasse) & verbis quoque seueritatem suæ sententiæ temperauit, in medium adducens diuinam virtutem, & per eam ad confidentiam exhortans.

Apud homines, inquit, *hoc impossibile est*. Hoc nempe non solum vt diues saluus fiat, sed etiam generaliter vt quis saluus fiat. Non enim hoc fieri potest sola humana virtute, sed requiritur diuina gratia, qua id quod nobis alioqui est impossibile, sit possibile, in ò facilè. Ea enim sic mutantur animi diuitum, vt alacres etiam vel abijciant quod possident, vel possideant tanquam commune, non proprium, parati semper relinquere, sicut & vitam impendere, si quando id postulet religionis negotium.

Et post hæc tunc respondens cœpit ei Petrus dicere, &c. Cum audisset Petrus tantum malum esse habere diuitias, cogitauit eximium ergo esse bonum eas abiecisse. Verum qu a adolescenti dictu fuit, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, atque hoc si faceret, promittebatur thesaurus in cælo; solicitus fuit pro se, ac discipulis suis de præmio quod eos maneret, qui non quidem omnia vendiderunt & dederunt pauperibus, sed simpliciter omnia reliquerunt, metuens ne forte minus fecissent, quia nõ hoc fecerunt, quod ab adolescente requisiuit Dominus. Itaque omnium, vt fieri solebat nomine dixit; *Ecce nos*, non quidem omnia nostra vendidimus & dedimus pauperibus, sed tamen omnia reliquimus, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Confidenter dicit, omnia reliquimus cum pauca reliquisset nauem scilicet, & retia. Omnia enim relinquit, & multa relinquit, qui quidquid habuit, & habere potuit, aut concupiscere relinquit. Itaque dominus Petri sermonem & si satis magnificum non reiecit, vt diceret ei: Quæ omnia Petre reliquisti, vt præmium magnum requiras? Sed quo non pœniteret eos voluntariæ paupertatis & offenderet non tantum veri ditoribus suarum facultatum, sed omnibus propter ipsum relinquentibus id quod habent quantumuis sint tenues, maximum præmium repositum esse, cum solita asseueratione ait:

Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, &c. Non dicit, qui reliquistis omnia, sed tantum, qui secuti estis me; significans nihil profuturum illis omnia reliquisse, nisi etiam secuti ipsum fuissent; atque ipsam sequelam sua exigere omnium derelictionem. Qui enim dixit superius, non renunciauerit omnibus que possidet, non potest meus esse discipulus. Et est hic sermo ad literam de sequela non qualibet, sed qua sese Apostoli Christo in discipulos in-

los indiuulsos addixerunt. Quod autem sequitur: *In regeneratione*, optime secundum quendam continguit cum sequenti verbo sedebitis; & per regenerationem intelligenda est resurrectio ex mortuis quæ velut secunda generatio hominis erit secundum corpus, quemadmodum in baptismo est secunda hominis secundum animam generatio. Quomodo autem filius hominis in regeneratione dicitur sessurus in sede maiestatis suæ, cum & iam sedeat a dextris Dei Patris? At tunc peculiariter sessurus dicitur, quia omnibus tunc sedere apparebit, cuius iam gloria hominibus est occulta. Nec dicitur sessurus ob corporalem sessionem; sed huiusmodi tropo significatur iudiciaria eius authoritas, vt sit sensus: cum se cum gloria & maiestate magna iudicem omnium exhibebit. Ad eum modum etiam intelligendum, quod & Apostoli dicuntur tunc sessuri super sedes duodecim: nimirum quia proximi Christo iudici etiam in gloria cum ipso apparebunt iudicantes simul cum illo duodecim tribus Israel. Alioqui enim Paulus affirmat omnes oportere stare ante tribunal Christi.

Sedere a dextris

Sedere super sedes duodecim

Sedebitis, inquit *etiam vos*, idque non cõfuse, nec in cõmuni sede, sed super sedes duodecim, singuli scilicet in sua sede, vt sic eorũ futuram maiestatem exaggeraret; nec otiosi sedebitis, sed iudicantes duodecim tribus Israel. Cæterum intelligendum est Apostolos iudicaturos, non tantum sui cum aliis comparatione, vel sententiæ comprobatione, sed etiam authoritate quadam, & potestate, non solum ea qua omnes iusti cum Christo impios iudicabunt, sed tali qua Christo victi principes agent in regno Dei, & populo eius; his qui Euangelicæ prædicationi credidrunt, exhibentes cum Christo ea, quæ hic verbo suo illis promiserunt; Infideles autem, & impios condemnantes ad ea supplicia, quæ hic ipsis prædixerunt, & comminati sunt. Quanquam enim omnium electorum erit simul (cum Christo vt regnare, ita & iudicare: tamen qui hic in adferendo Christi Euangelio fuere primores, in regeneratione quoque primas inter electos obtinebunt, & eximio quodam modo simul cũ Christo sedebunt, & iudicabunt nõ impios tãtũ, sed & iustos: quomodo qui Regum regno sunt proximi singulari modo dicuntur simul administrare regnum, ac iudicare cum rege, cum etiam omnes qui Regi subsunt, cum eo regnent, ac iudicent, & vlciscantur rebelles. [Quę tamen præminentia non est putanda solis his duodecim Apostolis tum conferenda. Quomodo enim non & Paulus, qui est extra numerum duodecim, existimandus est eadem gloria, & honore donandus, qui & ipse Apostoli hic assecurus est nomen ac dignitatem, & plus omnibus laborauit. Quoniã enim nunc loquebatur Dominus ipsis duodecim, ideo & de eorum priuilegio, & fœlicitate loqui satis habuit impræsentiarũ: intelligendũ relinquens etiã alios eadẽ do-

Apostoli quomodo iudicabũt

nandos prærogatiua, qui cum istis in propagando Christi regno hic primores essent. Nec falsa est hæc Christi promissio, quod Iudas proditor fuerit vnus ex duodecim, quibus hæc Christus dixit: quia hæc promissio sicut aliæ in scripturis, præsupponit conditionem, si in eo ob quod fit promissio, perseuerauerint.] Dicuntur autē Apostoli peculiariter iudicaturi duodecim tribus Israël, non quod non sint iudicaturi etiam reliquas gentes: sed quia regnum Messiæ peculiariter dicitur regnum Israël, adeo vt ipsi Iudęi crediderunt Messiam Israëlitarum tantum fore Regem, & quia à Domino delecti fuerūt duodecim Apostoli veluti duodecim principes duodecim tribuū Israël: ideo peculiariter promittit hos duodecim iudicaturos duodecim tribus Israël. Sed quemadmodum passim in Scripturis per semen Abrahæ, & tribus Iacob, significantur omnes gētes in Christum credituræ, ad quas postea duodecim Apostoli primum delecti ed prædicandum Israëlitis sunt missi: ita & hic mysticè, & ex consequenti, per duodecim tribus Israel significantur vniuersæ gentes, ad quas se extendet regnum Messiæ, vniuersæ gentibus sub nomine Israëlitarum promissum.

Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c. Postquam aperuit Dominus, quę propria erunt Apostolis eo quod omnia reliquerant, subijcit etiam quæ & reliquos manent bona: qui etsi non vendunt sua, & dant pauperibus, tamen relinquunt sua: idque etiamsi non omnia cum Apostolis relinquāt, sed quędam. Dicit enim disiunctiuè omnis qui reliquerit domum, vel fratres, &c. Quam sententiam Marcus & Lucas per duplicem efferunt negationem; Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, &c. & non recipiat. Et quidem cū Petrus superius duo diceret, nēpe reliquimus omnia, & secuti sumus te: Dominus primū respōdit ad illud quod in illis duobus erat præcipuū, & in quo alterum includebatur dicens; Vos qui secuti estis me, &c. Iā vero respondet ad alterum dicens; Omnis qui reliquerit, quia eos etiā complecti voluit, qui ipsum non sicut Apostoli corporaliter sequi possent. Quoniam autē relinquere sua, vel suos, non est apud Deū laudabile, & meritorium nisi hat ob causam, & finem bonū: ideo apud Matthæum quidem additur, *propter nomen meum*, id est propter me, aut amore mei, apud Marcum vero præter illud, etiā additur, *Et propter Euāgelium*, hoc est propter Euāgelij prædicationē, aut potius, vt Euangelicam obseruet doctrinam. Lucas vero ait; *propter regnum Dei*, silicet assequendum. Itaque ex hac varietate discimus quare, & quomodo terrena, vel amici sint relinquendi, scilicet ex amore Christi, vtque secundum eius doctrinam melius viuatur, & regnum Dei possit obtineri. Si cui autem scrupulum moueat, quomodo inter ea, quæ rectè propter Christum relinquuntur, etiam vxor numeretur, cum non liceat vxorem dimittere cui quam

quam propter desiderium perfectioris vitæ; sciendū est quod quēadmodum eū dixit Dominus, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eā, non hoc dixit, vt nos ipsos interimamus, sed vt ipsi etiam animæ nostræ, fidem quæ in illum est, & amorē præponamus: ita & nunc dicens, qui reliquerit vxorem, non hoc dixit vt nuptias pœnitus diuidat, sed vt ipsi quoq; coniugi præponamus & ipsum & Euangelium, & regnū Dei. Promittit autē duo Dominus relinquentibus sua, vel suos propter regnum Dei, dicens; Cētuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Hæc enim esse diuersa, & ad idem non posse referri, vt posterior pars prioris sit expositio, & declaratio, patet ex Marco, & Luca qui priorem partē significant, pertinere ad præsens sæculum, posteriorem vero ad futurum. Marcus enim habet; qui non accipiat centies tantùm nūc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam. Similiter & Lucas, nisi quod pro centies & cētuplum, habet multo plura: nimirum exponens id quod numero illo finito significabatur à Domino. Quod autem qui, propter Christum se, & sua relinquunt, centuplum, hoc est, multo plura recipiunt etiam in hac vita: primum quidem sic declarari potest, quia pro temporalibus accipiunt spiritualia charismata, quæ longe superant quæuis terrena, accipiunt & internas consolationes, & animum pacatissimū, quo ex omnibus huius mundi bonis voluptatem capiunt, & modicis illis, quæ in vita præsenti Dominus illis dederit infinito maiore cum voluptate vtuntur, quam antea vtebantur his quæ reliquerunt. Hæc tamen declaratio non sufficit huic loco. Nam Marcus explicaturus quomodo centies tantum in hoc tempore sint accepturi subijcit, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros. Id autem quā sit verū pater & in Apostolis, & in omnibus qui propter Christū sua syncerè relinquūt etiā hodie. Apostolis enim omniū fidelium domus erant apertæ, eorumque agri eis fructum ferebant, adeo vt dixerit Paulus, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Sic etiam ipsis multi fuerunt fratres, sorores, matres, filij quia omnes fideles eis fuerunt loco fratrum, sororum, matrum, & filiorum, vt qui affectu fraterno eos prosequebantur, & curam omnem ac subuentionem eis impenderunt. Quodque omnium maximè est mirabile, habebant hæc omnia cum persecutionibus, hoc est, cum à fidei inimicis persecutiones varias sustinerent. Hoc enim addidit Marcus ad exaggerationem. Sunt tamen qui intelligunt illud cum persecutionibus additum velut partem beneficij, quod his promittitur: quia inter Dei dona etiam est posse pati pro Christo, secundum illud Pauli, Vobis datum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.

Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Cum sequens apud Matthæum Parabola adiuncta sit pro sententiæ istius

Universidad de Deusto
Biblioteca

declaratione, cui ea parabola simul tractari debet, atq; ex ea intelligi, & quis sit huius sententiæ sensus, & quorum a Domino sit dicta.

Proponitur Parabola de operarijs in vineam conductis. Mathæi 20.

CAPVT CI.

SIMILE est enim regnum cælorum homini patrifamiliæ, qui exijt primo mane conducere operarios in vineã suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineã suam. Et egressus circa horam tertiam vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patrem familiæ, dicentes: Hi nouissimi vnam horam fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respondens vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est & vade, volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Simile est regnum cælorum homini Patrifamiliæ, &c. Parabolam hanc vice expositionis subiectam esse illi propositioni, Multi autem erunt primi, &c certissimum est: quemadmodum patet tũ ex eo quod Græca habẽt coniunctionem causalem γὰρ, id est enim, tũ quod in fine Parabolæ repetendo sententiam cui explicandæ seruit Parabola, dicitur: Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Habita est autem hæc sententia & supra apud Lucam cap. 13. in cap. Conc. 90. Vbi certum est quid ea Dominus significare voluerit, nempe Gentes in regno cælorum præferendas Iudæis, eosq; qui hic nouissimi sunt habiti, & ab hominibus despecti, in nouissimo die fore primos, & contra qui nunc primi habentur, tunc fore nouissimos. Ergo cum ex præcedentibus sit manifestum, quis sit illius sententiæ, quę & ante parabolã ponitur, & post parabolam

bolam reperitur, sensus, nempe is, qui in eadem sententia est apud Lucam, & rursum sit manifestum parabolam hanc assumptam a Domino ad sententiæ illius declarationem: sensus à Domino huius parabolæ propositione præcipuè intentus videtur is esse, ut ex ea de qua agitur in parabola, benignitate Patrisfamiliâs, qua hi qui in vineam laboratum venerant, nouissimi, sic facti sunt primi, vt & prius, quam alij mercedem reciperẽt, & maiorem, quam vel ipsi, vel alij existimauerunt: qui vero primi venerant, sic facti sunt sine omni iniustitia nouissimi, vt & postremo loco mercedem suã reciperent, & minorem acciperent, quam sperauerunt; intelligamus etiam in nouissimo die, cum finis huius diei erit, in quo operatis licet in vinea Domini, ex Dei benignitate futurum, vt qui hic reputati sunt nouissimi, tunc præferantur his, qui hic habiti sunt primi in vinea Dei laboratores, vt quę contra sine omni iniustitia, & iusta quærimonia, qui hic primas tenere visi sunt, tunc postremas teneant, hoc est, vt Apostoli, & abiecti homines Scribis, & Phariæis præferantur, & Gentiles, Iudæis, qui & primò vocati fuerunt a Domino, vt primas partes in vinea Dei & regno cælorum sibi vendicauerunt. Hùc autem parabolæ scopum animo tenentes, quidquid eorum quæ in parabola ponuntur aliquid facit ad id, quod per parabolam intenditur, diligenter est annotandum, reliqua vero præterenda sunt, velut quæ tantum propter exempli, vnde sumitur parabola, commodam narrationem sunt posita. Porro parabola, quod ad literam attinet, satis est manifesta, vt non sit opus circa eam annotare, nisi pauca quædam, quorum illud vnum est, quod ea locutio *Simile est regnum cælorũ homini Patrisfamiliâs*, sic est intelligenda, quomodo de similibus sæpius aliquoties est dictum, vt sit scilicet sensus, Simile quid accidet in regno cælorũ, quale est, quod fecit quidam Paterfamiliâs, &c. Itaque non est dicendum hic regnum cælorum accipi pro Christo, aut gratia Euangelica, vt vult Lyra, sed pro eo quod propriè significat, nempe pro regno illo Christi, quo partim in terris regnat per fidem, & partim in cælis per gloriam, hoc est, pro Ecclesia partim in terris militante, & partim in cælis triumphante. Vtrumque enim statum oportet nomine regni cælorum hic comprehendi, quia operari pertinet ad statum præsentem, merces autem ad futurum. Pro intellectu autem horarum, quibus dicitur Paterfamiliâs vocasse operarios, & misisse in vineam, sciendum quod apud Iudæos horarũ initiũ cœperit ab exortu solis, vt prima hora fuerit, quę ab ortu solis prima fuerit vndecima, quæ occasum solis proximè præcesserit. Deinde quẽadmodum nox diuidebatur apud eos in quatuor partes, quę vigiliæ, vel custodiæ dicebantur: ita & dies in quatuor æquales partes diuidebatur. Hinc est quod Paterfamiliâs singitur mane, hora tertia hora sexta, & nona tãquã præcipuis & æqualibus diei partibus

Sensus in hac parabola à Domino præcipuè intẽtus.

Hora Iudæorum.

tionis vocasse operarios. Iam quare cum primis conuentio facta dicitur ex denario diurno, satis patere potest ex his quæ superius

Denarius sunt aliquoties dicta. Nam vt dictũ est in cap. Conc. 48. denarius, numisma Romanum drachmam valebat atticam, decimam scilicet partem coronati. Hoc est tres solidos, & semissem, vel vt nos loquimur, tres stuferos cum medio, quantum & hodie fere diurnæ operæ merces esse solet. Itaq; denarius diurnus est dictus, quod pro diurno labore penderetur. Cæterum oculus nequam hoc loco

Oculus nequam. pro inuido, & illiberali accipitur, idque phrasi Hebraïca, qui oculum bonum pro animo liberali, & benefico ponunt, & malũ pro parco, & inuidenti, quod oculus inuidi torqueatur ex conspecta alterius fœlicitate: vt sensus huius loci sit: An tu inuidia commoueris ob id quia ego bonus sum, & mea benignitas cruciat tuos oculos? His circa literam annotatis, ad mysticam parabolæ tractationem in secundum præfixum scopum deueniendum est. Itaque per

Applicatio parabolæ. parabolam significatur Deum esse veluti Patremfamilias, qui vineam habeat, Ecclesiam scilicet sanctorum, quæ in scripturis sæpius per vineam significatur. In quã vineam quoquo tempore nõ cessat vocare promissis præmiis operarios, qui eam excolant. Exco lunt autem eam, quotquot doctrina, aut vitæ exemplo alios ædificant, aut suæ saltem animæ curam gerunt, vt fructum bonorum operum edant. Per primo vocatos Iudæi designantur, qui & olim à Moysis tempore vocati fuerunt, & deinde etiam ante gentes Euãgelicam prædicationem audierũt; per eos autem, qui hora tertia, sexta, nona, & vndecima vocantur, gentes quas post Iudæos diuersis vicibus & temporibus non cessat, nec cessabit Deus vocare, quãdiu huius seculi dies fuerit, in quo licet operari. Quod autem primo vocatis certum præmium est promissum, cuius spe ad culturam vineæ accesserunt; his vero qui postea vocati sunt, non est certum præmium constitutum; sed dictum est, quod fuerit iustum dabo vobis: recte intelligitur significare Iudæos veluti planè mercenarios Deo seruisse, gentes vero magis illius cõfisas gratiæ quam Iudæos, propter quod etiam prælatæ Iudæis non suo quidem merito, sed solo Dei beneplacito significantur: dum nouissimi dicuntur à Patrefamiliâ: sic prælati primisti vt & reciperent ante illos mercedẽ, & mercedem longè excedentem laborem, cum illi tantum pactã, & debitam recipetent. Quanquam ergo in parabola nouissimi & primi eandem dicantur accepisse mercedem, nempe denarium: non tamen in re per parabolam significata intelligendum nouissimos, & primos eandem accepturos à Deo mercedem: sed hoc tantum intelligendum est significari quod dictum est; id vero quod non conuenit scopo intẽto omittendum est, tanquam tantum cõueniens ipsi humano exemplo. Non enim hi, qui in nouissimo die dicuntur ex primis futuri nouissimi, etiam erunt in sanctorum numero;

mero, sed reiecti foras, vt patet ex eo Lucæ loco vbi hæc sententia etiam ponitur. Sic & Matth. 5. is qui dicitur minimus futurus in regno cælorum, non vtique erit in gloria regni cælestis. Quod autem in parabola primi murmurant aduersum Patremfamiliâ ob gratiam nouissimis factam, significat Iudæorum æmulationem, & inuidentiam, qua & in principio inuidebant gentes præferri sibi, aut æquari in gratia Dei, & in nouissimo die indignè ferẽt sibi præferri gentes in fœlicitate: Deo tamen illis interim respondẽte, & manifestante gentes sua gratia, & benevolentia tanto præmio donatas; illis autem non esse cur quæratur, cum & ipsi acceperint quod ipsis promissum fuit. & cuius gratia Deo seruierunt. Hoc enim significat responsio Patrisfamilias: Quanquam autem dicta sit hæc parabola potissimum ad significandum gentes præferendas Iudæis: simul tamẽ in genere docemur, eos qui hîc primas partes tenere in Ecclesia Dei videtur, plerũq; futuros post temos in remuneratione, qui vero multorũ, & suo iudicio sunt nouissimi, tũc fore primos: vt & nos hinc discamus nosipsos deprimere, & diuinæ gratiæ necessitatem agnoscere. Hæc videtur genuina, & intentioni Christi accommoda parabolæ huius tractatio, cui benè conuenit, quod in fine additur à Domino:

Multi enim sunt vocati: pauci vero electi. Quo declaratur quomodo fiat, vt multi primi fiant nouissimi; nimirum quia etsi sint vocati, non tamen sunt electi: quemadmodum inter operarios vineæ non omnes vocati fuerunt sic accepti, & electi, vt visum fuerit Patrisfamilias suam in illos gratuitã munificentiam effundere. [Quoniam autem parabolæ plerequæ sic dictæ sunt à Domino, vt variis possint modis explicari, & varijs possint vsibus seruire, & quia scripturæ fertiles sunt, sub eisdem verbis varia vtiliter significantes: non est reijcienda communis illa parabolæ huius tractatio (erst primo, & præcipuo Domini scopo non ita conueniat) qua intelligitur significari hac parabola primos, & nouissimos eadem donandos fœlicitate, nec quicquam istis ob futurum quod nouissimi sint vocati, aut ideo illis melius futurum quia primi vocati fuerunt.]

Finis tertiæ partis commentariorum, quæ continet explanationem Capitum Concordiæ quadraginta vnius hoc est, Acta tertij anni Christi, vsque ad resuscitationem Lazari.

PARS

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARS QVARTA, ET VLTIMA.

Continens à resuscitatione Lazari ea, quæ ad Passionem, & Resurrectionem Christi pertinent.

Lazarus resuscitatur. Ioan. 11.

CAPVT CII.

ERAT autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte offendit quia lux non est in eo. Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit sed vado vt à somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos vt credatis quoniam non eram ibi sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam, quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam vt consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus sed & nunc scio quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia

resurget in resurrectione in nouissimo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et cùm hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio dicens: Magister adest & vocat te. Illa vt audiuit surgit citò & venit ad eum, nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam, quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes, Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria ergo cùm venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine si fuisses hic non esset mortuus frater meus. Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine veni & vide. Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci * facere, vt hic non moreretur. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat dixi vt credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum: quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.

Erat autem quidam languens Lazarus, &c. Incertum est an Bethania dicatur castellum, aut potius vicus Mariæ & Marthæ sororum Lazari, quod hæ fuerint vici, aut pagi huius domine, an quod illinc esset oriundæ quomodo & cap. 1. Ioannes Bethsaidam vocat ciuitatem Andreæ & Petri. Quoniam autem plures fœminæ erat nomine Maria, ne erremus in nomine, ostenditur quæ fuerit Maria, de qua loquitur, ex notissima actione. *Bethania castellum Mariæ, et Marthæ*

Maria, inquit erat *quæ vnxit Dominum vnguento, &c.* Verisimile est Euangelistam respexisse ad vnctionem, quam sequenti cap. eisdem verbis describit, vt dictum est in cap. Conc. 48.

Miserunt ergo sorores ad eum. Bene scilicet de eius benignitate ob familiaritatem confidentes. Quod enim non ipsemet Dominum accesse-

accesserint, effecit non contemptus, aut neglectus, sed partim fiducia ex ipsius perspecta benignitate collecta, partim quia a luctu, & cura fratris detinebantur. Nihil autem per eum, qui missus est præcantur, sed tantum fratris ægritudinem exponunt, dicentes tantum;

Ecce quem amas, infirmatur. Hoc ipso declarantes & quam reuererentur Dominum, & quantum de eius benignitate confiderent: vt quæ non dubitabant, quin pro sua in omnes humanitate, amico periclitanti succurreret, si vel tantum amici periculum resciret, & non rogaretur etiam.

Audiens autē Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortē. Quamquam mors secutura esset, dicit tamen eam non tendere ad mortem, siue quod mors illa non esset sibi mors, sed veluti somnus, siue, quod in idem redit, quia infirmitas illa non perductura erat Lazarum ad mortem talem, qualem sorores metuebant. *Sed pro gloria*, inquit Dei, idque explicans subiit; *vt glorificetur filius Dei per eam*, quo vel manifestè significauit se Deum esse, cum pro eo quod dixit, pro gloria Dei, explicando subijcitur, vt glorificetur filius Dei, aut si nomen Dei, cum dicit pro gloria Dei, accipiatur pro persona Patris, iam significatur saltem eandem esse Patris & filij gloriam, & proinde eandem etiam substantiam. Nam quorū est vna gloria, eorum necesse est eandem etiam esse substantiam. Porro hac responsione obscurioti Dominus & consolatus est missos nuncios, vt verbis eius confirmati abirent ad Lazari sorores, & præparauit animos discipulorum ad futuri miraculi magnitudinem, declarando se conscium eorum, quæ euentura erant. Ne autem quis existimaret Dominum tardasse accedere Lazarum, & annuere precibus sororum, quod parum eis esset affectus id excludere volens Euangelista subiecit;

Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius, & Lazarū. Ob eximias fcilicet eorum virtutes. Id vero & ob id rectè intelligitur additum ab Euangelista, ne putaremus iustorum infirmitates, diuinæ iræ semper esse indicia, nec quis grauatim ferret si etiam Dei amici morbo tenerentur, aut ad tempus videantur à Deo negligi. Postquam ergo Euangelista lectoris animum præmuniuit his verbis, subiungit:

Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco. In quo scilicet erat, duobus diebus: non quidem negligens amici periculum, sed expectans maius ædendi miraculi argumētum; vt scilicet eum tunc resuscitaret, quando nemo negare posset mortuū, nemo etiam eius resuscitationem sperarer. Sicut autem non quia non amabat, aut quod sibi timeret, sed propter maiorem gloriæ Dei illustrationem distulit adire ægrum: ita cum iam tempus erat ædendi miraculi, mox instituit iter in Iudæam, atque ad illud

illud suscipiendum præmonuit iā discipulos, cum id non ita alias fecisse legatur: vt quoniam veluti homo sibi metuens declinasset Iudæorum furorē, declararet modo se eos non metuere, ac ita propi dationem ex discipulorum suorum animis tolleret; ne turbarentur repentina abitione in regionem, quam timebant: ideoq; quāquam ad Lazarum resuscitandum pergeret, non dicit tamen in principio hanc suæ profectionis causam, sed

Eamus, inquit, *in Iudæam iterum*. Discipuli autē audito nomine Iudææ, ac ab illo, tum Domino, tum sibiipsis metuentes nondum enim acceperant Spiritum sanctum, quo & mortem contemnere possent, & dignam de Iesu habere opinionem, dicūt ei; *Rabbi, nūc quærebant te Iudæi lapidare*, &c. Verbis quidē præ se ferentes, quasi pro Domino solum essent soliciti, cum non minus sibi timerent.

Respondit Iesus; Nonne duodecim sunt horæ diei? Erasmus intelligit his verbis significari nondum adesse tempus mortis eius, iuxta id quod supra dixit apud Lucam; Hodie & cras oportet me operari, & tertia die cōsummor, vt perinde sit ac si diceret: Sicut dies suas habet horas, neque finem suum habet priusquam omnes impleantur, nec hominum arbitrio fit breuior, aut lōgior: ita & ego tempus habeo præscriptum, quo debeā negotium meū peragere, quod nullius malicia potest anticipari, ac proinde non est quod mihi metuatis. Huic intelligentiæ benè conuenit is sensus, quo in sequentibus, teste Theophylacto, quidam per diem intelligunt tempus ante passionem: vt intelligatur significasse Dominus non esse Apostolis periculum quandiu cum ipso in carne agerent, sed per eius præsentiam immunes fore ab omni iniuria: periculum autem illis fore cum ab illis ablatus fuerit, quando ab impijs multa mala passuri erant. Loquitur autem suo more Dominus allegoricè, per rerum corporalium similitudinem docens quæ erant suo proposito accommoda, & sic docens ea, vt tamen suis quibus vtitur generalibus sententijs etiam ea doceat, quæ nos instruant. Illud enim *si quis ambulauerit in die, &c.* Etiam hoc significat, quod alibi dicit. Qui sequitur me non ambulat in tenebris, &c. videlicet quod qui Christum spiritualiter, secutus fuerint secuti, liberi sint futuri ab offendiculis spiritualibus, nempe vitijs: quemadmodum Apostoli quandiu corporaliter cum ipso versabantur, eius præsentia ab omnibus malis corporalibus præseruabantur. Postquam autem hoc sermone Dominus Apostolis metū excussisset, aut mitigasset, aperit eis profectionis suæ causam dicens:

Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno, &c. Quibus verbis ostendit & necessarium esse suum in Iudæam aduentum, dum dicit, amicus noster, & non esse Apostolis metuendum ab ingressu Iudææ, quod non adiret eam ad prædicandum Iudæis,

eosque

eosque increpan lum, sed amici causa. Mortem autem vocat somnum, quod ab ea tanquam a somno mox esset Lazarus excitandus: vnde & omnium hominum mors in scripturis somnus vocatur, ob futuram omnium resuscitationem: ideoque tropicè potius quam apertè loqui voluit, vt ruditatem discipulorum suorum exerceret, & ad agnitionem potentiæ suæ excitaret. At discipuli præ ruditate non intelligentes, quod dicebatur, vt præ metu Iudæorum vndique venantes occasionem abscindendi causas profectionis;

Mors somnus.

Domine, inquiunt, si dormit saluus ergo erit. Nec opus est vt illius causa tu te manifesto ob ieias periculo. Solet enim in ægrotis somnus esse reditura sanitatis argumentum. Tum Dominus non seuerè quidem increpauit eorum in intelligendo tarditatem cum absurdum satis esset intelligere ipsum locutum de vulgari somno (nā quis itinere vnius diei proficiscatur, vt quempiam a somno excitet?) sed benignè aperuit, quod dixerat obscurius declarans nihil sibi esse incognitum:

Lazarus, inquit, mortuus est. Nec iam adiecit, vado vt resuscitem eum, modestiam scilicet vbique in verbis seruans, & nos seruare docens. Addidit autem:

Et gaudeo propter vos, vt credatis quoniam non eram ibi. Hoc est, propter vos gaudio me ibi non fuisse, vt credatis, hoc est, vt fides vestra in me confirmetur, crescat, & augeatur. Sic enim vt annotauit D. Augu debet hic exponi illud vt credatis. Nam alioqui iā credebant Apostoli, sed fides eorū augenda erat ex absentia Christi; primum quia audiebant eum nunciantem ea contigisse, quæ à nemine dicebatur. Deinde quia si Dominus adfuisset: aut nō fuisset mortuus Lazarus, sed cum Dominus mox curasset, aut si fuisset mortuus, mox eum resuscitasset; & non fuisset tantum miraculum, quantum iam fuit, cum quatriduanum resuscitauit. Dicente autem Domino ad Apostolos eamus ad eum; Thomas vides iam firmiter decretum esse Domino proficisci in Iudæam, dixit & ipse ad condiscipulos: *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Legendum enim est vt, & non & moriamur. &c. Si respiciamus verba Christi quæ Thomas repetit ex parte, apparet cum dicitur, moriamur cum eo, relatiuum eo, magis referre Lazarum, quàm Christum. Dixerat enim Dominus; Eamus ad eum Lazarum scilicet. Itaque cum infert Thomas, Eamus & nos, sensus est: Eamus & nos ad eū vt moriamur cum eo, scilicet Lazaro mortuo. Proinde non tantum diffidebat Thomas ipsos secundum Domini promissionem præseruandos ab offendiculo, sed & Lazarum posse a morte resurgere; quemadmodum postea præ aliis magis dubitauit de Christi resurrectione: vt vel ob id potissimum de Thoma Ioannes istud hoc loco commemorauerit, qui de eiusdem diffidentia circa resurrectionem

rectionem Domini peculiariter erat scripturus.

Venit itaque Iesus, & inuenit eum quatuor dies iā, &c. Quoniam dicitur Lazarus non tantū mortuus quatuor dies, sed deprehēsus habuisse quatuor dies in sepulchro, nec verisimile sit etiam ea die Lazarū fuisse sepultum, qua nuntius venit ad Iesum: recte Euthymius intelligit mortuū quidem fuisse ea die, qua nuntius Christū adijt, duos autem dies sepulture fuisse eos quibus Dominus mansit in quo erat loco, tertium quādo dixit discipulis; Lazarus mortuus est, quartum vero cum aduenit Bethaniam. Vt vt est, incertum est quo die mortuus, vel sepultus fuerit Lazarus: hoc certum, quod in monumēto quatriduanus fuerit, cum Dominus appropinquaret Bethaniæ. Hāc Euangelista dicit nō longè fuisse à Ierusalē, nempe duobus circiter miliaribus Italicis. Idq; ideo cōmemorat Euāgelista, vt indicet propter loci vicinitatē mortē Lazari iā facile cognitā fuisse in Ierusalē, & loci vicinitatē fuisse occasionē, vt multi ex Ierusalē conuenirent ad consolandum sorores mœstas. Deo ita disponēte, vt mors multis esset cognita, & miraculū multos haberet spectatores: nec posset aut mors, aut resuscitatio Lazari negari. Indicās ergo Euāgelista quorsum descripserit loci distātiā, subiūgit;

Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariā, vt, &c. Vnde satis apparet sorores has diuites fuisse & nobiles, multisque etiam ob virtutem charas. Porro quod Martha & prior audiuit ad uentum Domini, & nō admonita sorore illi occurrit: in causa esse potest, quod ipsa solita sedulitate, & solicitudine obambularet. Nam ideo de Maria dictū peculiariter videtur, quod domi sederit. Vnde cum ad eam primò delatus esset aduentus Christi, nō admonita sorore, siue quia festinabat præ nimia cupiditate videre Iesum, siue ne sorore etiam exeunte tumultū concitarent, qui ad cō solandū venerāt, sola occurrit Iesu flebilique, ac mœsta voce dicit;

Domine si fuisses hic, frater meus nō fuisset mortuus. q. d. Scio enim quod pro tua tum potentia, tum benignitate facile morbū dicto depulisses. His autē verbis etsi testaretur certā, & nō vacillantem fiduciam potentiæ, & bonitatis ipsius: tamen etiā declarauit nondum perfectā se de Iesu habere opinionē, vt quæ putauerit absentiā eius causam fuisse mortis fraternę, quasi non & absens curare potuisset, si voluisset. Nondum enim credidit esse Deum, se hominē, eximiè tamē alijs præcellētiorē, quod & patet ex his quę subijcit;

Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Nō enim dicit, facies quæ voles, sed quidquid poposceris, accipies, quasi ratione opus illi esset ad ædenda miracula, quemadmodum alijs sanctis hominibus. His autem verbis significauit se nec planè desperare fratris resuscitationem, nec tamē satis cōfidere futuram. Scio inquit & nunc quia quidquid poposceris impetrabis, etiam si mortuo, & sepulto vitam poposceris, sed vtrum petiturus sis

nescio, quia nec si petere conueniat, aut peti possit scio. Conceperat enim aliquam spem ex responsione Christi nuntio data: & tamen ob mortis diuturnitatem dubitabat, num fratris resuscitatio talis quid esset, quod peti posset, aut conueniret à Deo. Quoniam ergo imperfecta erat fides, & vacillans fiducia Marthę, vt & fidem eius perficeret & fiduciam confirmaret primum dixit ei;

Resurget frater tuus; Non dixit resuscitabo fratrem tuum: tũ in quod vbique Dominus vitaret sui ipsius iactantiam, ac modestiam, verborum sectatur; tum quia paulatim volebat animũ Marthę ad miraculi fidem, & spem exercere. itaque quia medium erat & ambiguum quod dixit, resurget, Martha, quæ quod misere, & trepide sperabat euenturũ etiam timebat ne non eueniret;

Scio, inquit, *quod resurget*, eo tempore, quo omnes resurgemus nempe nouissimo die. Verebatur enim ne quemadmodum nuntijs respondens morbum non esse capitalem, ambiguo responso fœlelliſſe videbatur: ita nunc quoque in illius dictis aliquid lateret, quod spem illius eluderet; vnde hoc suo responso veluti extorquere studuit, de qua resurrectione Dominus loqueretur. Iesus itaque quo paulatim ad maiora proueheret mulieris huius de se fiduciam, & opinionem, & solito suo more arripiens occasionem docendi spiritualia, propter quæ operabatur corporalia miracula;

Ego sum, inquit, *resurrectio, & vita*, hoc est fons & auctor resurrectionis, & vitæ. Non solum autem se resurrectionem dicit, sed etiã vitam: tum vt intelligamus eum non loqui potissimum de resurrectione communi etiam impijs, sed ea, quæ propria erit iustorum, & fidelium, quam supra cap. Ioannis. 5. vocauit resurrectionem vitæ: tum quia non tantum mortuis in se credentibus sit vitam largiturus in resurrectionis tempore, sed & in præsenti tempore vitam eis largiatur æternam. Proinde resurrectionem se vocat, & vitam, non quatenus Deus solum, sed quatenus Deus simul & homo. Sic enim fidelibus auctor est & in futuro seculo resurrectionis vitæ, & in præsenti vitæ spiritualis. Vnde volens declarare quod dixit, subijcit;

Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, morte scilicet corporali, *viuet*, non solum quia post mortem corporis viuet in anima fortiter, sed etiam quia tandem secundum corpus resuscitabitur ad vitam beatam, quæ sola verè vita est.

Et omnis qui viuit nilhuc in carne, & necdum mortuus est secundum corpus, *si credit in me*, non morietur in æternum, quia habet iam in se manentem vitam æternam, quæ per mortem corporis non eripitur, & qua fit vt mors corporis non tam mors sit dicenda, quam somnus, vt pote à qua homo sit resuscitandus ad vitam. Subiungit autem Dominus, *Credis hoc?* significans si quæ dicta sunt

sunt crederet, facile eam posse & fratris credere futuram resuscitationem, ac fide illam maximè impetraturam resurrectionem: quemadmodum fide in Iesum fideles consecuti sunt in nouissimo die beatam resurrectionẽ. Porro de fide sua requisita Martha cum non satis intelligeret sermonem Domini, & tota intẽta esset requisituro fratri: non admodum aptè respondit ad sermonem Iesu, sed tamen in genere professa est, quam magnificè de eo sentiret. Vtique inquit Domine, credo sic esse vt dicis. Credebat enim in genere ea vera esse, & si nõ perspiceret dictorũ intelligentiã. Et addidit; *Ego credidi quia*, id est, *quod tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*. Per præteritum dicit credidi, vt significaret se iam olim hoc credidisse, aut credidi, pro præsenti credo, positum est. Iam illud; Qui in hunc mundũ venisti, rectius versum fuisset, qui in mundum venturus erat, quemadmodum dictum est Ioan. cap. 6. Vbi cadẽ est oratio. Significare enim voluit se credere illum esse Messiã ipsum, qui iã olim à Iudæis expectatus fuit venturus in mundũ, hoc est, mundo exhibẽdus. Nostra autẽ litera sic est intelligenda: Ergo credidi te esse Christũ illum, qui cum iam dudũ fueris expectatus, iam à Deo missus venisti in mundum, hoc est, mũdo exhibitus es. Non enim est verisimile Martham tũ intellexisse, & credidisse Christũ venisse in mundũ, quomodo nos iam credimus: quia scilicet cũ prius fuisset in sinu Patris, assumpta humana natura hominibus, & mundo factus est visibilis: sed simpliciter quia mũdo esset exhibitus; vtpote quem necdum credidit esse Deum, quanquam filium Dei vocet, sed quomodo Iudæi crediderũt Messiam fore, & appellandum filium Dei, ob eximiam ipsius præ reliquis hominibus excellentiam.

Et cum hoc dixisset abiit, & vocauit sororẽ suam silentio, &c. Verisimile est Marthã iussam à Domino vocare sororẽ quanquã id breuitati studẽs prętermiserit Euãgelista. Id enim satis intelligendũ relinquit tũ ex verbis Marthæ dicentis, Magister vocat te, tum quod dicat Dominũ post abitũ Marthæ mãsisse in quo erat loco, vsque ad Mariæ aduentũ, nimirũ quod eã quã vocari iusserat, expectaret, Abijt ergo, vt iussa erat Martha (alioqui enim indecorè se a Domino subtraxisset) *et vocauit sororẽ suã silentiò*, hoc est clã ac suppressa voce (Græcè enim est κλάθ. i. clanculũ) proinde impropriè hic accipi debet silentiũ. *Dicens; Magister adest & vocat te.* Porro clã sororẽ vocauit Martha, forte ne circũsedẽtes Iudæi, quorũ plerosq; sciebat iniuriores Iesu, impedirẽt eã vt nõ accederet Dominũ. Vt ergo Maria audiuit sororis nuntiũ, surrexit subito, ac sine omni dilatione; vnde intelligere licet eã prius Domini aduẽtum ignorasse, & rursum quãto dilectionis feruore Dominũ prosequerẽtur, quæ neglectis omnibus Iudęis circũsedẽtibus eã cõsolationis gratia, celeriter ad Dominũ cõcessit, tanquã eum, qui se vnicè

posset consolari; venientsque ad eũ, non expostulat cum eo, quẽadmodum nec Martha, quod rogatus non venerit sanaturus, quem amabat: cum extraneos plerosque & ignotos lubens adire soleret, & sanitatis munere impartiri, nec aliquid remittit de solita reuerentia & honore: sed vt erat feruentior in dilectione quam Martha, nihil reuerita turbæ præsentiam, *cecidit ad pedes eius*, ad quos se quandoque peccatorum impetrasse remissionem meminerat: & vt luctus erat plena, lachrymabili voce nihil aliud, quam de ploratuit fratris, & suam calamitatem dicens quemadmodum Martha, *Domine si fuisses hic, frater meus non esset mortuus*; nec addidit alia cum Martha: forte quod lachrymarum copia vocem interciperet, & prohiberet vlterius proferre, quæ in animo habuit.

Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant, &c. Cum videret Dominus Mariam totam esse in luctu, Iudæos item, qui cum ea aderant, humanitatis, & compassionis affectu vna flentes, non reprehendit quidem eorum ploratum, sed nec philosophatus est cum Maria, quemadmodum cum sorore fecerat, cui semota turba fuerat colloquutus, neque quicquam pollicetur cũ iam tempus adesset te præstadi quod erat. Marthæ pollicitus, quã sorori indicasse verisimile erat quod à Domino audierat. itaque commotus & conuictus pijs Mariæ lachrimis, quę olim peccatorũ ab ipso impetrauerant remissionẽ, sese accingit ad miraculi perpetrationem, ac primũ quidẽ. *Infremuit spiritu, ac turbauit seipsum*, quibus verbis simplicissimum fuerit intelligere in se exctasse, & passum fremitum & turbationem quandam; datiuus autem τῷ πνεύματι, id est spiritu, reddendus per ablatiuũ, vel potest accipi vt sit instrumenti casus, & significetur Dominus per suum spiritum, aut spiritum sanctum infremuisse: vt intelligamus eum non inuitum passum huiusmodi passionem; sed sponte in se excitasse, & a recta ratione processisse; quod conuenit cum eo, quod sequitur; *Et turbauit seipsum*; vel potius accipiendus est hic datiuus spiritui vt significet partem in qua huiusmodi fremitus, & turbatio facta est, & sit sensus infremuit in animo suo, & in corde, sic tamẽ vt interiorem illam veram turbationẽ etiam externo gestu testaretur, hoc enim conuenit cum eo, quod insta dicitur, fremens in semetipso. Itaque quo intelligeremus fremitum hunc non fuisse fictum, sed ex vero animi dolore profectum, spiritu, & animo infremuisse dicitur; vt autem non putaremus eum inuitum huiusmodi affectionem passum, quemadmodum nos, additur, & turbauit seipsum, non autem & turbatus est. Cum autem fremitus indignationem quandam significet, & non simpliciter dolorem: rectè intelligitur Dominum hoc suo fremitu & turbatione commotum fuisse contra mortem, quę præsentis tristitiæ causa fuit, & contra eum qui mortis habet imperium, ac se huiusmodi affectionibus humano more veluti excitasse ad aggrediendum arduum opus quod imminebat, & expugnandum mortem, & mortis imperatorem, & authorem diabolum, alioqui insuperabilem, vt iam inciperet quod post in sua resurrectione perfectius, & postremũ in omniũ resurrectione erat impleturus perfectissimè, quando implendum est illud Oseæ; Ero mors tua ô mors; quemadmodum amicus aliquis videns dolorem amici cõmouetur indignatione, ac fremit contra eum, qui huiusmodi est author doloris; & indignatione tali, ac fremitu excitatur, & armatur contra illum, vindicare illum studens, & doloris occasionem auferre. Huic intelligentię benè conuenit quod Dominus fremendo, & turbando seipsum dixerit; *Osee 13.*

Fremitus & turbatio Iesu.

Vbi posuistis eum? veluti scilicet iam accensus, ac feruens ad resuscitationem. Interrogauit autem Dominus vbi positus esset Lazarus, non quod ignoraret, sed quod in plerisque se vt hominem verum gerere voluit, & vt ab alijs deductus ad sepulturæ locum veluti sibi incognitum à miraculo omnem fuci suspicionem secluderet. Dicunt ergo Maria scilicet, & Martha aut alij qui aderant cognatorum, & amicorum.

Domine veni, & vide; ac mox cum lachrymantibus simul & Dominus lachrymatus est, humanæ naturæ assumptæ veritatem astruens. Sicut enim tanquam homo infremunt spiritu, & interrogauit: ita & lachrymatus est, cum in manu haberet lachrymas cohibere, sed vt erat verus homo, ita oportebat eum etiam non esse alienũ ab humanę naturę affectionibus, inter quas est alterius, maximè amici commoueri lachrymis, & calamitate. Fuit & is fructus (præter alios), lachrymarum Christi, quod qui eas viderunt occasione earum magis admirati sint de morte Lazari, deque potentia Domini dubitauerint, ac disputare cœperint: sicque miraculum subsequens illis eo factum est admirabilius quo magis erat eis inopinatum. Vnde sequitur;

Dixerunt ergo Iudæi; Intelligentes nimirum lachrymas illas veræ dilectionis esse testes, vt certè erant, sed non intelligentes etiã ob alias causas dispensatorię Dominum lachrymari; *Ecce quomodo amabat eum*; vt qui cum sit vir constantissimus, eius mortem deploret, cum quo nulla fuit consanguinitate coniunctus. Erant autem quidam qui has lachrymas in calumniam verterent, dicentes:

Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt & hic non moretur? quasi dicerent; Si noluit hunc à morte præseruare, cur nunc lachrymis testatur in tempestiuum amorem. Si autem voluit: quomodo non potuit, qui præstitit, quod est difficilius?

Iesus ergo rursum fremẽs in semetipso. &c. Coniunctio ergo significate

ficare videtur Dominum iam occasione eorum, qui de potentia eius disceptabant, rursum infremuisse: quemadmodum prius infremuerat commotus lachrymis Mariæ, nisi placet coniunctionē ergo continuatiuè tantum hic positam esse, quōmodo ea Ioannes frequenter vtitur, & fremitus iste iam intelligatur factus in Domino propter sepulchri cui iam cœpit propinquare, vicinitatem, ob quam seipsum rursum ad miraculi patrationem accenderit. Id enim videtur Euangelista significare dicens; Rursum fremēs in semetipso venit ad monumentum, id est, sepulchrum, sic dicētū Latinis, quod nos moueat eius, qui mortuus est. Porro ad miraculi fidem, & præstigij suspicionem excludendam multum faciebat, & quod in spelunca repositus fuit Larazus (erat enim eius sepulchrum, spelunca) & quod lapis speluncæ superpositus. Iam quo certius esset miraculum, & magis ab omni præstigij suspicione liberum, quanquam posset non amoto lapide Lazarum resuscitare, lapidem tamen tolli iubet, nec eum aut suis, aut discipulorū manibus vult tolli, sed cognatorum, & amicorum, in quos nō cadebat vlla suspicio, quique percepto fœtore iacentis mortui, ac viso cadauere mortuo, certiores essent testes miraculi. Augebat miraculi certitudinem, & Marthæ sororis defuncti simplicitas, iam enim veluti oblita quid illi pollicitus esset Iesus, quidue de illo se credere asseruisset lapidis sublationem remorabatur dicens;

Monumētum vnde dictū.

Domine iam fœtet, quatriduanus enim est. Quibus verbis vt reuerentiam quandam prætendebat erga Dominum, cuius nares verebatur ne cadaueris fœtor offenderet: ita de miraculo futuro non se securam, & satis confidentem declarabat. Vacillātis itaque mulieris fidem Dominus obiurgatiuncula excitat dicens:

Nonne dixi tibi quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Verisimile enim est, quod & hoc illi Dominus dixerit, postquam dixisset se credere. Aut dixisse se hoc dicit, quod in verbis suprà commemoratis implicitè hoc significauerit, quando infirmitatem Lazari dixit fuisse progloria Dei, & deinde prædixit Lazarum resurrecturum, idque se præstare posse si adsit fides. Exclusa ergo Marthæ interpellatione, astantes secundum Christi præceptum tulerunt lapidem, suspensi animo ad rei euentum, & cupidi cognoscere quid euenturum esset.

Iesus autem eleuatis sursum oculis dixit, Pater gratias, &c. Omnium animis & oculis suspensis ad nouæ rei miraculum, Dominus & in cælum sustulit oculos, & cum Deo Patre palam est collocutus: vt duplici hac ratione omnibus declararet cuius virtute miraculum hoc operaturus esset, ne præstigij aut magiæ suspicio apud aliquem resideret, simulque nos doceret, quidquid magnificum geritur à nobis, ad Deum autorem oportere referri. Non orat autem pro ædendo miraculo, sed ante ædituum miraculum gratias agit

agit, quod alij facturi erant post æditum miraculum. Si enim orasset, videretur non habere in sua potestate, aut necdum certus esse de Dei voluntate: ipsa autem gratiarum actione, & rectum se fuisse declarat de rei euentu etiam diu priusquam miraculum ædiretur, & diuina se illud facturum virtute ostendit. Dicit ergo;

Pater gratias ago tibi, quoniam exaudisti me, hoc est, quia cū vellem Lazarum resuscitare, & tu quoque voluisti illud per me fieri. Voluntatis enim idemtatē significauit per hoc quod dixit, ex audisti me: eum non dictū sit eum pro hac resuscitatione orationem aliquam fudisse ad Patrem, sed dispensatorio huiusmodi sermone significare voluit à Deo proficisci quicquid faceret. Ne autem quia gratias nunc agit pro exauditione sui videretur hoc ei nouum esse, ac temporarium, subiecit:

Ego autē sciebā quia, id est, quod *semper me audit*, quo significat adeo se non esse Deo contrarium, vt in omnibus vna sit illi, eadēque cum Deo voluntas, & quidquid ipse velit, etiam Patri per illū fieri velit. Hoc est enim, semper me audis. Exclusa ergo suspicione, quæ incidere poterat ex gratiarum actione, subdit causam huiusmodi gratiarum actionis, humiliumque verborum:

Sed propter populum qui circumstat dixi, illud gratias *tibi ago, vt*, credant quod à te sim profectus, & tu me misetis in mundum, idque credentes verbis meis fidem habeant, & saluentur. Ecce quare Dominus sese submittit frequenter, & humilia de se loquitur, nempe propter fidem hominum, qua saluentur. Non enim ita respexit ad suam dignitatem, atque ad nostram salutem. Cum autē orātis forma accepta sese Patri submisisset, mox authoritatem suam, & potestatem ostendit. Vnde sequitur.

Hæc cum dixisset, voce magna clamauit Lazare veni foras. Non enim dicit, in nomine Patris mei veni foras, sed absolutè imperando, veni foras. Voce magna clamauit: tum vt vox correspōderet magnitudini operis, & vox magna magnę esset virtutis indicium, tum vt nulla posset calumnia verbis secretò dictis tanquam magicæ artis inseri, sed omnes, qui præsentes aderant audirent hanc autoritatiuæ potestatis iussionem. Deinde vt ostenderet se animam vocare non tanquam præsentem, sed procul absentem, sicque eorum refelleret errorem qui animas mortuorum circa sepulchra manere existimabant. Compellat autem mortuum proprio nomine, nec dicit reuiuisce, sed veni foras, loquens scilicet ei vt viuenti, & dormienti, ac ita reipsa declarās quod prius dixit, vado vt à somno excitē eū, ideoq; magna voce inclamauit, veluti scilicet alloquēs eū, qui profundū somnū dormiret. Itaque secundum iussionē Domini, non tantū reuixit, qui mortuus fuerat, sed & statim prodijt è sepulchro, idq; ligatus manus & pedes insitis. i. fa-

scijs sepulchralibus, & facies illius sudario erat obuoluta pro more sepulturæ apud Iudæos. Multa ergo hic simul cõcurrerunt miracula. Primum quod mortuus, & tandiu mortuus sola vocis virtute vitam recepit. Deinde quod perfectæ etiam sanitati restitutus absque humano adminiculo è sepulchro prodijt. Posttremum quod manus & pedes ligatos habens, & facie sudario recta prodijt, quod etiam sanum hominem prodire vetaret. Non tamen solum propter magnitudinem miraculi factũ est vt prodiret ligatus, sed etiã & potissimum ob certitudinem miraculi, ne scilicet quemadmodũ de cœco nato dixerant, & nunc dicerent alium esse qui prodijt ab eo, qui sepultus erat: sed omnes agnoscerent hunc ipsum esse, quem ante triduum quidam eorum tali cultu sepelierant. Ob eãdem causam, nempe ad astruẽdam magis miraculi certitudinem, & nequid deesset ad plenissimam miraculi fidem, non ipse vincula dissoluit, cum efficere posset, vt suapte sponte vincula dissoluerentur, sed astantibus, iubet eum soluere, vt hi etiã tactu probarẽt miraculi veritatem, & omnibus modis suspitio fuci excluderetur, ideoque & vult eum abire, vt motus, & alacer incessus ostenderet hominem etiam valere, non solum viuere, nec vitam ei ad momẽtum restitutam, sed vt iam sic viueret, quomodo priusquam moreretur. Cæterum autem hoc miraculum non caruit etiam magno fructu. Sequitur enim;

Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, &c. crediderunt in eum, hoc est crediderunt eum esse expectatũ Messiam. Is ergo secutus est fructus, quẽ Dominus spectauit dicẽs, vt credant quia tu me misisti. Quod autem sequitur; *Quidam autem ex ipsis abierunt*, hos fuisse diuersos à credentibus, ac accessisse Pharisæos, quod nec dum tanto viso miraculo bene affecti essent Iesu, ex eo satis constat, quod cum prius multos Iudæorum dicat Euãgelista credidisse, nunc quosdam ex Iudæis dicit abijsse ad Pharisæos: significans istos fuisse paucos comparatione eorum, quos in Christum credidisse dicit.

Consultant Pharisæi de perdendo Domino Ioannes 11.

CAPVT CIII.

COLLEGERVNT ergo pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eũ sic, omnes credẽt in eũ, & venient Romani, & tollet nostrũ locũ & gẽtem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetauit quòd Iesus moriturus erat pro gente. & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Iesus ergo iã non in palàm ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum istum? Dederant autem pontifices & Pharisæi mandatum: Vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium. Cum pro tam euidenti diuinæ virtutis declaratione omnes meritò Iesum admirari, extollere, & colere, ac Deum glorificare deberent, & ante omnes ipsi Pontifices, id est, Principes sacerdotum & Pharisæi, qui ateem religionis & pietatis in Deum sibi vendicabant, contra euenit, vt hi inuidiæ stimulis acti non amplius iam sibi temperarent, sed colligerent concilium, seniorum scilicet, & eorum ad quos populi pertinebat gubernatio, ac consultarent inter se quomodo gloriæ Iesu, & periculis, quæ hinc stultè simul, & impiè euentura opinabantur, possent occurri, & dicebant;

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, &c. Vbi illud, quid facimus? bifariam accipi potest. Aut vt intelligantur seipsos arguere de longiore mora occurrendi imminentibus periculis. Aut vt intelligantur quærere de eo, quid faciendum restat, vt præsens facimus, pro futuro faciemus positum sit, hoc sensu; quid suadetis faciendum, quid superest vt faciamus? Contemptus autem fuit, quod dixerunt hic homo. Non enim eum dignabantur nomine Prophetæ, sed nec proprij nominis appellatione. Porro sequentibus verbis prætexunt se pro totius populi salute solicitos esse, & videri volunt hoc negotium ad incolumitatem totius populi pertinere: cum re vera priuati commodi respectus, & inuidiæ, ac superbiæ morbus eos ageret in rabiem aduersus Iesum.

Si, inquiunt, dimittimus eum sic, hoc est, si patimur eum pergere ea ratione, qua cœpit, futurum est vt quemadmodum nunc multi in eum credunt, & magnificè de eo sentiunt, ita mox omnes credant in eum, hoc est, credant eum esse expectatum Messiã Regem Iudæorum. Id vbi euenerit: Romani, quibus iam subiecti sumus, venient cum exercitu contra nos, audientes scilicet Iudaïcam gentem desetto Cæsare, proprium aliquem Regem profiteri, & sequi, & sæuientes in nos tanquam rebelles, *tollent nostrum locum &*

cum & gentem, id est, locum hunc sanctum, occupabunt, & gentem nostram alio transferent. Aut potius, tollent nostrum locũ, & gentem, hoc est euertent, & perdent nostras ciuitates, & totũ Iudaicum genus internecione delebunt, hoc enim significat dictio Græca inter alia.

Vnus autem ex ipsis Cayphas nomine, &c. Cum qui in cõcilio aderant inter se consultarẽt, & hinc inde à diuersis diuersa proponerentur, ac quidam, vt est verisimile, ab occidendo Iesu dissuaderent, quod iustam causam non inuenirent (tales enim fuisse omnino apparet ex verbis Cayphæ) is qui Pontifex erat anni illius, & ob id concilio præsidebat, ac cæteris tunc temporis præminebat authoritate: pro sua authoritate inuerecundè, & magno supercilio liberè increpat aliorum ignauiam, stuporem interpretans quod in consultationem venire sinerent, quid faciendum esset, ac lentis concilijs adhuc deliberarent nũm Iesus esset occidẽdus, ac pronuncians nulli dubium esse debere, quin expediat vnum aliquem hominem quo iure, quáue iniuria perire, ne tota gens excinderetur.

Vos, inquit, *nescitis quicquam, nec cogitatis*, quod expedit nobis (sic enim Græca habent, & Latini quidam scripti codices) *vt vnus moriatur homo pro populo, & sic non pereat tota gens.* Dicit autẽ Euãgelista Cayphan illud dixisse cum esset, vel quia erat Pontifex anni illius, siue significare volens illum ratione pontificiæ authoritatis suæ ausum fuisse tam liberè aliorum increpare incogitantiam, siue ad notandum & exaggerandum magis illius impietatẽ: qui cum debuisset cæteris omnibus fuisse religiosior, & omniũ maximè abhorruisse à cæde innocentis, cæteris omnibus reperitus est magis impius, non dubitans pronunciare illum etiam occidendum, in quo nullam iustam causam mortis reperiebãt. Porro alia de causa eandem illam particulam, cum esset pontifex anni illius, reperit cum subijcit:

Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni, &c. Hic enim significatur causa, ob quam per hũc Spiritus sanctus prophetare delegerit. Cæterum Euangelista dicit Caypham non dixisse illud, nempe quod expediret vnum istum hominẽ mori pro populo, à semetipso: quia quatenus hæc verba veritatem continebant non dixit ea à seipso, sed actus, & motus à Spiritu sancto: quãuis secundum sensum quem ipse Cayphas in eis verbis intellexit, dixerit ea à seipso. Non enim intellexit Iesum sic moriturum pro populo, quomodo per ipsum hoc Spiritus sanctus significare voluit, nẽpe quod Iesus moriturus erat pro gente Iudaica scilicet:

Et non tantum, inquit, *pro ea gente, sed vt & filios Dei qui erãt dispersi*, hoc est electos ex Gentibus per vniuersum orbem dispersos, & per varios errores ac vitia, longè à Deo segregatis congregaret in

in vnum, hoc est, vnam sibi Ecclesiam, & vnum populum faceret ex Iudæis, & gentibus credentibus. Cæterum quàm efficax fuerit hæc sententia Cayphæ docet Euangelista subijciens:

Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. Vbi pro cogitauerũt, rectius dictio Græca ἐβουλεύσαντο, decreuerũt aut statuerunt quomodo vertit Interpres Euthymij. Nostra autem litera sic est intelligenda; Ab illo die firmiter, & ex decreto cogitauerunt illum interficere: vnde & processit mox illud mandatum de quo sequitur vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Iesus ergo non iam in palam ambulabat, &c. Cum Iudæorũ concilium iam firmiter decreuisset illum occidere, Dominus, quem non potuit latere illorum decretum, sciens necdum adesse tempus quo pro omnium salute occideretur: tanquam homo humano modo sibi consulit, ac hostium furori cedit: docens nos suo exemplo & licere iusto sese subtrahere fugâ è persecutionibus, & impiorum furori cedendum, si forte hac ratione eorum interea furor conquiescat. Non ergo iam Dominus palam ambulabat apud Iudæos, sed e Bethania abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur, hoc est, mo- *Ephrem*
ras aliquas trahebat & versabatur cum discipulis suis. Desertum autem iuxta quod fuisse dicitur hæc ciuitas (quæ alias nunc Ephraim, nunc Ephron dicitur) verisimile est esse illud desertum, quod alibi in Euangelijs dicitur desertum Iudeæ, iuxta Iordanem, vt intelligere hinc liceat ciuitatem istam non longè fuisse à Iericho, & verisimile omnino fiat ex hac ciuitate Dominum per Iericho & Bethaniam ascendisse in Hierusalem, cuius ascensus in sequenti cap. Conc. meminerunt Euangelistæ. Sequitur apud Euangelistam:

Proximum autem erat Pascha Iudæorum. Quo vt sequenti narrationi viam præstruit, ita significat præcedentia non diu con- *Pascha Iudæorũ.*
tigisse ante Pascha, nec diu Dominum latuisse in Ephrem. Bene autem dixit, Pascha Iudæorum, siue quod iam desineret esse Pascha Domini, siue ad differentiam Paschæ Christiani notum, quod tunc celebrabatur à Christianis, cum hæc Ioannes scriberet. Itaque ob imminentem Paschæ festiuitatem multi ex vniuersa illa regione Israëlitarum, *ascenderunt Hierosolymam ante Pascha, vt sanctificarent seipsos*, hoc est, vt à contractis secundum legem immunditijs sese purgarent cerimonijs, & sacrificijs iuxta legis præceptum adhibendis, seseque orationibus, ac sacrificijs præpararent ad dignam Paschæ celebrationem. Pascha enim non nisi mundi poterant manducare. Cum ergo multi purgationis gratia in Hierusalem ante Pascha conuenissent, & audirent eximiũ illud miraculum in Lazari resuscitatione

Universidad de Deusto Biblioteca

tatione Iesum fecisse *quarebant eum* cupidè, & quoniam non aderat solito suo more (nam ex verbis eorum intelligi datur Dominum etiam solitum ante aliquot Paschæ dies conuenire in Hierusalem) colloquebantur *inter se stantes in templo*, in quo scilicet eum inuenire, & audire solebant docentem, & dicebant; Quid putatis in causa esse quod non venit pro more ad diem festum hunc? Nõ videntur autem hi maleuoli fuisse erga Christum, sed miraculi quòd tunc in Hierusalem celebrabatur magnitudine permoti, cupidi fuerunt videndi Iesum: vnde cap. sequenti dicit Ioannes turbam illam multam quæ venerat ad diem festum miraculo illo commotam processisse obuiam Iesu ingressuro Hierusalẽ. Subijcit autem quomodo turbis cupidè Dominum requirentibus, & de eius absentia solicitis *Pharisæi*, & *Pontifices*, qui præ alijs magis se præparasse futuræ festiuitati debuissent, in hoc vnum incumbebant, vt quod decreuerant adimplerent. Itaque quoniam videbant Dominum non prodere solito more, & existimabant eum alicubi metu latere, dederunt mandatum, vt quisquis cognosceret vbi esset, indicaret, vt missis ministris apprehenderent eum, & occiderent: his ritibus scilicet sese præparantes ad festo, sed inscientes procurantes salutem omnium, & noui agni Paschalis immolationem.

Mortem suam prædicit, & Zebedæi filijs primatum petitum denegat. Matth. 20. Mar. 10. Luc. 19. CAPVT CIIII.

ERANT autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant. Et ascendens Iesus Hierosolymam assumpsit ✶ duodecim discipulos secretò, & assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei ventura, & ait illis: Quia ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis, tradetur enim filius hominis principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus, & condemnabunt eum morte, & tradent eũ gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & postquam flagellabi tur & occident eum, & tertia die resurget. Et ipsi nihil horũ intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo: Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuã, & vnus ad sinistram in regno tuo.

✶ *. autẽ Iesus
† *. & filius hominis tradetur.
▷ b. *. dã bis.
b *. & illu
‖ c. *. & illu
† occidet' eum
† occident' eum
† *. interficient.

Quæ

Quæ Matthæus matrem nomine filiorum petisse dicit, Marcus filios petisse scribit hoc modo:

ET accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, vt quodcunque postulauerimus facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis vt faciam vobis? Et dixerunt: Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Respondens † * autem Iesus dixit' eis: Nescitis quid petatis. potestis bibere calicẽ quẽ ego bibo? aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At ▷ dixerunt ei: Possumus. Iesus autẽ ait eis: Calicẽ quidem meũ quẽ ego bibo, bibetis: & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autẽ ad dexteram meã vel ad sinistrã, non est meũ dare vobis sed quibus paratũ est à patre meo. Et audientes decẽ, indignati sunt de duobus fratribus Iacobo & Ioanne. Iesus autem † vocauit eos ad se, & ait illis: Scitis quia ▷ hi qui videtur prin cipari gentibus, dominantur eis, & qui † Maiores sunt eorum, potestatem ▷ exercent in eos. Non ita autem erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos fieri maior † erit vester minister. Et ▷ quicunque voluerit in vobis primus esse, erit † omnium seruus: ▷ nam & filius hominis non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

† *. Iesus
† *. libitus sum.
▷ *. dicũt
‖ *. & † b. vorãs.
▷ *. principes gentium.
‖ *. *. eorũ † b. *. principes
▷ b. *. habẽt eorum
B. 9. 70.
‖ b *. est in vobis † sit
▷ *. *. qui
‖ *. *. inter vos
† *. vester
▷ *. sicut
‖ *. *. ministrari, sed ministrare, et dare

Erant autem in via ascendentes Hierosolimam. Cum iam tempus adesset, qu secundum patris decretum pro hominum salute mortem pateretur, Dominus qui ad tempus latuerat, quo declararet se non metu mortis latuisse, sed quod tempus patiendi nondum impletum esset, cum suis ascendit Hierosolimam veluti ob Paschę celebrationẽ, sed reuera vt nouum Pascha ibi instituret, seipsum prębens immolandum. Et quoniam videbat Apostolos & sibi, & ipsismet metuere a Hierosolyma, ac segniores esse in hoc itinere: ipsemet illos in via præcedebat, cum alias Apostoli, saltem aliquot solerent præcedere, aut ab ipso præmitti: tum vt ostenderet ipso gestu corporis se non metuere, aut declinare mortem, sed promptũ esse & alacrem ad perficiendum Patris voluntatem: tum vt suo facto discipulis animum adderet, metumque eis excuteret. At hi videntes eum tãta animi constantia & promptitudine pergere ad locum, in quo adhuc in Galilæa existens, prædixerat eis se multa passurum, & occidendum: in quo iam etiam intellexerunt cõmuni decretum consilio vt occideretur; *stupebant*, hoc est, vehementer admirabantur illius animum quod se volens, & sciens in manifestum vitę periculum conijceret: *& sequentes eum timebant sibi*, ne per illum venirent & ipsi in commune periculũ. Cum autem facto suo Dominus & suam ad mortem subeundam voluntariam promptitudinẽ declarasset; & discipulorum animos, quantũ in se erat,

erat, confirmasset: idem etiam & verbis egit. Cum enim in via esset ad Hierusalem é reliqua turba, quæ illum comitabantur: *assumpsit ad se secretò*, id est, *seorsum duodecim discipulos suos*, eisque solis prædixit iam tertiò ventura sibi in Hierusalem, vt intelligerent clarissime ipsum omnino voluntarie passurum, nec quicquã ei inopinatum euenturum, illorumque animi contra imminentia mala munirentur & confirmarentur: ac cum viderent omnia euenisse, quæ se passurum prædixerat, certius etiam futuram eius resurrectionem expectarent & crederent. Solis autem discipulis hæc seorsum aperit: tum quod hi ei essent familiariores, atque in fide, & dilectione firmiores, qui proinde huiusmodi prædictione minus poterant scandalizari, tum quod hi delecti erant, vt primi testes postea essent eorum, quæ ad tempus erant celanda: nec testes modo, sed vt imminentis huius tempestatis aliqua ex parte essent participes: Dicit ergo,

Ecce ascendimus Hierosolymam, q. d. Modo aduenit tẽpus de quo dudum vobis prædixi. Aduerbio enim Ecce, excitat eorũ animos ad animaduersionem eius, quod animus eorum pœnitus infixum esse volebat. Additur autem apud Lucam,

Et cõsummabitur omnia quæ scripta sunt per Prophetas, &c. Quo & rationem, & necessitatem suæ passionis aperit, nempe vt impleantur scripturæ Prophetarum, vt sic minus mirarentur, & turbarentur. Deinde in specie explicat quæ sint illa, quæ secundum scripturas passurus est, & quo ordine sit ea passurus. Primũ enim Iudæis se dicit tradẽdum, nec dum tamen explicans, quod ab vno Apostolorum sit tradendus. Id enim in vltima cœna dicendum reseruauit. A Iudæorum autem primoribus se dicit condemnandum morte, quod tunc impletum fuit, quando in atrio Cayphæ Pontificis concordi sententia clamauerunt: Reus est mortis. Hinc se ab his tradendum dicit gentibus, Pilato scilicet, & satellitibus eius Romanis, vt per hos mortis fiat executio, quę per Iudęos iam fieri non poterat.

Tradent, inquit Matthæus, *eum gentibus ad illudendum, &c.* & flagellandum, & crucifigendum quorum tertium scilicet crucifixio fuit petita à Iudæis, duo autem prima scilicet illusio, & flagellatio fuerunt effectus subsecuti traditionem Iudæorum, nõ autem procurati ab eis: & proinde propositio ad, in duobus illis prioribus denotat consecutionẽ affectus, non intentionem tradẽtium Principum & Scribarum. Vnde Matthæus, & Lucas, quæ secuta sunt traditionem Iudæorum sic explicant.

Et illudent ei, Gentes scilicet, *& conspuent eum, & flagellabunt enim*, & postquam flagellauerint, occident eum. Ne autem nimis deijcerentur & tristarẽtur ob mortem prædictam, & vt cum viderent euenisse quæcunque secundum scripturas se passurum prædixit, etiam mox à morte se resurrecturum prædicit. At discipuli quantumuis apertè ac frequenter Dominus suam illis mortem prædiceret: tamen, vt hic rursum Lucas testatur, *nihil horum intellexerunt*: vt certè pro illo tempore nihil eorum intelligi facile potuit: quod quomodo sit intelligendum dictum est in Cap. Conc. 69.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedei cum, &c. Cum Matthæus dicat matrem rogasse Dominum, Marcus ipsos filios, quos cum matre accessisse testatur Matthæus, scribit hoc ipsum otasse, quod ipsorum instinctu & suggestione mater Dominum orauerit, vnde per eam ipsi potius dici poterãt otasse quam mater: quare Dominus non matri respondet, sed filijs. Verisimile autem est hos fratres matrem subornasse, quæ eorum nomine Dominum oraret, quod illa inter eas esset mulieres (Sororem enim Matris Domini fuisse non constat) quæ Domino seruiebant, & ministrabant de facultatibus suis, & securæ cum fuerant de Galilæa: vnde sperabant hac ratione illius præces non facile passuras apud Dominum repulsam. Hæc itaque à filijs instigata tunc, hoc est, postquam dixisset Dominus se tertia die resurrecturũ, *accessit Dominum cum filiis suis adorans eum*, hoc est, inclinato corpore reuerentiam ei exhibens *& petens aliquid ab eo*, cum ipso corporis habitu, tum etiã verbis, quibus imprimis in genere petiuit exaudiri in re aliqua, quam erat postulatura. Id autem quomodo nunc factum sit explicat Marcus, qui filios in ipso accessu dixisse commemorat:

Magister volumus, id est, desideramus à te, *vt quodcunque petierimus facias nobis*. Dominus autem veluti nõ negaturus quidquid peteret cum filijs. *Quid*, inquit, *vultis* id est, petis, ipsa interrogatione particularem extorquens petitionis explicationem, quam deinde re darguere posset. Interrogata itaque à Domino, quid postularet, respondit, *dic*, id est, præcipe, *vt in regno tuo*, quod instare scilicet intelligimus, *sedeãt hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram*, hoc est, primi post te, & ante alios, quibus & ipsis tecum sedere promisisti.

Respondens autem Iesus dixit eis: Nescitis quid petatis, &c. Et si non tantum crassa, & carnalis, sed & ambitiosa esset discipulorum postulatio: Dominus tamen sua mansuetudine illorum imperfectionem tolerans, nihil aliud quam ignorantiam illis obiecit. Dicit autem eos nescire, quid peterent, tum quod non haberent cognitionem rei, quam petebant, ignorabant enim qualis esset, & quando futurum regnũ Christi, & quid esset in illo regno sedere proximum Christo tũ quia ignorabant quomodo ad consortium regni Christi, & præeminentiam in illo peruenirí posset: cum putarent illam Christum pro suo arbitrio his concedere

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere posse, quibus vellet; & qui ipsi essent familiariores & magis dilecti, quemadmodũ contingit in regnis mundanis. Vnde vt ab hac imprudenti ambitione animos eorum reuocaret, & admoneret quid tum illis potius cogitandum esset, & qua ratione ad consortium regni ipsius peruenirent, rogat *num possent bibere calicem, quem se bibiturum* prædixit priusquam resurrecturus esset, & fœlicis ter regnaturus: intelligens per calicem, Hebraica phrasi, suppliciũ quod sibi a Patre paratũ erat aditurus. Frequens est enim in scripturis hæc metaphora, qua per calicem, aut potionem calicis, hoc est ad mensam vini potionem, certa cuiusque sors a Deo homini parata siue bona, siue mala significatur. Hunc ergo loquendi morem scripturis familiarem secutus Dominus, & hoc loco, & postea aliquoties passionem suam, & mortem, quam ex Patris decreto subiturus erat, calicem vocat, dicitque modo: *Potestis*, hoc est, sentitis ne vos fortes satis, & paratos, vt bibatis calicem, quem ego bibiturus sum? hoc est, vt talia patiamini, qualia me pati oportet ex Patris decreto? Cæterũ quod per calicis potionẽ allegorice Dominus significauit, idẽ & alia allegoria significat subiungens: *Aut potestis baptismo quo ego baptizor...* tamiã sum baptizãdus, & baptizari paro, etiã vos baptizari? Baptismũ enim rursum suã passionem vocat, quemadmodũ & Lucæ 12. vbi causã huius metaphoræ est explicata. Interrogati autẽ discipuli mox respõdent: *Possumus*. Vetuli mile est eos intellexisse quidẽ vtcunque tropũ Dominũ vulgarem, maximẽ quia de sua passione, quæ resurrectionẽ præcessura erat, mox præmiserat: nimia autem consequendi quod optabant auiditate, sicut stulte postulauerant, ita etiam temerè de se pollicitos, cum sibi nondum satis essent noti, imò mox prius experti essent quàm metuissent cum Hierusalem iter Dominus institueret. Audita autem eorum responsione, Dominus pro solita sua clementia sicut supra non infectatus est eorum ambitionem; ita nec modo reprehendit eorum in polligendo temeritatem, nec obiicit eis sibi cognitam eorum infirmitatem, & tumiditatem, sed amplectitur eorum promptitudinẽ, quæ & si necdum erat in ipsis vera, qualem illi de se pollicebantur, tamen suo tempore vera erat futura, vnde subijcit:

Calicis nomine quid significatur.

Baptismũ vocat sua passionem

Calicem quidem meum bibetis, & baptismo quo baptizor bap. &c. hoc est, talia pro veritate, & gloria Dei patiemini, qualia ego mox passurus sum. Iacobũ enim, vt Actorũ testatur historia, occidit Herodes, Ioannes autẽ cum reliquis Apostolis flagellatus est a Iudæis, vt eadem narrat historia, & a Domitiano Romæ missus est in dolium feruentis olei, ac deinde cum ab eo saluus processisset, relegatus est in exilium in Pathmos insulam. Bibit ergo & ipse calicem Domini, quamuis propria morte in Epheso mortuus sit. Neque enim calix Domini mortem tãtum significat, sed passionem

nem, & afflictiones: quanquam & Ioannes dum dicta pro Domino pertulit mala, declarauerit satis fuisse sibi animum moriendi etiam pro Christo, imò se voluntate fuisse occisum. Cum autem his auditis sperarent filij Zebedei se audituros etiam, quod optabant, subiecit Dominus contra quam audire desiderabant;

Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis. Non voluit his verbis significare Dominus Iacobũ & Ioannem exclusos esse à sessione à dextris, & à sinistris, alios vero esse quibus illæ sedes sint paratæ: sed absolutè dicit non esse suum dare, quod petebatur; quod tamen debet intelligi in hũc sensum: Non est meum dare quemadmodum vos putatis esse in manu mea, vt scilicet pro libito dare possim ratione consanguinitatis, aut familiaritatis. Quoniam enim illi putabant Christo liberum esse more Regum huius mundi præferre alijs, & exaltare in regno suo, quos vellet: Dominus quo ostenderet & consortium regni, & præeminentiam in regno suo non contingere pro humano beneplacito, sed pro diuino, ac proinde iusto; nec restare vt iã de nouo illa aliquibus addicantur, sed iam olim immutabiliter quibusdam esse parata: asserit non esse suum dare, quod petebatur, sed illud eorum esse, quibus nõ adhuc erat parãdum, sed iam erat paratum. Itaque & nostra litera, in qua additur vobis, sic est intelligenda; Non est quemadmodum vos putatis, meum dare vobis, aut quibuslibet etiam alijs, sed illis continget, quibus paratum est.

Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus, &c. Sicut duo fratres carnaliter petierunt: ita & reliqui decem carnaliter indignati sunt de petitione illorum, quod scilicet peterent præponi alijs, cum cæteri non minus primatum ambirent, eumque sibi quisque speraret. Dominus autem sicut solita sua mansuetudine tolerauit carnalem fratrum petitionem; ita & cæterorum carnalem indignationem, non seuerè est insectatus, quanquam etiam supra, ipsis similiter de primatu inter se contendentibus, humilitatem sectandã satis docuisset: sed vt suos ab ambitionis malo liberaret, ex quo processit & duorum fratrum postulatio, & cæterorum indignatio: conuocatis reliquis decem ad se (intelligendum enim hos paulisper elongatos à duobus fratribus, qui cum matre Dominum accesserant) omnibus eodem pharmaco, medicinam admouet, admonens eos modestiæ, idque exẽplis duobus inter se diuersis. Itaque proponit eis exemplum, quod imitari non debeant dicens:

Scitis quod Principes gentium dominantur eorum, pro, eis, hoc est, dominium exercent in eas, velut dominos se gerunt, populi subditi, timorem, honorem, & obedientiam ab eo requirentes in omnibus, quæ pro libito statuunt, suamque vtilitatem, & com-

modũ a subditis sibi veluti à seruis querẽtes. *Et qui maiores sunt eorũ*, pro qui magni, vel magnates sunt inter eos, *potestatẽ exercẽt in eos*, hoc est vtũtur in illos imperiose sua potestate præcipiendo quælibet, & ad ea exequẽda cõpellendo. *Non ita erit inter vos*, qui scilicet ad regni cælestis consortium, & præeminẽtiã in ipso vocati estis. Non autem simplex potestatis vsus his verbis prohibetur Apostolis (cum & ipsi suam potestatem exercuerint in subditas sibi oues) seu vsus potestatis pro libito ferè, ac cum quodam fastu, & ad propriam tum gloriam, tum vtilitatem. Explicat autem in sequentibus Dominus quomodo aliter esse debeat inter Christianos, quàm inter Gentiles.

Sed, inquit, *quicunque voluerit inter vos fieri maior*, pro magnus, *erit*, id est, sit *vester minister*, *& quicunque voluerit inter vos*, esse primus, erit, id est, sit omnium seruus. Porro non parua est difficultas, quæ sit vera harum duarũ sententiarum intelligentia. Verum si quæ præcedunt, & sequuntur aduertamus, apparet scopum Domini esse, vt doceat non quomodo primatus sit parandus, & ambiendus, sed quomodo qui primatum in Ecclesia aut inter Christianos adeptus est, in eo se gerere debeat. Præmittit enim exemplum, quod suos imitari non vult, de his, qui principes sunt, & magnates gentium, non autem de his, qui quærunt, aut volunt fieri principes, & magnates: & similiter subiungit exemplũ, quod vult eos imitari;

Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, significãs se cum primus esset, tamen sese gerere, vt ministrum. Itaque sensus potius esse videtur. Qui voluerit inter vos maior fieri, vel primus, hoc est, qui statuerit apud se primatum aliquem suscipere, vbi iam eum acceperit, si modo velit eo gradu benè fungi, sit omnium quibus præest minister, & seruus, sic scilicet vt in omnibus eorum quærat vtilitatem, & salutem, non autem proprium commodum & honorem. Vtitur autem hic Dominus tali modo loquendi, quo videtur significari, qua via perueniatur ad primatum dicens; Qui voluerit fieri maior, vel primus esse, quod sic eum loqui conueniret ad curandum morbum Apostolorum, qui volebant primatum, quibus proinde mõstrat, quid sit illud quod volebant, nempe quod volunt ministrandi, & seruiendi, non autem præcipiendi, & dominandi officium. Dicta sunt circa hanc Domini sententiam quædam etiam in cap. Conc. 70. Vbi ex Matei 9. cap. eadem habetur sententia. Postquam autem suis Dominus proposuit exemplum gentilium principum, quod imitari non debeant, subiungit iam exemplum sui ipsius qui omnium primus est in regno Dei, quod proinde imitari debeant, quotquot illius vices in populo Dei obtinent, & cum illo regnant:

Sicut

Sicut, inquit, *filius hominis, non venit ministrari*, hoc est, vt melius in Marco versum est, non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret. Non negat quenquam sibi ministrasse, aut ministrare potuisse, sed ad hoc se venisse, vt ministraretur sibi. Venisse autem se dicit, vt ministraret, quia venerat vt omnium humilitati seruiret, prædicando, & curando infirmitates, ac ob hæc corporaliter perambulando diuersas ciuitates & regiones, non ob propriã gloriam, aut vtilitatem, sed tantum ob aliorum salutem. De ministerio enim in spiritualibus est potissimum sermo, cum se Dominus venisse dicit, vt ministraret: in quali ministerio oportebat Apostolos Dominum maximè imitari: quanquam etiam de ministerio in temporalibus rebus simul intelligendum sit, cum Dominus apud Lucam dicat se inter Apostolos conuersatum sicut, qui ministrat, adeo etiam vt ad lotionem pedum sese demitteret. Vt autẽ Dominus suo exẽplo doceret suos quantũ debeãt insistere ministerio aliorum, & soliciti esse pro eorũ salute: addit se venisse vt, *daret animam suam*, hoc est vitam suam (non enim Animam solã, id est, Spiritum dedit, sed & corpus suum) *redemptionem pro multis*, significans eos, qui vice sua in terris funguntur, vsque adeo debere subseruire commodis eorum, quibus præsunt, vt vitam suam pro eorum salute impendant cum opus fuerit. Dicit autem se vitam suam, daturum redemptionem, hoc est in pretium redẽptionis (Græcis enim est λύτρον quod Galli dicerent Rãzon) quia mors ipsius veluti prætium erat, quo humanum genus redemptum est ab ira Dei, a morte æterna, atque a captiuitate diaboli. Multis autem hic positum est pro omnibus, quomodo ad Romanos cum dicitur, quod per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi. Mors enim Christi pro omnibus redimendis sufficiens fuit pretium, & quãtum in ipso fuit, omnes venit redẽpturos. Vnde Paulus pro omnibus mortuum esse ipsum affirmat. Aut ideo pro multis dictum est, quod efficacia mortis ipsius non ad omnes esset peruentura, sed tantum ad electos, qui pauci dicuntur comparatione reproborũ, multi vero ob numeri in seipso multitudinem. Sic & Isa. 53. dicitur Ipse multorum peccata tulit, &c.

Mors Christi λύτρον *est generis humani.*

Sanatur cæcus ante ingressum Iericho. Luc. 18.

CAPVT CV.

FACTVM *est autẽ cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidã sedebat secus viã mendicans. Et cùm audiret turbã prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit dicẽs: Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant increpabant*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cæcus, &c. Cum Dominus é regione iuxta desertum iter faceret vt in præcedentibus dictum est, ad Ierosolymam, & obuiam haberet in hoc itinere ciuitatem Iericho: accidit vt cum appropinquaret huic ciuitati, cæcus quidam sederet iuxta viam, stipem, vt fieri solet, à præteuntibus petens: quod nunc Dei dispositione ita factum est, vt ne incessus Domini esset otiosus, sed vbique etiam in via beneficentiæ ei occasio præberetur, suoque exemplo nos doceret vt in omnibus, & semper simus proficui, & nunquam ignaui. Cum ergo hic cæcus ex strepitu vocum & pedum intelligeret magnã vim hominum prætereuntium, *interrogabat quid hoc rei esset*. Est enim cæcorum genus eò curiosius, quod oculis careat. Responsumque est ei, *quod Iesus Nazarenus transiret*. Tum ille protinus neglectis omnibus prætereuntibus, à quibus multam eleemosynam sperare potuisset, ad solũ Iesum conuersus, concepta fiducia ex his quæ de illo aliquando audierat, clamabat dicens;

Iesu fili Dauid miserere mei. Non tantum filium Dauid ob id dicit, quemadmodum volunt quidam, vt blandimento quodã Dominum magis commoueret, quia scilicet honorificum erat natũ esse ex regno semine Dauid, sed ob id potius, quod crederet eum esse Messiam, qui expectatus fuit ex semine Dauid, & ob id, vt prius aliquoties est annotatum, passim tũ apud Iudæos ea periphrasi notabatur, vt vocaretur filius Dauid. Alioqui quomodo vel hic cæcus, vel alij similes, ita seruisset eum, qui Galilæus, & Nazarenus dicebatur, natum ex semine Dauid: nisi quia certò crediderũt esse Messiam, quem sciebant fore filium Dauid. Itaque cum alij renunciarent Iesum Nazarenum transire: ipse magnificẽtius de eo sentiens Iesum filium Dauid nominat. Quod dicit, *miserere mei*, significat ipsum certo credidisse posse illum pellere cæcitatem, si tantum vellet, dum nihil aliud ab eo implorat, quã misericordiam: conuertitque illud miserere mei, diuinitati Christi, cui vt alicuius miseriæ subueniat, nihil aliud est opus, quàm vt eius misereatur: quanquam non sit verisimile hunc, aut alios dixisse Christo miserere mei, ob creditam tum ab eis diuinitatem eius, sed tantum ob creditam eximiam eius potentiam à Deo ipsi collatam, quã posset quidquid vellet. Porro qui præibant in turba Iesum, *increpabant eum* (vnde datur intelligi, quod clamare cœperit antequam Dominus

Dominus circa illum esset, quodque sæpius, & validè clamarit) *vt taceret*. Suspicabantur enim eum vulgarem petere eleemosynam, & metuebant ne improbitate mendici offenderetur transiens Dominus. Quo autem magis turba obstrepebat, tanto vehementius cæcus clamabat, eadem iterans sancta improbitate: declarans hac ratione ardens consequendi visus desiderium & intactum fidei robur. Quoniam enim non licebat videre Iesum nec illum accedere: ideo magis intendebat vocem, nescius quantum abesset, quem appellabat, & obstrepentis turbæ voces superate adnitens. Illo ergo in clamore perseuerante, Iesus qui aliquoties clamantem dissimularat, tum ne videretur cupidus ædendi miraculi causa ostentationis, tum vt euidentiorem redderet cæci fiduciam, nosque doceret perseuerantia opus esse in orationibus: tandem restitit (non enim, vt reliqui putabant eius, clamore offendebatur, sed delectabatur) *iussitque illum adduci ad se*. Quanquam enim etiam non adducto cæco, solo verbo ipsum sanare potuisset: adduci tamen illum ad se potius iussit; quo omnium oculos ad miraculi considerationem conuerteret, esseteque miraculum euidentius. Cum autem venisset ad Iesum, interrogauit illum.

Quid tibi vis faciam? Non quod ignoraret, quod ille cuperet; sed vt illo palam agnoscente suum malum, miraculum ab omni esset calumnia liberum, Cæcus autem magna cum fiducia rerum omnium aliarum securus, nihil aliud petit, quam visum; *Domine*, inquit, *volo te mihi facere vt videam*, paucissimis rursum visus verbis, sed quæ magnam præ se ferebant fidem. Tum itaque Dominus apte respondens illius fiduciæ, verbo reddidit visum, summa cum maiestate dicẽs: *Respice*, hoc est recipe visum, ἀνάβλεψον Addidit autem solitum illud fidei elogium; *Fides tua te saluum fecit*, idque tum in fidei commendationem, quam imitari nos voluit, vt sanitatem ab ipso spiritualem consequi possimus: tum in exemplum humilitatis, alienum se ab omni arrogantia declarãs.

Et confestim vidit, qui cæcus fuerat, nec tamen redit ad mendicitatis sedem, sed vt prius declarauit fidei magnitudinem, & constantiam, ita nunc accepto diuino beneficio lætus gratum se exhibet. Vnde sequitur;

Et sequebatur illum, Nõ sese, suamque fidem commendãs quam commendauerat Iesus, sed *magnificans*, vel vt Græca habent glorificans Deum, à quo tantum beneficium profectum agnouit, & cui soli omnibus gloria est tribuenda. Quin & populus conspecto tam insigni miraculo, quod si adfuissent Pharisæi calumniari studuissent, *dedit laudem Deo*, cuius virtute Iesum non dubitabant ædidisse miraculum.

Zachæus publicanus Christum suscipit.

Luc. 19. CAPVT CVI.



b Et veniunt Iericho. c Et ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zacheus, & hic princeps erat publicanorũ, & ipse dives. & quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum, quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes murmurabant, dicentes. Quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zacheus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus et si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eò quod & ipse filius sit Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

Et veniunt Iericho. Opportune hæc historia superiorem narrationem secuta est. Quod enim ibi corporaliter a Christo gestum est miraculum, hic sit spiritualiter, & alioqui magna hic est cum superiori facto similitudo. Itaque ingressus Dominus ciuitatem Iericho, vt erat comitatus multa turba, *perambulabat eam*, hoc est, pertranibat, transiturus per eam ad Ierusalem, quo iter instituerat. Hanc ergo ciuitatem decoratam & habitatione, & miraculo Helizæi etiam Dominus illustrare dignatus est & præsentia sua, & insigni quodam facinore: vt vbique præsentia ipsius fructum alicuiem afferat. *Ecce*, enim inquit Euangelista, *erat* in hac ciuitate vir nomine Zacheus (ob celebritatem nam, que viri proprio eum nomine expressit, conuenitque nomen ipsi eruditi, quibus narratur, significat enim purum, aut iustificatum) *& hic princeps erat Publicanorum, & ipse dives.* Quæ ob id Euangelista diligenter explicat, non ob id solum vt sequenti sit narrationi locus: sed etiam vt eius conuersio, & iustitiæ cupiditas, ac Christi benignitas sic admirabilior. Non vulgare enim iustitiæ desiderium, nec vulgare Dei donum fuit, quod is, qui caput fuit eorum, qui ex publicis exactionibus, & communi aliorum malo proprijs commodis inhiabant, & præterea diuitiarum copia affluebat, mox omnibus spretis in alium mutatus sit virum, & tam pio Iesum videndi desiderio detentus fuerit. Rursum Christi benignitatem

tem nobis mire commendat, quod non simpliciter publicani, sed etiam principis publicanorum hospitio vltro sese obtulerit, à cuius consortio maximè abhorrebant Pharisæi, & Scribæ. Hic ergo talis vir, quem & vitæ genus, & fortunæ indulgentia impellere poterat ad contemptum humilis Iesu, quærebat videre Iesum quis esset: cupiens scilicet eum etiam de facie nosse, de quo rumor tam admiranda sparserat. Nec vulgari tenebatur videndi Iesum desiderio, sed tanto, vt cum per staturæ exiguitatem impediretur à turba vndique Domino circunfusa, ne posset in turba videre Iesum, oblitus sui principatus, & diuitiarum suarum, veluti infimæ alicuius sortis homo, arborem Sycomorum ascenderit, quæ in via forte erat, per quam Dominum transiturum cognouit; non metuens quod multis Iudæorum risui futurus esset. Et quidem cum tam cupidus esset videndi Iesum, procul dubio libens illum inuitasset, ni modestia, & pudor obstitisset, & suorum peccatorum conscius indignum se cum Centurione illo iudicasset, qui illum in domum suam vocaret, cum à suo consortio Pharisæos studiose abstinere expertus fuisset. Bene ergo Euangelista desiderij magnitudinem in hoc homine explicauit, dum & præcurrisse eum dicit, & ascendisse, idque in arborem, quam & explicate ei visum est. Est autem Sycomorus, vel vt Lucas posuit Sycomorea, teste Dioscoride arbor excelsa, folia quidem habens similia moro, fructus autem similes ficui, nisi quod eos proferat sine granis, neque in ramis proferat, sed in ipso caudice non maturescentes, nisi vnguibus, aut ferro sculpantur. Itaque sedente Zachæo in arbore, & Dominum expectante, Dominus cum venisset ad locum, attollens oculos vidit eum, aspectu quidem corporali, sed quem fere sequitur aliquis salutaris effectus; quali aspectu dignus ille merito factus est, qui tanto videndi Iesum desiderio tenebatur. Videre enim eum solum in tanta multitudine ambiit, & vicissim in tanta multitudine peculiariter illum vidit, & in illum oculos suos conuertit Dominus, qui delectatus tam insigni hominis cupiditate, quam ipse facto, vultu, atque oculis præ se ferebat, & quam Dominus, qui scrutator est cordium, synceram esse aduertit: non tantum se illi simpliciter videndum exhibet, cum ille nihil aliud petere auderet, sed etiam ipso nomine, vt notum compellans, quem prius non viderat, vltro sese obtulit ipsius hospitio dicens; *Sycomorus.*

Zachæe festinanter descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Dicit, oportet me manere, non ob inopiam, quasi defuissent ei in quæ reciperetur hospitia: sed quod ille suo desi-

derio meruerat Dominum habere hospitem, & quia opportebat hac ratione Christum secundum suum officium quærere, & salutem facere, quod perierat. Res autem subsecuta declarauit & vim præcepti Dominici, & affectum Zachæi erga Dominum, quod scilicet solo pudore prohibitus, non prius vltrò illum ad se inuitauerit. Mox enim, vt audiuit, Domini insperatam iussionem, nihil quidem respondet, ingens enim affectus, & insperatum gaudium vocem adimere solet: sed tamen nihil contatus obtemperat. Nam & festinanter descendit, & non simpliciter eum accepit, sed excepit eum gaudens, veluti magno honore affectus, & magno thesauro donatus, cum prius temporalia tantum lucra sectaretur. Spectatores interea cum magis deberent dare gloriam, & Christi prædicare benignitatem: *omnes qui videbant, murmurabant dicentes: quod ad hominem peccatorem diuertisset*, dupliciter peccantes, & quod hunc adhuc peccatorem vocabant, qui etiã si prius peccator fuerat, videri meritò iam poterat animum mutasse, & quod vitio hoc vertunt Domino, quod ad hominem peccatorem diuertetit, cum hoc vnum viderent eum agere, vt sua doctrina peccatores ad resipiscentiã permoueret. Vt autem intelligamus quã iniusta, & irrationabilis fuerit horum murmurantium indignatio, subijcit Euangelista;

Stans autem Zachæus dixit ad Iesum. Stetisse eum dicit, insinuans erga Christum eius reuerentiam, siue hoc inter prandendium contigerit, siue potius ante, vel post prandium, cum aliquandiu, vt est verisimile, Dominum docentem mundi contemptum, & futuræ vitæ bona annunciantem audisset. Aduertendum autẽ quid dixerit ad Iesum;

Ecce, inquit, *dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*. Quod dicit do, & reddo, rectè intelligitur ipsum commotũ Christi præsentia, & doctrina, iam certo constituisse se daturum, & redditurum: vt præsentis temporis verba pro futuris accipiantur; nisi quod significare voluerit dicens do, & reddo, sese iam suas facultates ad id deputare, & ad id faciendum sese astringere: vt sensus sit; do pauperibus, hoc est iamiam illis addico, & certo deputo. Id enim magis conuenit responsioni Domini, quàm subijcit, Dicens;

Hodie salus domui huic facta est. Diuidit autẽm suas facultates in duas partes; & dimidium quidem pauperibus assignat, vt peccata sua eleemosynis redimeret & perfectionem Euangelicæ doctrinæ, quoad posset, præstaret. Dimidium vero reseruat non tam, vt possideat, quàm vt hinc exoluat lucra fraude quæsita: vt fere solet Publicanorum officium non esse liberum ab iniustis exactionibus. Quadruplum autem fraudatis reddere constituit, secutus scilicet legem hac in parte, quæ præcepit ei, qui

ei, qui ouem fuerit furatus, eamque vendiderit, vt reddat quadruplum: quanquam hac constitutione non omnino ad talem redditionẽ adigebatur. Ex quo intelligendum relinquitur hunc diuitias suas non omnes ex iniustitia, & fraude cõparasse: sed maiorẽ partem, imò omnes penè vel ex patrimonio, vel ex iusto lucro obtinuisse. Quomodo enim alioqui, & dimidum bonorum suorum pauperibus addicere potuisset, & præterea reddere quadruplum omnibus à se fraudatis. Porro quod Zachæus has suas virtutes coram Domino proponit; non iactabundè facit, quemadmodum Pharisæus ille, qui dixit, decimas do omnium, quæ possideo: sed tum vt alacritatem suam, & fructum in se secutum ex præsentia, & ingressu Domini ostenderet, idque in condemnationem obmurmurantiũ Iudeorum: tum quod cuperet audire à Domino an quod facere instituebat, ei placeret, necne: & nùm quid illi præter ea esset faciendum, ad adipiscendam vitam æternam. Cum ergo Zachæus suam mutationem Domino probandam vel improbandam proponeret; Dominus approbans eius propositum, ait ad illum:

Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse Filius sit Abrahæ. Vbi sciendum quod apud Græcos relatiuum, Ipse, referri potest ad domum, quia illis οἶκος, id est, domus, est masculini generis, vt sic verti possit oratio; Salus huic domui facta est, eo quod & ipsa filia sit Abrahæ. Atque in hunc modum potius intelligendum, ob id apparet, quod cum Dominus hæc dicatur dicere ad Zachæũ non autem ad circunstantes, durius est quod sub tertia persona dicitur ad illum, eo quod & ipse sit filius, si ipse referatur ad Zachæum. Nec absurdum videri debet si domus dicatur filia Abrahæ. Sic enim rectè dicuntur domus filia Abrahæ, quomodo nos dicimus domum aliquam Christianam, vt scilicet domus accipiatur pro familia. Non enim Dominus tantum Zachæo salutem annunciat, sed toti familiæ, quæ exemplo Patris familiãs, aut iam credidit, aut creditura erat. In nostra litera videtur illud, ad eum, cum dicitur. Ait Iesus ad eum, accipiendum pro, de eo, quomodo ad Romanos dicitur; Ad Israël autem dicit, pro de Israël autem dicit. Itaque intelligetur ad circunstantes de Zachæo dixisse Dominus hodie salus huic domui, hoc est, familiæ facta est, eo quod etiã ipse, Paterfamilias scilicet, sit filius Abrahæ. Cæterum domui dicit factam salutẽ quia supra dixerat, in domo tua oportet me manere, vt ostendat fructum secutum ex suo in domum aduentu: propter quem fructum dixerat, oportet me manere in domo tua. His ergo verbis non tantum approbat Dominus factum Zachæi sed & occurrit indignantium de ingressu suo murmurationi; cum ostendit fructum sui ad peccatorem introitus. Et quo magis omnium ora obstruantur, addit causam salutis domui tunc collatæ, di-

Domus filia Abrahæ.

Rom. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tæ, dicens eo quod & hic esset etiam ipse quanquam publicanus & peccator, sit filius Abrahæ. Quod autem Zachæum filium vocat Abrahæ, dupliciter potest intelligi: Aut simpliciter, quia ex genere fuit Abrahæ, sicut reliqui Iudæi: quomodo si accipiatur, intelligendum est Dominum non reddere exactam, & adæquatam rationem quare salus facta sit huic domui. Non enim omnibus illis salus contigit, qui filij fuerunt Abrahæ, secundum carnem. Sed redditur ratio, quare non debuerit a Domino negligi Zachæus; nimirum quia & ipse erat Israëlita: supra autem dixerat missum se esse ad oues, quæ perierunt domus Israel, & filiis Abrahæ peculiariter erat promissa salus per Messiam præstanda. Aut filius Abrahæ vocat, non tantum ratione carnalis ex Abraham propagationis, sed etiam ratione diuinæ electionis, qua hi tantum æstimantur in semine Abrahæ, qui benedictionis Abrahæ, & seminis eius promissæ in Christo participes sunt, aut futuri sunt, sicque adæquata reddita erit causa, quare domui huic salus contigerit. Non poterit enim non huiusmodi Abrahæ filiis salus aliquando contingere. Concludendo autem subijcit Dominus:

Zacheus filius Abrahæ.

Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Quo confirmat redditam rationem; quod scilicet salus ideo contingere debuerit Zachæo, quia filius fuerit Abrahæ etiam ipse, nec obstare illi quod publicanus sit, & peccator, eo quod ipse venerit in hunc mundum, vt quæreret non eos, qui sibi iusti videntur, nec salute se putant indigere, sed vt quæreret & saluum faceret, quod perierat, idque imprimis inter oues Israelit. cas. Itaque bifariam Dominus repellit Iudæorum indignationem. Nam cùm dicit, eo quod filius sit Abrahæ respondet murmuri Iudæorum ex parte Zachæi, cùm verò dicit, venit enim filius hominis, &c. Ex parte sui respondet illis, proferens suum officium. [Porro ex Ecclesiastica institutione, hæc de Zachæo historia legitur passim in solemnitate dedicationis Ecclesiarum, primum quidem quod ei festiuitati conueniat illud domui, Hodie salus domui huic facta est, propterea quod tunc celebretur memoria eius diei, qua domus aliqua Deo est deputata, & singulari insignita prærogatiua. Deinde quia ei conuenit illud: Hodie in domo tua oportet me manere, quod ea die templum factum sit habitaculum Dei, & Christi. Postremum quia templum materiale typus quidam est templi spiritualis in quo magis habitare desiderat Christus, illius scilicet de quo Paulus: Templum Dei sanctum est quod estis vos. Proinde animus dedicati templi memoria celebratur, vt ea fidelis quisque se mel Deo in baptismate consecratus admoneatur ita se gerere, vt Christum habeat in se manentem, ad quod aptissime conuenit moralis historiæ huius tractatio.]

Para-

Parabola proponitur de decem minis. Lucæ 19.

CAPVT CVII.

HÆC illis audientibus adijciens dixit parabolam, eò quod esset prope Hierusalem, & quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno, & iussit vocari seruos quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Et ait illi: Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates. Et alter venit dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. Et alter venit dicens: Domine, ecce mna tua quam habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas. Dico autem vobis, Quia omni habenti dabitur, ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Verumtamen inimicos illos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Et hæc dicto precedebat ascendens Hierosolymam.

Hæc illis audientibus adijciens dixit Parabolam, eo quod esset prope Ierusalem, &c. Occasionem dictæ modo a Domino parabolæ explicauit Euangelista, nimirum quia cum iam Dominus appropinquauit Ierusalem, discipuli existimauerunt Christum regnum suum, quod temporale fore putabant, mox in ea tanquam regia sede, & ciuitate Dei gloriosè auspicaturum. Itaque subijcit hanc parabolam, quo hanc mentibus suorum tolleret existimationem: significans per eam, longè aliter rem cæsuram quam illi opinabantur: se scilicet non in vicina Ierusalem, sed in longinqua regione regnum sibi acceptarum, Iudæos regnū ipsius detractaturos, ac Apostolos, aliosque Doctores ministros suos, qui cum ipso regnare vellent interea quod ipse abesset in regno

externo,

externo, negociationem consentaneam regno exercere debere, do nec in fine ipse veniret, fidelibus ministris regni sui consortium communicaturus: rebelles verò, & ignauos seruos vindicaturus. Bene autem dicit Euangelista illos existimasse, quod regnum Dei manifestaretur confestim. Regnum enim Messiæ etsi putabant ipsi fore temporale, & mundanum, tamen Dei regnum vocabant, quod per Messiam à se missum Deum in populo suo erederet sublimi quodam modo regnaturum, & sublimius quàm olim tempore Iudicum, aut regis Dauid, & aliorum. Et quidem regnum Messiæ vt iam in terris vtcunque cœptum erat, ita mox in Ierusalem magnum profectum & incrementum accepturum erat: verũ non erat vt illi putabant, ita manifestandum, nempe vt instar aliorum regnorum, in gloria, & maiestate appareret. Spirituale est enim regnum Christi, quod est in terris: & quemadmodum Paulus vitam fidelium absconditam esse dicit cum Christo in Deo: ita & regni ipsius maiestas & gloria iam occulta est, manifestanda in nouissimo die. Porro hac parabola, eo magis præmuniendi iam erant animi Apostolorum, quod mox solemni pompa veluti Rex ingressurus erat, & suscipiendus in Ierusalem, quemadmodum post hanc parabolã mox Lucas subiungit. [Parabola autem sic habet ad literam. Homo quidam nobilis, hoc est, claro genere natus abijt in regionem longè dißitam à loco habitationis, vt acciperet sibi regnum, eoque accepto reuerteretur. At priusquam ingressus esset iter, vocatis decem seruis suis, quos habebat, dedit illis decem mnas, singulis scilicet vnam, ita vt inter omnes æqua esset sortis partitio, simulque mandauit illis dicens: Negotiamini, hoc est mercaturæ, & lucro conquirendo operam date, dum, pro vsquedum venio. q.d. Hanc pecuniam trado vobis, non vt prodigatis, aut seruetis otiosam apud vos, sed vt negociatione crescat, reuersusque reperiam rem domi auctam. Non dicit quando venturus sit, sed tantum venturum se asserit, volens tempus aduentus suiipsius esse incertum, vt illi nunquam essent otio, sed venturum tempore incerto semper expectarent. Porro mna dictio Græca, pro qua Latini dicũt mina significat Atticis libram pecuniariam, hoc est, centum drachmas. quæ continent duodecim vncias eum semisse Hebraica autem Mina, non tãtum dupla est ad Atticam, sed & vltra excedit eam in quibque vncijs. Cum ergo ad prædictum modum res suas nobilis iste homo domi disposuisset, mox profectus est. Ciues autem ciuitatis cui præerat, oderant eum. Itaque profecto illo cœperunt agitare de nouandis rebus, vt fieri solet, vt dum alterum regnum asserit, ab eo quod possidebat, excluderetur. Miserunt ergo post illum iam profectum legationem, hoc est, legatos, dicentes ad illos, Nolumus plane hunc regnare super nos: nullam quidem legitimam rationem addentes, sed superbè regnũ eius

Regnum Christi spirituale.

eius sola voluntate, recusantes. Hæc legatis dicentes miserunt eos, vt referrent illi ciues esse huius animi, vt posthac nollent illum habere Regemine veniret vnde profectus esset. Et factum est vt accepto regno quantumuis id nollent ciues rediret tamen, ac reuersus primum quidem de seruis suis solicitus fuit quibus pecuniam dederat, quos proinde vocari iussit, vt sciret quantum quisque negociatus esset, id est, quantum lucri negotiando fecisset. Venit autem primus dicens: Domine mna tua fecit lucrum decem minarum. Cuius industriam, ac fidem collaudans, & remunerans Dominus respondit; Euge serue bone, quia in modica re fidelem te declarasti, cum res meæ essent angustiores, æquum est, vt rebus meis nunc auctis, particeps sis amplioris fortunæ, pluraque tuæ fidei, ac potestati concredita habeas. Eris ergo, pro esto, potestatem habens super decem ciuitates. Porro euge Græca dictio est, qua & Latini vtuntur, & est vox laudantis, aut exultantis, perinde valens ac rectè, sanè. Non tantum autem Dominus eum collaudat cuius mina decem acquisiuit minas, sed & eum cuius, mina quinque tantum acequisiuit: cum quo non expostulat quare non plus lucrifeciſſet; cum ex aquali pecunia alter duplo plus lucratus fuisset. Animaduertit enim varios esse negotiationis casus, & eos qui æqualem impendunt laborem & industriam, non semper idem assequi commodum. Collaudat ergo etiam hunc, nec collaudat tantum, sed cum illi, sicut nec priori aliquod præmiũ deberet, tamen veluti commerito ob suam industriam, & diligentiam contradit præfecturã quinque ciuitatum, ex seruis hos in consortium dominij constituens, sed secundũ proportionẽ meritorũ. Cum autem ad hunc modum cæteri redderent rationem, tandem venit seruus vnus plane ignauus, & malæ fidei, qui supra suam ignauiam etiam hoc adiecit criminis, quod se iustificare voluit, quod que iustificationis suæ rationem retorsit in mores, & iniquitatem Domini, Domine inquit, en refero tibi minam, quam mihi credideras; eam hactenus habui repositam in sudario, quo tibi sicut erat esset incolumis. Adeo non profudi, vt nec attigerim. Hoc malui, quam venire in periculum, ne si male cessisset negotiatio, vt in ea varij sunt casus, recum mihi res esset. Metuebam enim te, sciens quam sis homo austerus, & lucri auidus, adeo vt non solum nihil dones, aut petire sinas de tuo verum etiam inde tollas vbi nihil posuisti, & inde messem colligas vbi non seciſti semẽtem: quare non dubitaui te multo magis à me exacturum depositam minam etiamsi deperdita fuisset per fortune iniquitatem. Audiens autem hæc Dominus, offensus non tantum ignauia serui, sed etiam quod culpam suam referret in mores Domini, proprijs ipsum cõuincens verbis ait; Serue bis male, piger scilicet, & Domini tui insimulator, ex verbis oris tui te te iudico; Sciebas enim

Euge.

enim vt ais, me esse austerũ adeo vt tollam vbi nõ posui, &c. Atqui hoc ipsum debebat te ad industriam excitare, non ad ignauiam. Cogitare enim debuerat me multo magis mea requisiturum cum lucro, si aliena mihi soleo præ lucri auiditate vendicare. Quare ergo non saltem commisisti pecuniam meam mensarijs, qui ex mutuo, vel nummorum mutatione lucrum faciunt, vt cum illis particeps lucri fieres? vt si timuisti negotiando maria, & terras peragrare, & in his lucrum quærere in quibus est iacturæ periculum, saltem vel hac ratione lucrum parasses, in qua minus, vel nullum periculum est, imo certum lucrum, vt ego veniens, pecuniam meam vel à te, vel a mensarijs exigere possem cum vsura? Porro non est hic anxiè quærendum quomodo Dominus iste re iurit lucrum vsuræ, quod iniustum est. Proponitur enim in parabola homo vulgari modo agens, & loquens. Lucrum autem vsurarum olim apud multas gentes iustum, & licitum habebatur. Aut loquitur iste nunc consequenter ad existimationem serui. q. d. Cum iudicares me adeo esse lucri cupidum vt etiam tollam vbi non posui: existimare etiã debuisses me accepturum lucrum vsuræ ex concredita tibi mea pecunia. Cum autem ad hanc heri vocem obmutuisset ignauus iste seruus, Dominus seruis astantibus præcepit ablatam ab illo minam dari illi, qui omnium fuit vtilissimus, qui scilicet decem habuit iam minas: seruisque mirantibus cur illi adijciendam vellet, quæ potius videbatur ei danda, qui minus haberet, subintulit commune & tritum illud dictum; Omni habẽti dabitur amplius, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, auferetur. q. d. Ille qui quod à me habuit, veræ habuit lucrum inde faciens dignus est cui amplius committatur, & ditior fiat: is verò qui quod habuit, sic habuit quasi non haberet, dignus est qui priuetur etiam illo quod habuit, tantum abest vt eius ægestati mea subueniat liberalitas. Hoc iudicio cum seruis habito Dominus secundo loco inimicos suos, qui iugum regni eius excutere voluerunt, adductos iubet in conspectu suo interfici, vt rebellionis suæ meritas persoluerent pœnas. Patatior enim ad remunerandum, quam ad vindicandum prius iubet accersiri seruos, quam inimicos suos. Et hactenus quidem literalis propositi a Domino exempli tractatio: cui iam breuiter eius est subijcienda accommodatio ad eam rem quam Dominus significare voluit.] Comparat ergo seipsum Dominus homini cuidam nobili genere orto, quod vere esset homo, secundum humanam naturam ortus, ex regia stirpe Dauid, secundum diuinitatẽ filius Dei Patris. Se igitur significat mox abiturum in regionẽ longe dissitã à terra nẽpe, in cælũ, vt ibi acciperit quasi homo regnum sibi debitum, & regno accepto, suo tempore, quod incertum esse voluit, reuersurum, quod fiet in nouissimo iudicij

Applicatio exẽpli.

iudicij die. At priusquam profectus est, seruis suis Apostolis scilicet, aliisque Euãgelicæ doctrinæ prædicatoribus, quos per decem seruos in parabola significat propter numeri perfectionem, concredidit Euangelicam doctrinam & dona sua, velut minam quandam, & pecuniam qua negotiarentur, non sibi sed suo Domino lucrum facientes, qui sese magno lucro auctum existimat si homines per hominem resipiscant à vitijs, & ad Euangelicæ pietatis studium conuertantur: præcipiens eis vt eo lucro augendo insistant vsque ad tempus aduentus sui. Cum autem iam profectus esset in cælum, Iudæi, qui veluti ciues ipsius fuerant, quod inter eos, & ex eis natus, & apud eos conuersatus esset, & regnum suum auspicatus: vt semper eum etiam præsentem oderant, recusauerunt eum etiam iam absentem agnoscere pro suo Rege: non quidem quod iusta aliqua ratione mouerentur; sed quod impia, & obstinata voluntate nollent. At quantumuis Iudæi illum nolint sibi Regem, & adhuc pertinaciter illum negent, & blasphement: Veniet tamen etiam inuitis illis gloriose regnans, inturus cum seruis suis rationem, & de inimicis suis vltionem sumpturus. Et seruos quidem suos per sanctos Angelos ipso iubente ad iudicium adductos, quos deprehenderit concreditis sibi donis, & Euangelici sermonis dispensatione lucrum sibi fecisse animarum, non tantum collaudabit, sed & magno remunerabit præmio, & regni sui consortio donabit; vnumquemque tamen pro industriæ, & regni parti ratione; maiorem scilicet fœlicitatem & præeminentiam in regno suo eis impartiens, qui plus laborauerunt, & plus lucri fecerunt. In illo autem qui prætextu austeritatis sui Domini minam seruauit in sudario illi designantur, qui concredita sibi dona etsi non prodigant, tamen otiosa seruant; & licet non aperte male viuant, nec quenquam lædant, non tamen student pro accepto Dei munere, aut suo officio alijs prodesse, & Christo lucrifacere; qui suæ pusillanimitati, imò verius ignauiæ ferè prætextunt metum diuinæ iustitiæ, & strictæ rationis exigendæ ab his qui non fœliciter, & cum lucro verbum Dei, & munus quoduis Ecclesiasticum administrauerint. At tales in nouissimo die seuerè increpitos Dominus ex propriis verbis condemnabit: quoniam consideratio rigide iustitiæ diuinæ, & cupiditatis lucri, quæ est in ipso, magis eos impulisse deberet, si non ad actiones magni periculi, saltem ad actiones minoris periculi: vt ipse Dominus veniens cum fœnore, & lucro dona sua recipere posset. Quod autem in vltionem ignaui serui, mina iubetur ab eo auferri, & dari ei, qui habet decem: significat tum id, quod in hac vita frequenter contingit; nempe

quod

quod is qui gratiam à Deo acceptã sinit otiosam priuatur ea; & is qui acceptis gratiis benè vtitur, augeri sibi sua dona meretur; tum quod in futura retributione gaudium, & gloria fidelium seruorum etiam augebitur ex donis eorum, qui illis non benè sunt vsi. Boni enim nõ tãtum habebunt gaudiũ ex suis benefactis, aut donis, sed & ex donis malorum, aut ignauorum: dum diuina bonitate videbunt se suis bene vsos, cum cõtra alij eadẽ vel similia dona habentes non sunt illis benè vsi. Itaque dona illorum, & diuitias accipient: quia vnde illi gaudere, & fœlices esse poterant, inde iustorum fœlicitas augebitur. Cæterum sententia illa, Omni habenti dabitur; explicata est satis in cap. Conc. 51. Porro quod post iudicium seruorum iubet Dominus adductos hostes suos coram se occidi: significat quod in nouissimo die Iudæos, & cum eis quotquot sese regno ipsius subtrahere volũtariè recusant, æterna morte condemnabit: quemadmodum etiam Iudæorum gentem temporaliter per Romanos internecioni tradidit, eo quod non cognouerit tempus suæ visitationis. Subijcit autem Euangelista;

Et his dictis præcedebat ascendens Ierosolymam, hoc est, cum his dictis animos suorum liberasset ab errore illo, quo putabant ipsum ascendere in Ierusalem, vt ibi regnum suum auspicaretur; eisdem quę dictis significasset se cõscium esse odij Iudæorum contra se; tamen declarans se eorum non metuere odium, & veluti iam auspicari profectionem in regionem illam longinquam, in qua accepturus erat sibi regnum; præcedebat suos ascendens Ierosolymã, à qua suos sibi ipsis metuere sciuit, vt patet ex Marco.

Duo cæci sanantur post egressum è Iericho. Matt. 20. Mar. 10.

CAPVT CVIII.

ET proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timei Bartimeus cæcus sedebat iuxta viam mendicans. Qui cùm audisset quia Iesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et comminabantur ei multi vt taceret. At ille multò magis clamabat. Fili Dauid miserere mei. Et stans Iesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto, surge vocat te. Qui proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum. Et respondens Iesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, vt videam. Iesus ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

Quod

Quod Marcus de vno cæco, Matthæus de duobus narrat hoc modo:

Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamauerunt dicentes: Domine miserere nostri fili Dauid. Turba autem increpabat eos vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri fili Dauid. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum, & confestim viderunt, & secuti sunt eum.

Et proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, &c. Circa historiam non est quod hic immoremur cum sicut plane est simile factum, quod hic describitur, cum eo quod est apud Lucam; eadem hic sint dicenda, quę ibi. Tantum obseruanda quæ hic siue in Marco siue in Matthæo sunt peculiaria. In Marco ergo hoc primum annotandum, quod cum nos habemus, multi comminabantur ei, vt taceret, verbum comminabantur rursum positum est pro increpabãt. Deinde hoc peculiare est in Marco: quod dicat Domino præcipiente cæcum vocati, quoscam vocasse cæcum (quos verisimile est fuisse Apostolos) dicentes ei: *Animæquior esto, surge vocat te.* Vbi pro illo Animæquior esto, Græcis est θάρσει, hoc est, bono animo esto, aut confide, vt sit sensus, Tranquilliori, & meliori esto, animo. Nam animum nimio desiderio turbulentum clamor præ se ferebat. Sequitur, quod etiam proprium est Marco;

Et proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum, vbi pro exiliens, Græce est ἀναστὰς, quod tantum est surgens. Cæterum quod vestimentum abiecerit, quo scilicet expeditior accederet: indicat & desiderij, & fiduciæ eius magnitudinem; atque ex eo satis licet intelligere eum non simpliciter surrexisse, sed etiam prægaudio exiliisse, & ad Christum etiam cursu peruenturum, si per cæcitatem licuisset. Postremo id proprium est Marco, quod cum Lucas Dominum suo cæco dixisse commemoret, Respice, fides tua te saluum fecit. Marcus suo dixisse scribit:

Vade, fides tua, &c. Quod autem dicit Dominus, vade, aut, vt est Græcè ὕπαγε, abi, non est præcipientis abitum, sed concedẽtis abitum, aut potius annuentis desiderio eius. Sic enim solet Dominus respondere his, qui ad ipsum veniunt aliquid petituri, cum eorum annuit desiderio. Itaque non fecit hic cæcus contra Christi præceptum, quod cum ei dictum sit abi, Christum tamen in via secutus sit. Est & illud in Marco singulare, quanquam parui momenti, quod cum Lucas scribat suum cæcum dixisse Domine vt videam, hic dicitur dixisse Rabboni vt videam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est autem Rabboni Syriaca magis quã Hebraïca vox, significans idem quod magister mi, quod Hebræi dicunt Rabbi. In Matthæo duo sunt singularia. Primum quod cæcos dixisse scribit, Domine vt aperiantur oculi nostri, pro eo quod est, vt videamus, aut visum recipiamus. Dicuntur enim oculi cæcorum esse clausi etiamsi operecula eorum aperiantur motę videntium, quoniam per ipsos ac si clausi essent, nihil possunt videre: quemadmodum per clausam fenestram nihil videri potest. Aperiri vero dicũtur oculi eorum, dum visus restituitur, quoniam tunc per eos videri possunt externa, veluti amoto obstaculo, & fenestris apertis, ac lumen iam præbentibus quæ prius clausæ nihil præbebãt luminis. Alterum Matthæo proprium est, quod dicit Dominum misertum fuisse cæcorum, & tetigisse oculos eorum, cum alij tantum verborum faciant mentionem, quæ nulla commemorat Matthæus: vt hinc intelligamus Dominum nõ semper solis verbis, sine contactu curasse, cum tantum verborum fit mentio, aut contra solo contactu, cum huius solum fit mentio.

Cœna in Bethania facta, Maria Dominum perfundit vnguento. Matt. 26. Marci 14. Ioannis 12.

CAPVT CIX.

† [b] *Et cùm* ▷ [b] °. *Bethania* * *ergo* ‖ [b]. *venit.*

† [b]. °. *eius* * [b] *autem* ▷ [a] *indignati sunt* † [a] °. *hæc* ▷ [a] °. *potuit*

[d] *IESVS ergo ante sex dies paschæ venit Bethaniam vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus verò vnus erat ex discumbẽtibus cum eo* † [e] *Cùm ante* [a] *Iesus* [e] *esset* ▷ *in Bethania* [a] *in domo Simonis Leprosi,* [b] *& recumberet,* [d] *Maria* * *accepit libram vnguenti nardi pistici cæ pretiosi. [&]* ‖ [b] [e] *accessit* [a] *ad eum* [e] *mulier habens alabastrum vnguenti* [b] *nardi pistici* [e] *pretiosi,* [d] *& vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis,* [e] *& fracto alabastro,* [e] *effudit super caput* † *ipsius* [a] *recumbentis,* [d] *& domus impleta est ex odore vnguenti.* [b] *Videntes autem discipuli* [e] *erant* * [b] *quidam* ▷ [a] *indignè ferentes* [b] *intrà semetipsos* [e] *& dicentes: Vt quid perditio* † *ista* [b] *vnguenti facta est?* ▷ [e] † [b]. *Iesus autẽ dixit* °. *dixit ergo Iesus* [d]

Poterat enim [b] *vnguentum* [e] *istud venundari* [a] *multo.* [b] *plusquam trecentis denarijs,* [e] *& dari pauperibus.* [b] *Et fremebant in eam.* [d] *Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus:* [d] *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denarijs & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia* ▷ [b]. *illi fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat.* [a] *Sciens* ‖ [a] *Bonum autem* [m] *Iesus ait illis:* † [b] *Sinite eam,* [d] *vt in die sepulturæ meæ seruet illud.*

illud. [a] *Quid molesti estis* ▷ *huic* [a] *mulieri?* ‖ [a] *Opus enim bonum* [m] *operata est in me.* [m] *semper enim pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis potestis illis benefacere,* [m] *me autem non semper habitis.* [b] *Quod habuit hæc, fecit.* [a] *Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum,* [b] *præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* [&] [a] *ad sepeliendum me fecit.* [a] *Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit* ▷ *euangelium istud in* ‖ *vniuerso mundo,* † [a] *dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius.* [d] *Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis & credebant in Iesum.*

† [b] °. *nam* [a] °. *semper* ▷ [a] °. *hoc euangelium* ‖ [a] °. *toto* † [b]. *at quod fecit hæc* °. *narrabitur*

Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam &c. Ergo inquit, quoniam iam proximum erat pascha Iudæorum. Id enim apud eum præcessit. Itaque appropinquante hora supplicij, ad locum quoque supplicij propius Dominus accessit. Porro in illa locutione ante sex dies Paschæ, impropria est locutio, pro eo quod est ante sex dies Pascha præcedentes, vel sex diebus ante Pascha: cum propriè significaretur Dominum venisse Bethaniam ante Paschæ festiuitatem, quæ sex diebus perageretur. Diem autem quo Christus venit Bethaniam, quidam intelligunt fuisse diem Sabbathi, quando fecerunt ei cœnam de qua sequitur: Rectius tamen secundum alios videtur intelligi Dominum venisse in Bethaniam feria sexta, ac sequenti die factam ei cœnam præparatam die præcedẽti: & cũ subijcit Ioannes in crastinum turbam cũ ramis palmarum processisse obuiam Iesu, crastinũ referendũ cũ non ad diem quo venit Dominus in Bethaniam, sed ad diem, quo fecerunt ei cœnam. Sic enim sex integri dies erunt medij inter diẽ aduentus Domini in Bethaniam, & diem Paschæ, qui verè inciditum in feriam sextam. Sic etiam intelligi poterit, sufficiens fuisse tempus, vt quemadmodum hic narrat Ioannes, cognoscere potuerit multa turba Iudæorum qui erant extra Bethaniã Iesum venisse in Bethaniam, & venire ad videndum & ipsum, & Lazarum ad quæ sufficiens tempus non ita poterit intelligi, si ipso Sabbatho intelligatur Dominus venisse in Bethaniam, sicut nec quando parauerunt ei cœnam. Cum autem in Bethaniam venisse Iesum Ioannes dixisset, adiecit, vbi Luzarus fuerat mortuus, cuẽ suscitauit Iesus, ob id, vt appareat quo indicater, quare in Bethaniam Dominus venerit: nimirum quod ratione tanti miraculi illius, haberet ibi amicos, apud quos tuto diuersari posset, & vt recẽtis miraculi memoriã renouaret, ac mẽtibus discipulorũ spẽ resurrectionis imprimeret, quos sciebat suamorte vehemẽter perturbãdos.

In cœna autem hac solemniter Domino parata & Lazarum, & sorores non solum adfuisse, sed etiam officij aliquid exhibuisse narrat Ioannes; Martha enim inquit, & si in aliena domo, tamē pro suo more sedula Domino ministrabat. Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo; quod non tantum causa significandi officij à Lazaro Domino exhibiti, sed & ob id commemorare videtur Euangelista, quo certo argumento declaratum significaret illum vere resuscitatum. Cum ergo & Simon, quē verisimile est à lepra Dominum curasse, & ob lepram qua aliquando fuerat infectus, adhuc sibi seruasse nomen leprosi, Dominum hospitio excepisset, & Martha ministraret, & Lazarus officij causa cū Domino acumberet; Maria ne circa Dominum sola esset inofficiosa in solemni illo conuiuio, sed vt amore omnes superabat, omnes etiam vinceret officio, præ amoris magnitudine, & gratitudinis insigni affectu nihil reputans nimium, quod Domino impendere posset, accepit totam vnam libram vnguenti prætiosi, quod ex nardo pistica confectum erat, eoque primum pedes Domini ex itinere fatigatos rursum vnxit, ad quos olim peccatorū suorū veniam se impetrasse meminerat, eosque à se prius aqua ablutos, vt erāt ex itinere puluerulenti, rursum, vt olim, extersit capillis suis, ac deinde fracto etiā alabastro, ne quid remaneret, quidquid reliquum fuit, effudit super caput ipsius tecumbentis, adeo vt domus impleretur odore vnguenti. Nardus autem cuius hic fit mentio, pistica dicta est pro fideli, germana, & nō vitiata, à Græca dictione πίστις (vnde deriuatur pistícus) quę fidem significat. Nomen autē Nardi non tantum dicitur de ipsa herba, sed & de ipso vnguento nardino, quomodo hic magis accipiendum videtur, quia additum ei adiectiuum pistícæ. Magis enim conuenit intelligere vnguentum dici pistícum, id est, non adulteratum, sed syncerum, quàm ipsam herbam, vt illa constructio transitiua, vnguenti nardi pistícæ, intelligatur in transitiuè; & sit sensus vnguenti, quod est nardus pistica. In Marco pro pistici, Latini codices antiqui habent spicati, cum tamen Græci etiam hoc loco habeant quemadmodū in Ioanne νάρδου πιστικῆς, id est, nardi pistici. Quod si legatur spicati, rursum magis conuenit nomē nardi accipere pro vnguento, quàm herba. Non enim herba nardus spicata dici solet, sed vnguentum spicatum, ad differentiam foliati, quandoquidem Plinius Nardum celebratam dicit & foliis, & spica; indeque duplex facit vnguentum nardinum spicarum scilicet, quod optimum est, & foliatum. Itaque sensus est libra vnguēti Nardini pistici, vel spicati prętiosi. De nomine Alabastri dictū est in cap. Conc. 48 Videtur autē Ioannes ordine præposterò dixisse vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis. Intelligendum enim omnino apparet, prius eam aqua sordidos ex itinere pedes Domini abluisse & capillis abstersisse, ac deinde vnxisse pedes eius quemadmodum fecit apud Lucam. Non enim vnguentum abstergendum fuerat.

Simon Leprosus.

Nardus pistica.

Vnguentū nardinū spicatū.

Videntes autem discipuli eius, erant quidam indignè ferentes. Cæteri quidem Discipuli simplici animo indignantur de vnguenti effusione, iudicantes esse perditionem inutilem, quod scirent Dominum non capi vnguentorum delitijs, imò frugalitatem vbique verbo, & exemplo docere, ac luxum detestari: vnguentum autem illud diuenditum multis potuisset prosuisse pauperibus pro quibus exemplo & doctrina Christi didicerunt esse soliciti. At Iudas inter alios præcipuè indignabatur, eadem quidem, quæ ālij dicebant, ptætexens suæ indignationi, sed ficto animo.

Dixit enim hoc (inquit Ioannes) *non quia de egenis pertinebat, ad eum*, hoc est, nō quia pauperes illi suetunt cuiæ, *sed quia fur erat, & loculos habens*, sibi à Domino conceditos, portabat ea, quæ à pijs hominibus Domino mittebantur, & dabantur, vnde egenis Dominus solitus fuit, quæ supererant impartiri, ex quibus Iudas subtrahere nonnihil solitus fuit: non syncera mente pendēs à magisterio Iesu, sed iam tum sibi prospiciens peculium, quo viueret ab eius consortio semotus. Indignabatur ergo lucrum sibi perijsse, quod ex vendito vnguento, & dato ipsi prætio consequi furando potuisset.

Sciens autem Iesus ait illis: Sinite eam in diem, &c. Non seuerè, & durè increpat Dominus indiscretam discipulorum indignationem, nec Iudæ prodit auaritiam, fictamque de pauperibus curam: sed docens nos longanimes esse erga eos, qui non malitia, sed errore peccant, & vitia occulta non esse mox detegenda: solita sua mansuetudine modestè reprimit eorum indignationem; Mariæ se patronum exhibens contra discipulos: quemadmodum alias exhibuerat semel contra Simonem Pharisæum, & iterum contra Martham sororem. *Sinite*, inquit, *eam*, hoc est, desinite esse illi molesti, cessando ab imperendo, & calumniando eam. Additque Dominus causam quare non debeant illi esse molesti.

Quia, inquit, *opus bonum operata est in me.* Quod dicit contra id, quod Apostoli dixerant: vt quid perditio hæc? Et quoniam illi iudicabant factum Mariæ esse opus perditionis, eo quod vnguentum diuenditum multis potuisset prosuisse pauperibus; putarentque frustra in Domini corpus effusum, quod ille huiusmodi delitijs non caperetur: Dominus ostensurus illam bonum opus in se esse operatam, & excludit quod de pauperibus eos mouebat, & ostendit non frustra factam in se vnguenti effusionem: quia non tam ob delitias facta fuerat, aut fieri permissa, quam ob mysticam aliquam rationem, ob quam reprehendere eam non possent meritò.

Bonum, inquit, *opus operata est in me*, quia quod ad pauperes attinet, quibus pretium huius vnguenti potius vobis videtur distribuendum fuisse: scitote quod pauperes quidem semper habetis, id est, habebitis vobiscum, *& cum voluerit is poteritis illis benefacere*, multa enim vobis adhuc semper erit materia, illis qui nunquam vobis deerunt, benefaciendi; *me autem non semper habetis*, breui enim à vobis sum auferendus, vt etiam si velitis, non possitis tunc bonum opus in me operari, vestrisque beneficijs me afficere; proinde merito sinendi sunt suis me corporalibus officijs & beneficijs afficere, quandiu hoc illis licet, qui erga me sunt animo propenso. Quoniam autem discipuli putabant non esse beneficium vnguenti effusione Domino impensum: quod ille delitias nō solū non sectaretur, sed fugeret: Dominus prosequens id quod tectè significauit, cum dixit, me autem non semper habetis, nimirum se breui moriturum, subijcit causam ob quam indicet se beneficio à muliere affectum, quanquam delitijs non caperetur: *Quod habuit*, inquit, hoc est, Græca phrasi quod potuit, *hæc fecit præuenit vngere corpus meum in sepulturam*: q.d. quoniam præuenta ab alijs in sepultura, & postea per accelerationem resurrectionis meæ non poterit meum corpus pro Iudæorum more vngere mortuum, ideo vt quod potest facere faciat, præuenit vngere corpus meum viuum, veluti iamiam sepeliendum. Pro quo habet Matthæus; *mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum*, ad sepeliendum me fecit. In Ioanne vero Latini codices fere habent; *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud*; pro quo Græca habent, In diem sepulturæ seruauit illud, [quo idem significatur cum eo quod habent Matthæus & Marcus. Sensus enim est, Seruauit hactenus illud vnguentum pro sepultura mea, & veluti iam esset dies sepulturæ meæ, me eo nunc vnxit vnguento. Nostra autem lectio ad sensum lectionis Græcæ reducitur, si intelligamus dictum esse: Sine illam vt seruet, pro eo quod dici poterat; sine illam seruare vnguentum hoc in diem sepulturæ meæ. Itaque intelligendum sic dictum esse, Sine illam seruare, vel vt seruet, quomodo illi qui culpat aliquem, quid facientem dicere solemus: Sine eum quod facit facere, aut, sine eum vt faciat, quod facit. Quasi Dominus dixisset: hæc mulier seruauit vnguentum illud in diem sepulturæ meæ; sine ergo eam seruare, vel seruasse, quod in illum vsum seruauit.] Quidquid autem est de verbis quæ in Ioanne & secundum Latinorum, & secundum Græcorum lectionem sunt obscura: certum est Ioannem significare voluisse id à Domino dictum quod alij duo planius extulerunt. Porro ex his quæ apud singulos Euangelistas illos dicūtur, apparet significati mulierem ideo modo vnxisse Dominum, quod sciret illum mox sepeliendum, ac tūc se

se impediendam ab vnctionis funeralis officio, atque ob id voluisse prævenire vnctionem, quam impendere non posset. Attamen verisimile magis est Mariā in hac vnctione nihil cogitasse de instante vel morte, vel sepultura Domini, sed ipsam simpliciter præamoris magnitudine Dominum multis laboribus defatigatum voluisse vnguento optimo perungere, quemadmodum & alias fecerat pro more Iudæorum, qui in solemnioribus conuiuijs vocatos hospites vnguento, vel oleo perfundere soliti erant: nō quod Maria crederet Dominum huiusmodi capi delitijs, cuius noverat frugalitatem: sed quod per amoris impotentiā suo indulgeret animo. Proinde cū dicitur illud fecisse ad sepeliendum, & vnxisse ad sepulturam, & seruasse vnguentum hoc in diem sepulturæ: intelligendum est hæc ob id dicta, quia Spiritus sanctus ipsam ignorantem quid ageret, monebat ad hoc opus; significare volens, & quod instaret Domini sepultura, & quod Maria ab vnctione mortuo præstanda impediretur, quemadmodum supra Cayphas nescius dicitur prophetasse. His autem necdum contentus Dominus, quo adhuc magis ostenderet, quam deberet merito ab omni calumnia liberum esse factum huius mulieris, subiecit, vt est apud Matthæum & Marcum

Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc, id est, historia eorum, quæ in carne feci pro electorum salute, dicetur inter cætera etiam illud quod hæc mulier fecit, idque dicetur non in vituperium eius, sed in eius perpetuam cum laude memoriam. Cum enim dicitur,

Dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius, dictio, quod, relatiuum est, non coniunctio; & pronomen, hæc, suppositum est verbi fecit, & pronomen, eius, est fœminini generis, referens ipsam mulierem, quemadmodum patet ex Græcis: proinde illud, in memoriam eius, referri debet non ad verbum proximum, sed ad verbum dicetur. Narrandum autem prædixit, & narrari voluit in toto orbe Dominus factum huius mulieris: tum quod esset opus declarans maximam huius mulieris erga ipsum non solum fidem, sed etiam charitatem, & deuotionem, tum quod fuerit opus propheticum; quo ad maiorem commendationem deuotionis, & pietatis in hac muliere; Spiritus sanctus duo illa præsignificauit, quæ supra dicta sunt.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic est. Sequenti narrationi de gloriosa Domini in Ierusalem introitu viam hac narratione præstruit Ioannes, cum turbam multam ex Iudæis, hoc est, Ierosolymitanis cognouisse dicit propter vicinitatem loci Iesum esse in Bethania, atque ob id prouocatam magnitudine recentis miraculi certatim venisse è Ierusalem, non tantum vt Iesum, sed etiam vt Lazarum viderent. Suadebat enim hoc in-

sita mortalium ingenijs curiositas. Porro Sacerdotum animos sic excæcauerat liuor & odium in Iesum: vt iam illorum malitiæ non satis esset occidere Iesum, sed etiam cogitarent, & consilio habito deceneret (hoc enim significat ἐβουλεύσαντο) etiam Lazarum interficere, in quem ne speciem quidem criminis vllam intentare poterant; nixi scilicet superioris sententiæ Cayphæ, quia expediret etiam Innocentem perire pro populo: vt non tota gens perierat.

Insidens asino intrat Dominus gloriosè in Hierusalem. Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

CAPVT CX.

†ᵇ *appropinquarent* ᶜ *appropinquasset* ▷ ᵇ *Hierosolyme* ‖ᵇ *Bethaniæ* ᵇ.*Oliuarum* ▷ ᵇ *mittit* ‖ᵇ.*ex discipulis suis* †ᶠ.*dicens* ▷ ᶜ *in quod introeuntes* ‖ᶜ.º.*alligatũ* †º. *dicite* ▷ᵇ º.*Domino necessarius est* ᶜ º.*Dominus eius opẽ dederat* ‖ᵇ º.*continuo*

[image_ref id="1" box="0.180,0.387,0.256,0.488" />

¹T ᶜ *factum est* ᵈ *in crastinum*, ¹ *cum* † *appropinquassent* ▷ ᵉ *Hierosolymis*', ᵉ & *venissẽt* ᶜ *ad* ᶠ *Bethphagẽ*, ᵇ & ‖ *Bethaniam*' ¹ *ad montem* ᶜ *qui vocatur* † ¹ *Oliueti*: ᵉ *tũc Iesus* ▷ ¹ *misit' duos* ‖ *discipulos* ᵇ *suos*' † ᵇ & *ait*' ᵉ *illis*: ¹ *Ite in castellum quod contra vos est*, ᵉ *& statim* ▷ ᵇ *introeuntes illuc*', ¹ *inuenietis* ᵉ *asinam alligatam*, & ¹ *pullum* ᵉ *asinæ* ‖ᵇ *ligatum*' ᵉ *cum ea*' ᵇ *super quem nemo adhuc hominum sedit*, ¹ *soluite* ᵇ *illum*, ¹ *& adducite* ᵉ *mihi*' ¹. *Et si quis* ᵉ *vobis* ᵉ *aliquid* ᵉ *dixerit*, [&] ᵉ *vos interrogauerit*: ᵇ *Quid facitis*? ᵉ *Quare soluitis*? *Sic* † ¹ *dicetis*' ᵉ *ei*: ¹ *Quia* ▷ *Dominus his opus habet*' ᵉ & ‖ *confestim' dimittet* † *eos*' ᵇ *huc*. ᵉ *Hoc autem factũ est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam & pullum filium subiugalis*. ‖ᶜ *Abierunt autem*' ᵉ *discipuli* ᵉ *qui missi fuerant*. & ᵇ *inuenerunt* ᵉ *sicut dixit illis stantem* ᵇ *pullum*, ᵇ *ligatum, ante ianuam foris in bitio* [&] ᵉ *fecerunt sicut præcepit illis Iesus*. ᵇ & *soluunt eum*. ᶜ *Soluentibus autem illis pullum* ★ ᵇ *quidam de illic stantibus* ᶜ *domini eius* † ᵇ *dixerunt ad illos*: ᵇ *Quid* ▷ *facitis soluentes' pullum*. ‖ᶜ *At illi*' *dixerunt* ᵇ *est sicut præceperat illis Iesus*: ᶜ *Dixit Dominus eum necessarium habet*. ᵇ *Et dimiserunt eis*. ¹ *Et* † *adduxerunt*' ᵉ *asinam*, & ᶜ *illum* ᵉ *pullum* ᵇ *ad Iesum*. ᶜ & ▷ *imposuerunt super eos*' *vestimenta sua*, ᶜ & ᵉ *iactantes vestimenta sua supra pullum*, ᶜ ‖ *eum desuper sedere fecerunt*'. † ᵈ *Inuenit* [ergo] *Iesus asellum*, & *sedit super eum*. ᵈ *sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei*. ᵉ *Eunte autem illo*, ▷ ᵉ *plurima turba*' ‖ ¹ *strauerunt vestimenta sua in via*, ᵉ *alij autem* ᵇ *frondes* ᵉ *cædebãt* [&] ᵉ *ramos* ᵃ *de arboribus, & sternebãt in via* [Et] ᵈ *turba multa quæ venerat ad diẽ festũ, cùm audissent*

audissent, quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarũ, † ᵇ.*illum* ‖ᵉ *abeũtes* *auẽ*. ᵇ. *Et ab euntes* ★ & † ᵇ.*dicebãt illis* ▷ *soluitis* ‖ᵇ. *Qui* † ᵇ. º. *duxerunt* ▷ ᵇ.*impotunt illi* ‖ᶜ.*imposuerunt Iesum* † ᵈ. *Et inuenit* ▷ ᵇ *multi autem* ‖ᶜ.*substernebant.* ★ *autem.* † ᵇ *qui præibant, & qui* ▷ ᵇ. º. *excelsis.*

& processerunt obuiam ei. ᵉ *Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus*. ¹ *Et* ᵃ *ramis* ★ † ᵉ *quæ præcedebant & quæ sequebantur*, ᵐ *clamabant* ᵇ *dicentes*: ᵐ *Hosanna* ᵃ *filio Dauid*. ᵛ *benedictus qui venit* ᶜ *rex* ᵛ *in nomine Domini* ᵈ *rex Israël*. ᵇ *Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid*, ᶜ *pax in cælo, & gloria in excelsis*, ᵉ *hosanna in* ▷ *altissimis*'. ᵈ *Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis: propterea & obuiam venit turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum*. ᵉ *Et quidam pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam dicẽs: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ*. ᵇ *Et introiuit Hierosolymam*. ᵃ *Et cùm intrasset Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ*. ᵈ *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos. Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abijt.*

Et factum est in crastinum cum appropinquassent Ierosolymis, &c. Marcus & Lucas dicunt Dominum cum mitteret discipulos appropinquasse Bethaniæ: non quod eam tum accederet, sed quod prope eam esset, non enim iam eam longe exierat, aut certe præpostere dicunt cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam, illudque sic intelligendum, cum appropinquasset ad Bethaniam, & deinde ad Bethphage ad montem oliuarum. Nam cum venisset Bethphage, & ad montem oliuarum iam Bethaniam pertransierat: cum Bethphage & mons Oliuarum viciniorfuerit ciuitati Ierusalem, quam Bethania. Erat autem Bethphage villula in monte Oliueti, qui Sabbati habebat iter a Ierusalem, hoc est distabat à Ierusalem mile passus, cum Bethania, 15 stadijs abesset, hoc est duobus fere milibus passuum. Cum ergo iuxta hunc locum veniret Dominus, ex quo Sacerdotes paschales victimas, & alias (vt est vetisimile) deducere in Ierusalem soliti erant: tunc Iesus misit duos discipulos dicens eis: *Ite in castellum, quod contra vos est*. Vbi pro castellum Græcis est, sicut frequenter, dictio κωμὴ, quæ vicum propriè significat, & pagum, quæ proinde inepte diceretur de Ierusalem, quod tamen quidam existimauerunt. Verisimile autem Dominum demonstrasse

monstrasse vicum Bethphage, de quo dicit, contra vos est, hoc est e regione vestri, & in conspectu vestro.

Huius ingressus Dominici præcipua causa.

Et statim introeuntes illuc, hoc est, in ipso introitu, inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Porro præcipua huius facti Dominici causa fuit, vt antequam pateretur, specimen quoddam regni sui Dominus exhiberet, seseque efficacibus argumentis Messiam comprobaret, expectatum: vt sic bonos in fide erga se confirmaret, & mali non haberent, quod in excusationem prætexere possent. [Sicut autem & alias semper in his, quæ circa Dominũ conrigerunt, humilia magnificis sunt coniuncta: ita & modo sic Regiam suam dignitatem, & magnificentiam ostendere voluit; vt tamen simul non desereret summam humilitatẽ, & mansuetudinem conuenientem primo suo aduentu, & Regno spirituali. Regiæ itaque potentiæ fuit, & magnificentiæ indicium, quod ad solum iussum, & necessitatis significationem, Domini iumentorum cesserint ei vsum eorum; quod discipulis, quos miserat, prædixit istud ita euenturum, & illos, mox vbi ingressi essent vicum inuenturos iumenta, eaque alligata. Deinde quod iumento insidens vectus sit, cum semper solitus fuerit pedes incedere; quodque tam concordibus animis, tantoque applausu, & veneratione ei à populo multo libere acclamatum est, non obstantibus Pharisæorum prohibitionibus, quibus etiam pridem cautum erat ne quis illum confiteretur esse Christum; & acclamatum est non quibuslibet verbis, sed Scripturæ verbis, multò ante de ipso prædictis. Postremo quod templum ingressus cæcos, & claudos curauit, negotiantes eiecit, seseque atrocissimis suis hostibus formidabilem exhibuit. His enim cunctis declarauit omnia sibi cognita, & suæ potestati esse subiecta; omniumque corda se habere in sua potestate, vt inclinare possit ea quo velit. At summæ humilitatis, & plusquam plebeiæ fuit, quod alieno, & accommodatitio iumento vsus est, quod asello insederit nihil minus, quam Regio vectore, quod pauperum discipulorum vestimentis non aureis vestibus insederit, stipatus inermibus comitibus, qui pro hastis, ac gladijs arborum ramusculos manibus gestabant. Quo vtique declarabat aliam esse conditionem Regni sui, quam regnorum huius mundi; se etsi à Patre potestatem accepisset cui omnia, cum vellet, cederent; tamen per humilitatem omnes velle ad se trahere, per eandem ingressurum se in gloriam suam, ac proinde etiam sectandam humilitatem omnibus his, qui eiusdem Regni ambirent esse consortes secum.] Hunc autem in Regiam ciuitatem Ierusalem introitum Domini mirabiliter temperatum, & planè Regia magnificentia, ac pompa, & plebeia humilitate, conueniebat per Prophetam prædici à Spiritu sancto: vt videntes Apo-

tes Apostoli, omnesque Iudæi facto Domini consentire Prophetę vaticinium, magis intelligerent ipsum quantumuis in mundo humilem, verè esse expectatum Messiam, desinerentque expectare mundanam Regni Messiæ gloriam. Vnde Prophęta velut signum quoddam præmonstrans quod eum Iudæi viderent excitarentur ad agnoscendum suum Regẽ, dicit per aduersibium demonstrandi.

Ecce Rex tuus venit, &c. Verũ cum nihil sit prętermissum à Christo, & Spiritu sancto, per quod ad Regis sui agnitionem perduci possent Iudæi: ipsi tamen occasione huius facti, ad contrarium prolapsi sunt: vt scilicet magis iam accenderentur ad occidendum illum; & occasionem agnoscendi Christum datam illis à Deo, sibi verterent in occasionem persequendi Christum. His præmissis sigillatim historiæ partes sunt pertractandæ. Itaque Dominus suam declarans omni scientiam, Apostolis suis prædicit in ipso mox introitu pagi inuenturos & asinam ligatam, & pullum cum ea, eumque talem, super quẽ nullus hominum vnquam sederit, suã autem declarans omnipotentiã, & supremũ Dominiũ, prædicit dominos iumentorum admonitos tantum de sua necessitate dimissuros ea.

Et statim, inquit Matthæus, *dimittet eos.* Quibus verbis significatur Dominum prædixisse Apostolis missis, quod Dominus iumentorum cum audisset illud, Dominus his opus habet, mox concessurus esset iumenta abduci ad Dominum. Sic enim omnino intelligendum esse patet ex Marco, qui in sequentibus narrans, quomodo omnia euenerint quemadmodum Dominus prædixit: postquã dixisset Apostolos dixisse interrogantibus cur soluerent, id quod præceperat eos dixisse Dominus, subiecit, *Et dimiserunt eos*; quanquam hic relatiuum non ad iumenta, sed ad Apostolos referendũ sit, vt sit sensus; & permiserunt Apostolos soluere & abducere iumenta. Itaque cum dicitur hic, & confestim dimittet eos: supposito verbi dimittet est ipse interrogator, Dominus scilicet iumentorum. Ne autem quis miretur quomodo super pullum asinæ Dominus æquitare potuerit (nõ enim super vtrumque animal successiue insedit vt communiter dicitur, sed soli pullo, licet asina etiam simul adducta Dominum pullo insedentem secuta fuerit) sciendũ quod dictio Hebraïca, quæ ponitur in vaticinio Zachariæ Asir, quam Latini & Græci pullum, & πῶλον solent reddere, non tam pullum, quam iuuentum asinum idoneum iam æquitationi significat: vt præter alia loca patet ex cap. Iudicum 10. Vbi dicũtur 30. filij Iair ascendisse super 30. pullos asinarum. Quod autem pullũ sibi delegerit Dominus, super quem nullus vnquam hominum sederat: ad literam quidem ita conueniebat Regiæ eius dignitati, & ad potestatis eius faciebat commendationem, quod indomitũ animal commodum se Domino sessori præbuerit; sed multo magis ob mysterium vocationis gentium hoc factum est.

Quomodo super pullum sederit Dominus.

Hoc au-

Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam. Ne quis existimaret subleuandi laboris, aut attendendæ alicui nouitatis causa Dominum misisse pro asina, & pullo, subiecit Euangelista Matthæus rationem facti Dominici, vt inquit, adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, nempe Zachariam ex cuius cap. 9. testimonium hoc desumptum est: quanquam non ad verbum siue spectes veritatem Hebraïcam, siue versionem Septuaginta. Quædam enim sunt omissa, quædam mutata, sed verbotenus, sensu manente eodem. Cæterum Ioannes pluribus omissis, & quibusdam etiam mutatis, citat hoc testimonium sic.

Noli timere filia Syon, ecce Rex tuus venit sedens pullum asinæ. Pro eo enim quod habet Hebræa Exulta filia Sion: ipse posuit quod secundum sensum idem est, Noli timere filia Sion. Significatur enim à Propheta filiam Sion meritò gaudere debere, quod iamdudum expectatus ipsius Rex veniret, & venieret ad saluandum, neque cũ terrore veniret, sed cum omni mansuetudine, vtpote insidens asello, & ob id non esse cur amplius metuat vel antiquos suos hostes, à quibus iam est liberanda, vel ipsummet Regem suum, qui cum tanta mansuetudinis ostentione se illi exhibet: formidolosus & durus futurus non filiæ Syon, sed hostibus eius dæmonibus, idolis, & omnibus impijs. Filiæ autem Syon, & filiæ Ierusalẽ hoc est phrasi Hebraica ciuibus Ierosolymitanis peculiariter denunciatur aduẽtus huius Regis: quod Syon arx esset regia, & sedes regni Dauidici, in quo successurus expectabatur Messias: proinde sub nomine filiæ Syon ad literam etiam comprehenduntur omnes Israëlitæ regnum Dauidis agnoscentes. Secundum spiritualem autem, & præcipuum sensum, sermo est de Syon, & Ierusalem spirituali, Christiana scilicet Ecclesia, in qua Christus verus Dauid regnat, tanquam iustus Rex, populum suum asserens è manu opprimentium eum; tanquam mansuetus, blandè illum suscipiens, ac peccata illi remittens.

Filia Syõ.

Abierunt ergo discipuli qui missi fuerant. Omnia euenerunt quẽadmodum Dominus prædixit. Nam & mox in ingressu inuenerunt iumenta, eaque quemadmodum prædictum erat illigata: & respondentes, quæ iussi erant dicere, permissi sunt iumenta ducere ad Iesum. Quæ cum adduxissent; quo Dominus & cõmodius, & honorificentius sederet: *imposuerunt*, inquit Matthæus, *super eos vestimenta sua*: exteriora scilicet, quæ pallia dicuntur, eũ Græce sit ἱμάτια. Super eos pluraliter imposita dicit vestimenta, siue quia super vtrumque animal posuerint Apostoli, ignorantes super quo sedere eligeret, siue etiam per synecdochen, quomodo quod sequitur apud eundem, & eum desuper sedere fecerunt. Hoc honore eum ab Apostolis suis Dominus affectus erat, secuta etiam est tur

barum pietas, & reuerentia, multiplex. Primò enim multa turba honoris causa partim illum è Bethania, quo pridie multi conuenerant, secuta est; partim è Ierusalem obuiam venit, cum audissent de aduentu Domini, vt habet Ioannes. Secundò honoris causa plurima turba imitantes, & superantes Apostolorum deuotionem, substernebant vestimenta sua in via, alij ramos, & frondes de arboribus oliuarum scilicet & palmarum, quarum copia erat in monte Oliueti sternebant in via, alij ramos palmarum, vt habet Ioannes deferebant manibus, & lætitiam animi sui hac ratione protestantes, & victorioſum Regẽ ipsum facto profitentes. Palma enim etiam apud Romanos & Græcos in victoriæ signum præferri, & dari solet. Apud Iudæos autem, quo minus pretens eorum factum miremur, peculiare erat in publicis, & solennibus gaudijs palmarum ramos manibus gestare. Ita enim vt facerent lætitiæ causa in festo Tabernaculorum præceptum fuit eis in lege. Itaque & nunc Iudei pro more præferebant ramos palmarum: at Spiritus sanctus, qui proculdubio ad hæc mouebat eorum corda, significauit per eos victoriam Christi, quam de diabolo, & morte mox erat reportaturus. Tertiò hoc honore affectus est à turbis Dominus, quod eius virtutes, id est, miracula deprædicauerint, & præcipuè miraculum resuscitati Lazari, vt habet Ioannes, quodque ei faustis acclamationibus & bene sint precati, & congratulati. Cum enim, vt habet Lucas, appropinquaret Dominus ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ discentium (sic enim legendum esse patet ex Græcis, quæ habent μαθητῶν, id est, discipulorum) gaudẽtes laudare Deum, &c. Non solum autem Deum laudabant, sed etiam tum præcedentes, tum sequentes concordibus animis Christo acclamabant dicentes;

Palmæ victoriæ indicium.

Leuit. 23.

Hosanna filio Dauid, Bene dictus qui venit in nomine Domini hosanna in excelsis. De vocabulo Hosanna varij multa scripserunt, sed certa nimis est recepta iam D. Hieronymi de vocabulo hoc sententia, qua plusquam probabiliter creditur istud Hosanna desumptum ex Psal. 117. ex quo desumptum est, quod sequitur Benedictus qui venit in nomine Domini. In eo enim Psalmo, pro eo quod ante hæc verba nos legimus; O Domine saluum fac (male enim quidam legunt, saluum me fac) ô Domine bene prosperate; in Hebræo legitur; Anna Adonai Hosiãna, &c. Vbi notandum quod Hosianna apud Hebræos sint duæ dictiones hoschia & Na. Duæ tamen istæ dictiones velut vna dictio pronunciantur, & dicitur Hosianna, pro hosiahanna. Itaque quoniam duæ hæ dictiones cõiunctim pronunciãtur (ex qua pronunciatione duplicatur litera mim) hinc D. Hiero. Hosianna vnum esse dicit verbum compositum ex duobus quorum vnum nempe hosiah cum sit imperatiuus tertiæ conjugationis Hebræorum, significat, saluum fac, vel salutifica; alte-

Hosanna quid

rum nempe Na, vel Anna, interiectio est obsecrantis æquiualens nostræ interiectioni ô, & proinde Hosianna idem est quod ô saluum fac, aut saluifica quæso. Illud quoque sciendum in imperatiuo tertiæ cõiugationis, non tantũ dici Hosciagh, sed etiã Hoscagh: vnde tam rectè dictum est ab illis Hosanna, quam Hosianna, vt à quibusdam nunc est diligenter annotatum. Et hæc quidem de vera ipsius Hosanna & significatione, & pronunciatione, atque scriptura; superest vt etiam aliquid de ipsius apud Hebræos vsu annotemus, qui plurimis ignotus est. Est ergo Hosanna familiaris Hebræis acclamatio, quæ in festo Tabernaculorum quotidie canitur ab eis frondes, & ramos gerentibus, & concinentibus similiter Litanijs nostris. Primùm enim recenseturingens aceruus nominum Dei, & ad singula succinitur Hosanna ad hunc modum. Propter te Deum Deorum, Hosanna; propter te Dominum dominorum Hosanna, &c. Deinde recensetur magnus aceruus eorum quæ Deo attribuuntur vt, propter veritatem tuam Hosanna, propter testamentum tuum Hosanna, &c. Post hæc enumeratur magna congeries earum rerum, quas saluari cupiunt, vt templum electum, Hosanna: Montem Moria, Hosanna, &c. Denique nullus est neque modus neque finis, sed omnia concrepant, personant, & reboant Hosanna, maximè septimo eius festi die. Itaque quod in festo Tabernaculorum Iudæi ex more facere solebãt, vt palmarum ramos gestantes acclamarent Hosanna: ad hoc iam extra tẽpus Spiritus Dei concitabantur. Qui primùm frondes in honorẽ præferre, & substernere illi admonuit, deinde frondium occasione in Hosanna prorumpere eos impulit; adimplens in eis quod de ipso longe ante per Dauidem fuit prophetatum, & in ipso Dauide, cùm in Regem à populo susciperetur, in figurã Messiæ prius gestum vt est verisimile. Nam Psalmus ille rectè ad literam ad Dauidem intelligitur pertinere; sed secundum præcipuum sensum ad Messiam, cuius Dauid penè per omnia fuit typus. Ex his licet etiam intelligere causam, ob quam Euangelistæ ipsam Hebraïcam dictionem non versam nobis reliquerunt, nempe quod sit familiaris Hebræis acclamatio sicut apud Græcos Io Peam, & apud Italos Io Triumphe, quod acclamatur in triumphis; & re fœliciter gesta. Cæterum mirum esse non debet quod Pharisæis indignantibus, quod in templo pueri Christo acclamarent Hosanna obiecerit illud Psalmi: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, &c. Quodque Lucas Græci sermonis eruditissimus, & ab Hebræis dictionibus studiosè abstinens ne id poneret, quod legenti faceret quæstionem, pro Hosanna in excelsis, posuerit Pax in cælo, & gloria in excelsis; affectum scilicet eorum exprimens, qui Hosanna acclamabant, non autem exactam vocabuli significationem. Decantantes enim suum Hosanna,

Eius vsus

Fi

na, sic precabantur fausta, vt simul etiam Deum laudarent pro dato diuinitus Rege iamdiu expectato (non enim est hæc dictio simpliciter precatoria, sed talis, qua cum gaudio mentis, & gratiarum actione ob beneficia à Deo præstita petitur conseruatio & prosperitas acceptorum beneficiorum) quanquam verisimile sit Lucam cum posuit illud Gloria in excelsis, non respexisse ad decantatum Hosanna; sed omissa pœnitus acclamatione illa, ea posuisse quæ erant ab alijs prætermissa: vt in multa illa turba variæ diuersorum potuerunt esse voces: ideoque lubentius ea posuisse, quod hæc acclamatio similis fuerit Hymno illo angelico in Natiuitate Christi à se descripto. Quod autem dicitur Hosanna filio Dauid, per datiuum; perinde est ac si per accusatiuum dictum fuisset: Sensus enim est; Saluum fac quæsumus filium Dauid, aut salutem affer filio Dauid. Non ergo his verbis sibi à Christo salutem præcantur; sed gaudentes se iam expectatum Messiam accepisse, eumque eum gaudio in Regem suum suscipientes: præcantur illi à Deo contingere salutem, & omnem fœlicitatem, ac prosperitatem: vt sub illo, & per illum etiam ipsi salui sint, & fœlices viuant ab omni hostium tyrannide, qua præmebantur, liberati. Vocant autem eum Filium Dauid, sed cum articulo, significantes se agnoscere ipsum esse expectatum Messiam, quem, vt supra dictum est, periphrasi hac notare solebant. Sequitur:

Benedictus qui venit in nomine Domini, vbi cum pro benedictus Græcis sit εὐλογημένος non εὐλόγητος omnino præcatorie videtur hæc oratio intelligenda, vt subintelligatur sit, quemadmodũ & in eo quod sequitur apud solum Marcum.

Benedictum sit quod venit Regnum Patris nostri Dauid, vt sit sensus, Benedictus sit, qui venit, & benedictum sit quod venit Regnum, quibus tamen verbis potuit intelligendum est eos imprecatos illi benedictionem diuinam, quam humanam hoc sensu, Sit benedictus à Deo, Deus illi benefaciat, prosperet, & secundet Regnum ipsius, vt per eum & nos simus benedicti, quemadmodum & in hoc quod sequitur, benedictum quod venit Regnum, præcari voluerunt Regno Messiæ benedictionem diuinam. Nam sensus est, Dei benedictione fœlix sit & faustum veniens nunc Regnum Dauidis. Itaque hæc acclamatio: Benedictus qui venit, similis est illi, qua Regi eum inauguratur populus acclamare solet. Viuat Rex, viuat Rex.

In nomine, autem, *Domini venisse dicitur Christus*, quia missus à Deo venit, quomodo supra dixit. Ego veni in nomine Patris mei, & nõ accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illũ accipietis. *Ioan. 5.*

Dicunt

Dicunt autem venisse Regnum Dauid, quia promissum illis fuit per Messiam tãquam filium Dauidis, restituendum Regnum Dauidis, quod proinde terrenum fore credebant, cum sit spirituale. Sicut autẽ omnino optatiuè videntur accipiendę prædictæ sententiæ: ita & quod habet solus Lucas pax in cælo, & gloria in excelsis; vt & hic subintelligatur verbum sit, & non verbum est: quemadmodum & de simili Angelorum acclamatione dictum est in cap. Conc. 8. Cum autem semper sit & fuerit summa pax in cælo, illud pax in cælo, sic videtur accipiendum; Sit nobis & Regi nostro pax in cęlo; aut sit Deo in cælo pax nobiscum, hoc est, qui hactenus Deum sensimus nobis offensum, & iratum; iam experiamur eum cum omnibus cælestibus nobis pacatum & propitium. *Et gloria sit in excelsis*, hoc est, glorificetur & laudetur Deus pro effusa ipsius in nos benignitate, ab Angelis suis in cælestibus. Rursum autem, vt est apud Matthæum & Marcum, repetunt pro familiari suo more Hosanna, & adijcitur, *in excelsis*, vel *altissimis*. Vbi ἐν τοῖς ὑψίστοις videtur positum pro ὁ ἐν τοῖς ὑψίστοις, id est, qui es in altissimis, vt sit sensus, Saluum fac quæso tu qui es in excelsis, quemadmodum ibi laudate Dominum in excelsis, hoc est, vos qui estis in excelsis.

Et quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum, &c. Pharisæi turbis permixti alijs Christum glorificantibus suo more inuidia contra ipsum commouentur; hanc tamen dissimulantes blandè compellant Dominum, veluti ei benè consulere volentes, ne ex acclamatione nominis Regis postea pateretur calumniam dicentes;

Magister increpa discipulos tuos, vt scilicet tua authoritate cohibeantur, qui nostra cohiberi non possent, ne ex immodico erga te præceptorem suum affectu, id tibi accinant, vnde & tibi, & nobis omnibus periculum imminet à Romanis. Discipulos autem dicunt non tantum Apostolos, sed omnes illos, qui Christum sequi essent soliti. Dicũt autem Pharisæi potius increpa discipulos tuos, quam turbam hanc: siue significare volentes Dominum sua authoritate illos posse compescere; siue etiam quod illi ex immodico affectu illa acclamarent; quemadmodum solent discipuli suo Magistro impensè nimis fauere. Porro Dominus inuidis Pharisęis appositè respondit, duo significans; nimirum quod hæc acclamatio nõ ab humano affectu, sed a Spiritu diuino proficisceretur, qui illos ad hanc acclamationem veluti necessitate quadam impelleret: vt proinde nec illi sint culpandi, qui acclamarent, nec ipse, qui eam admittebat: & quod Pharisæi ipsis acclamantibus indignantes, etiam ipsis duriores essent lapidibus: vt qui tam multis à se patratis miraculis, ac tam voluntaria, & concordi simplicis turbę acclamatione, non etiam permouerentur ad prædicandam Dei & Christi

Christi gloriam, quam turbis tacentibus etiam lapides erant prędicaturi. Itaque sua responsione, & se suosque absoluit & Pharisæos vicissim, perstringit:

Dico inquit *vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*: significans omnino fieri non posse, quin hi acclamẽt Deo eos ad hoc impellente, vt implerentur scripturæ.

Et vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illam. Inter tam lautas populi aggratulationes Christus recogitans mala ciuitati nobilissimæ & florentissimæ ob ipsius cæcitatem euentura, adeò est misericordia commotus vt etiam lachrymas profuderit, non super se occidendum à Ierosolymitanis, sed super illam, id est, propter illam, & illius exitium. Quod autem dixisse dicitur:

Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, &c. Admodum est obscurum, & ob id variè à diuersis est enarratum. Pro intelligentia autem eius assequenda, imprimis sciendum coniunctionem, quia, hic, sicut & alias frequenter, quod ad sensum attinet, otiosam esse, additamque ex phrasi Græca qua ὅτι quia vel quod præmittitur sententiæ quę ab aliquo recitatur esse dicta; vt sit particula narratiua. Deinde relatiuũ (quę) non potest referri ad die, quia ex Græcis patet esse pluralis numeri, vt sub audiendum sit verb plurale, quia Græcis est τὰ πρὸς εἰρήνην σου, i. ea quæ ad pacem tuam sunt vel pertinent. Postremo ea pars, quæ ad pacem tibi, referenda est ad verbum cognouisses hoc sensu, Si cognouisses etiam tu ea, quę ad pacem tuam faciunt. Et quoniam adhuc oratio pendere videtur, eo quod alterum verbũ desit, quod requirit coniunctio, si: intelligũt quidam sermonẽ esse defectiuũ, quomodo flentes solent verba abrumpere præ affectus magnitudine. Rectius tamẽ & simplicius accipietur coniunctio, si, hic posita optatiuè, pro vtinã, quemadmodum sæpe accipitur. Sic enim non erit opus aliqua subauditione, eritq; sensus ploranti accõmodus iste; O si, vel ô vtinã etiam tu nosses, quæ faciant tibi ad pacẽ. Secundũ hunc sensum, quẽ Hier. & Theophyl. sequuntur aduersatiua quæ sequitur, sic est subijcienda; Optarẽ sane te etiã nosse ea quæ pertinent ad pacẽ tuam; at quod vehemẽter est deplorandum, hæc sunt abscondita ab oculis tuis. Iam verò per hoc quod subditur: Quia venient dies in te, &c. Dicẽdũ est reddi à Domino causam sui cũ fletu, & ploratu desiderij, vt totius sententię hic sit sensus: O vtinam etiam tu quemadmodum ego, aut potius, quemadmodum hæc turba, cognoscerres ea quæ faciunt ad pacem tuam: hoc est ea, quæ faciunt ad tuam fœlicitatem, eaque saltem vel iam cognoscerres in isto die tuo, cum ad te hoc cognoscendum tot, & tanta inuitant. Nunc enim dum me habes, regnum cælorum tibi annunciantem, offeruntur tibi ea, quæ ad pacem tuam, & salutem pertinẽt, id quod ex vita, & doctrina mea,

& tot præclaris virtutibus pridem debueras agnoscere, & vel nũc tandem ex hoc meo secundum Prophetarum vaticinium aduentu. At nunc quod summè est deplorandum, non agnoscis quæ te agnoscere oportebat, sed abscondita sunt ista ab oculis tuis, id est, tibi sunt incognita, iustoque Dei iudicio tibi velata. Quod ob id flebilibus vocibus, & gemitu deploro, quia venient dies in te, id est, super te, vel contra te, &c. Hic sensus quàm se probe habeat, facile aduertet, qui conceperit quibus affectibus pectus Domini hæc dicentis exæstuauerit.

Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici, &c. Hæc omnia eo contigisse ordine, quo hic prædicit Dominus: testatur Iosephus lib. 7. de Bello Iudaici. Quod verò hic dicitur,

Non relinquent in te lapidẽ super lapidẽ, &c. Intelligendũ est dictũ hyperbolicè ad significãdum maximam, & extremam destructionem. Neque enim verisimile est tam fuisse curiosos, aut potius otiosos Romanos, vt eis vel vacauerint, vel libuerit singulos lapides abinuicem auellere, & alioquin aliquot turres relictas à Tito testatur Iosephus, qui lib. 7. sic maximam ciuitatis desolationẽ describit, vt ex eo intelligere liceat, quam verè hæc à Domino sint prædicta. Quod autem à Tito relictum fuit, deindè ab alijs principibus etiam subuersum scribitur: vt perfectè impletum sit quod Dominus prædixit; ciuitate Ierusalem sic pœnitus delecta, vt & post reædificata non eundem locum obtinuerit, nec idem nomen. Addit autem Dominus causam prædicti excidij Ierosolymitani;

Eo quod, inquit, *non cognouerit tempus visitationis tuæ*, hoc est, Tẽpus, quo Deus te per filium suum ad saluandum tẽ visitauit, de qua visitatione dicit Zacharias in suo Cãtico: Visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ:

Et cum intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, &c. Facit hæc narratio & ad commendationem gloriæ Christi, ac magnificentiæ pompæ huius, quæ in Ierusalem deduci voluit: vt quæ ipsa sui nouitate magnam adeo ciuitatem totam commouerit admiratione: & ad confutationem Iudæorum, vtqui ignorationem illius signi, quo Zacharias Regem illorum illis agnoscendum dedit, prætexere non possent, cum tota ciuitate celebris esset hic solennis introitus. Cum enim, inquit, intrasset Ierosolymam insolito spectaculo commota est vniuersa ciuitas dicẽs:

Quis est hic? Neque enim iam agnouerunt eum, qui prætet solitum nouo se modo illis exhibuit. Illis autem mirantibus, *populi*, hoc est, Turbæ vt habent Græca, quæ scilicet Dominum sequebãtur, proprio iam eum notant nomine, quoniam interrogati fuerant quis esset. Dicunt enim.

Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ, vt sit sensus: Hic est

est Iesus celebris ille Propheta, qui est à Nazareth Galileæ. Græcis enim est articulus & ad dictionem Prophæta, & ante à Nazareth.

Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos; Videtis quia nihil, &c. Cũ alias semper Ioannes Euangelista, & alij quoque Euangelistæ Pharisæorum nomen commemorent tanquam hostium Christi: verisimile est etiam hos Pharisæos inuidia contra Dominum cõmotos his verbis indignationem, & desperationem expressisse, quasi dicerent: Videtis quod prædicationis nihil proficerent: suosque complices quibus ex authoritate incũbebat impedire gloriã Iesu, his verbis excitare voluisse ad maioribus conatibus, præsidijs, & dolis adoriendum Iesum, vt sit sensus; Dixerũt ad semetipsos, hoc est, ad sese mutuo. Videtis quod varijs edictis propositis contra hunc hominem, varijsque consilijs tractatis nihil proficiamus. *Ecce* enim, cum prius paucos tantum habuerit discipulos; nunc, *totus mundus post eum abijt*, hoc est, eum sequitur: Proinde si rebus nostris bene consultum velimus, omnis fugienda dilatio est, omninoque hoc agendum, vt è medio breui tollatur. In totus mundus, est hyperbole vulgaris, qua significatur magna hominum multitudo concurrisse ad eũ, conuenitque ea hyperbole inuidiæ Pharisæorum, quæ cum dolore animi fœlicitatem eius cui inuidet extollere, & augmentare solet.

Cæci & claudi curantur à Christo, & gentiles ipsum videre desiderant.

Matthæi 12. Ioannis 12.

CAPVT CXI.

ET intrauit Iesus in templum Dei. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem principes sacerdotum, & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique nunquam legistis: Quia ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem? Erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat ab Bethsaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus & dicit Andreæ. Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora vt clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert: Qui amat animã suam perdet eã, & qui odit animã suã in hoc mũdo, in vitã æternã custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur,

A. 10. 55.
A. 16. 66.
B. 8. 66.
C. 9. 66.

quatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora, sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei loquutus est. Respondit Iesus, & dixit: Nō propter me hæc vox venit sed propter vos. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foràs. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: Et quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus, & abijt, & abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Verùtamē & ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisæos non confitebantur, vt è synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Iesus autem clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me: sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, & non

D.3.20. custodierit, ego non iudico eum. ‖ Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Quia ego ex meipso nō sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicā, & quid loquar. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater sic loquor.

Et intrauit Iesus in templum Dei, & accesserunt ad eū cæci, & claudi in templo, & sanauit eos, &c. Primum notandum quod Dominus ingressus solemniter Ierusalem, suo more mox ingressus est templum Dei: demonstrans se aliud non quærere quam Dei Patris sui gloriam, cui Phariſæi ipsum calumniabantur esse contrarium. Secundum notandum quod ingressus in templum, cæcos & claudos accedentes ad se curauerit, declarans scilicet, Regalem suam potentiam, & benignitatem, ac factis ipsis ostēn-

ostendens iam adesse tempus Messiæ quod his signis præmōstrauit Isaias, cum & ipse, quemadmodum Zacharias supra, ad gaudium inuitat ob aduentum noui Regis, & signa aduentus adiungit; Dicēs, dicite pusillanimis, cōfortamini, nolite timere, &c. Post pauca: Tunc aperientur oculi cęcorū, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus, claudus, &c.

Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia, &c. Etiam hoc ad gloriam Christi non parum faciebat, quod non solum grādiores natu Christo acclamarent fausta, appellantes eum Messiam, sed & pueri Maiorum exemplo prouocati, in quibus apparebat clarius energia Spiritus sancti, vt qui non ita vt turbæ videri poterant ad gratiam, aut ex pacto corrupti Domino hæc accinere quique neque præsentium Phariſęorum, & Sacerdotū gratia & metuenda authoritate cohiberi potuerunt, cum sit ea ætas timida. Fecit idem ad confusionem Phariſæorū, quod pueri Christum agnouerunt, quem natu grandes, & oraculorū legis, ac Prophetarum periti, etiam post tot conspecta miracula agnoscere noluerūt. Itaq; principes Sacerdotū inquit Matthæus, & Scribæ, cū viderent mirabilia, quæ Dominus fecit, sanando scilicet cæcos & claudos, ac rursum viderent pueros in templo clamantes Hosanna filio Dauid cū vtroque nomine prouocare deberent ad agnoscendum & prædicandum etiā cum alijs Regē suū, qui miraculis quæ ædebat cōfirmabat se vere esse quod tūc ab omnibus dicebatur, ex pectatū scilicet filiū Dauid: cōtra suo more, inuidia nimirū exæstuans, indignati sunt & callide Dominum compellantes dixerūt:

Audis quid isti dicunt? vt si attributū sibi Regis nomē agnosceret, haberent vnde eum accusare possent apud Præsidem, si vero non agnosceret haberent vnde turbam refellerent, tanquam falsa acclamantem. Dominus autem aptè & moderatè sic respondet, vt nihil habeant quod in verbis eius calumnientur, & vicissim eos non leuiter perstringat. Non enim dixit quod illi audire cupiebant, bené faciunt pueri testimonium mihi verum perhibentes, aut errant, pueri sunt, debetis ignoscere ætati, sed profert exemde octauo Psalmo, vt ipsomet tacente, testimonium Scripturarum puerorum dicta confirmaret, & Scripturarum peritos per Scripturas refelleret. Vtique inquit audio, quod isti dicunt.

Nunquā legistis vos, qui vobis de Scripturarum peritia placetis illud psalmi: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudē.* Propheta in genere dixit Deum semper solitū perficere suā laudem ex ore infantium, & lactentium, per infantes & lactentes significans & metaphoricè homines simplices, ac ineruditos, & hyperbolicè pueros ætate. Et quidem ad literam videri potest Dauidem per infantes & lactentes significasse Hebræos, qui Dei nomen & laudem carmine celebrare cœperūt cum liberati essēt ex Egypto:

Infantes, & lactentes.

Nã de his dicitur; decantauerũt Domine nomen sanctum tuũ, & victricem manum tuam laudauerunt pariter; quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas Infantium fecit disertas. Simul tamen significatur sensu mystico, Deum ad maiorem confusionem suorum hostium, solitũ eligere homines infirmos, & ineruditos, qui nomen eius prædicent, quemadmodũ patuit in plerisque Prophetarũ, & in Apostolis, quorum typus quidã fuerũt isti pueri; & proinde rectè testimoniũ hoc pueris istis Dominus accõmodauit. Quod enim in genere dictum est á Propheta, hoc Dominus specieì rectè accommodauit.

Erant autẽ quidã Gentiles ex his qui ascẽderant, &c. Cum Iudæi plerique diuino succensi spiritu, suum erga Christum affectum ipso opere & voce declarassent, ac Pharisei illius gloriæ inuiderẽt, commodè accidit siue prima die, siue aliqua sequenti, vt & Gentiles quidam suum erga Dominum affectum declararẽt: quo veluti præludio quodam ostenderetur etiam Gentes cum Iudæis in Christum creditutas, & plerisque Iudæorum indignantibus gloriæ Christi, illas desiderio ipsius accendendas. Illi enim modo cupiebant Christũ occidere, Gentes vero videre, & Gẽtes tales, quæ religionis gratia Ieroſolymam iam venerãt. Quidam ergo ex huiusmodi ethnicis, cum ingenti videndi Iesum desiderio tenerentur, de quo tam admiranda audierant, ac pudore reuocarentur, quo minus illum aditent, *accedentes ad Philippum rogauerunt eũ*, vt is aditum sibi aperiret ad Iesum, dicentes:

Domine volumus, hoc est cupimus & desideramus Iesum videre. Dominum vocant vulgari modo, reuerentiæ causa. Cum autẽ omnibus obuium fuerit Iesum videre palam in templo docentẽ, apparet hos non simpliciter optasse ipsum obiter videre in turba, sed cominus etiam salutare, ac cum eo loqui, & loquentẽ audire: vt videre hic positũ sit pro inuisere, aut familiarius colloqui, aut agere cũ aliquo. Crediderim autẽ hos etiã Philippo fuisse incognitos, obiter autem factum vt Philippum adirent, additumque illud;

Qui erat á Bethsaida, ad distinctionem aliorum, qui eodem appellabantur nomine. Philippus itaque ab istis rogatus, rẽ cõmunicat Andreæ cõterraneo, quod is maioris erat apud Dominũ authoritatis, á quo omniũ primus fuit vocatus. Andreas rursum & Philippus simul adeuntes Iesum, exposuerunt ei Gẽtium desiderium, iã incipientes ipsã re adimplere, dũ Gentes Christo adducere studẽt, quod prius typo adumbrabatur: eũ duo discipuli pallũ Domino adducerent. Vt autem discipuli nõ protinus Gentiles adducerent ad Iesum, sed prius ipsum adirent, nunciãtes adesse, quos teneret desiderium videndi ipsum: verisimiliter in causa fuit, quod prohibitũ sibi scirent a Christo, cũ Gentibus habere cõmercium, & cõsuetudinẽ; sed tantum cum ouibus quæ perierunt domus Israẽl.

Iesus

Iesus autem respondit dicens: venit hora vt clarificetur, &c. Vbi cognouit Dominus ex discipulis ethnicos quoque sui videndi desiderio teneri: cœpit hac occasione differere discipulis suis de gloria, quæ eum in vniuerso mundo maneret post mortem tamiam immmentem, per quam cum Scribæ & Pharisæi nomẽ eius extinguendum putarent, contra futurum erat, vt celebertimum redderetur cũ magno in se credentiũ fructu. Dicit ergo: Venit iã hora; id est, tempus vt clarificetur filius hominis, quasi dicat, Audistis Iudæos acclamãtes; Benedictus qui venit in nomine Domini, videtis Gẽtes simili cupiditate accurrere, ex his ergo agnoscite iã instare tempus, imò iam venisse, vt cũ Pharisæi credent me pœnitus extinctũ esse, tũ maximè glorificer, per ascentionẽ scilicet in cælos, & missionem Spiritus sancti, qua fiet vt nomen meum in vniuerso mũdo & prædicetur, & agnoscatur, multis vbique in me credẽtibus. [Hæc est enim gloria de qua loquitur, quã scilicet primum per Ascensionẽ in cælos, ac deinde per missionẽ Spiritus qui fide totũ mundũ impleturus erat, obtinuit, iuxta illud Psalmi: Exaltare super cælos Deus, & super omnẽ terrã gloria tua. Quoniã autẽ ad gloriã hãc peruenire nõ potuit nisi per mortẽ: hinc mentionẽ mortis suæ ingerit, ostẽdens quã illa sit toti mundo futura fructifera, a qua discipuli tãtopere abhorrebãt, tanquã indigna Domino suo: vt sic frequẽti mortis suæ inculcatione, & vtilitatis eius ostensione, scandalum crucis suæ ab illis tolleret. *Psal 56.*

Amen, amen, inquit, *dico vobis, nisi granum frumẽti cadens in terram, mortuum fuerit, &c.* Ipsum solum manet, id est, sine fructu. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Quo exemplo parabolicè significat. Ita & ego si non morerer, nullum fructum asserrem, vbi autem mortuus fuero, multum fructum allaturus sum mundo, & Patri. Mundo quidem, promerendo reconciliationem cum Deo, & Spiritus charismata, Patri vero, ex vniuerso orbe quãplurimos adducendo. Et quoniam non ipse tantum per mortem suam ingressurus erat in gloriam suam, & multum fructum mundo allaturus, sed omnes ipsum imitari hac ia parte deberent, qui eiusdem gloriæ vellẽt esse participes, quo ad mortem pro Dei gloria, & hominum salute subeundam etiam suos exemplo suo præpararet: docet etiam illorum mortem fore ipsis fructiferã: Sequitur enim quod supra aliquoties habitum est apud alios Euangelistas. *Qui amat animam suam*, cõtra me scilicet, *perdet eam* in futuro seculo. Et contra. *Qui*, propter me scilicet, *odit animam suam in hoc mundo*, ita vt eius naturalibus, vel carnalibus desiderijs nõ acquiescat, quoties meis contrariantur præceptis: in vitam æternam custodit eam. Addit autem & aliam rationem, qua magis adhuc ad mortem æquanimiter tolerandam prouocat, dicens.

Si quis mihi ministrat, hoc est, ministrũ meũ se exhibet & profi-

retur, me sequatur etiam in mortem vsque, quod non sine magno fructu facturus est, *sed vbi ego sum*, illic & ipse erit, eiusdem mecum consors gloriæ. Si quis enim mihi recte ministrauerit sic vt etiam sequatur: hunc Pater meus honore afficiet, quemadmodum me clarificaturus est, gloriæ illius per omnia inseruientem.

Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Quoniam passionis suæ meminerat, tanquam iamiam imminentis, ex cuius recordatione naturaliter in homine sequitur horror quidam: hinc Dominus humanè cædens infirmitati, permisit eam quod suum est pati, ac deinde seipsum ad tolerantiam confortat, Patris voluntatem & gloriam suæ naturali præponens voluntati. Dicit ergo: *Nunc*, cum scilicet instantem mihi mortem recogito, Anima mea turbata est, mortis scilicet horrore. Dicit anima mea, non autem Spiritus meus, quod turbatio hæc pertineret ad partem animalem, & sensibilem naturaliter mortem horrentem. In hac autem turbatione constitutus, quemadmodum accidere solet his, qui inter duo contraria, quorum vtrunque certis rationibus desiderant, dubitant quid magis sit optandum, subijcit: *Et quid dicam?* Vox enim mortem horrentis, & hærentis vtrum sit optandum. Et primum quidem proponit naturale animalis partis desiderium dicens:

Pater saluifica me ex hac hora, id est, libera me ab hora mortis imminente, hoc est à supplicio, quod mihi modò imminet. Horam enim, & tempus horret ratione supplicij: quemadmodum etiam postea apud Marcum dicitur orasse, vt si fieri posset, transiret ab eo hora. Cum autem animale, & naturale suum desiderium Dominus proposuisset, veluti seipsum corrigens, & reuocàs, quod precatus erat, subiecit:

Sed propterea veni in horam hanc; nempe vt horam hanc quam deprecatur, & horret vis sensibilis subitem. Cum ergo naturale hoc desiderium reuocasset, tanquam contrarium suo officio, & functioni, adiecit quod deliberatè, & certò præcandum recta ratio suggerebat, dicens:

Pater clarifica nomen tuum, q.d. Non hoc fiat, quod naturaliter ego desidero, sed quandoquidem nominis tui claritas iuxta tuam ordinationem pendet ex morte mea, id omnino velim in me, & de me facias, per quod nomen tuum illustretur, hoc est, tu ipse clarus & celebris habearis, & agnoscaris.

Venit ergo vox de cælo dicens, Et clarificaui, & iterum, &c. Vox hæc é cælo venisse dicitur, quia é supernis audita est diuina facta virtute, Patrisque cælestis referens personam. Itaque Domino precante, Pater clarifica, hoc est glorifica nomen tuum, Pater filium semper exaudiens respondet:

Et clarificaui, nomè meũ, *& iterũ clarificabo*, illud. Clarificauerat enim

enim nomen suum Pater, dum tam insignia bonitatis, & potentiæ suæ testimonia per Dominum agentem in carne ædiderat, ruit sum illud clarificaturus erat multò magis misso paracleto, qui vsque ad extremum terræ Euangelium gratiæ erat per Apostolos prædicaturus, & credere huic quamplurimis daturus. Id autem fieri non potuit, nisi intercedente morte Christi, quæ Spiritum hùc orbi vniuerso prometeretur. Hanc autem vocem cum auditent astantes, quidam dicebant tonitruum esse factum, qui scilicet sonum quidem audierant, sed præ turbatione vocem non intellexerunt: alij dicebant, Angelum ei locutum esse, qui scilicet vocem etiam intellexerunt. Dominus autem non propter se vocem hanc factam dicit, vt scilicet disceret quæ nesciebat, sed propter astantes, vt scilicet illi intelligerent ipsum esse à Deo, quodque mortem subiturus esset non exnecessitate, sed pro illustranda gloria Dei. Vnde subiecit:

Nunc iudicium est mundi. Declarare volens quomodo mors ipsius clarificatura esset nomen Dei. Iudicium autem mundi dicit iudicium, quod pro mundo, hoc est hominibus huius mundi diabolì tyrannide oppressis erat tum per mortem ipsius futurum contra diabolum, suo in homines imperio iusto Dei iudicio spoliandum. Vnde explicandi causà, quomodo iudicium nunc esset mundi, subiecit: *Iudicium mundi.*

Nunc Princeps huius mundi, hoc est diabolus, qui imperium sibi vendicat in homines huius mundi, *ejicietur foras*, hoc est, extra suum imperium, vt non sic hominibus dominetur, quemadmodum hactenus tyrannicè dominatus est. Porro quoniam dixit Principem huius mundi ejiciendum foras, quo ostenderet morte sua illum ejiciendum, eoque ejecto se in eius principatu successurum, subiecit:

Et ego si, id est, *cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum.* Græci legunt omnes non omnia, quod intelligendum est dictum distributione generica aut de electorum, & prædestinatorum numero. Aut si per omnia, ipsi homines sunt intelligendi (ait Aug. ostendens quomodo lectio nostra possit intelligi) omnia prædestinata ad salutem possumus dicere, aut certe hominum omnia genera secundum innumerabiles differentias, quibus inter se præter sola peccata homines distant. Per exaltationem à terra, suo more crucifixionem suam significat, quemadmodum Ioannes mox explanat, nõ solum quod per eam vere e corpus à terra attolleretur, sed etiam quod per eam in cælum Christus esset subuehendus vsque in dexteram Patris. Trahit autem ad se omnes Christus, quia misso paracleto, quem hominibus morte sua impetrauit, & meruit; efficit vt omnes ab renunciato dæmone per Christum superato, quem prius in idolis colebant homines, & cui per *Exaltatio a terra mors Christi & cruc.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

peccatum subiecti erant, illum sequantur, credentes in eum, & obedientes illi, ac ipsum Dominum suum agnoscentes.

Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege quia Christus, &c. Hæc responsio turbæ præsupponit Dominum inter alia etiam illud dixisse, quod ab Euangelista est præteruissum; Oportet exaltari filium hominis. Verisimile etiam est familiare fuisse Iudæis huiusmodi tropo crucifixionem circumscribere, quomodo & nos suspendium vocamus exaltationem à terra. Dicunt autem se audiuisse ex lege, id est, ex Scriptura, quod Christus maneret in æternum; quia à Scribis docebantur diligenter ea, quæ ad regnum, & gloriam Christi pertinebant, quorum æternitatem apertè & frequenter Scriptura testatur: non autem docebantur ea, quæ ad Christi pertinebant passionem, & humiliatem; quod hæc, quanquam à Prophetis etiam essent prædicta, non intelligerent ad Christum pertinere. Non intelligentes ergo quomodo Passio, & mors Christi non prohibeat eius æternitatem, ad quam non nisi per mortem peruenire quatenus homo, potuit; admirantur quomodo cum Scripturæ dicant Christum mansurum in æternum, ipse dixerit, oportere mori filium hominis. Et ne forte per filium hominis alium aliquem quam se significauerit, subijciunt;

Et quis est iste filius hominis? q. d. Si tu es filius ille hominis de quo loqueris, quia te soles filium hominis appellare, quomodo ergo te Christum vis haberi, & nos te esse credidimus; cum Christus in æternum nobiscum manere debeat, filium autem hominis dicas necessario moriturum? Quod si alius aliquis est filius hominis de quo loqueris, quis est ille? Non tamen est necesse intelligere turbam hæc maliciosè Christo obiecisse: sed recte accipitur simpliciter eos dubitationem suam ex verbis Domini conceptam proposuisse.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ex Græcis constat dictionem modicum, non coniungendam cum substantiuo lumē, habent enim μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν, id est, modicum tempus lux vobiscum est. Nec est Græcis in vobis, sed vobiscum: vt intelligatur Christus seipsum hic vocare lumen, vel lucē, ac significare se breui fore cum eis, sicut supra dixerat; Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Itaque Dominus non respondit ad obiectionem turbæ itum quod illi necdum capaces erant eorū mysteriorum, tum quod non esset tum tempestiuum, ea apertius prodere: sed tantum eos admonet, vt non obstrepant veritati, sed fidē cœptam retineant, & prosequantur, eo potissimum nomine, quod lux iā eis prælucens, mox esset ab eis auferenda. Dum autē se lucē vocat, tacitè respondet propositę obiectioni: significans se sic quidē moriturum breui, vt tamē nō pereat, sed maneat inæternū resuscitatos.

μικρὸν.

suscitatus: quēadmodum solis lumen dū occidit non extinguitur, sed breui succedens rursum apparet. Porro cum alias semper Dominus dicens: Adhuc modicum vobiscum sum; per modicū signi ficet tempus vsque ad mortem, & tēpus, quo cum hominibus erat familiariter conuersaturus: satis certum est etiam illud tempus hic designatum secundum proprium huius loci sensum: & Dominum se vocare lucem, quatenus suo ore Euangelium prædicantem, ac per sese miracula peragentem, quæ lucem hominibus præbere poterant ad resipiscentiam, quemadmodum supra dixit; quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Cum autem subditur:

Dum lucē habetis, ambulate & credite in lucem; Non significatur eos nō posse credere lucē ista post modicū illud tēporis sublata ab eis corporaliter: sed adhortatur eos Dominus vt præsentē modo etiā corporaliter, lucē amplexenturi quod breui non sic eā præsentem sint habituri; ac tum ipsis à tenebris plus fore periculi. Et quidem tenebræ hæ iam eos habebant, sed ait, *ne eos cōprehendant*, hoc est, ne vos totos occupent, & in finem vsque vobis dominentur. Quod enim hæc pars nō de tenebris inferni, sed de tenebris præsentis vitę, hoc est erroribus, sit accipienda, patet ex eo quod sequitur.

Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Ambulare enim præsentis est vitæ. Hac autem sententia, quo magis ad lucem præsentem amplexandam impellat Dominus ostendit periculum, & incommodum tenebrarum;

Qui ambulat, inquit, hoc est versatur in tenebris errorum, nescit quo vadat, nesciens enim tendit ad infernum, & mortem æternam; Aut nescit quo vadat, pro vbi vadat, quia putat se recta incedere via, cum sit extra eam, & erret, quemadmodum hodie contigit Iudæis. Contra significat Dominus eum qui in luce ambulat, & scire vbi incedat, scit enim rectā esse ad salutem viam quam incedit, & scire quo tendat, nimirum ad beatitudinem. Malo ergo tenebrarum demonstrato, repetit quod dixit allegoriam explicando;

Dum lucem habetis; credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hoc est, vt veræ lucis, & veritatis participes sitis. Dicuntur enim phrasi Hebraïca filij lucis, quemadmodum filij benedictionis, filij mortis, filij perditionis, quos ita vocat Scriptura, quod benedictionis & pacis sint participes, quod morti & benedictioni sint obnoxij. *Filij lucis*

Hæc locutus est Iesus & abijt, & abscondit se ab eis. Alij Euangelistæ testantur Dominum post solennem introitum in Ierusalem, vespertino tempore egressum in Bethaniam, & sequentibus diebus mane reuersum in Ierusalem. Vnde absconsio ista, de qua Ioannes, neque intelligenda est fuisse miraculosa, qualis fuit cum tollerent lapides vt iacerent in eum, neque intelli-

intelligendum est ad aliquot dierum tempus factam hanc absconsionem: sed hoc vocat absconsionem, quod vespertino tempore Dominus se quotidie subtraxit è Ierusalem, delitescens per noctem in Bethania, & in monte Oliueti: ne ante præfinitum tempus à Principibus Sacerdotum, & Scribis per noctem caperetur, qui per diem eum apprehendere non audebant, propter timorem tumultus popularis.

Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, &c. Hinc patet quod cum Ioannes diceret Dominum abscondisse se ab eis, locutus sit de incredulis Iudæis: ideoque Dominum se abscondisse ab eis, vt eorum declinaret furorem. Commodè autè hoc loco exaggerat Ioannes incredulitatem Iudæorum cum signorum multitudine collatam: quod iam non sit amplius cõmemoraturus miracula Christi coram Iudæis edita, sed digressurus ad passionis commemorationem. Quod dicitur tanta signa, quãuis intelligi posset tam magna signa: melius tamen intelligitur tot, vel tam multa signa. Nam Græca dictio τοσαῦτα vtrumque significat. Cum autem quidam Iudæorum Ierosolymitanorum in Christum proculdubio crediderint, dicit tamen absolutè, non credebant in eum, ob credentium paucitatem, quæ etiam significatur testimonio Isaiæ cum dicit, quis credidit nuobis quodque scripturę mos sit de impiorum multitudine tanquam de hominum vniuersitate loqui, sicut & de piorum quandoque multitudine. Porro no tandum coniunctionem vt, hoc loco, sicut & in alijs multis scripturæ locis non denotare causam finalem, sed euentum, & rei consecutionem: quæ apertè significabitur si addatur aduerbium, sic, vel ita, vt sit sensus: Non credebant, ita vt impleretur sermo Isaiæ, vel, vnde factum est vt impleretur. Est autem hoc prius testimonium desumptum ex principio cap. 53. Isaiæ, magis tamen secundum translationem Septuaginta, quam secundum Hebraïcam veritatem, quemadmodum & apud Paulum ad Rom. 10. Nam ex 70. addita est dictio Domine, quæ non est apud Hebræos; addita est autem ab illis explicandæ personæ gratia, vt scilicet non intelligantur hæc verba esse dicta in persona Dei, sed in persona ipsius Isaiæ, & omnium Prophetarum, omniumque qui Christi nomen Indæis annunciauerunt. Nomen autem auditus hic positum est pro sermone audito, vt sit sensus: Quis credidit his, quæ à nobis audierunt? Paulus enim hinc infert: Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi manifestè significans auditum, de quo in illo testimonio referendum ad auditores Apostolorum, & Prophetarum. Per brachium Domini quidam simpliciter intelligunt diuinam virtutem, quæ se in miraculis Christi exerebat, sed quã paucis datum est agnoscere. Qui intellectus probè conuenit cum eo, in cuius confirmationem hoc testimonium adducitur; Cum

Brachiũ Domini.

tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. Itaque secundum hunc intellectum significatur hoc testimonio paucos fuisse Iudæorum qui crederent aut dictis Prophetarum, aut signis Christi, diuinam eius virtutem declarantibus: idque partim tribuendum illorum voluntari credere nolenti, partim negatæ illis diuinæ reuelationi, iusto tamen Dei iudicio. Iam autem pro vero alterius testimonij intellectu, sciendum quod sicut coniunctio vt, quæ proprie designat causam finalem, nonnunquam nõ finem intentum designat, sed euentum tantum & consecutionem: ita coniunctiones quia propterea, & similes non semper designant causam essendi, sed tantum consecutionis necessitatem, & sequelæ ordinem, vt cum dicimus: Non potest Ioannes scribere, quia non habet papyrum & calamum: ibi coniunctio quia, non propriè causam alicuius rei significat, sed tantum sequelam vnius ex alio: & illud, non potest, non significat absolutam alicuius rei impossibilitatem, sed tantum impossibilem separationem vnius veritatis ab alia, vt sensus sit: Fieri non potest vt Ioannes scribat, cum non habet papyrum & calamum. Ita & in proposito cum dicitur: Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias: quia coniunctio &, propterea illatiuè tantum, & non causaliter accipiuntur, & illud non poterant, significat fidem Iudæorum non potuisse consistere cum prænunciatione Propheræ, qua Deus prædixit illos non creditutos. Itaque non significatur fuisse in Iudæis aliqua ad credendum impotentia, vel impossibilitas, cuius causa fuerit præscientia Dei, vel prædictio Propheræ: sed quod ad præscientiã Dei, & prædictionem Prophetæ necessario sequatur incredulitas Iudæorũ: quæ quoniam futura erat, causa erat vt eam Propheta prædiceret, non contra. Sensus ergo est; Fieri non poterat, vt cum Isaias dixerit eos non credituros, ipsi tamen crederent, quandoquidem non potest solui scriptura. Hanc huius loci intelligentiam & explicationem satis indicant Chryso. & Theoph. ad hunc locum. Cum autem excæcare, aut indurare dicitur Deus. Dupliciter id intelligi potest. Aut simpliciter, quia deserendo quosdam iusto suo iudicio, & non impartiendo eis suam gratiam, qua à sua prauitate vel infidelitate resipiscant, permittit eos excęcari, & indurari, cum posset eorum cæcitatem, & duritiam auferre. Aut etiam quia ingerit eis correptiones, monitiones, miracula, aliaque beneficia, quæ ex natura sua prouocant ad pœnitentiam, & fidem, quibus tamen ipsi iusto Dei iudicio sibi relicti, secundum suum reprobum sensum abutẽtes efficiuntur excæcati, & indurati. Itaque ad hunc modum hic dicitur Deus excæcasse oculos, id est, mentem Iudæorum, & indurasse cor, id est, voluntatem eorum, quia eos suo iusto quamuis occulto iudicio sibi relinquens, nec apponens gratiam, qua crederent, permisit excęcari, & indurari, idque exhibendo

Propterea & Quia non semper designant causam.

Excæcare, aut indurare quomodo dicatur Deus.

bendo eis per filium suum illa, per quæ ad agnitionẽ Messiæ promoueri debuissent, vnde illos tamen præsciuit suo vitio excæcandos, & indurãdos. Porro cum sequitur in citato testimonio, vt nõ videant oculis, & non intelligãt corde, & conuertantur, vt sanem eos: coniunctio, vt, accipi debet non causaliter, sed consecutiuè. Non enim Deus ea fine eos excæcauit, aut excæcari permisit vt non viderent, nec conuerterentur: cum Deus malum non permittat propter malum, sed propter bonum, quod inde nouit elicere. [Cæterum in citatione huius secũdi testimonij, quod desumptum est ex cap. 6. Isaiæ Euangelista non est sequutus Septuaginta, quẽadmodum Matthæus cap. 13. & Lucas Actuum vltimo, sed magis Hebraïcam veritatem, quamuis non ad verbum eam adduxerit, sed sensum bona fide reddere studuerit. Nam pro eo quod Hebræa habent per verba imperatiua. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude; ipse posuit, excæcauit oculos eorum, &c. Per verba enim illa imperatiua, nihil aliud significatur, quam Deum excæcaturum & induraturum cor populi Iudaïci; siue intelligantur esse verba Dei ad Isaiam, veluti præcipientis ei vt excæcet cor populi, siue intelligantur, vt potius cum Hieronymo est intelligendũ, esse verba Prophetæ ad Deum velut orãtis, vt quod ante hæc verba iussit ipsum annunciare, velit adimplere. Neque enim Deus Prophetæ potest præcipere intelligi, vt excæcet cor populi, nisi quia ei significabat quod occasione prædicationis ipsius, quam illi tum iniunxit, populus esset magis excæcandus; neque Propheta intelligendus est precari Deum populi excæcationem, nisi quia huiusmodi precatione more prophetico certò denunciat iusto iudicio Deum illos excæcaturum. Itaque quod ille precandi forma denunciauit Deum facturum; Euangelista quoniam iam impletum erat reddidit per verba præteriti tempotis iudicatiui modi excæcauit, & indurauit, &c.]

Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, &c. Relatiuum eius proculdubio refertur ad Iesum; proinde hoc loco manifestè astruitur diuinitas Christi, eiusque cum Patre æqualitas & naturæ, gloriæque identitas. Porro Euangelista videtur istud modo adiecisse, partim quo istius testimonij ostenderet maximum põdus, partim ne quis putaret hoc testimonium non pertinere ad Iudæos illius temporis, sed tantum ad Iudæos illius temporis quo fuit Esaias. Hæc, inquit, dixit Esaias non suo spiritu, sed spiritu afflatus diuino, quando scilicet oculis mentis vidit gloriam Christi, & locutus est de eo. Quid autem locutus est de eo? Apparet omnino quod ea quæ supra dicta sunt, nempe quod excæcarit oculos, & indurarit corda eorum. Vnde magis probabile est, quod illud Prophetæ. Excæca cor populi huius, &c. Verba sint Prophetæ ad Deum sub precandi forma denunciantis Deum excæcaturum Iudæos, quã quod,

quod, vt alij volunt, verba sint Dei ad Prophetam.

Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum, &c. q. d. Quãquam dixerim absolutè Iudæos non credidisse in Iesum, idque maximè fuerit verum de his, qui alicuius nominis fuerunt apud Iudæos: tamen nõ solum ex turba, sed etiam ex principibus, hoc est primarijs Iudæorum, multi crediderunt in eum, hoc est, crediderunt eum esse Messiam. Quanquam autem corde credentes miraculorum magnitudine, & multitudine conuicti, non tamen quod credebant, ore palam confitebantur propter metum Pharisæorum: ne ab illis, aut per illorum importunam sollicitationem de Synagoga ejiceretur.

Iam enim cõspirauerant Iudæi, vt si quis cõfiteretur eũ esse Christũ, extra Synagogã fieret, vt dicitur Ioã. 9. Addit autẽ Euãgelista causã quare metuerint illi fieri apostynagogi (hoc enim verbo vtitur hic rursũ Ioannes) hoc est excõmunicati fieri, & ejicere synagoga.

Quia, inquit, *dilexerunt magis gloriam hominum*. Hoc est gloriã apud homines, quã gloriam Dei: gloriã apud Deũ, & quæ a Deo obtinetur. Sicut enim ignominiosum apud homines iudicabãt eij ei é synagoga: ita gloriosum in synagoga versari, maximè sibi, qui cũ essent principes in Synagogis, honorabãtur, & primas obtinebãt cathedras. Hanc ergo gloriam, quã non solũ admittebant, sed etiam multum dilexerunt, ne amitterent, confiteri quod credebant, metuebent, quod propter gloriã apud Deum, quæ lõgè præferenda est gloriæ humanæ, obtinendã meritò cõfiteri debuissent.

Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, &c. Quo declararet Dominus se non metuere malitiam infidelium, & suo exemplo credentes, sed confiteri verentes (hac enim occasione commemorauit Euãgelista hæc à Domino dicta) excitaret, & animaret, vt secum Pharisæos præ Deo contemnerent, simulque ostenderet se de magnis locuturum, quæ omnes aduertere conuenirent: clamauit, ædita voce de se prædicans id quo nihil molestius audiebant Pharisæi.

Et dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me, quomodo Marc. 9 dicitur. *Qui me suscipit, non me suscipit*, sed eum qui misit me: quibus locutionibus significatur, quod huic vel illi factum est homini, non æstimandum secundum qualitatem hominis cui illud factum est, sed secundum dignitatem Dei, qui illud sit remuneraturus, aut vindicaturus tanquam sibi factum: ita vt negatio in his loquendi modis posita non tam neget, quam exaggeret: quomodo & legatus dicere potest, honorem qui sibi impenditur, non sibi, sed Principi suo impendi, quia scilicet honor ei, qui missus est, exhibitus redundat in eũ, qui misit, propter quem honor ille misso exhibetur. [Ergo, qui credit in me, is non credit in me supple tantum, sed & in eum, qui me misit.

misit. Aut non credit in me humilem secundum apparentiam hominum, tanquam fidei suæ terminum, sed credendo in me, credit in eum, qui misit me: tum quia honor misso exhibitus redundat in mittentem, tum quia vna est natura, & diuinitas amborum.] Ad ostendendam enim etiam naturæ suæ cum Patre vnitatem hæc ab eo dicta esse, manifestum est ijs quæ subijcit,

Et qui videt me, videt eum qui misit me; Vbi certum est Dominum non loqui de visione corporali, sed spirituali, quæ mente fit. Sensus ergo est; Qui ex meis miraculis & doctrina me potest contemplari, meamque fidē cognoscit, & peruidet dignitatem: is eodem obtutu contemplatur eum, qui misit me, quod cum illo vna sit mihi natura.

Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, &c. Dixerat quid sit, & quam magna res credere in se: modo ostendit quā hoc ipsum modo vtile sit, vt & hac ratione credentes in fide confirmaret, & non credentes, ad credendum prouocaret. Ego, inquit, cum sim lux ad hoc per assumptionem humanæ naturæ veni in mundum oriens ex alto, vt omnis qui credit in me non maneat in tenebris errorum & peccatorum, in quibus totum mundum deprehendi, sed fugatis spiritualibus illis tenebris veræ lucis participatione fruatur. *Et si quis audierit verba mea, & non custodierit.* Pro non custodierit, Græcè est non crediderit, quod præcedentibus magis conuenit. Dixerat enim quid futurū sit credenti, contra ergo nunc dicit quid euenturum sit non credenti. Cæterum nonnullam habet difficultatem & variè intelligitur quod dicit Dominus;

Ego non iudico eum. Primum vt sit sensus; Si quis audierit verba mea, & tamen ea fide non acceptauerit, nec custodierit, ego quidem quatenus homo nequaquam more regum huius mundi eum nunc condemno, & vindico: attamen non impunè me, meaque verba est contempturus. Is enim qui spernit me, nolens me agnoscere missum à Deo Messiam, habet etiam modo iudicem suum, qui illum sine me condemnat, sermonem scilicet meū ab ipso spretum, &c. Secundo vt sit sensus; Ego quidem contemptorem mei, & verborum meorum non iudico, nec vindico in præsenti, iuxta id quod sensibiliter hominibus esse videor, & tamen nō deest huic suus iudex. Pater enim meus cuius manū nemo effugere potest, iudex est illius, qui suo tempore, siue in hoc seculo, siue in futuro iustam de illo sumet vindictam. Imo non tantum Pater meus illius est iudex, sed & sermo quem locutus sum, hoc est doctrina ipsa mea ab ipso spreta iudicabit & condemnabit eum in nouissimo die. Quod eo modo simpliciter intelligendum est, quo supra significauit lucem spretam ab hominibus condemnare eos, quia scilicet ob lucem spretam, & sermonem Christi contemptū infideles condemnabuntur, & ex illorum contemptu constabit omnibus infideles esse condemnandos, nec vllam habere eos iustam inobedientiæ suæ excusationem: quemadmodum Niniuitæ & Regina Austri condemnabunt Iudæos, quia ex illorum facto patebit Iudæos merito esse cōdemnandos. Cum autem sequitur;

Quia ego ex meipso non sum locutus. Rectè intelligitur reddi ratio quare sermo a Christo locutus infideles Iudæos sit condemnaturus, nempe quia sermo ille & est à Deo profectus, ad vitam æternam hominibus præstandam, proinde eum qui audierit, & de ignorantia se excusare non poterit sermo ille condemnabit eo quod spreuerit sermonem & plane diuinum, & tam salutiferum. Iudicabit inquit eū quia ego ex meipso non sum locutus, vt quæ locutus sum finxerim ex meo capite, quemadmodum pseudoprophetæ. *sed qui misit me Pater ipse mihi mandatum dedit*, id est, præcepit, *& quid dicam*, & quid loquar, & certo scio *quia*, id est, quod mandatum eius, id est, id quod mihi mandauit hominibus annuntiādum, *sit vita æterna*, id est, vitam æternam conferat credentibus, & obedientibus ei. Itaque quoniam Pater mihi præcepit quid dicam, ego qui per omnia illi morem gero quæ loquor, sic omnia loquor, sicut ille mihi dixit, non solum nihil aliud loquens quam ab eo accepi, sed nec aliter quam accepi.

Maledicitur ficulneæ; & eijciuntur ementes & vendentes è templo. Matt. 12. Marci 11. Lucæ 19.

CAPVT CXII.

[a] T [b] circumspectis omnibus, cū iam vesperā esset hora [a] † [b] exijt reliquis illis. † [a] abiit foras extra ciuitatē in Bethaniā [b] cum duodecim, [a] ibique mansit. [b] Et alia die [a] mane [*] reuertens in ciuitatem, [b] cum [a] exirent à Bethania, [c] esurijt, ▷ Cumq; vidisset [b] in lōgē [a] sicī arborem [*] vnam [b] secus viam [a] habentem folia, [c] venit [a] ad eam, [b] ▷ [a.c.] Et si quid forsè inueniret in ea, [c] Et [b] cùm venisset ad eam, [c] nihil inuenit in ea, † [a] nisi [c] folia [a] tantùm, [b] non enim erat tempus ficorum. [a] Et [b] respondens † [c] dixit ei: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet, [&] [a] nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. [b] Et audiebant discipuli eius: [a] & arefacta est continuò sicut mea. [b] Et veniunt Hierosolymam. [1] Et ▷ [b] cùm introisset in templum [1] cœpit eijcere [a] omnes [1] vēdentes & ementes [a] in templo, & mensas nummulariorū, & cathedras vēdentiū columbas euertit, [b] & nō sinebat vt quisquā trāsferret vas per templū, [a] & [b] docebat † [1] dicēs [a], eis: [b] Nonne [1] [a] scriptum est, [c] Quia [1] domus mea, domus orationis [c] est, [&] [c] vocabitur [b] omnibus gentibus? [1] Vos autem fecistis illā speluncam latronum. [b] Quo audito principes sacerdotū & scribæ, quærebant quomodo eijciebat [*] ascendens [1] [a] dicit [c] ait illi [b] ▷ [a.c.] ita [1] effusus [a].

autem perderent, timebant enim eũ, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cũ mane transiret, viderũt ficum aridam factam à radicibus. ▶ *Et vesperãs* ▷ *Et videntes discipuli mirati sunt dicẽtes: Quomodo cõtinuò aruit?* ▶ *Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit.* ▷ *Respondens autem Iesus ait eis:* ▶ *Habete fidem Dei.* *Amen dico* *M.17.68.* *vobis,* ▶ *Quia si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solũ* *C.17.92.* *de ficulnea facietis: sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & iacta te in mare: fiet. [Et]* ▶ *quicunque dixerit huic mõti: Tollere, & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat: fiet ei. Propterea dico vobis omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis,* ▶ *& omnia quæcunque petieritis in ora-* *M.6.41.* *tione credentes, accipietis.* ◁ *& eueniens vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: vt & pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.*

Et circumspectis omnibus cum iam vespera esset hora, relictis illis abijt foras, &c. Obseruanda Christi & patientia, & auiditas salutis hominum, vt qui in tam ingrata ciuitate vsque ad vesperam ieiunus manens indefesso studio doctrinæ institerit, & cum iam vespera aduenisset, & omnes circunspexisset, num quis esset qui ipsum inuitaret veluti ambiens ab eis detineri, sine ingratitudinis exprobratione illis relictis redierit in Bethaniam.

Mane autem reuertens in ciuitatem esurijt. Esuries hæc quam ad literam certum est fuisse corporalem naturaliter, potuit etiam mane accidisse Christo: vt qui in hesterna cœna post totius diei ieiunium temperatissimè suo more cibum sumpserit, & noctem in oratione peregerit in monte Oliueti, vt patebit ex Luca. At probabile magis est dispensatiuè à Domino fuisse assumptam, & in seipso excitatam: sicut proculdubio dispẽsatione quadam accessit ad ficum, quærens ex ea fructum, quo saturaret esuriem, cum sciret non esse tempus ficuum, vt dicit Marcus: dispensatiuè item ficum, quod non haberet fructum execratus est, ita vt aresceret radicitus. Dispensatiuè autem esurijt, non tam vt veritatem humanæ naturæ ostenderet, quam vt sequenti miraculo locum daret. Quod miraculum cum, si literam tantum, & id quod gestum est spectemus Christo videatur indignum; certum est mysticas habuisse rationes, & aliud Dominum hoc facto *Mysticus sensus.* significare voluisse, quam quod gerebatur. Præter alia igitur omniũ maximè hęc ideo facta sunt, vt Dominus sua esurie corporali significaret quãtũ desideraret salutẽ Ierosolymitanorũ. Synagogã autem

autem eorum, & ciuitatem, quod desiderio ipsius non satisfacerent pœnitus perdendam, & diuina maledictione exiccandam. Porro quod Marcus dicit; Non enim erat tempus ficorum, non est necessario etiam ad mysterium trahendum: cum illud tantum ad dictum ab ipso videatur, quo rationem redderet, quare ad literam nihil inuentum fuerit in ficu præter folia, ac proinde significaret Dominum, qui sciebat non esse tempus ficorũ hæc fecisse in mysterio ad significãdum scilicet synagogam adeo Deo deferente & execrante exiccandam, vt etiam virorem suorum foliorum esset amissura, quod expectatum fructum non proferret tunc cum tẽpus erat illum proferendi: Itemque ex eo quod Dominus dicit ficui; Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, nõ est intelligendum Iudaicum populum perpetuo maledictioni diuinæ permansurum obnoxium, nec vnquam fructum facturum. Non enim oportet omnia quæ typo cõueniunt ipsi veritati significatæ similiter conuenire.

Et veniunt Ierosolymam, & cum introisset in Templum, &c. Inter prætermissa in simili facto Domini, quod descripsit Ioannes cap. 2. in cap. Concord. 19. illud est, quod D. Hieronymus hoc loco dictionem Græcam, quam Interpres vertit & hic, & ibi numularios, nempe κολύβιστας, vel κολλυβιστὰς aliter exponit, quam ibi ex Græcorum sententia exposuimus. Verum magis verisimile est hos nũmularios constitutos non ad mutuandã pecuniam, sed ad commutandam pecuniã, vt dicti sint non à κολύβω vt vult Hieronymus, sed à dictione κολλύβος quod significat nũmum paruum, qui pro commutanda pecunia nũmulario datur, vt dictum est circa Ioannem. Inter propria autem huic loco primũ est quod dicit Marcus Dominum non permisisse, vt quisquam transferret vas, hoc est sarcinam quamuis, aut instrumentum prophanũ, Græcè enim est σκῖνος deferret per templum. Secundum est, quod cum Dominus rationem sui facti apud Ioannem assignans dixerit: Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis: hic scripturæ authoritate suum factum commendans, & illorum quos ciecit factum condemnans dicit: Nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus Gentibus. Porro testimonium hoc legitur Isa. 56. Non est tamen hoc à Prophetã dictum potissimum de templo Ierosolymitano, sed potius de spiritali Dei templo quod est Ecclesia, de qua loquitur Esaias sub typo templi Ierosolymitani. Porro cum dicitur domus Dei vocanda domus orationis, nomen orationis accipi debet vt & gratiarum actionem includat, & laudem Dei, vt eadmodum sæpe in Scripturis, & rursum sub hoc principali reliqui actus sacri, qui vel oratione peraguntur, vel ad orationem & laudem Dei pertinent, sunt comprehendendi.

κολλυβιστὰς. *Nummularij.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cæterum cum subijcit Dominus;

Vos autem fecistis illam spelunçam latronum. Alluſit Dominus ad illud Ieremiæ. 7. Numquid ergo spelunca latronũ facta est Domus ista, &c. Propterea autem hic conqueritur Dominus domũ Dei factam spelunçam latronum, quod in illa, quemadmodum latrones tori intenti essent lucris temporalibus conquirendis. Deinde quia Phariſæi & Sacerdotes sub ſpecie boni ſuam obtegẽtes auaritiam & veluti in ſpelunca quadam latitantes, nihil aliud meditabantur, quam pauperum deſpoliationem.

Quo audito Principes Sacerdotum & ſcribæ quærebant, &c. Hinc patet iſtos à Domino potiſſimum fuiſſe notatos. Hi ergo & ſi ex ſcripturis, tantaque virtute increpiti eſſent, non ſolum impietatẽ ſuam non agnoſcebant, ſed magis contra monitorem efferabantur, quærentes quomodo eum perderent. Reddit autem Euangeliſta rationem quare non ſtatim ei manus iniecerint, ſed de modo perdendi erant ſolliciti; *Timebãt enim*, inquit, *eum*, quod ſic eſt accipiendum quia metuebant ne per illum, aut occaſione illius turba contra ipſos concitaretur.

Et cum mane tranſiret, viderunt ficum aridam factam, &c. Arefactio mox ſecuta eſt execrationem, ſed non ita ſtatim omnia folia deciderunt, vt ex ſignis quibuſdam agnoſcere tunc potuerint ficum aridam factam quemadmodum die ſequẽti. Proinde quod apud Matthæum ſequitur

Et videntes diſcipuli mirati ſunt dicentes; Quomodo continuò aruit, Non poteſt intelligi tunc contigiſſe, cum ea contigerunt, quæ apud ipſum præmittuntur: ſed ex Marco conſtat altera die contigiſſe, quando rurſum eadem via cum Domino diſcipuli pergentes in Ieruſalem videntes ficium arefactam inter ſe primum cum admiratione dixerunt:

Ecce quomodo contenus aruit; ac deinde Petrus memor execrationis Chriſti omnium nomine dixit Domino:

Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti, aruit. Ac tum quidẽ Dominus myſterium arefactæ arboris non expoſuit, ſed ab hoc facto tantũ ad fidendum firmiter Deo ipſos hortabatur, pollicens ſic fore, vt non illud ſolum quod tantopere admirabantur, ipſis eſſet facile, ſed & alia, quæ magis videntur impoſſibilia, & admiranda.

Habete, inquit, *fidem Dei*, id eſt, fiduciam in Deo, & ſubijcit cauſam; *Amen*, inquit, *dico vobis quia*, i. quod, *ſi habueritis fidem*, i. fiduciam, & non hæſitaueritis, nõ ſolum facietis de ficulnea, id eſt quod nunc in ficu accidit, *ſed etiam ſi monti huic* (veriſimile eſt demonſtraſſe montem Oliueti) *dixeritis, Tolle te, & iacta te in mare, fiet*. Quod Marcus ne ad Apoſtolos tantum pertinere putaret, generaliter extulit dicens, Quicunque dixerit monti huic, &c. Porro quo doceret Dominus fiduciam in Deo firmam non tantum ad miracula

miracula facienda eſſe efficacẽ, ſed & ad impetrandum per orationem quæuis à Deo;

Omnia, inquit, *quæcunque petieritis in oratione credentes*, id eſt, cũ fide, vel fiducia non vacillante, accipietis. Adijcit & aliam orationis conditionem maximè neceſſariam ad hoc vt ſit efficax, nimirum vt oraturus remittat proximo in ſe commiſſa.

Et cum ſtabitis, inquit, *ad orandum*. Stantes enim orare ſolẽt (vt dictum eſt ſuperius) *dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem*, hoc eſt, ſi quam iuſtam habetis contra aliquem quærelam, vt & Pater veſter dimittat vobis, &c. De his enim ſatis in cap. Concor. 41. ex Matthæi cap. ſexto.

Proponitur quæſtio de baptiſmo Ioannis, & parabola de duobus filijs. Mat. 21. Mar. 11. Luc 19. & 20. CAP. CXIII.

[E] ‡ᵇ *T veniunt rurſus Hieroſolymã*. ᶜ *Et erat docens quotidie in templo. Principes autem ſacerdotum, & ſcribæ, & principes plebis quærebant eũ perdere, & non inueniebãt quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat audiens illum*. ᶠ *Et* ᵉ *factum eſt in vna dierum* ᵇ *cùm veniſſet in templum,* ᵇ *& cùm ambularet in templo,* ᶜ *docẽte illo populum in templo, & euangelizante, conuenerunt principes ſacerdotum, & ſcribæ cum ſenioribus* [&] ‡ ᵉ *acceſſerũt ad eum* ᵉ *docentem* ▷ ᵉ *ſummi ſacerdotes* ᵇ *& ſcribæ,* ᵉ *& ſeniores populi,* ᵇ *& ‖ aiunt* ᶠ *dicentes* ‡ ᵇ *ad illum*: ᵉ *Dic nobis* ᶠ *in qua poteſtate hæc facis? & quis* ᵉ *eſt qui* ᶠ *dedit tibi hanc poteſtatem,* ᵇ *vt iſta faciat?* ᶠ *Reſpondens autem Ieſus* ▷ *dixit ad illos*: *Interrogabo vos & ego vnum ‖* ᵇ *ſermonem,* ᵇ *& ᵇ reſpondete mihi,* ᵉ *quem* ‡ *dixeritis mihi,* ᵉ *& ᵉ ſi vobis ego dixã in qua poteſtate hæc ‡ facio*: ᶠ *Baptiſmus Ioannis* ᵉ *vnde erat?* ᶠ ‡ *de cœlo* ᵇ *erat,* ᶠ ▷ ᵇ *an ex hominibus? Reſpondete mihi.* ᶠ *At illi cogitabant* ▷ *intra ſe*, *dicentes*: ᵉ *Quia* ᶠ *ſi dixerimus de cœlo, dicet* ᵉ *nobis*: ᶠ *Quare ergo non credidiſtis illi? Si autem* ᶠ ‖ *dixerimus ex hominibus, timemus* ‖ᵇ *turbam*. ᵉ *plebs vniuerſa lapidabit nos, certi ſunt enim Ioannem prophetam eſſe*. ᵉ *Omnes enim* ‡ *habebant Ioannem* ▷ ᵇ *quia verè prophetam* ‡ ᵉ *habẽt eſſet*. ᵉ *Et reſpondentes ‖ Ieſu,* ▷ ᵉ *ſicut dixerunt*: *Neſcimus.* ᵇ *Et* ᵇ *reſpondens* ᵇ *Ieſus* ᶠ *ait* ᶠ *illis* ᵉ *& ipſe*: *Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc ‡ facio*. ᵇ *Et cœpit eis in parabolis loqui*. ᵉ *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedẽs ad primũ dixit: Fili, vade, hodie operare in vinea mea. Ille autem reſpondens, ait: Nolo. Poſtea autem pœnitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens ait: Eo Domine. Et non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: primus. Dixit illis Ieſus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices*

‡ᵇ. acce-
dunt.
▷ᵉ. principes
ſacerdotũ
‖ᵖ. dicunt
‡ᵇ. ei
▷ᵉ. dixit
eis. ᵇ. aut
illis
‡ᵇ. ᵉ. ver-
bum
‡ᵇ. ᵉ. faciũ
▷ᵇ. ᵉ. ſe-
cum ᵉ. in-
ter ſe
‖ᵖ. popu-
lum
‡ᵉ. habẽt
▷ᵉ. ſicut
prophetã
‖ᵖ. dicunt
Ieſu
‡ᵇ. ᵉ. fa-
ciam
B. 12.

meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei, vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei.

Et veniunt rursus Ierosolymam; Et erat docens, &c. Ex Lucę verbis generalibus, ticut & ex eo quod postea Dominus dicit; Quotidie apud vos eram in templo docens; apparet Dominum non tribus tantùm diebus primus huius hebdomadæ (quos Marcus distinctè cummemorat) docuisse in templo, sed etiam sequentibus duobus: nisi Dominus intelligatur dixisse apud Lucam; Quotidie apud vos eram, quia aliquot diebus continuis sine intermissione apud eos in templo docuerat. Subijcit autē Lucas idē quod supra ex Marco est habitū, quod Domino docente Principes Sacerdotū, & Scribę, & Principes plebis, hoc est primates ciuitatis, quęrebant eū perdere. Ideo autē non inueniebāt, quid illi faceret tutò, quia metuebāt populum, quē videbant suspēsum esse cū audiret illum, id est, cū summa auiditate auditet illum, ita vt penderet ab ore eius, & inhiatet illi. Porro cum necdum auderēt illi manus inijcere aggrediuntur illum verbis tētare: sua authoritate putātes se illum pertetrefacere posse, & os eius obstruere, atque à faciendis, quæ faciebat, impedire. Itaque congregati Principes Sacerdotum, quorum erat sacrificia tractare, & Scribæ, quorum erat sacras scripturas populo exponere, & cum his seniores populi, apud quōs erat potestas in rebus temporalibus, vt magis commouerentur Dominus vtraque potestate accedunt Dominum in templo & docentem, & euangelizantem, dicuntque illi imperiosē.

Die nobis in qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem. Sensus est; Qua authoritate hæc facis, an propria & vsurpata, an ab alio accepta? Quod si ab alio accepta authoritate hæc facis, vt te omnino dicturum putamus: Quis est qui dedit tibi hanc potestatem, id est, authoritatem hæc faciendi (est enim ἐξουσία) Deus ne scilicet, an Pontifex an Cesar, aut alius quisquā, qui legitimè dare potest. Demonstrat autem pronomen hæc non potissimum miracula, quæ Dominus ædidit, sed alia quædā eius opera, quæ tunc nouo, & insolito modo faciebat: nimirum quod cum solemni acclamatione populi insidens asino ingressus est Ierusalem, quod è templo eiecit ementes & vendentes, &c. & præcipuè quod sibi vindicaret officium docendi quotidie in templo, cum hoc esset officium Scribarum. Id enim satis significat Lucas eum dicit, quod Domino docēte in templo conuenerūt, &c.

Respondens autē Iesus dixit ad illos: Interrogabo vos & ego, &c. Prudēter Dominus vicissim alia illis proponit simile quæstionē, ad quā si respōderet recusarēt, manifestū fieret indignos ipsos esse, qui audirent quod ab alio quærebāt, si verò rectè respōderēt, ipsi sua sententia condemnarent, imò & propositæ à se quæstioni ipsi simul satisfacerēt. Nā si dixissent Ioannis baptisma fuisse è cælo, hac respōsione etiā conuinci potuissent Iesum, cui Ioannes testimonium perhibuit diuina præditum potestate, & authoritate. Sic autem Dominus ad alterius propositionem quæstionis consurgit, vt tamen non possit videri subterfugere petitā respōsionem, dum promittit se responsurum, si illi responderent.

Interrogabo, inquit, *etiam vos ego vnum sermonem*, hoc est, vnum aliquid, vel vnam rem (est enim Hebraismus frequens in Scripturis). Quem si dixeritis mihi, etiam ego vobis dicam in qua potestate hæc faciam, imò me tacente ex vestra responsione manifestum erit, quod quæritis.

Baptismus Ioannis vnde erat, è cælo, an ex hominibus, hoc est à Deo profectus erat, an hominum fictione adinuentus? At illi perplexi, *cogitabant inter se*, vel potius reputabant inter sese dicentes: *Si dixerimus è cælo*, dicet nobis: Quare ergo nō credidistis ei, scilicet Ioanni, vt illo prædicante baptismum pœnitentiæ vos illum ab eo susciperetis.

Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus, ne turba ab eo gregatim baptizata lapidibus nos obruat tanquam blasphemos, eò quod omnes habeant Ioannem verè fuisse Prophetam, id est, doctorem diuinitus missum. Sic enim Prophetæ nomen accipi frequenter in Scripturis, superius diximus. Itaque cum neutram interrogationis partem se viderent tuto eligere posse, nō veriti sunt ignorantiam mentiri, & ad humilitatis verbum confugere, vt dicerent se nescire: multis sane nominibus sese condemnantes. Itaque cū declarassent se subterfugere responsionē ad id, quod quærebatur, & proinde indignos quibus respōderetur, quod quærebant: etiā Dominus dixit illis non quidē se nescire (non enim, vt illi, veritas mentiri potuit) *sed nec ego*, inquit, *dico vobis*, in qua potestate hæc facio. Quo significat & illos quidem scire, sed nolle dicere, & se quoque quod quærebatur scire; sed merito illis non dicere.

Et cœpit illis in Parabolis loqui, &c. Noluerunt dicere baptismū Ioannis è cælo esse, ne arguerentur illorum incredulitas, ideoque dixerunt se nescire quod quærebatur. At Dominus etiam ex hac responsione arripuit occasionem redarguendi eorum incredulitatem, quod nescirent illud, quod etiā peccatoribus, & Publicanis non fuit incognitum. Quo autem imprudētes contra se proferrēt sententiam, sicque efficacius perstringerentur, proponit eis aliam quæstionem sed sub ænigmate, & parabola dicens:

Quid autē vobis videtur? De eo scilicet quod nūc sum propositurus? *Homo quidā habebat duos filios, &c.* Est enim Parabola ipsa ad literam satis aperta. Quid autē per eā Dominus significare voluit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsemet accommodando eam postea aperuit: ex qua accommodatione patet eū per filios istos duos significasse duplex hominū genus, quos habet Deus Pater, eorum scilicet, qui manifesti sunt peccatores, & eorum qui iusti volunt videri. Per filium enim primum qui iussus ire in vineam, verbo quidem recusauit, sed postea pœnitentia motus fecit quod iussum erat, publicanos & meretrices significauit, qui cum imprimis voluntati Dei obedire recusassent, postea pœnitentia ducti ad prædicationē Ioannis voluntati diuinæ obedire cœperūt. Per filium verò alterum, qui verbo quidem obedientiā promisit, at facto inobediens fuit, Sacerdotes Iudæorū, Scribas, & Pharisæos notauit, qui cum verbo profiterentur promptitudinem obediendi Deo, semper habentes in ore legem Dei, Dei præcepta per Ioannem prædicata non fecerunt, cōtemnentes illius baptismum ac Christum, cui ille testimonium perhibuit, agnoscere recusantes.

Applicatio parabolæ.

Dicit illis Iesus: Amen dico vobis quia Publicani & meretrices, &c. Alludit Dominus ad responsionem illorum dicentium primum filium fecisse voluntatem Patris, & ostēdit bene eos dixisse primum, quia illi quos per filium illum significare voluit, præcederent ipsos. *Publicani* inquit, & meretrices (hæc enim erant duo hominum genera apud Iudæos infamia) modo præcedūt vos in hoc eit, ad regnum Dei. Nō quod etiam ipsi essent ad ingressum regni Dei festuri, sed quod illi eos anteirent, qui videbantur esse posteriores, & à regno Dei maximē elongati, quodque si & ipsi vellent regnum Dei ingredi, illos sequi deberent. Rationem subijcit dicens:

Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, i. per viā iustitiæ, hoc est venit vitā degens irreprehensibilem, & perfectam iustitiā præ se ferentē, qua satis declarauit se missum à Deo, & authoritatē magnam sibi conciliauit, & tamen non credidistis ei, Publicani, aut&, & meretrices crediderunt ei. Quanquam autem hæc sufficerent ad redargutionem illorum secundum exigentiam Parabolæ: tamen quo magis eorum redargueret inobedientiam addidit;

Vos autem videntes, fidem, & conuersionem peccatorum manifestorum, nec hac ratione commoti pœnitētiam habuistis postea vt etiam vos eum illis credederetis Ioanni.

Notētur Pharisæi parabola de locata vinea. Mar. 21. Mar. 12. Luc. 20. CAP. CXIIII.

†[b] = *Vinea amplissimo* ▷ [b] *lacu* ‖[c] = *colonum.*

[c]OEPIT autem dicere ad plebē parabolā hanc. [a] *Aliā parabolā audite:* † [1] *Homo* [c] *quidam* [a] *erat paterfamilias qui* [1] *plantauit vineam* [1]. [c] *& sepem circundedit* [a] *ei,* [c] *& fodit* [a] *in ea* ▷ [a] *torcular, & ædificauit turrim,* [1] [c] *locauit eā* ‖ *agricolis, & peregrè profectus est,* [c] *& ipse peregrè fuit multis temporibus.* [a] *Cū autem tempus fructuum appropinquasset,* ✻ [b] *misit ad agricolas* [b] *in tempore seruum, vt* † *ab agricolis* † [b]. [c] *vas acciperet de fructu vineæ. Qui* [b] *apprehensum eum cæciderunt, & cum* ▷ *casum* [b] *dimiserunt* [c] *eum* † [b] *inanem. Et* ▷ *iterum misit* [c] [b] *ad illos* ‖✻ *addidit* [b] *alterum seruum.* [c] *Illi autem* † [b] *hunc quoque* [b] *in capite vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt. [&]* [c] *cædentes & affligentes contumelia, dimiserunt inanem.* [a] *Et* ▷ *rursum* [b] *alium* [c] *tertium* [b] *misit,* [c] [b]. [c] *et illū qui* [b] *& illum* [a] *vulnerantes,* [b] *occiderunt. [&]* [c] *eiecerunt.*

mittere ‖ [b] *alium* ‖ [c] [b]. *et illū* ▷ [c]. *addidit mittere* † [a]. *nouissimè autem misit ad eos filium suum* [b] [c]. *verebuntur* ‖ [b]. [c]. *coloni autē* ‖ [b] *Adhuc ergo vnū habē filiū charissimū,* † [c] *& illū misit ad eos nouissimū* [c]. *Quē* [a] *dicens:* [b] *Quia* [a] *forsitan eū hunc viderint,* ▷ [1] *verebuntur* [c] *filiū meum.* ‖ [1] *Agricolæ autem* [c] *videntes filiū* [c] *cogitauerunt. [&]* [a] *dixerunt* † [b] *adinuicem* [c], *dicentes,* [1] *Hic est hæres* [a] *venite* [1] *occidamus eū.* ‖ [c] [b] *intra* † *& habebimus hæreditatem eius. Et* ▷ [c] *apprehensum eum eiecerūt* [c] † [b]. *& extra vineam, &* [c] *eiectum eum extra vineam* [1] *occiderunt.* [a] *Cum ergo venerit Dominus vineæ,* [1] *quid* ✻ *faciet* [a] *agricolis* [c] *illis* [b] *Dominus vineæ?* [a] *Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suā locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus:* [b] *Venite, & perdet colonos* [c] *istos,* [b] *et dabit vineam alijs.* [c] *Quo audito dixerunt illi: Absit. Ille autem aspiciens eos, ait:* [c] *Quid est ergo hoc quod scriptū est* ‖ [a] *Nunquam* [b] *scripturam hanc* [a] *legistis* [b] *in scripturis?* [1] *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* [c] *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* [a] *Ideo dico vobis Quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et* [c] *omnis* [c] *qui ceciderit super* † *lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit,* ▷ *conteret, eum.* [a] *Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret.* [b] *Et quærebant* [c] *principes sacerdotum & scribæ* ‖ [b] *mittere in illū manus* [c] *illa hora* [1], *&* [a] *quærentes tenere eum* [1] *timuerunt* † *turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.* [b] *Cognouerunt enim* † *quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.*

Tres istos seruos quos diuersis vicibus missos Marcus & Lucas scribunt, Matthæus simul comprehendit hoc modo:

MIsit seruos suos ad agricolas vt acciperēt fructus eius. Et agricolæ apprehēsis seruis eius, alium cecderūt, alium ▷ [b]. [c]. *reverò lapidauerūt.* [b] *Et* [a] *iterum misit* [c] *alios* [a] *seruos* [c] *plures* [a] *prioribus, & fecerūt illis similiter,* [b] *quos cæsos cædētes, alios verò occidentes.* [c] *Dixit autē Dominus vineæ: Quid faciam? mittā dilectū filiū meū* [b] *Adhuc ergo vnū habē filiū charissimū,* † [c] *& illū misit ad eos nouissimū* [c]. *Quē* [a] *dicens:* [b] *Quia* [a] *forsitan eū hunc viderint,* ▷ [1] *verebuntur* [c] *filiū meum.* ‖ [1] *Agricolæ autem* [c] *videntes filiū* [c] *cogitauerunt. [&]* [a] *dixerunt* † [b] *adinuicem* [c], *dicentes,* [1] *Hic est hæres* [a] *venite* [1] *occidamus eū.* ‖ [c] [b] *intra* † *& habebimus hæreditatem eius. Et* ▷ [c] *apprehensum eum eiecerūt* [c] † [b]. *& extra vineam, &* [c] *eiectum eum extra vineam* [1] *occiderunt.* [a] *Cum ergo venerit Dominus vineæ,* [1] *quid* ✻ *faciet* [a] *agricolis* [c] *illis* [b] *Dominus vineæ?* [a] *Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suā locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus:* [b] *Venite, & perdet colonos* [c] *istos,* [b] *et dabit vineam alijs.* [c] *Quo audito dixerunt illi: Absit. Ille autem aspiciens eos, ait:* [c] *Quid est ergo hoc quod scriptū est* ‖ [a] *Nunquam* [b] *scripturam hanc* [a] *legistis* [b] *in scripturis?* [1] *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* [c] *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* [a] *Ideo dico vobis Quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et* [c] *omnis* [c] *qui ceciderit super* † *lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit,* ▷ *conteret, eum.* [a] *Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret.* [b] *Et quærebant* [c] *principes sacerdotum & scribæ* ‖ [b] *mittere in illū manus* [c] *illa hora* [1], *&* [a] *quærentes tenere eum* [1] *timuerunt* † *turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.* [b] *Cognouerunt enim* † *quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.*

nostra erit hæreditas [c]. *vt nostra fiat hæreditas* ▷ [b] *aprehēdentes eū occiderūt & eiecerunt.* ✻ [b]. *ergo* ‖ [b]. *Nec* † [c], *illū.* [c]. *lapidē, cōquassabitur* ▷ [c] *comminuet* ‖ [b] *tenere est* † [b]. *turbā* [c], *populū* † [b] [c] *quoniā ad eos*

Universidad de Deusto
Biblioteca

dixerit. Et quidem parabola ipsa in se satis est clara, intentus autem à Domino sensus satis etiam colligitur ex his quæ in fine veluti pro parabolæ explicatione subijciuntur. Itaque per hominē Patremfamilias *qui plātauit*, vel vt legimus apud Marcum, & est idē *pastmauit vineā*. Deus Pater significatur totius mundi veluti suæ domus gubernator, qui populum Iudaïcum veluti vineam electā plantauit primo quidem in Ægypto, sed quoniam locus ille nō esset fructibus dandis aptus, postea transplantauit in terram Chanaā.

Explicatio parabolæ.

Psal. 79. Per sepem circundatam vineæ ac turrim in ea ædificatam, & torcular in ea effossum; in generali significatur Deum omnia huic vineæ prouidisse, quæ ei essent necessaria. In speciali autem per sepē rectè intelligitur ipsius Dei custodia per Angelos suos, & rectores populi. Per turrim ædificatam significatur simpliciter Deum populo Israëlitico dedisse speculatores, per Torcular, Lex quæ purum ab impuro discerneret, & per quam è populo veluti exprimeretur dulcissimum bonorum apertum vinum. Dicitur autem hic Paterfamilias fodisse in vinea torculari: quod lacunis olim effossis vinum recens expressum excipiebatur. Per agricolas autem quibus vinea locata fuit, significantur principes populi in rebus spiritualibus, & temporalibus, quibus vineam suam, id est, populum suum excolendum commisit. Non enim vendita dicitur vinea, sed locata, quia Dominus Principibus populi non tradidit populi sui dominium, sed dominio sibi seruato concessit eis lanam ouium, & lac requirens tamen sibi solui à sua vinea suauem iustitiæ fructum. Quod peregrè profectus dicitur Paterfamilias, & suis se peregrè, id est, in externa regione multis temporibus, significat Deum postquam se in monte Sinai populo Iudaïco, & principibus eius præsentem exhibuit, quando vineæ suæ de cunctis prouidit ne cessarijs, eāq; excolendā Principibus cōmisit, deinde velut absentē reliquisse eis liberum operandi arbitriū. Tempus fructuum erat, cum iā habitarent in terra promissionis quietē, tēpore scilicet Dauidis, Salomonis, & sequentibus, cū maximè videbatur tēpus opportunū reddendi fructum, qui erat obseruatio legaliū præceptorū, & virtutes. Per seruos missos vt acciperēt à vinitoribus frūctus vineæ, Prophetæ significantur missi, vt cōmonefacerent Principes sui debiti. At illi non solum nō dederunt debitos fructus, sed etiā Propheris iniecerunt manus, varijs modis eos indigne tractantes. Describitur autem duplex seruorum missio; altera qua singuli seorsum mittebantur quemadmodum describunt Marcus & Lucas, altera, quam prætermisit Lucas, dicuntur plures simul, vel successiuè missi, sed similiter cum alijs tribus tractati. Quibus seruorum missionibus significatum est, Deum imprimis quidem pauciores misisse Prophetas; idque frequenter, ac diuersis temporibus, sed postea maiorem Prophetarum numerum misisse; vt multitudine

dine coërciti facerent suum officiū. Quibus item missionibus Dei benignitas, & patientia commendatur, sed omnium maximè, per hoc quod in parabola Paterfamilias post occisos, & iniuria affectos omnes seruos suos, tandē etiam filium suum quē habebat & vnicū, & charissimū mississe dicitur: in quo procul dubio seipsum Dominus significauit. Quod autē dicitur Paterfamilias dixisse: Quid faciā? accipiendum est significare nō ambiguitatē, & perplexitatē in Deo, sed humani generis amorem, qui no permisit Deū quiescere, quin omnia rētarer, quibus ad resipiscentiā Iudaïcus populus moueri posset. Similiter quod dicit. Verebuntur filiū meū cum tamē nō sint reueriti: non ignorantiā significat Dei, sed significatur quid fieri iustum esset, & quid merito expectari ab eis posset. Quod autē agricolæ etiā viso filio suo adeo nō sunt reueriti, vt mox etiam inierint cōcilium de illo occidendo, vt hereditatē illius sibi posset vsurpare: significat Principes Iudęorū cum viderent Iesum haberi pro Christo Dei filio, & ex signis, atq; Prophetis merito id agnoscere deberent, inter sese cōsilium tractasse de occidēdo illo, ac certō decreuisse illū occidere, idque quia metuebāt ne per fidē populi in Iesum, ipsi à populo vilipenderentur, perirętque eorum & reuerentia, & lucrum; & quia cupiuerunt Dominum & possessionē populi Dei, quę Christo debebatur, sibi vendicare. Per hoc autem quod extra vineam filium agricolæ eiectum occiderunt: significare voluit Dominus se extrā Ierusalem educendum, atque extra portam passurum. Et hæc quidem pro parabolæ propositæ expositione. [Cæterum quod Matthęus dicit Scribas & Sacerdotes præsentes, & interrogatos respondisse quid Paterfamilias facturus esset agricolis illis; Malos, male perdet, &c. Marcus autem & Lucas hæc videntur Domino tribuere: quia omnino videtur ex Marco & Luca etiam Dominum dixisse colonos illos perdendos; rectè cum Chryso. dicitur primum quidem illos sicut habet Matthæus respondisse colonos illos perdendos, ignorantes se proferre contra seipsos sententiam; deinde vero Dominum etiam dixisse quod illi dixerant, confirmando, & approbando eorum sententiā; sed sic, vt ex verbis, vel gestu ipsius intelligerent illud contra se dictum, ac tum respondisse quemadmodum habet Lucas, Absit, significātes illud nequaquam sibi competere.]

Dicit illis Iesus Nunquam legistis in scriptura, Lapidem, &c. Cum illi contradicerent, nec in se quadrare parabolam vellent, Dominus eos in scripturis peritos ad scripturas remittit; vt hinc discerent ea quę à se repellebant (nimirum quod reiecturi essent filium Dei Christum, quod ob id malè essent perdendi, quodque ablata ab eis vinea Domini alijs esset tradenda) prædictum fuisse. Horum enim primum & tertium Dominus significat prædictum esse per Prophetam, cum dicitur de Messia; Lapidem ab ædificantibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

cantibus reprobatum factum in caput, id est, caput anguli. Hoc enim significatur Christum (de quo Psalmum illum dictum non potuerunt negare) & à primoribus reijcendum, & tamen principem aliorum fore, quod est vincam Domini alio transferendam esse, aut primoribus illis subtrahendam. Itaque qui in parabola significantur per agricolas, in Psalmo illo significantur per ædificantes, & qui per vineam, nunc significantur per ædificium. Circa sequentem autem Psalmi versiculum;

A Domino factum est istud, &c. Probabile est fœmininum genus ex Hebraica phrasi positum pro neutro, vt pronomen istud non referatur ad caput, vel ad angulum, sed ad totum quod præcessit hoc sensu: A Domino factum est istud, nempe vt reprobatus lapis fieret in caput anguli, &c. Hic enim sensus est conuenientior, quam si angulus intelligatur factus à Deo, vt ferè Greci intelligunt. Quoniam ergo reprobatum lapidem factum dixit Scriptura in caput anguli, quo intelligeremus quomodo id factum fuerit, subditur:

A Domino factum est istud. Hoc est non fortuitò hoc factum est, nec ab hominibus, sed à Domino, hominibus multis modis repugnantibus, sed frustra; ideo res hæc in oculis nostris, fidelium scilicet, est admirabilis. Ex hoc autem Scripturæ testimonio Dominus infert parabolã, quam illi à se depellebant, vere in ipsos quadrare dicens: Ideo, hoc est, quia secundum Scripturæ testimonium lapis à vobis ædificantibus est reijciendus, quia à Deo futurus est caput anguli:

Dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti, &c. Vbi simplicissimum fuerit, sicut alijs locis, Regnum Dei accipere pro statu, & gubernatione, qua Deus suum populum peculiariter dicitur regere, & in eo populo regnare, vt sit sensus; Desinet apud vos esse Regnum Dei, & incipiet esse apud Gentem facientem fructus eius regni. Non quod Iudæis negatum sit esse de Regno Dei: sed quod Ecclesia nunc præcipuè sit Gentium, sicut prius apud Iudæos præcipuè erat Dei Ecclesia, & Regnum, ad quod Gentes admittebantur quasi proselyti, & hospites.

Et omnis qui ceciderit super lapidem istum confringetur, &c. Diximus Scribas, & Sacerdotes dicentes, Absit, tria à se depellere voluisse, quorum primum & tertium testimonio Psalmi prædicto probauit: nunc ergo quod secundum posuimus, nempe quod mali, & filij Dei occisores male perdentur, ostendit: occasionem ex prædicto Psalmi testimonio desumens allegoria scilicet mutuata à lapide, cuius nomine Christus in illo testimonio designatur. Ita enim in lapide aliquo magno, & solido euenire videmus, vt si super ipsum ex alto loco vasa quædam testea decidant, illum quidẽ nullatenus lædant, ipsa vero confringantur, sed sic vt frequenter ma-

maneant partes quædam magnæ, quæ vsui esse possint, aut ex illis partibus cõfracta vasa possint reparari. Si vero huiusmodi lapis ex alto loco ipse decidat super vasa testea, non solũ illa cõfringuntur, sed etiam cõteruntur & in minutissimas partes cõminuuntur, vt nihil supersit quod vsui esse possit. Itaque significat Dominus hac similitudine lapidis, omnes homines esse velut testea vasa, eosque qui se superbè in hac vita supra mysticum illum lapidem eleuantes super ipsum ceciderint, perdere eum & frangere conantes, & veluti pedibus suis illum calcantes, nihil quidem ipsi nocituros, sed seipsos confracturos; quia & mẽti, & corpori perniciem sunt allaturi; omnisque eorum virtus deficiet, idque eò magis, quo fortius huic lapidi illiduntur obsistendo ei, & conando eum perdere. Nondum tamen sic confringendos, & perdendos, quin reparari possint, si velint. At cum lapis ille in cælum eleuatus, super impios sua graui vltione ceciderit, tum illos sic perdendos, vt iam non possit esse aliqua reparationis spes.

Et cum audissent Principes Sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, &c. Matthæus dicit pluraliter Parabolas, quia duas posuit Parabolas, quibus illorum inetedulitas, & impietas notata est; cum Marcus & Lucas vnam tantum posuerint.

Parabola proponitur de nuptijs filij.

Matth. 22. CAP. CXV.

Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebãt venire. Iterum misit alios seruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prãdium meũ paraui, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. Illi autẽ neglexerũt, & abierũt, alius in villã suã, alius ad negotiationẽ suã: reliqui vero tenuerunt seruos eius, & cõtumelijs affectos, occiderunt. Rex autẽ cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatẽ illorum succẽdit. Tũc ait seruis suis: Nuptiæ quidẽ paratæ sunt, sed qui inuitati erãt, non fuerunt digni: ite ergo ad exitus viarũ, et quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem rex vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras

Universidad de Deusto
Biblioteca

bras exteriores sibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis, &c. Respondisse dicitur Iesus, quamquam non præcedat aliqua quæstio Scribarum & Sacerdotum: siue quia respondit cogitationi eorum affectantium ipsum capere, siue simpliciter quia hanc parabolam superioribus subiecit. Commodè autem hanc superiori de vinea locata subiecit Dominus: quod hac idem quidem quod præcedente significatur, nimirum Regnum Dei à Iudæis propter ipsorum impietatem auferendum, & dandum Gentibus: sed tamen quædã hic apertius significantur quam illa præcedente, quędam etiam vberius, quam quæ illa erant significata. Habita est quidem & superius ex Lucæ 14. in cap. Conc. 91. similis parabola: sed ea vt est alio tempore & loco dicta, quam sit diuersa ab hac, facile ex comparatione colligi potest. Est autem hæc parabola per se satis clara, vt in litera, & exempli declaratione non sit opus hærere. Nec obscurum est quid per parabolam, & illius singulas partes Dominus significare voluerit. Nam per hominem Regem parabolicè significari Deũ Patrẽ certum est, qui Rex est vniuersi quique nunc cõmodè per hominem Regem significatur: tum quia postea de vindicta dicitur, quæ pertinet ad Regem, tum ad significandum nuptias, de quibus in parabola, non vulgares fuisse, sed magnificas, vtpote Regias, & Regis filio præparatas. Accipitur autem hoc loco vocabulum nuptiæ pro conuiuio nuptiali, quemadmodum patet ex eo quod ad nuptias homines dicantur inuitati. Prouide Deum Patrem fecisse nuptias filio suo, non debet sic declarari, quia eum in vtero virginis humanæ naturæ coniunxit, aut quia per incarnationis mysterium sanctam ei Ecclesiam fidelium in sponsam sociauit: sed quia ratione huiusmodi coniunctionis filij sui cum Ecclesia Deus Pater nuptiale conuiuium ad honorem filij sui hominibus præparauit. Est autem nuptiale istud conuiuium illud, quo Deus in hac vita mentes fidelium pascit iucunda, & salutari doctrinæ Euangelicæ prædicatione, ac varijs Sacramentorum & charismatum ferculis, quo item & post hanc vitam eos pascit, & vsque ad satietatem reficit gaudijs æternæ beatitudinis. Porro per inuitatos ad nuptias significantur Iudæi, qui olim per Prophetas, & legem inuitati erant ad nuptiale illud conuiuium in tempore gratiæ per aduentum Messiæ exhibendum, quemadmodum solẽt aliqui inuitari ad nuptias aliquot diebus antequã nuptiæ exhibeãtur. Per seruos autem primò missos rectè intelliguntur significati Ioannes Baptista, & Apostoli (significantur enim isti etiam missi cum iã nuptiæ paratæ essent) qui ante mortẽ Christi prędicauerũt Renũ cęlorũ appropinquasse, vocãtes Iudęos ad paratas nuptias.

Applicatio parabolæ.

Deus Pater fecit nuptias filio suo quo modo intelligatur

dum

dum ad pœnitentiam agendam eos hortabantur. Per seruos autem secundò missos, eidem Apostoli simul cum aliis multis vt Paulo, & Barnaba missi post resurrectionem ad prædicandum Iudeis. Porro notandum quod cum in priori missione serui tantum dicantur missi vocare inuitatos, in secunda iussi sunt dicere inuitatis: Ecce prãdium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata. Hoc enim Apostolos post Christi resurrectionẽ ex Dei iussione prædicasse Messiam mortuum, crucifixum, & resurrexisse, omniaque tunc peracta esse, quæ ad salutem hominũ, & spiritualem eorum refectionem essent necessaria: tantum superesse vt fide venirent, & propositorum fierent bonorum participes. Bene autem prandium paratum dicitur: quòd hic potissimùm significentur ea bona, quibus struuntur fideles in præsenti vita, post quæ velut cœna sequitur fruitio bonorũ cælestium. Quod autem inuitatorum quidam neglexerunt venire, abeuntes vel in villam suam, vel in negotiationem suam, alij verò etiam apprehensos seruos contumelijs affecerunt, & occiderunt: significat Iudæorum quosdã neglexisse bona, ad quæ inuitabantur, abstractos scilicet ab eis amore & cura bonorum terrenorum, quosdam verò inuitationem Dei ægrè ferentes, illos etiam post multas contumelias occidisse. Iustè ergo tantam impietatem Iudæorum secuta est vltio diuina, quæ significatur per sequentia. *Rex autem cum audisset, iratus est, &c.* Eo enim significatur Deum Patrem, qui vt est tardus ad iram, non tarim vltus est Iudæos, sed dissimulasse ad tempus iniuriam sibi, & seruis suis illatam: sed tamen tandẽ velut illa iam audita, & intellecta emisisse exercitus Romanorum (qui propterea dicuntur Dei exercitus, quod his Deus vsus sit ad vindictam necis Dominicæ, & Apostolorum) qui sub Tito, & Vespasiano, homicidas Iudæos perdiderunt simul cum ciuitate eorum Ierusalem igne vastata. Sequitur in Parabola; *Tunc ait seruis suis; Nuptiæ quidem paratæ sunt, &c.* Per quæ proculdubio significauit Dominus, quod Iudæis indignos se reddentibus bonis Euãgelicis, prædicatores Euangelij à Deo mittendi essent ad vocandum populum Gentilem, qui quoniam nullas acceperat de Messia, & bonis cælestibus promissiones, nõ erat vt populus Iudaicus olim ad has nuptias inuitatus, nec videbantur illis nuptiæ istæ præparatæ: sed incredulitas Iudæorum facta est occasio vocationis Gentium. Porro cum dicitur:

Tunc ait seruis suis. Dictio tunc, non refertur ad omnia præcedentia, sed tunc, cum scilicet audisset seruos suos necatos, & inuitatos nolle venire. Cęterum exitus viarum in quos iubentur egredi serui ad literam sunt vbi multæ viæ simul coeunt, & multæ viæ exeunt; vbi probabilius est multos reperiri posse ex diuersis viis illuc confluentes, vt significetur multos ad nuptias vocandos.

Exitus viarum.

Aue

Aut simplicius per exitus viarum significantur fides & termini viarum, in quibus abiecti fere commorantur; vt significetur prædicatores missos etiam ad vocandum abiectissimas gentes, easque remotissimas. [Cum autem prius mitterentur in ciuitatem ad ciues, nunc è ciuitate emittuntur in vias & exitus viarum, quæ sunt extra ciuitatem: ad significandum quod Iudæi Rempublicam habentes legibus diuinis constitutam veluti ciues ciuitatem incolebant, Gentes vero cultu veri Dei, ac legibus iustis carentes, atque in variis dispersæ erroribus, veluti in agris morabantur.] Quod autem Rex dicit seruis;

Hieron. August. Gregor.

Quoscunque inueneritis vocate ad nuptias; Significat Deum sine personarum delectu quosuis ad bonorum suorum participationem velle vocari. Quod vero seruis egressis bonos & malos pariter congregasse dicuntur: magis est dictum à Domino propter rem per parabolam significandam, quam propter exemplum parabolæ, cui illud parum conuenit. Itaque boni & mali dicuntur non ratione bonitatis, & malitiæ in qua fuerant cum vocarentur; sed in qua post vocationem erant futuri. Cæterum quod dicit nuptias impleras esse discumbentium, id est, discumbentibus: significat non defuturum quenquam prædestinatorum ad fidem nuptialis conuiuij Christi, sed hoc conuiuium habiturum plenum suum numerum, nec quicquam eius plenitudini, & celebritati obfuturum, quod inuitati illi primi venire noluerint: imò potius hac ratione fore, vt plures ad hoc conuiuium congregentur, & conuiuium impleretur conuiuis, quod per inuitatos tantum, etiam si omnes venissent impleri non potuisset. Vnde Paulus delictum Iudæorum diuitias dicit esse mundi, &c. Necdum autem impletum est, quod per impletas discumbentibus nuptias significatur, sicut reliqua impleta sunt, quæ per præcedentia significantur: sed impletum erit istud in seculi consummatione, quando collecti erunt in Ecclesiam quotquot præordinati sunt, vt sint de numero fidelium, post quod & implebuntur, quæ per sequentia significantur. Itaque per hoc quod postquam impletæ essent nuptiæ discumbentium Rex intrasse dicitur, vt videret discumbentes: significatur quod in consummatione seculi Deus Pater per filium suum fideles sit visitaturus, à quibus iam videtur abesse, vt despiciat quomodo vnusquisque sit habitus, & dispositus. Porro per vestem nuptialem, hoc est nuptijs dignam non fides, vt hæretici volunt, sed secundum omnes antiquos Patres (qui hic admonent fideles ne satis esse putent quod credant nisi viuant vitam sua vocatione dignam) Charitas intelligi debet, quæ instar vestis tegit nostram nuditatem, & operit multitudinē peccatorum, vestisque planè est nuptijs Christi digna, quod in hac venerit Christus sponsus Ecclesiam sibi in sponsam copulaturus. Aut, quod eodem redit, per vestem nuptialem

Vestis nuptialis Charitas.

lem intelligitur vita pura, & splendida, in modum vestis virtutibus, & bonis operibus contexta, hominemque ornās, contia autem vestis non nuptialis, vita est impura, & sordida. Vnum autē dicitur vidisse Rex nō indutum veste nuptiali, quanquam plures sint forte in Ecclesia mali quam boni: tum vt in illo vno vnusquisque discat fidelium viuere vitam sua vocatione dignam; tum vt hinc intelligeretur exacta, & diligens consideratio Dei ad vitā, & merita fidelium: ne quis sibi persuadeat se vnum in nouissimo iudicij die in tanta hominum multitudine posse oculos Dei effugere. Quod autem Rex dixisse illi dicitur;

Amice, quomodo huc intrasti, hoc est, qua audacia, qua fronte huc ad tantas nuptias intrasti sine veste nuptiali: significat in nouissimo die Deum seuerissimè reprehensurum eos, qui fidelibus permixti, nō vixerunt vitam dignam fidelium consortio, & nuptialibus bonis; erga eos tamen ex sese pro ingenita sua erga omnes benignitate benè affectum fore: quod significatur per amici appellationem; vt intelligamus Deum non personarum odio, sed tantum iustitiæ zelo quosdam condemnaturum. Quod Rege interrogante obmutuit interrogatus: significat in iudicij die peccatores rationem suæ vitæ postulatos, non habituros quod respondeant, aut excusent. Quod autem in illo die fideles bonis operibus nudi non tantum sint verbis seuerè corripiendi, sed etiam è nuptijs & sanctorum consortio eripiendi, ac carceri infernali tradendi in æternum cruciandi significatur per sequentia cum dicitur:

Tenebræ exteriores.

Tunc dixit Rex ministris; Ligatis manibus & pedibus eius, &c. In quibus Dominus declinat ab exemplo parabolæ ad rem per parabolam significandam. Per tenebras enim exteriores ad literam Dominus significat semper tenebras infernales, vnde hoc non cōuenit exemplo parabolæ, sicut nec quod sequitur. Illic erit fletus, & stridor dentium, quibus verbis sicuti metaphoricè significatur in inferno maximum futurum tum dolorem, tum horrorem; ita etiam, in eo quod præcipiuntur ligari manus & pedes significatur impios in inferno violenter detinendos, ne se inde aliqua ratione possint vel manibus resistendo, vel pedibus fugiendo liberare.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Videri posset hæc clausula non satis congruere parabolæ: cum in illo conuiuio vnus tantum dicatur electus, hic vero significetur multos reijciendos. Sed primum sciendum est per vnum qui electus dicitur, significari non omnes qui vocati sint fore saluandos, Deinde cum illo qui electus est, coniungendi sunt & omnes illi, qui vocati primū fuerant, sed indignos se fecerunt nuptijs. Ad vtramque enim narrationem refertur hæc parabolæ conclusio; vt intelligeremus mul

tos quidem vocatos esse ad consortiũ regni cælestis, ac inter istos multos, paucos in comparatione vocatorum esse à Deo electos: cum inter vocatos quidam non veniant, quidam vero venientes ob indignitatem suam ejiciantur.

Soluitur quæstio de tributo Cæsari dando. Matth. 22. Marci 12. Lucæ 20.

CAPVT CXVI.

†ᵇ. *abierunt* ▷ᵃ. *mittunt* † ᵃ *ei* †ᵇ. & ✶ & ▷ᵇ *dicũt* ‖ᵃ. *& viã Dei in veritate doces &.* ᵃ *non est tibi cura de aliquo. nõ enim respicis personã hominũ* † ᵃ. *& nõ accipis personam hominũ* ▷ᵃ. *censum* ✶ *Qui* ‖ᶜ *autem* ‖ᵃ. *dixit ad illos* †ᵃ. *habet imaginẽ & inscriptionem* ▷ᵃ. ᵃ. *superscriptio* ‖ᵃ. *dicatione*

ᵇT. ᵃ*tunc* ᵇ*relicto eo,* † ᵃ*abeuntes*' ᵃ*Pharisæi, consilium inierunt vt caperent eum in sermone.* ¹ *Et* ᶜ*obseruãtes,* ▷ ¹*miserũt* ‖ᵃ *ad eũ*' ᵃ*insidiatores, qui se iustos simularẽt,* ᵇ*quosdã ex Pharisæis* ᵃ *discipulos suos,* † ᶜ*cũ Herodianis,* ᵇ *vt caperẽt eũ in sermone,* ᶜ *& traderẽt eum principatui & potestati præsidis.* ᵇ *Qui venientes* ✶ ᶜ *interrogauerũt eũ,* ▷ ¹*dicẽtes*' ᵇ *ei:* ¹ *Magister scimus* ᶜ *quia verax es, [&]* ᶜ *quia rectè dicis, et doces* ‖ᵃ *et nõ curas quẽquã* † ¹ *nec enim videt in facie hominũ,* ᵃ *sed in veritate viã Dei doces*' . ᵃ *Dic ergo nobis quid tibi videtur?* ¹ *licet* ᶜ *nobis* ▷ ¹*tributũ*' *dare Cæsari, an nõ* ᵇ *dabimus?* ᵃ *Cognita autẽ Iesus nequitia eorũ,* ᵃ ᵇ *sciẽs versutiã illorum, [&]* ᶜ *cõsiderãs* ᵃ *dolũ illorũ* ‖ ¹ *ait* ᵇ *illis*' :¹ *Quid me tẽtatis* ᵃ *hypocritæ?* ᵇ *Afferte,* ᶜ *ostẽdite* ¹ *mihi* ᵇ *denariũ* ᵃ *numisma cẽsus,* ᵇ *vt videã.* ᵃ *At illi obtulerũt ei* ᵃ *denariũ.* ᵃ *Et ait illis* ᵃ *Iesus:* ¹ *Cuius* † *est imago hæc & ▷ inscriptio*' ? ᶜ *Respondẽtes* ‖ ¹ *dixerũt*' *ei: Cæsaris.* ᵇ *Respondens autem Iesus,* ᵃ *tunc* † ¹ *ait*' *illis: Reddite* ▷ *ergo*' *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* ᵃ *Et* ᵃ *audientes* ‖ᶜ *mirati sunt*' ᵇ *super eo,* ᶜ *& non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe, & mirati in responso eius tacuerunt.* ᵃ *Et relicto eo abierunt.*

Et tunc relicto eo abeuntes Pharisæi consilium inierunt, &c. Pharisæi dicuntur peculiariter huius consilij authores: siue quod illi Domino vbique fuerint infensissimi, siue quod hæc quæstio, quæ iam Domino proposita est, inter Pharisæos maximè agitaretur, vt quæ ad religionem spectabat, cuius illi volebant videri studiosiores. Ex hac itaque quæstione putabant se inuenisse rationẽ, qua Dominum obnoxium faceremt potestati præsidis, aut saltem minus gratum populo. Nam si quidem dixisset non licere tributum dari Cæsari, quemadmodum eum dicturum sperabant, quod cultus diuini rigidum se exhiberet vindicem, cui iudicabant contrariari tributorum exolutionem: delaturi eum erant apud Præsidẽ tanquam Cæsari contrarium, & seditiosum. Si vero diceret licere tributum dari Cæsari, calumniaturi erant ipsum apud populum tanquam adulantem Principibus, & eorum metu à veritatis prædicatione

dicatione abstinentem, nec honoris diuini tam studiosum Zelato rem, quã videri volebat. Quoniam autem sciebant se Domino suspectos esse, alios suo nomine subornant, quos putabant Domino sore incognitos, quique simulata iustitia facilius Domino possent imponere. Hos Matthæus quidem discipulos eorum fuisse dicit, Marcus vero quosdam ex Pharisæis, Lucas autem insidiatores, qui se iustos simularent hoc est, qui simularent se illi benè affectos, aut qui simularent se teneri studio iustitiæ. Porro Matthæus, & Marcus eum Pharisæis etiam Herodianos missos testantur, qui aut simpliciter intelligi possunt fuisse milites Herodis aut potius Romanorum fautor, & sententiam de soluendis tributis vel imprimis defenderat. Mittunt ergo cum discipulis suis Pharisæi etiã Herodianos, vtrumuis Dominus responderet, essent, qui illum calumniari, & accusare possent, aut Pharisæi apud populum, aut Herodiani apud Pilatum. Missi autem ex subornatione Phariseorum blandè Dominum compellant, atque à veritate & libertate commendant, studiumque veritatis, & iustitiæ cognoscendæ simulant, vt hac ratione & versutiam suam magis tegerent, & Dominus eorum laude, & studio captatus liberè secretum cordis sui illis aperiret; *Magister*, inquiũt, *scimus quod verax sis, quodque viam Dei*, id est, viam Deo gratam, quaque ad Deum perueniatur, docens in veritate, id est, sine aliquo errore, & fuco, & non est tibi cura de aliquo, id est, non curas quenquam sic, vt cuiusquam metu à veritate docenda absterreatis. Addunt autem causam qua re dicant eum neminem curare, dicentes:

Herodian
ni
Hyeron.
Chryſ.

Non enim respicis personam hominũ. Pro quo in Marco legimus, *Nec enim vides in faciem hominum*, cum Græca habeant apud Matthæum & Marcum eodem modo. Respicere autem in personam, vel faciem hominum, est considerare externam aliquam hominum conditionem, eiusque consideratione, non autem secundum causæ merita de homine iudicare, eique quid tribuere, vel adimere, vt si Dominus consideratione potentiæ Cæsaris, meliorem eam adiudicasset illi tributorum solutionem.

Respicere in personam, vel in faciem hominũ.

Cognita autem Iesus nequitia eorum ait: Quid me tẽtatis, &c. Nõ captus est Dominus eorum blandiloquentia, vt quemadmodum illi sperabant, id responderet, quod illi significabant se optare audire ab eo: sed cum nihil illum latere posset, cognitam eorum nequitiã imprimis redarguit seuerè dicens: *Quid me tentatis hypocritæ*, hoc est, cur vestra hypocrisi, & suauiloquentia solicitatis me vt id dicã, quod calumniari possitis. Hypocritas autem vocat, tum

quod simularent benevolentiã, & acceptationem ipsius, tũ quod similarent studium cognoscendi iustitiam & veritatem, & placẽdi Deo. Cum autem his verbis eorum hypocrisim & conatũ aperuisset Dominus, significasseṙque illorum quantumuis tectam hypocrisim non esse sibi incognitã nec posse se falsa capi laude, quam quam hac ratione potuisset merito declinare responsionem ad propositam quæstionem: tamen ne videretur quærere occasionem declinandi responsionem, ostenderetque se etiam captiosa eorum quęstione capi non posse, sed è contra eos prudenter, vt & alias, caperet proprijs ipsorum verbis, aggreditur ad quęstionem respondere propositam. Itaque primum petijt sibi afferri numisma census, hoc est, nummi speciem, quo census exoluebatur. Lucas & Marcus dicunt Dominum expressisse nummi speciem, nempe denarium; quia is fuerat nummus, quem Dominus sibi rogauerat exhiberi. Porro denarius numisma erat Romanum, sicut drachma Atticum numisma, habens Imaginem alicuius Cæsaris impressam simul cum aliqua superscriptione, valensque quatuor nostros stupheros. Cum obtulissent ei denarium rursum interrogauit eos Dominus cuius esset nummi imago, & superscriptio; nõ quod ignoraret; sed tùm vt demonstratet sibi non esse curę terrena, tum potius vt ex ipsorum verbis eos illaqueatet, qui venerant ipsum illaqueaturi in sermone. Illis ergo respondentibus & imaginem, & inscriptionem esse Cæsaris Tyberij, vt est probabile, qui tum imperabat intulit quòd ex ipsorum responsione consequens erat:

Denarius

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, &c. Quo quidem non voluit significare Cæsari danda, quæcunque ipsius haberent imaginem: sed quoniam pecuniæ à Cæsare cusæ vsu testarentur se illius imperio esse subiectos danda illi esse, quæ ipse ex suis rebus ab illis rationabiliter requireret. Hoc enim cum facerent, non tam dare eos quam reddere Cæsari, quæ ab ipso acceperunt. Ideoque non dicit dare: sed Reddite tanquam ea quæ eius sunt, quæque ab eo accepistis [q.d. Quandoquidem solũ quęstio est de danda Cęsari pecunia, eamque fatemini eius esse numisma: non debet vobis iniquum videri, nec Deo ingratum, si quod eius est, eo requirente illi non tam detis, quam reddatis]. Addit autem admodum opportunè; *Et quæ sunt Dei, Deo*, primum ne calumniari illum possent, quasi populum Dei subijceret homini, & non Deo, Deiq; gloriam, nõ vt videri volebat, imprimis assereret, & quereret. Secundo vt illos ob auaritiam (prætextu tamen pietatis) anxios de soluendo censu notaret neglectæ pietatis in Deum. Sunt autem Dei ea, quæ Deus ab hominibus requirit, Deoque sunt debita, primitiæ scilicet, decimæ, honor ipsius, reuerentia, & dilectio eius super omnia. Cũ autem omnia quæ habet homo in bonis vel animæ, vel corporis, vel fortunę sint ipsius Dei omnia. Hæc quodã modo Deo sunt reddenda. Id autem fit, cũ omnia Dei dona illi accepta ferimus, eisque omnibus vtimur secundum illius voluntatem, & ad ipsius gloriam.

Et audientes mirati sunt super eo, &c. Mirati sunt, tum quod intelligerent illum non latuisse suam hypocrisim, & dolosum conatum, tum quod tam prudenter respondisset, vt vtrãque calumniæ partem, in quarum alteram putabant eum incidere oportere, effugeret, atque ex proprijs verbis ipsos conuinceret.

Soluitur Sadducæorum quæstio contra resurrectionem. Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20.

CAPVT CXVII.

In illo die [f] accesserunt [b] & venerunt ✶ [a] ad eum † [l] ✶ [a]. autẽ quidam Sadducæorum', qui ▷ dicunt non esse' resurrectionem. & ‖interrogauerunt' eum dicentes: Magister, [e]. Moyses † scripsit' [b] nobis: [l] Si [a] quis ‖[b] frater alicuius' [l] ▷ [a]. nemortuus fuerit [c] habens vxorem, [b] & dimiserit vxorem, gãt ‖[b]. [a] & ▷ [l] filios non reliquerit', vt accipiat ✶ frater eius vxorem [c] illius interroga [l] & ‖suscitet' semen fratri suo. Septem † ergo' fratres erant [a] apud nos. hãt †. [a] di- [l] & primus [b] accepit vxorem, & [a] vxorre ducta, ▷ [l] mortuus est. ‖[b] xit ‖[b]. [a]. non relicto semine'. [a] Et non habens semen reliquit vxorem suam fratri eius fra- suo. [b] Et [a] similiter † [l] secundus' [b] accepit eam, & [c] ipse [b] mortuus est. ter ▷ & nec iste reliquit semen'. [l] Et tertius [b] similiter [c] accepit illam. [b] ▷ [a]. non Et acceperunt eam [b] similiter [c] & omnes ‖[l] vsque ad septimum' [b] & habens fi- non reliquerunt semen, [c] & mortui sunt. † [l] Nouissimè [a] autem [l] om- liii [c]. hic si mum ▷ defuncta' est & mulier. In resurrectione ergo [b] cùm resurre- ne liberit xerint, [l] cuius ‖de [b] his' [a] septem [l] erit vxor? [a] omnes † [l] enim septem fuerit ✶ [c]. habuerunt eam [b] vxorem. Et [a] respondens [l] Iesus ait illis [b] Nonne ideo eã ‖[b]. [a]. re erratis, ▷ non scientes' scripturas, neque virtutẽ Dei: [c] Filij huius se suscitet culi nubunt, & traduntur ad nuptias, illi verò qui digni habebuntur † [a]. autem seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubẽt, neque ducẽt vxo- ▷ [a]. de- res. ‖[b] In resurrectione [a] enim [b] cã à mortuis resurrexerint, [a] neque nu functus bent, neque nubentur, [c] neque vltra mori poterũt † [l] sed sunt sicut an ‖[c] sine fi- geli [a] Dei in ▷ cælo', [c] & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis. [c] lij † [c]. [a]. De ‖resurrectione autem mortuorum' † [b] quod' resurgat [c] mortui, & sequens Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum Deum Abraham, ▷ [c]. sine & Deum Isaac, & Deum Iacob. [a] Nõ legistis [b] in libro Moysi, super ru filio bum quomodo dixerit illi Deus, inquiẽs [a] quod dictum est à Deo, dicen ‖[b]. septem te vobis: [a] Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacobi † [l] † [b] nouis- Deus autem non est' mortuorũ sed ▷ viuorum', [c] omnes enim viuunt sima ei. [b] Vos ergo multum erratis. [c] Respondentes autem quidam scribarũ ▷ [c]. dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quic- mortua quam interrogare. [a] Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius ‖[c]. sorũ

† b. *Septē enim* † c. *siquidem septem* ▷ a. *nescientes* ‖ b. *Cum enim* † c. *quales enim Angelis* ▷ b. *celis* ‖ b. *mortui autem* † c. *quod verò* † d. *Nō est Deus* ▷ a. *viuentium.*

In illo die accesserunt & venerunt ad eum quidam Sadducæorum, &c. Ostendere voluerūt Euangelistæ, quomodo etiam Sadducæi & si Pharisæis contrarij Dominū docentem apertè quę de regno cælorum & futura vita impugnauerint, vtq; vtramque sectā inse stam Christus senserit, à neutra tamē superari potuerit. Porro de Sadducęis quædam dicta sunt circa tertiū caput Matthęi. Hi non tantū carnis resurrectionē negabant, sed etiā animæ immortalitatē, asserentes animas hominū sicut bestiarū interire cum corporibus. Hi ergo scientes Dominum docere contraria sententiæ suæ, ex ipsa lege Mosaica putabant se inuenisse rationem, quæ resutarent resurrectionis assertionem, quasi ex ipsa lege sequeretur intolerabilis absurditas ipsam resurrectionem, postquam existimabant hominēs oportere viuere eam, quam iam viuunt, carnalem vitam quod præter hanc aliam vitam intelligere non possent, vt erant planè carnales, & crassi. Lex autem ex qua occasionem cōmenti sunt haberut Deute. 25. Ex qua lege proponunt Sadducæi septem fuisse fratres (siue verè sic fuerit, siue ab eis fictum) qui singuli eandem iuxta illam legem acceperint vxorem: de qua quæruntur cuius in resurrectione sit vxor futura, cum omnes idem habeant iuris in eā, existimantes necessariò dicēdum eam vel omnīū simul, vel vnius alicuius ex septē fore vxorē, ac proinde cū vtrum que videretur absurdū, necessario cōsequi non fore resurrectionē.

Et respondens Iesus ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes, &c. Errabant Sadducæi, tum quia non putabant fore resurrectionem, tum quia putabant post eam, si futura esset, talem fore vitam, qualem modo viuimus: imo quia putabant eam non posse aliam esse, & hanc videbant non posse consistere, negabant omnino futuram resurrectionem. Huius autem duplicis erroris assignat Dominus causam ignorantiam duorum, nempe scripturarum, & potentiæ diuinæ.

Erratis, inquit, *nescientes*, id est, quia nescitis scripturas, *neque virtutem Dei*. Nesciebant autem scripturas, tū quia non sciebant, quæ scripturæ essent sacræ Prophetarum scripturas non recipientes, tum quia etiam scripturas Mosaicas, quas legebant, non satis rectè intelligebant, vt postea Dominus ostendit. Probaturus ergo eos errare ex dicta ignorantia, primùm soluit eorum contra resurrectionis assertionem obiectionem: ostendens non talem futuram post resurrectionem vitam, qualem illi opinabantur, ac deipde ex scripturis astruit veram esse resurrectionis assertionem, ac proinde eos errare negādo resurrectionē. Probat ergo eos errare dicēs

In resurrectione enim non, vt vos opinamini nubent, neque nubentur. In quibus verbis, vt præter consuetudinē linguæ Latinæ dictū est passiuè nubētur pro dantur nuptū, ita etiā præter eiusdē linguę Latinę consuetudinem dictum est nubent, pro ducent vxores, vel contrahent matrimonia. Porro quod de statu resurrectionis futuro Dominus respondit, clarius & prolixius exposuit Lucas, qui antithesin facit inter conditionem huius seculi, & conditionem seculi futuri; additq; rationē noui status futuri seculi. Filij enim inquit, *huius seculi nubunt, & traduntur ad nuptias, &c.* Dicuntur autem filij huius seculi hoc loco simpliciter homines in hoc seculo viuentes, contra quorum pro præsenti statu conditionem subditur; *Illi autem qui digni habebuntur seculo illo futuro, & resurrectione ex mortuis beata*; neque nubent, neque ducent vxores. Cuius ratio sequitur; Neque enim vltra mori poterunt. Sequitur apud Matthæum & Marcum; *sed sunt sicut Angeli Dei in cælo*, immortales scilicet, alimento & generatione non egentes, & ab omnibus his passionibus liberi, atque beata fruentes vita; non autē in omnibus sunt sicut Angeli Dei, quia non sicut illi corpore carebunt. Sic intelligendum patet ex Luca, qui ad probationē eius quod dixit non posse eos vltra mori, subijcit; Æquales enim Angelis sunt, & addit quod est ipsi proprium.

Et filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Filios autem Dei dicit non tam solum secundum spiritum, sed etiam secundum corpus, quod diuina quadam cum Angelis immortalitate donatum erit, spiritui præterea vberrimè, & perfectè communicata diuina natura; ita vt ob huiusmodi communionem Ioannes dixerit; Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Addit autem causam quare tunc erunt filij Dei, nimirum quia erunt filij resurrectionis, id est, homines ad resurrectionem (loquitur autem de beata resurrectione iustorum) pertinentes. Dicit autem hoc Dominus ad distinctionem filiorum huius seculi. Sicut enim filij huius seculi ratione primæ generationis dicuntur filij hominum, & ob id mortales sunt: ita qui pertinent ad resurrectionem, quæ est secunda generatio, non ad vitam animalem, sed spiritualem, ratione huius regenerationis dicuntur filij Dei, & ob id sunt immortales. [Notādum autem quod Dominus tantum loquatur de resurrectione iustorum: tum quod ea sola vere sit dicenda resurrectio, tum quod de resurrectione iustorū Sadducæi interrogauerant. Dum Dominus tamen iustos in resurrectione docet non inituros matrimonia, quia erunt similes Angelis Dei in cælo: intelligendum similiter relinquit, nec impios matrimonia contracturos. Quia sicut illi erunt Angelis Dei in cælo similes: ita hi similes dæmonibus in inferno.]

De resurrectione autem mortuorum, quod resurgant mortui, &c. Alterum iam eorum errorem conuincit, quo ex ignorantia scripturarum negabant in totum futuram resurrectionem mortuorū. Eam autem comprobaturus Dominus scripturarū authoritate, ex Moyse potissimū hoc facit, quod hunc solum Sadducæi reciperent

Filij Dei.

1. *Ioan. 3.*

Filij Resurrectionis.

cumque pro sua sententia citassent. Ex quo tale profert testimonium, quod apertè quidem resurrectionem non astruit, sed tantum ex consequenti: [Docens quanta cum attentione & expensione sint Scripturæ legendæ, & tractandæ; vt non hæc tantum sint spectanda quæ in eis apertè pronunciantur, nec per aperta testimonia tantum agendum contra hæreticos, sed & per ea quę argumentatione non coacta, & consequentia necessaria eorum destruunt errorem.] Probat autē Dominus futuram mortuorum resurrectionem, ex eo quod Exodi 3. Deus se dicit non fuisse, sed esse Deum Abraham, Isaac, & Iacob cum tam illi essent mortui. Sub qua propositione maiore subsumit minorem per se certissimam, dicens:

Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Absurdum enim esset Deum viuum, imò eum qui est ipsa vita, mortuorum dici Deum, sicut absurde vita diceretur vita mortuorum, & eorum qui non sunt. Ex his ergo duabus propositionibus irrefragabilibus & certissimis, concludēdum reliquit Dominus futuram corporū resurrectionem. [Quoniam tamen videri possit, hanc nō posse necessario inferri ex præmissis illis: dicendum Dominum ex illo Exodi lo eo voluisse immediatè probare, & concludere futuram corporū resurrectionem, nimirū quod eū Deus se adhuc dicat Deū Abraham, Isaac, & Iacob, necessariū sit illos & si hominibus mortuos, tamen Deo non esse mortuos, sed illi tantū dormire, & adhuc illi viuere, & proinde illos ab eo aliquando resuscitandos à morte veluti à somno. Hac enim ratione Dominum significare Abraham, Isaac, & Iacob adhuc viuere cum hominibus sint mortui: satis indicat illud quod apud Lucam pro probatione eius quod subsūmendo dicitur: Non est Deus mortuorum, &c. Additur, Omnes enim illi viuunt. Nā secundum animam omnes mortui etiā nobis viuunt. At homines ipsi quanti quanti sunt, etiā post mortē Deo viuūt, qui vocat ea quę nō sunt tāquā ea quę sunt.] Talis est ergo fere Domini cōtra Sadducæos argumēratio. Ipse Deus etiam post mortē Patriarcharū se dicit esse illorū Deū. Absurdē autē se vocaret Deū mortuorū, & eorū qui omnino nō sunt. Viuunt ergo hi Patriarchæ, saltē ipsi Deo, eique tantum reputātur vt dormientes. Quod si verū est: cōsequens est eos, qui hominibus habētur mortui aliquādo resurrecturos, resuscitatos à Deo veluti à somno. In hunc modum intellexerunt hāc Domini argumentationē D. Iræneus Chrys. Theophyl. atque Euthymius Chrys. imitatores. Porro cum in multis aliis locis Scripturæ etiā Mosaicæ Deus vocetur Patriarcharum Deus: peculiariter tamē dominus citat verba Dei ad Moysen circa rubum, vel quod hoc loco insigniter Deus suum nomē Moysi aperuit, & tunc primum se horum trium Patriarcharum Deū appellauerit, addēs hoc sibi nomē fore in æternū:

Lib. 4. c. 9 Ad hunc locum.

ex

ex quo etiā vlterius eōsequitur omnes illos viuere Deo etiā si moriātur hominibus, qui horū Patriarcharū sunt filij, cum benedictio Patriarcharum etiā ad semē eoū extendatur; [Vel etiā quod hoc loco primum Moyses suam acceperit à Deo authoritatem, cuius authoritate Sadducæi se putabant resurrectionis fidem confutasse. Si enim Moyses authoritate se tueri vellent, oportebat attendere diligenter, & credere eis verbis Dei, ex quibus primū Moyses suam obtinuit authoritatem. Quod autem in Matthæo dicitur istud dictum Iudæis, in Marco verò ipsi Moysi: nihil habet contrarietatis. Sic enim illud dictum fuit Moysi vt etiam eidē præceptum fuerit dicere illud Israëlitis rogantibus nomen eius qui misisset ipsum.] Cum autem subsumitur, Deus autem non est mortuorum Deus, sed viuentium, repetenda est dictio Deus, hoc modo, Deus autem non est mortuorum Deus, sed viuentium. Infertur autem à Domino ex præmissis apud Marcum id vnde cœperat, cum dicitur:

Vos ergo multum erratis; Non enim iam ostenderat eos simpliciter errare, sed multum errare: nimirum & quod negarent resurrectionem, & quod existimarent posita resurrectione carnalem fore post resurrectionem vitam.

Respondentes autem quidam scribarum dixerunt ei, &c. Solus Lucas commemorat Scribas quosdam commendasse responsionem Domini dictam Sadducæis; Marcus verò similem cuiusdam Scribæ narrat commendationem post responsionem Domini ad sequētem quæstionem, quam prætermisit Lucas, quod eandem à Scriba quodam alio tempore Domino propositam, & à Domino eodem modo, quo hic absolutam introduxit superius cap. 11. Intelligendum itaque vtramque Domini responsionē ad duas quæstiones quosdam ex Scribis approbasse, & alteram quidem commendationem descripsisse Marcum, alteram vero Lucam, qui dicit quosdam Scribas respondisse, hoc est, subintulisse, *Magister, bene dixisti*, nimirum gaudentes Sadducæis hostibus suis, & dissentientibus secum occlusum esse os. Quod autem apud Lucam sequitur;

Et amplius non audebant eum quicquam interrogare: Ex Matthęo, & Marco falsum videtur, cum hi testentur post quæstionem Sadducæorum, Pharisæos & Scribas aliam adhuc quæstionem proposuisse. Proinde vel intelligendum est Lucam tantum loqui de Sadducæis, vt sit sensus; Sadduceos non amplius ausos quicquam interrogare; Aut si de omnibus Lucas loqui intelligatur, significatur quod cum iam Dominus aliquoties prudenter respondisset variis quæstionibus, & Pharisæorum, & Sadducæorum ita ipsius prudentiam admirati sunt, & timuerunt, vt non auderent eum amplius quicquam interrogare. Matthæus verò adiecit de turbis;

Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius. Quod scilicet tam prudenter, & faciliter ijs, quæ videbantur perplexa respõderet, Resurrectionemque futuram ex eo loco scripturæ perspicuè & efficaciter concluderet, ex quo id minime videbatur colligi posse.

Soluitur quæstio Pharisæorum de maximo mandato. Matt. 22. Marci 12.

CAPVT CXVIII.

PHARISÆI autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum: & accessit vnus de scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis respondisset, interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor quod esset primum omnium mandatum, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Iesus autem respondit ei, Quia primum omnium mandatum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus vnus est. & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Maius horum aliud mandatum non est. [Et] in his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ. At ait illi scriba: Bene magister in veritate dixisti, Quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. & vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificijs Iesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei: & nemo iam audebat eum interrogare.

9 ait illi Iesus
▷ in
‖ in
† illi
▷ tãquam.

Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, &c. Quanquam gauderent Pharisæi Sadducæis contrariæ sectæ, & sententiæ hominibus os occlusum esse, & silentium impositum: tamen inuidia quadam contra Dominum concitati conuenientes in vnum consultauerunt inter sese de quadam quæstione etiam à se Domino proponenda, vt si forte ad eam minus aptè responderet, minueretur apud populũ admiratio prudentiæ eius, & maiorem apud populum ipsi consequerentur honorem, & laudem, quod quem Sadducæi superare non poterant ipsi superassent. Itaque quemadmodum superius quosdam ex Herodianis, & Pharisæis miserunt propositurì quæstionem, quæ Pharisæos, & Herodianos cõcernebat: ita nunc per quendam ex ipsorũ numero legis doctorem & scribam, proponũt quæstionem concernentẽ Scribas, & legis cognitionem. Vnus enim ex eis, inquit Matthæus à cæteris, vt est verisimile, instigatus, qui, vt dicit Marcus, audierat Sadducæos, & Dominum conquirentes, hoc est, inter sese disputantes, cum aduertisset, quod bene illis respondisset, experiri voluit (hoc est enim quod dicit Matthæus tentans eum) num & sibi responderè bene posset, accessit ad eum, & interrogauit *quod esset in lege omnium primum mandatum*. De eo enim apparet illo tempore fuisse inter Scribas controuersiam, quemadmodum dictum est circa cap. Lucæ 11. in cap. Conc. 81. His igitur Scriba sibi placens de cognitione primi in lege mandati Dominum interrogauit non discendi studio, sed tentandi, & experiendi: *Magister*, inquit, *quod est mandatum magnum*. Hoc est, maximum in lege? Positiuus enim pro superlatiuo positus est, vnde postea idem verbum, per maximum vertit interpres. & Marcus dicit eũ interrogasse, quod esset primum omnium mandatum.

Iesus autem respondit ei, quia primum omnium mandatũ est, &c. Prolaturus Dominus primum mandatum ex Deut. 6. cap. premittit etiam, vt est apud Marcum, illud quod ibi præcedit: *Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est*. Quod proœmij loco præmittitur primo præcepto dilectionis, eo quod dilectionem Dei præcedere debeat recta de Deo opinio, & fides; vt scilicet credatur vnus esse Deus, & non multiplex, sicut dij gentium; & proinde in vno illo omnem fiduciam collocandam esse, ex qua fide etiam facile nascitur Dei ex toto corde dilectio. Quæ autem ad intelligentiam & explicationem horum duorum præceptorum dilectionis pertinent: prolixè satis tradita sunt superius circa prædictum Lucæ locum. Cæterum alterum dilectionis mandatum, quod ad proximum pertinet, Dominus dicit secundum, non quidem ordine legislationis, quia prius illud datum erat Leuit. 19. sed dignitate. Simile autem dicit alteri, tum quod etiam sit de dilectione exhibenda, tum quod similem habeat cum præcedenti generalitatẽ. Vnde & sequitur.

In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ, &c. Hoc est, legis & Propheratum scriptura, & doctrina pendet in duobus dilectionis mandatis: quia in illis omnia legis & Propheratum præcepta comprehenduntur, & ex eis dependeat, atque eliciuntur, & ad duplicis illius dilectionis exhibitionem, aut cõseruationem omnia ordinantur.

Et ait illi Scriba, Bene Magister in veritate dixisti &c. Quod Marcus dicit hunc Scribam approbasse Domini responsionem, & Dominum vicissim eius responsionem commendasse, ita vt diceret eum non longe esse à regno Dei: non est contrarium ei, quod dicit Matthæus hunc tentasse Dominum. Tentasse enim ob id solũ dictus est, quod experiri voluerit, num ad quæstionem Dominus respondere posset. Qua in re etsi non satis sincero se declarabat

erga

erga Dominum esse affectu: tamen cum audiret prudentem Domini responsionem suæ sententiæ conuenientem, commotus responsionis veritate, ac delectatus approbatione suæ sententiæ, deposito illo tentandi animo approbauit Domini responsionem: & vicissim Dominus delectatus, quod & veritatem ille agnosceret, eamque tentandi animo posito, à se dictam approbaret, commendans eius responsionem dicit non longe illum esse à regno Dei. Nondum autem iste dicitur esse in regno Dei, hoc est inscriptus esse inter regni Dei ciues: tum quia caruit fide in Christum, tum, &c. quia non satis est cognoscere, & approbare verbo veritatem, sed oportet & facto eam obseruare, cum hic Scriba nec dum perfectam habuerit Dei & proximi dilectionem.

Quæstio proponitur de Christo, cuius filius sit. Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20.

CAPVT CXIX.

† a. ait illis b. dixit autem

a CONGREGATIS autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. b Et respondens Iesus † i dicebat c ad illos b docens in templo: b Quomodo dicunt b scribæ b Christum filium esse Dauid: a Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, c & b ipse b enim b Dauid dicit b in Spiritu sancto c in libro psalmorum a dicens, i Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. b Ipse † b ergo Dauid dicit illum Dominum', a si ergo

† a. Dauid ergo Dominum illū vocat b. vnde

Dauid vocat eum Dominum, b & ▷ i quomodo' filius eius est? a & nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. b & multa turba eum libenter audiuit.

Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus, &c. Cum nihil magis Pharisæos offenderet in Iesu, quam quod se filium Dei frequenter vocaret, seque Deum esse, ac Deo æqualem significaret, commodè nunc in vltimo ad illos sermone ex scripturis relinquit intelligendum illis, expectatum Messiam fore supra hominem, ac vere Deum fore, vt qui ipsum ex factis, & miraculis debebant agnoscere esse Christum, non alienarentur ab ipso, quod se Deum, Deoque æqualem significaret. Itaque cum adhuc apud ipsum Dominum congregati essent Pharisæi, interrogauit eos cuius putarent Christum esse filium; eisque respondentibus Dauidis esse filium, rursum quærit, quomodo ergo Dauid eum vocet Dominũ suum, idque per Spiritum sanctum & in libro Psalmorum sanctorum. Qua quidem quæstione cogitandum illis relinquit Christũ amplius

amplius quid futurum quam quod à Dauide accepturus esset nascendo: alioqui enim absurdum esse, quod eum non tantum Dominum, sed Dominum suum vocet. Nusquam autem aperte dicitur Christus fore filius Dauid; sed id Scribæ ex varijs locis intellexerunt satis significatum, vt Isaiæ 8. vbi promittitur sessurus super solium Dauid: & Micheæ 5. Vbi dicitur nasciturus in Bethleem, & alijs multis similibus locis. Cæterum illo potissimum modo suam quæstionem, & argumentationem proposuit Dominus, quo erroneam Scribarum & Pharisæorum argueret opinionem, & significaret Christum non talem esse Dauidis filium, qualem illi suspicabantur, hoc est, nudũ hominem, sed etiam propter diuinitatẽ esse Dominum ipsius: ac proinde Scribas interrogatos cuius filius sit Messias, non tantum oportuisse respondisse, quod filius sit Dauidis, sed etiam, & multo magis, quod filius esset Dei. Testimonium autem à Domino citatum desumptum est ex principio Psal. 109. Non citat autem Dominus tantum eam partem, quæ suo seruire videbatur proposito, sed etiam addit quid Dominus dixerit Domino nempe, Sede à dextris meis, donec ponam, &c. Vt maiorem eis metum incuteret, si pergerent ei se opponere, quem meritò debuerant agnoscere Christum esse. Dixit autem Deus Pater filio suo, Sede à dextris meis: siue quia ab æterno sic in mente sua secum facere disposuit, siue quia (vt Paulus alludens ad hunc locum dicit) Deus Pater suum filium post resuscitationem subuehens in cælum constituit illum à dextris suis in cælestibus. Dei enim dicere, facere est ex quo sane Pauli loco patet quid sit Christum sedere ad dextram Dei, nimirum eum hominem, qui pro nobis mortem pertulit, factus Patri obediens, constitutum esse supra omnem principatum, & potestatem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, omniaque subiecta esse pedibus eius. Vnde patet hanc sessionis promissionem tribuendam esse Christo ratione humanitatis coniunctæ diuinitati. Cum autem dicitur: Sede donec ponam, &c. dictio donec accipienda est quomodo sæpe in scripturis, non vt excludat sessionem ad dexteram postquam aduenerit præscriptum illud tẽpus; sed vt tantum indicet euentum huius rei certo tempore futurum, quod satis aperit Paulus dum dicit; Sedet ad dexteram Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Id autem fiet in nouissimo die, quando omnes hostes Christi, qui siue verbo, siue facto dicunt illud, Nolumus hunc regnare super nos, perfectè illi subijcientur, digna de illis sumpta vindicta. *Ephes. 1.* *Hebr. 10.*

Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam, &c. Intelligi debet hoc generale Matthæi dictum de hostibus Christi Scribis, Pharisæis, Sadducæis, & rursus intelligi debet de

quæstio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstione inter docendum Christo proposita. Nam mox postea discipuli quædam interrogasse referuntur, & in domo Cayphæ quædam ab hostibus suis Dominus captus, est interrogatus.

Docet audiendos & cauendos Scribas. Matth. 23. Mar. 12. Lucæ 20.

CAPVT CXX.

†ª. audite autem populo dixit discipulis suis.

ª VNC Iesus † loquutus est ad turbas, & ad discipulos suos', ᵇ & dicebat eis in doctrina sua. ² dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate & facite, secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. || Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autē primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Vos autem nolite vocari rabbi, vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester qui in cœlis est, nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur, † ᵇ cauete' à scribis, qui volūt ambulare in stolis, & ᶜ amāt ▷ ᵇ salutationes' in foro', & ||primas cathedras' in synagogis, & primos discubitus in † cœnis', qui deuorant domos viduarum, ▷ simulantes longam orationem', hi accipient ||dānationem maiorem'. ² Væ autem vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, longas orationes orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & quum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Væ vobis duces cæci, qui dicitis, Quicunque iurauerit per templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt: & quicunque iurauerit in templo, iurat in illo & in eo qui habitat in ipso: & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. || Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia, sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti, intus autē pleni estis hypocrisi & iniquitate. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis, si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorū. Serpentes, genimina viperarū, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatē, vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terrā, à sanguine Abel iusti, vsq; ad sanguinē Zacharia filij Barachiæ quē occidistis inter templū & altare. Amen dico vobis, Veniēt hæc omnia super generationē istā. || Hierusalem Hierusalē quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quēadmodū gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, Non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

▷ ᵇ. ᵒ. salutari
||ᵇ. ᵒ. in primis cathedris sedere
† ᵇ. ᵒ. conuiuijs.
▷ ᵇ. ᵒ sub obtentu prolixæ orationis.
||ᵇ. ᵒ. prolixius in dictum.

C. 11. 24.

C. 11. 84.

C. 11. 84.

Tunc Iesus locutus est ad scribas, & ad discipulos suos, &c. Cum Scribarum, & Pharisæorum esset iam desperata correctio, reliquū erat vt alij admonerentur, ne illorum prauis moribus, & exemplo corrumperentur. Quod autem discipulos suos petissimum præmunire voluerit indicat Lucas dicens:

Audiente autem populo dixit Iesus discipulis suis. Quoniam ergo varia eorum vitia libere erat reprehensurus, ac suos diligenter præmoniturus vt ab ipsis imitandis sibi cauerent: ne hinc etiam simul periret authoritas doctrinæ ipsorum necessaria adhuc populo cui præsidebant doctores; prudenter suum tempetat sermonē Dominus sic, vt & necessariam eorum in docendo, & præcipiē do authoritatē cōseruare studeat, & tamē suos præmuniat ne illorum authoritate permoueātur ad illorū imitationē. Dicit ergo:

Super cathedrā Moysi sederūt Scribæ, &c. Quemadmodum Psalmo primo metaphorice dicitur cathedra pestilētia pro officio docendi pessima: ita & hoc metaphorice rectè dicitur cathedra Moysi *Cathedra* authoritas *Moysi*

C. 13. 98

Universidad de Deusto
Biblioteca

authoritas docendi, & iubendi, quę ad cultum Dei pertinent, quã authoritatem primus in populo Iudaico obtinuit Moses, & ideo ab eo nomen accepit, vt dicatur Cathedra Moysi, sicut Romanæ Ecclesiæ authoritas dicitur Cathedra Petri. Itaque quod dicitur super cathedram Moysi sederunt, idem est quod eam quam Moses habuit in Dei populo authoritatem acceperunt. Infert autem ex prædicta sententia id, propter quod eam assumpserat;

Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite, &c. Ergo inquit, hoc est, quia super cathedram, id est, in cathedra Mosi sederunt, ideo seruate, quæ dixerint vobis. Non ergo Dominus ãrum exigit obedientiam in his, quæ ex scripturis, & lege Dei iuberent, aut docerent: sed etiam in his quæ sua authoritate pro temporis & loci exigentia statuerent, & iuberent secundum scripturas. Nõ enim dicit quæcunque docuerint, sed dixerint, & absolutè dicit omnia, nec contentus illo addit quæcunque. Quoniam autem qui verbo docent, facto suo, & exemplo ad imitationem non parum alios cõmouere solẽt: ideo ne illorum exemplo peruerterẽtur hi, qui ab illis pendere, & instrui debebant; subiecit:

Secundum opera vero eorum nolite facere, id est, ne autem imitemini eorum opera. Dicunt enim, inquit, hoc est præcipiunt, & tamen eadem ipsi non faciunt. Hæc autem est primum Scribarum & Pharisæorum vitium quod hic notat Dominus.

Alligant autem onera grauia, & importabilia. Non diuersum hic à præcedenti taxat vitium, sed declarat quod dixit. Dicunt enim & non faciunt (Græcis enim non est autem, sed γάρ, id est enim) quanquam id declaret cum magna ipsius vitij exaggeratione, vnde patet deinceps per onera grauia, & importabilia significari ea, de quibus prius dixit Dominus, omnia quæcunque dixerint vobis facite. Importabilia autem hic positum est, pro difficilia portatu. Cum autem dicuntur ronera gauia ipsos alligare, &c. Significatur varia eos præcepta veluti in fasces congerere siue ex scripturis, siue ex propria sua authoritate, quæ nouæ legis præceptis addiderunt, seuerè interim & rigidè, quæ legis sunt ab aliis exigentes, at sibi in omnibus multam concedentes licentiam.

Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Notauit in præcedentibus Dominus illorum grauiter culpabilem negligentiam, notat modo eorum non sanctam in bonis operibus diligentiam: vt sicut suos significauit cauere sibi debere ab imitatione negligentiæ illorum, ita & nunc significet, nec in bonis quæ facere viderentur operibus imitandos. Secũdum ergo vitium, quod in his notat est vanæ gloriæ appetitus, quod vitium variè ostendit eis comperere. Primum quidem in bonis quæ facere videbantur operibus dicens omnia hæc eos facere vt viderentur. Secundo in extremo ipsorũ habitu dicens; *Dilatant autem phylacteria. &c.*

Græcis

est enim: Ostẽdit siquidem alia ratione eos vanę gloriæ cupidos. Porro occasio phylacteriorum, quæ dilatasse dicuntur Scribæ, & Pharisæi fuit id quod scribitur Deuter. 6. cum post præcepta decalogi tandem intulit Moses: Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos. Hoc enim nimis literaliter intelligentes Iudæi scribebant in membranis verba illa, Audi Israël, &c. Aut secundum Hieronymum ipsum decalogũ Mosi, membranasque has partim brachijs alligabant, partim in fronte, quasi coronã capiti faciẽtes, vt semper ante oculos moue rentur. Mẽbranæ autem illę sic depictæ Græco nomine dicebãtur phylacteria. i. custoditoria, vel cõseruatoria, quod adhiberẽtur ad sui ipsius & legis diuinæ custodiã; cum prædicto scripturæ loco nihil aliud exigat Deus, quã vt præceptorũ suorum nunquã obliuiscerentur, sed eorũ sic semper essent memores, quomodo ıẽ in manu existentẽ, & ante oculos positã nõ facile obliuiscimur. Has autẽ membranas, quo præ alijs viderẽtur religiosiores, & in mãda tis Dei recogitãdis, & faciẽdis diligẽtiores Scribę & Pharisęi latio res gestabãt. Eadem de causa & *fimbrias magnificabãt* i. grandiores faciebãt. Præceperat enim Moses, vt Iudæi in quatuor angulis palliorũ suorũ facerẽt fimbrias hyacinthinas, ad discretionẽ populi Israëlitici, & vt vestis huius discretione admonerẽtur etiã discretã à Gẽtibus debere eorũ esse cõuersationẽ, cogitarẽtque cuius Dei, qualem culturam susceptissent obseruandã. Tertio ostẽdit Dominus ipsorũ inanis gloriæ appetitũ in externa cũ hominibus cõuersatione cũ subijcit: *Amant autẽ primos accubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, &c.* Non reprehendit quod primos obtinerent accubitus, primasque cathedras, sed quod hæc amarent, & studiosè expeterent.

Phylacteria.

Num. 15. Deut. 22.

Vos autẽ nolite vocari Rabbi. Scopus Domini in his verbis est, omnes & potissimũ suos discipulos inuitare ad humilitatẽ, atq; à superbia, & vanę gloriæ appetitu abstrahere, vt scilicet nõ more scribarũ affectent, & ament se vocari Magistros, atque hoc nomine ament se alijs præferri: sed potius quantum in ipsis est fugiant per humilitatem huiusmodi appellationem, aut si admittant eam, & vsurpent, non tamen se hoc nomine alijs præferant, agnoscentes vnum solum esse, cui appellatio ea verè, & propriè sit tribuenda. Iam & cum subijcit;

Rabbi vel Magistri appellatio quemodo fugienda.

Qui maior est vestrum, erit minister vester, & qui autem, se exaltat, humiliabitur, &c. Satis significat per duas has sententias, quomodo prohibuerit admittere, aut vsurpare appellationẽ magistri: nimirũ vt ne qui Magistri obtinet locũ, se hoc nomine efferat, sed cõtra se tantum vt ministrum reputet, & sic humilier, vt vel nomen magistri pœnitus fugiat, vel hoc nomine se alijs non præferat. Quem sensum etiam confirmat subiuncta a Domino ratio;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnus est enim Magister vester, Deus scilicet, aut Christus. Sic autem modo Dominus vnum dicit esse nostrum magistrum sicut supra dixit solum Deum esse bonum. Sicut enim ibi noluit significare Dominus hominem nullo modo dici posse bonum, sed eam appellationem proprie soli Deo competere: ita & hic docere voluit appellationem magistri soli Deo vel proprié competere, atque ob id neminem sibi debere id nominis arroganter ascribere, quin potius per humilitatem declinare. Addit autem & aliud propter quod appellationem Rabbi declinare debeamus, subdēs.

Omnes autem vos fratres estis, quod vel intelligi potest dictum de omnibus omnino hominibus, quia omnes ab eodem Deo Patre facti germanitate pari inter se coniunguntur: vel potius intelligendum dictum de Christianis, qui ratione spiritualis regenerationis omnes inter se sunt fratres, vnum habentes Patrem cælestem.

Patris itē appellatio quomodo fugienda.

Et patrem nolite vocare vobis super terram. Sicut superioti sententia nō simpliciter auferre voluit Christianis nomē Rabbi, vel Magistri: ita & hac certum est ipsum non simpliciter prohibere voluisse ne quis aliquem in terra vocet Patrem, sed ne illū sic vocet & reputet, tanquam primarium, & præcipuum, sic scilicet vt ei suam vitam, & suum esse præcipuè acceptum referat, atque ab eius prouidentia maximè pendeat, & ab eo suam hæreditatē expectet, quomodo Gentiles suos genitores patres vocāt. Vnus est enim qui solus verè, & proprie omnium hominum ratione creationis, omniūq; Christianorū ratione regenerationis est Pater, is scilicet, qui in cælis est, cui quicquid sumus siue per naturā siue per gratiā acceptū ferre debemus, à cuius itē prouidētia, semper & vbi

Psalm.15. que pēdere debemus, qui est deniq; vera pars hæreditatis nostræ.

Nec vocemini magistri, &c. Aut repetit Dominus iam sub alio nomine, quod prius dixit ad augmentum detestationis huius mali, aut inter Rabbi & Magistrum illud hoc loco interest, quod nomen Rabbi præceptoris sit vocabulum eius qui docet, nomen verò Magistri hoc secundo loco sit nomē moderatoris in moribus, & gubernatoris vitæ. Subiicit autē Dominus duas sententias sibi familiares, quibus reddit modo prędictorū causam præceptorum, & quod prius in specie dixit, nunc generatim extulit, vt non prædictos tantū titulos fugiendos intelligamus, sed & alios. Prior est,

Qui maior est vestrum, hoc est qui maximus est inter vos siue dignitate, siue donis spiritualibus, *erit vester minister*: Quæ sententia & supra est habita in cap. Conc. 104. ex Matt. 20 & Mar. 10. Secunda est,

Qui autem se exaltauerit, humiliabitur. Quæ suprà est habita ex Lucæ cap. 14. & 18.

Cauete à Scribis qui volunt ambulare in stolis. Vitiorū eorū quæ apud

apud Matthæum Dominus prolixè commemorat, vt ab eis suos admoneat sibi cauere, quædam paucis Marcus & Lucas à Domino notata commemorant dicentes eum dixisse: Cauete à Scribis, ne scilicet imitemini, suoque exemplo vos corrumpant, *qui volunt*, hoc est desiderant, & affectant, *ambulare in stolis*, id est vestibus talaribus, quo sint honoratiores, *& amant salutationes in foro*, & cætera, quæ supra sunt habita ex Matthæo, quibus notatur in eis desiderium inanis gloriæ. Notantur deinde apud hos duos Euangelistas alterius etiam grauioris vitij, nimirum auaritiæ aut gulæ idq; non simplicis cum dicitur, quod & postea habet Matthæus; *Stolæ.*

Qui deuorāt domos viduarū simulātes longā orationē, quo significatur ipsos longis precibus non ex animo factis, sed simulate, & ad ostentationem captare fauorem viduarum, earumque domos id est, facultates & substantiam, deuotare, quia ab eis velut sanctæ & religiosæ personæ frequenter inuitantur magnisque sumptibus excipiuntur. Viduarum autem peculiariter Dominus memi- *Theophyl.*
nit potius quam virorum, aut mulierum aliarum, tum quod his facilius imponitur falsa sanctimoniæ specie, & liberam habenti sa cultatum suarum administrationem, tum vt horum peccatum magis exaggeraret, ostendēs illos earum esse spoliatores, quas potius adiuuare, & sublenare deberēt, vt pote desertas, & omni adiutorio desolatas. Adijcit proinde Dominus post notationem huius vitij, quod ob id Scribæ, & Pharisęi accipient prolixius iudicium, vel vt clarius versum est in Luca, damnationē maiorem scilicet, quam reliqui peccatores: nimirum quod non simpliciter auaritiæ, & gulæ essent dediti, sed etiam re sacra abuterentur ad suum quæstum, vel gulam.

Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ. Odies hoc loco væ intentat Scribis & Pharisęis sicut in principio octo Iustorum pro- *Væ odiles intentatis Pharisæis*
pulit beatitudines. Et primò quidem væ illis dicit, quod cum debe rent suo exemplo & doctrina aperire alijs regnum cælorum, & vi am ad illud præmonstrare, contra, *clauderent illud coram hominibus*, id est, impedimentum præstarent ne introirent, dum scilicet eos auocarent à fide in Christum, qui ostium est per quod intratur in regnum cælorum, in quem non solum ipsi recusarent credere, sed etiam ad credendum propensos, ne crederent, quantum in ipsis fuit, impediebant Secundo væ illis dicit, quod.

Comederent domos viduarum, &c. Quod iā circa Marci, & Lucæ vetha est tractatum. Tertio væ dicit, quia inquit, *circuitis mare & aridā*, id est, terram, hoc est, cum multa diligentia, & labore quæritis vt vndique ex Gentibus faciatis vnum proselytum, hoc est ad uenam, qui ab Idololatria conuersus Iudaicā amplectatur religionem. Non autem ob hoc eorū studium, quod in se sanctum erat, væ illis dicit, sed ob id quod sequitur, quod quem tanta diligentia

& labore in consortium suæ religionis pellexissent, ad hoc vt saluus fieri posset, cum suis exemplis, & conuersatione facerent filiũ gehennæ, id est, obnoxium gehennæ & æternæ condẽnationi, duplo supple magis quam ipsi essent: quod perinde est ac si dixisset simpliciter, quod plus cum gehennæ obnoxium redderent quam ipsi essent, idque ob id quod vt plurimum qui præceptoré habet malum, non in illius malitia sistit, sed eius vtens exemplo solet vlterius procedere, & in malo præceptorem superare.

Væ vobis duces cæci, qui dicitis, quicunque iurauerit per templum, &c. Quarto illis væ dicit ob præposteram, & erroneam eorum traditionem, propter quod eos vocat iam duces cæcos, eo quod hæc eorum doctrina ex magna processerit cæcitate. Docebant autem eum qui iuraret per templum, aut in altari, id est, per altare, nihil esse, hoc est non obligari vi huiusmodi iuramenti, qui vero iuraret in auro templi, id est, per aurum, quod in templo oblatum esset, aut in dono, quod est super altare, id est, per sacrificia, debere, hoc est obligari huiusmodi iuramento. Vt autem in tantam prolaberentur cæcitatem vt præferrent in iusiurandi religione oblationes templi, & altaris ipsi templo, & altari auaritia effecit, quæ & suasit vt illud docerent filios dicere parẽtibus suis: *Corban, quodcunque ex me est tibi proderit*, nimirum vt populus intelligens singularem oblationum sanctitatem pronior esset ad oblationes faciendas. Itaque ob manifestã hanc ipsorum ex auaritia prodeuntem cęcitatem, merito Dominus hic semel, & iterum cũ exclamatione dicit: Stulti, & cęci. Additque *Quid enim maius est, hoc est* sanctius, & pluris faciendum, *aurum, an templum, quod sanctificat aurum*, hoc est, cuius gratia aurum sanctum habetur. q. d. nemo ignorare potest quin illud sit altero sanctius, à quo alterum suam accipit sanctitatem. Et rursum: *Stulti & cæci* (nam etiam secundo loco repetitur apud Græcos nomen stulti) *quid enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donum* Siquidem sacrificium aliquod, cum ex sese sit prophanum, ideo fit sanctũ, quia in altari ex sui institutione consecrato cultui diuino, offertur. Hinc ergo sibi oppositam conclusioni eorum conclusionem infert Dominus dicens;

Qui ergo iurat in altari, &c. q. d. Cum, vt ostensum est, sanctius sit & templum, & altare ipso auro templi, & sacrificijs altaris: ergo non hoc dicendum est, quod vos dicitis, sed cõtra potius, quod qui iurat per altare, non tantum per altare iuret, sed etiam per omnia, quæ super illud sunt, ac proinde æquè, aut etiã magis est obligatorium iuramentum per altare, quàm per donum altaris. Et similiter quicunque iurauerit per templum, non per templum tantum iurat, sed etiã per Deum, qui ratione singulari habitat in templo, & proinde non minus obligat, quam si apertè per Deum iurasset.

iurasset. Idem subiungit & de iuramento per cælum, ob causam superius indicatam.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis, &c. Quatuor væ sequentia, quorum duobus prioribus præposteram eorum in seruandis mandatis Dei, vel hominum diligentiam coarguit, duobus verò posterioribus eorũ hypocrisim: ex. Luçę cap. 11 habita sunt in cap. Concor. 84. proinde ea tantum hic annotanda erunt, quæ hic sunt peculiaria, aut ibi prætermissa. Itaque pro eo quod Lucas posuit iudicium, & charitatem Dei, hic pro grauioribus legis, hoc est, his quæ lex potissimum exigit & sunt maioris in lege momenti, dicitur iudicium, & misericordiam, & fidem. Quæ tria referri possunt ad proximum, ad quem lex exigit plusquam decimationem vt iustè, benignè, & cum bona fide nos geramus, vt fides hic accipiatur pro fidelitate fraudi contraria, & mendacio. Quod autem dicitur;

Duces cæci excolantes culicem, camelũ autem glutientes, &c. Adagiũ est, quo significatur eos in minimis esse diligentes, & studiosos, in maximis negligentes: ac perinde facere ac si cum in poculum incidisset minimum animal, non prius ex eo bibere vellent, quam colando potus esset mundatus, cum interim magnum aliquod animal simul cum vino deglutirent. In postremo væ, illud in Scribis reprehendit Dominus, quod cum videri vellent venerari Prophetas, & detestari factũ eorũ qui illos occidissent, verè ta men similes essent occisoribus eorum, idque vel ex propriis eorũ verbis colligit, nimirum quod vocarent illos patres suos, vnde infert. Itaque cum scilicet Patres vestros vocatis Prophetarum occisores, testimonio estis contra vosmetipsos, quod filij sitis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et subijcit; *Adagiũ.*

Et vos implete, &c. q. d. proinde cum vel vestro testimonio sitis eorum filij, filios autem oportet parentibus esse similes, imitamini mores eorum, & quod deest malitiæ eorum & peccatis, vos superaddite, vt completa sit & perfecta malitia patrum vestrorũ; quod dicit prænunciatiuè, significans omnino hoc sic futurum ab eis per occisionem sui, & Apostolorum suorum. Deinde cum detestatione malitiæ ipsorum exclamando subijcit;

Serpentes, genimina, id est, progenies viperarum, hoc est pessimorum parentum pessimi filij, *quomodo fugietis à iudicio gehennæ* hoc est, quomodo effugietis condemnationem inferni, aut iudicium, quod mittit in gehennam? Quę sequuntur vsque ad illud Ierusalem Ierusalem, &c. tractata sunt circa prædictum Lucæ locum. Illud autem Ierusalem, Ierusalem vsque ad finem capitis tractatum est, in cap. Concord. 90 & Luc. cap. 13.

Præfertur oblatio viduæ. Mar. 12. Lucæ 21.

CAPVT CXXI.



[b]T sedens Iesus cõtra gazophylaciũ, aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylaciũ. & multi diuites iactabãt multa. [c]Respiciẽs autẽ vidit eos, qui mittebãt munera sua in gazophylaciũ diuites. [b]Cũ venissit autẽ vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrãs. [c]Vidit autẽ & quandã viduã pauperculã mittentẽ æra minuta duo. [b]Et [b]cõ vocatis suis discipulos † [h]ait [b]illis: ▷ [h]Amẽ dico vobis, ‖ Quonia' vidua hæc pauper plus † omnibus' misit [b]qui miserunt in gazophylaciũ: ◁ [b]omnes enim ex eo quod abundabat illis' miserunt [c]in munera Dei, [h]hæc autem ‖ de penuria sua, omnia quæ habuit misit, totum victum suum'.

† [a].dixit ▷ [c].verè † [a].° quia † [c].° quæ omnes ▷ [c]nam omnes hi ex abundanti sibi ‖ [c]ex eo quod deest illi omne victũ suũ quem habuit misit. Vide etiã ea Concord 77. 4. Reg 12.

Et sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat, &c. Sedens contra gazophylacium hoc est è regione eius, non quidem temerè, & curiositatis gratia, sed ob doctrinæ, quæ ex euentu subsecuta est, oportunitatem captandam, aspiciebat, *quomodo turba iactaret æs*, id est, mitteret pecuniam in gazophylacium. Porro Gazophylacium arca erat constituta in atrio templi iuxta altare, idque ex institutione Regis Ioas, vt in ea voluntariã mitterentur pecuniarum munera pro templi restauratione, ministrorumque ac pauperum sustentatione. Hæc nomine partim Græco, partim Perlico dicebatur Gazophylacium, quod in ea reconderentur, & seruarentur diuitiæ templi. Cum ergo iam imminente Paschali festiuitate certatim quique in Hierusalem collecti aliquid in gazophylacium conferre, ſtuderent; quo Deum sibi propitium facerent, & *multi diuites multa in illud mitterẽt*, accessit inter alios & vidua quædam pauperula, quæ deuotione nimis accensa nec erubuit inter larga aliorum munera, ininutum quid offerre. *Misit ergo æra minuta duo, quod*, inquit Marcus, *est quadrans*. Vbi relatio relatiui quod dupliciter accipi potest; communiter tamen intelligitur Marcum significare voluisse duo illa minuta valuisse quadrantem, vt sit sensus, quod, id est, quæ duo minuta sunt quadrãs vnus.

Gazophylacium

Quadrãs Valebat autem quadrans paulo plus, quã is nummus, qui est duodecima pars solidi turonensis, vel stuferi nostratis, qui denarius dicitur Gallis. Intelligendum itaque Dominum his verbis dicere voluisse viduam plus misisse & secundum affectum, quem Deus maximè attendit, & secundum rem, proportionaliter tamen accipiendo hanc pluralitatem rei, quod pulchrè declarat Dominus subijciens:

Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt, Vbi notandum duplicem à Domino indicari antithesin. Primum quod illi ex eo quod abundabat, miserunt, vidua verò ex eo quod deerat illi, vel vt melius versum est in Marco ex penuria sua. Secũdo, quod vidua omnia quæ habuit, totumque victum suum, hoc est substantiam suam, vnde ali poterat, illi verò partem tantum substantiæ dederint, imo tantum partem superflui, nec totum quod supererat eis. [Colligãt ex hoc loco diuites quãdo obtuliſſe se magnum aliquid iudicare possint; quando quid quid de eo quo non egent ad vitæ necessitatem impendunt, minus est quadrante pauperis.]

Prædicitur euersio templi & Hierusalem. Matth. 24. Mar. 13. Luc. 21.

CAPVT CXXII.



[a]Tegressus Iesus de tẽplo, ibat. [c]Et [b]cũ egrederetur de tẽplo, [a]accesserũt discipuli eius, vt ostẽderẽt ei ædificationes tẽpli [&] [b]ait illi vnus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides et quales structuræ, [h]& [c]quibusdã dicentibus de tẽplo, quod bonis lapidibus et donis ornatũ esset, *respõdens* [b]Iesus † [l]dixit [c]illis: videtis' [a]hæc omnia, [h]hæc omnes magnas ædificationes' [a]. Amen dico vobis, [c]hæc quæ videtis, venient dies in quibus [l]non relinquetur [a]hic [l]lapis super lapidem qui non destruatur. ▷ [a]Sedente autem eo super montem Oliueti' [b]contra templum, [a]accesserunt ad eum discipuli secretò [&] ‖ [h]interrogabant eum', [b]separatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, [f]dicentes: [c]Præceptor [a]dic nobis [l]quan do † hæc erunt': [h]& quod signum [b]erit ▷ [h]quando' [b]hæc omnia [c]finẽ † hæc erunt' [h]& quod signum [b]erit ▷ [h]quando' [b]hæc omnia [c]finẽ [a]horũ [b]incipient, [&] [b]consummari, [a]& quod signũ adueniũs tui, & cõsummationis seculi? ‖ [l]& respondens Iesus † cœpit dicere' [c]illis: [l]videte ne ▷ quis vos seducat'. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, [h]Quia [l]ego sum [a]Christus, [c]& multos seducent. [c]Et cum audieritis prælia. & opiniones præliorum. [h]Quum audieritis autem bella, [c]& seditiones, [b]& opiniones bellorum, [a]videte ‖ [l]ne turbemini', oportet [c]enim [a]primùm [l]hæc fieri, sed nondum [a]est [c]statim [l]finis. [c]Tũc dicebat illis: † [l]Consurget' [c]enim [l]gens ▷ contrà gentem, & regnum † aduersus' regnum & terræ motus [c]magni [l]erunt per loca, [f]& pestilentia, [l]& fames, [c]terroresque de cælo. & signa magna erũt. [f]Hæc [a]autem omnia ▷ [c]initia' [a]sunt [c]dolorum. [b]Videte autem vosmetipsos ‖ [nam]' [c]ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequẽtur tradentes [a]. [b]in synagogas, & custodias, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum. † [b]Tradent enim vos in concilijs, & in synagogis vapulabitis & ante præsides & reges stabitis propter me, [c]contingent autem vobis

† [a].dixit illi videſ ▷ [b].°. Et cũ sederet in mõte oliuarũ ‖ [a]. interrogauerũt autem illi † [b].°.ista fient ▷ [c].° cũ ‖ [c].qui dixit † [a].dicturi ▷ [c].sedu camini ‖ [b].°.ne tũ mueritis [c].nolite terreri † [b].° exurget. [c].°. ▷ [b].°.in † [b].°.super [a].° in ▷ [b].initiũ ‖ [c].sed

bis [b] in testimonium [b] illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari euangelium, & cùm duxerint vos tradentes, [c] ponite [*] in cordibus vestris † [b] non præmeditari quemadmodum respondeatis, [b] sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, [c] ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri: [b] non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. [a] Tunc tradent vos in tribulationem. [c] Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, [f] & ▷ morte afficient ex vobis. [b] Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos, [f] & eritis odio omnibus [a] gentibus propter nomen meum. [a] Et tunc scandalizabũtur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos. & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. [a] Qui autẽ † perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: [c] & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. [a] Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gẽtibus, & tũc veniet consummatio. [a] Cùm autẽ videritis circundari ab exercitu Hierusalẽ, tũc scitote, quia appropinquauit desolatio eius. [a] Cũ ▷ ergo' videritis abominationem desolationis. [a] quæ dicta est à Daniele propheta, [a] stantem [b] vbi non debet [a] in loco sancto [c] (qui legit intelligat) [f] tũ qui in Iudæa sunt fugiant ‖ ad' montes, [c] & qui in medio eius discedant, & qui in regionibus, non intrent in eam: [a] & qui † super tectum, ne' descendat [b] in domũ nec introeat ▷ vt tollat quid' de domo sua: & qui in agro [b] erit, [a] non reuertatur [b] retrò [a] tollere ‖ vestimentum suum, [c] quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt. [f] Væ autẽ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. [c] Orate autem [b] vt hyeme nõ fiant. [a] vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho. [c] Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. † [c] Erunt enim dies illi tribulationes tales quales non fuerunt ab initio creaturæ, [b] quam condidit Deus, [a] vsque nunc, neque fient. [c] Et cadent in ore gladij & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. [a] Et nisi ‖ breuiasset Dominus dies, non fuisset' salua omnis caro: sed propter electos [b] quos elegit, ▷ [a] breuiauit dies.

Et egressus Iesus de templo, ibat. Ex Græcis sensus est; Egressus Iesus ibat, vel discedebat à templo. Itaque cum iam vespera imminente post multam doctrinam Dominus egrederetur è templo, accesserunt ad eum discipuli, vt ostenderent ei ædificationes templi, idque non temerè aut curiositatis gratia, sed moti verbis Domini, quibus & iam prædixerat, vt Matthæus refert, vastandam Ierusalem, & alias item, vt cum illi appropinquasset insidens asino vt supra habitum est. Lucas non tantum lapidum, & structurarum

structurarum templi factam mentionem dicit, sed etiam donorum, quibus templum fuerat ornatum. Quæ qualia fuerint significat dictio Græca ἀναθήμασι. Significat enim ea dictio dona, quæ dicata dijs suspenduntur in parietibus templi, aut columnis eius, cuiusmodi nunc visuntur in Templis nostris statuæ argenteæ, aut cereæ, dicta ab ἀνατιθέναι, id est, à seponendo, vel suspendendo. Cũ ergo discipuli admirarentur, & extollerent templi tum pulchritudinem tum fortitudinem, significarentque & indignum esse vt ei, quæ prædixerat Dominus euenirent, & non facile id ei posse euenire: Dominus à carnali admiratione discipulos suos reuocãs, & dictorum verborum suorum fidem confirmans, respondit. *Anathemata.*

Videtis hæc omnes magnas ædificationes? Hac enim interrogatione animos eorum excitauit, quo admirabilius videretur quod dicturus erat; quod quo illis certius haberetur solita sua asseueratione confirmauit dicens:

Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Quod quam verè sit impletum dictum est supra in cap. Conc. 10 circa illud Lucæ: Non relinquent in te lapidem super lapidem, &c.

Sedente autem eo super montem Oliueti contra templum. Ex Matthæo & Marco superius patuit, quomodo prima, & secunda huius hebdomadæ die Dominus sub vesperã egressus Ierosolymã, abierit in Bethaniam, in quo itinere obuium habuit montem Oliueti, in quo etiam, vt postea dicit Lucas, Dominus his noctibus morabatur. Itaque cum & iam tertio hoc die pergeret Bethaniam contigit eum in obuio monte sedere siue ob defatigationem ieiuni post diutnum laborem corporis, siue vt occasionem daret discipulis interrogandi, quæ de futuris rebus differenda erant. Cum ergo in hoc monte sederet, idque contra templum, hoc est è regione tẽpli, sic vt templum esset in prospectu; renouata est discipulis memoria sermonis, quo prædixerat fore vt templum funditus diruetur. Et Matthæus quidem accessisse, & interrogasse discipulos dicit in genere, quemadmodum Lucas; Marcus vero, Petrum, Iacobum, Ioannem, & Andræam peculiariter dicit eum interrogasse seperatim, id est, seorsum. Quod dupliciter accipi potest, vel vt hi soli, quorum nomina exprimit Marcus intelligantur ex discipulis Dominum interrogasse seorsum ab alijs discipulis, vel vt omnes discipuli dicantur discendi causa accessisse Dominum, soli autem illi quatuor omnium nomine interrogasse, vtpote maiorem habentes apud Dominum authoritatem. Porro Marcus & Lucas duo illos interrogasse dicunt; Primum quando illa fierent, quæ de euersione templi prædixerat. Secundo, quod esset signum, quando illa inciperent fieri. Matthæus vero pro secunda hac quæstione, quæ fisse eos commemorat, quod esset signum aduentus ipsius, & con- *Erasmus. Euthymius.*

[a] ergo † [b] nolite præcogitare quid loquamini

▷ [a] occident vos

† [b] [a] sustinuerit

▷ [b] autẽ ‖ [b] in † [a] [c] in sancto non ▷ [a] tollere aliquid ‖ [a] tunicam suam

† [a] Erit enim tũc tribulatio magna, qualis nõ fuit ab initio mundi vsque modo, nec fiet

‖ [a] breuiati fuissent dies illi, non fieret

▷ [a] breuiabũtur dies illi

Universidad de Deusto
Biblioteca

summationis seculi; quæ tamen non est diuersa ab ea, quę secunda ponitur apud Marcum & Lucam. Existimabant enim discipuli in secundo Domini aduētu deuastandam Ierusalem & templum, ac cum ea totum mundū consummādum, omniumque finē futurū, ac tum rebus omnibus nouatis nouū Regnum suum Messiā initurū, & auspicaturum, de quo carnaliter somniare non desinebant.

Et respondens Iesus cœpit dicere illis; Videte ne quis vos, &c. Valde varie ab interpretibus intelliguntur sequentia Christi verba; nos in eorum tractatione potissimum sequemur enarrationē D. Chrysostomi; secundum quam omnia quæ in hoc Concordiæ capite habentur pertinent ad tempora aut vastationem Ierusalem precedentia, aut ipsius vastationis Ierusalem, ita vt pulcherrimus sit eorum, quæ dicuntur à Domino ordo; cum secundum alios cōfuse Dominus loquatur nunc de his quæ pertinent ad finē seculi, nunc de destructione Ierusalem. De his ergo quæ rogatus fuit Dominus disserturus, altius repetito sermone (propter quod Marcus videtur dixisse, quod cœperit dicere) sic auspicatus est: *Videte*, hoc est cauete, *ne quis vos seducat*, atq; à fide, quę est in me, abstrahat ad sequēdum se, quod ob id vos moneo, quia multi post meum à vobis discessum venient in nomine meo, hoc est nomen meum præ se ferētes, ac dicentes: Ego sum expectatus ille Christus, & multos seducent potissimum ex Iudæis, qui quemadmodum prędixi illis recipient eum qui veniet in nomine suo. Eiusmodi autem seductores *Actor. 5.* fuerunt Theudas, cuius meminit Gamaliel, & Ægyptius quidam *Libr. 2. de bel. Iud. cap. 12.* cuius meminit Iosephus, & alij multi, qui omnes quatenus libertatem, & salutem populo promiserunt, eatenus se Christos asseuerunt, quanquam peculiariter hoc etiam nomine pro vero, atque in scripturis promisso Messia sese vendtauerint.

Græcis est autem, nō enim. *Audituri enim estis prælia, & opiniones prælioruṁ.* Postquam prędixit venturos post se pseudochristos, secundo etiam prædicit bellorum, tumultuum, & aliorum malorum euentum, de eisque præmoner suos. Rectè autem colligit D. Chrysost. Dominum hic loqui de bellis, & malis, quæ apud Iudæos erant ante illorum vastationem euentura. Proinde quod dicitur.

Sed nondum finis, & hæc omnia initia sunt dolorum, Intelligēdum est de fine Ierusalem & Gentis Iudaicæ, deque initijs dolorum & malorum, quæ populus ille experturus erat, de quo dixit, requirendum omnem sanguinem iusti, qui effusus est à constitutione mundi. Cæterū bella de quibus hic dicitur, & opiniones, i. rumores nouorum bellorum, cœperūt potissimum sub Præside Cumano, qui *Ioseph. Antiq. 20 cap 6 De bello Iud li. 11. cap. 2.* Tyberio Alexandro successerat. Tum seditiones populi, motusq; per vniuersam Syriā, qui sub Floro fuere excitati dederunt rumores istos bellorū, & bella, de quibus hic Dominus prædixit. Audituri estis bella & opiniones bellorū, videte ne turbemini. Oportet enim

enim hæc fieri, sed nondum est finis, non modo seculi, sed nec malorum, quæ populo huic accident. Quare autē turbari nō debeāt, reddit Dominus conuenientem rationem: nimirum quia oportet hæc omnia fieri. Oportet inquam, exigente ita Iudæorum impietate. Quis enim prudens afflictetur pro re, quæ aliter habere nequeat, quæque iusto Dei iudicio est necessario euentura. Porro de pestilentijs, atque terræ motibus Iosephus nihil peculiare memorat, fortè quod hęc collata seditionibus, & bellis leuia mala habuerit. De fame autem quę Ierosolymis ita inualuerat vt multi egestate fuerint consumpti agit lib. Antiq. 20 cap. 2. In Actis quoque legimus ab Agabo famem magnam prædictā quæ accidit sub Clau- *Cap. 11.* dio Cæsare. At vero hic orbis terrarum pro omni regione Iudæorū videtur accipi debere. Vnde idē scribit Lucas discipulos, prout cuique supperebat, proposuisse tunc in subsidium mittere habitantibus in Iudea fratribus, ex quo videre licet Iudæam vel solam, vel potissimum hac fame fuisse afflictam; quod & de alijs malis de quibus hic dicitur similiter intelligendum est.

Videte autē vosmetipsos. Prædicit iam tertio mala ipsis etiā Apostolis euentura, & ne ab eis lędātur præmonet, & præmunit. Quoniā enim de Regno, & gloria cogitarant, prędicitur eis post pericula pseudochristorū, post cōmunes gentis Iudaicę calamitates, persecutio, crux, ignominia, grauia præterea scandala multorum à fide deficientium, denique & pseudoprophetarum pericula. Et quidem Lucas dicit ante omnia prædicta Iudæorum mala ipsos hæc, quæ modo dicuntur, passuros; Matthæus vero; Tunc tradent vos in tribulationem. Nam & ante calamitates Iudæorum prædictas, cœperunt Iudæi inijcere manus in Apostolos, & fideles, & in medijs suis calamitatibus non destiterunt Iudæi simul cum gentibus eos persequi. Sunt autem mala quæ & Matt. 10. (hinc est quod hic breuius ea commemoret quā Marcus & Lucas) & hic prædicuntur, quod tradendi essent, & occidendi à parentibus, fratribus, cognatis, & amicis. Primo ergo præmonentur vt sibi caueant, vnde dicit Marcus, videte vosmetipsos, pro eo quod est, cauete vobisipsis sicut Matth. 10. dicitur. Cauete vos ab hominibus, vt scilicet cū summa prudentia apud impios versentur, & ne illorum minis, & terroribus sinant se abstrahi à vera fide, & prædicatione nominis Christi. Secundo, vt ne traditi soliciti sint quid respōdere debeant in Synagogis, & coram Regibus & prætidibus, &c. Proprium huic loco est apud Matthæum, quod dicitur:

Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicē. Quod dupliciter intelligi potest. Aut vt significetur *Euthymi.* quod plerique adhuc infideles videntes Christianorum afflictiones *ut.* sint scādalizandi, & à fide alienandi, ita vt frater fratrem, amicus, amicum tradat. Aut potius vt significetur multos etiam fideles

offensos

Universidad de Deusto
Biblioteca

offensos afflictionibus Christianorum defecturos, à fide eosque ex fratribus futuros hostes. Secundum huic loco proprium est quod subijcit Matthæus. *Chrysost.*

Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, &c. Superius quidem dixit de his, qui se Christos esse fingent: nunc autem de ijs dicit qui se Prophetas, & veritatis doctores à Deo missos simulabunt, sub quibus omnes hæresum, & errorum doctores comprehenduntur, quales multi fuerunt etiam in initio prædicationis. Tertium quoque malum peculiariter adijcitur apud Matthæum dicitur;

Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Quod videtur intelligendum de charitate Christiana, & ea, quæ in Deum fertur; vt significetur plerosque propter persecutorum, & pseudoprophetarum prævalentem iniquitatem defecturos à charitate Dei, quem per fidem diligere cœperant; vt quod hic dicitur, refrigescet charitas multorum, hoc sit quod Paulus dicit, Et erunt homines seipsos amantes, voluptatum amatores magis quàm Dei. Postquam enim dixit Dominus, refrigescet charitas multorum, subijcit aduersatiuam. *2. Tim. 2.*

Qui autem perseuerauerit vsque in finem, &c. Ex quo patet eum prius de illis locutum, qui in charitate Dei pristina non perseuerauerunt. Ad consolationem autem horum malorum siue quæ ab infidelibus erant passuri, siue quæ in fidelibus erant conspecturi primum dicit, quod propter nomen suum hæc passuri essent. Secundò quod vsque in finem vitæ perseuerans in fide & dilectione saluus esset; pro quo apud Lucam dicitur;

In patientia vestra possidebitis animas vestras; Vbi patientiæ nomen (quod ex Græco ὑπομονὴ liquet) pro patienti, perseuerantique cœlestium bonorum expectatione positum est, vt sit sensus: In patientia vestra, id est, per perseuerantiam vestram possidebitis id est, obtinebitis, & lucrabimini animas vestras, hoc est, saluabimini. Tertio ad malorum mitigationē facit, quod à Luca dicitur:

Et capillus capitis vestri non peribit. Quod idē est cum illo Matth. 10. & Luc. 12. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt; quibus locutionibus tropo prouerbiali, significatur nihil malī, aut incommodi eos passuros, quantumuis multos sint habituri inimicos, Deo illis omnia mala in bonum conuertente.

Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe, &c. Licet ob hanc maximè sententiam plerique putent Dominum hactenus locutum de malis quæ non tantum Apostolorum temporibus, & ante vastationem Ierusalem erant euentura, sed de his quæ mundus, & fideles erant passuri maximè circa finem mundi: tamen magis videtur cum Chrysostomo intelligendum istud impletum fuisse temporibus Apostolorum, sicut & omnia præcedentia; & quod

quod hic dicitur de consummatione, accipiendum non de cōsummatione generali, sed de fine Gentis Iudaicæ, vrbisque, ac templi. Postquam enim dixisset Dominus: Tunc veniet cōsummatio, subiungit apud Matthæum. Cum ergo videritis abominationem desolationis. Hæc enim illatio significat ipsum seruare ordinem rerum futuratum, & docere velle quid faciendum cum venerit illa, de qua locutus erat, consummatio. Sed per abominationem desolationis certum est Dominum ad literam significasse desolationem Ierosolymitanam, vt post probabitur; ergo in hac sententia locutus est non de generali consummatione, sed Ierosolymitana. *Abominatio desolationis.*

De ea ergo loquitur cōsummatione, de qua quęsiuerunt Apostoli, ideoque & cum articulo dicit τὸ τέλος, ille scilicet finis de quo togastis; quanquam Apostoli putarent eundem fore seculi, qui esset finis Ierusalem. Quod autem ante vastationē Ierusalem impletum sit, quod hic dicitur, Euangelium Regni prædicandum in vniuerso orbe ex Paulo manifestum est, vt probat D. Chrysost. Quod si quis obijciat multas tunc adhuc fuisse terras & gentes in quibus Euangelium non fuerat prædicatum: sciendum multa in scripturis dici per synecdochen, & Paulū huiusmodi locutione nihil aliud significasse, quam bone partī Gentium, & omnibus Gentibus cognitis tum, ac in circuitu Ierusalem quaquauersum longè lateque habitantibus Euangelium prædicatum fuisse. Similiter autem hunc locum intelligendum, ex Marco est euidentissimum, qui habet ad hunc modum. *Rom. 10.*

Et in omnes gentes oportet primum prædicari Euangelium. Vbi dictio primum posita pro comparatiuo prius, non potest commodè referri nisi ad consummationem Ierusalem vt sit sensus; priusquam veniat consummatio Ierusalem de qua quæritis. Siquidem Marcus non commemorat eos quæsisse de consummatione seculi, sed tantum quando futura essent, quæ Dominus prædixit de templo & Ierusalem, & quod signum esset quando illa essent cōsummanda.

Cum ergo videritis abominationem desolationis, &c. D. August. Epistola ad Esichium 80. ex Luca euidens esse ostendit id quod dicitur de abominatione desolationis non referendum ad tempora Antichristi, saltem secundum proprium & à Domino primo intentum sensum, sed ad tempus vastationis Ierosolymitanæ, de quo quæsiuerant Apostoli. Nam pro eo quod Matthæus, & Marcus habent: Cum videritis abominationem desolationis, &c. Lucas habet: Cum autem videritis circundari ab exercitu Ierusalem; tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Nec potest Lucas his verbis aliud videri voluisse dicere, quam illis verbis dixerunt Matthæus, & Marcus: quod eadem apud illum præcedant, & sequantur, quæ apud hos duos. Cęterum per abominationē desolationis *Abominatio desolationis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis videtur intelligendum ipsum exercitum Romanorum, qui quod alienigenæ essent, & idololatræ, paratique signa sua militaria imaginibus Cæsaris & aquilæ insignita inferre ciuitati Ierusalem, abominabiles erant ipsis Iudæis, erantque illis abominatio desolationis; quod desolationem magis quam dici possit horrendam ciuitati sanctæ & templo allaturi essent: fietitque hæc abominatio in loco sancto, vbi non oportebat, quia circa Ierusalem, quæ tunc vsque fuerat sancta. Verisimile enim Lucam qui post Matthæum scripsit, & Marcum explicare voluisse quod apud illos obscurè positum fuerat, dicens: Cum videritis circundari ab exercitu Ierusalem; pro eo quod illi dixerant. Cum videtis abominationem desolationis stantem in loco sancto, vel vbi non debet. Et quoniam obscurius hi fuerant locuti, ideo videri possunt adiecisse per parenthesim;

Qui legit intelligat. Omnino enim credidcrim hæc non esse verba Christi, sed ab ipsis Euangelistis ex propria persona verbis Christi interposita esse, quo admonerent eum qui lecturus esset eorum scripta, ad inuestigandam intelligentiam eius, quod obscurè signi ficatum fuit à Domino per abominationem desolationis. [Porro totius illius Prophetiæ Danielis ad quam hic nos Dominus remittit, qua non est alia magis veritatem fidei nostræ confirmans, vt nos quidem eam legimus, hic erit sensus. Septuaginta hebdomades sunt abbreuiatæ, hoc est decisæ, & definitæ à Deo super populum pro quo tu oras, & super vrbem sanctam pro qua precaris & ad hoc sunt definitæ, vt in plenitudine earum finiatur præuaricatio, & peccatum per Adam introductum, & hominum deinde vitio auctum, & multiplicatum, & remissa iniquitate adducatur per mortem Messiæ iustitia, quæ non, vt peccatum aliquando finiatur, & impleatur quidquid à Prophetis prædictum est, & in Regem & Dominum omnium vngatur is, qui verè est sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte, quod à quo tempore exibit efficaciter sermo, vt Ierusalem iam desolata iterum ædificetur, vsque ad Christi ducis manifestationem erunt hebdomades annorum septem & 62. In quarum primus septem post templum reædificatum rursum ædificabuntur platea, & muri, hoc est & interiora & exteriora ciuitatis, idque in angustia temporum, prohibentibus scilicet vicinis eorum ædificationem, sed frustra. Quibus hebdomadibus expletis, deinde post alias 62. occidetur Christus, & non erit eius populus, qui erit eum occisurus & negaturus; sed eo reiecto alium sibi ex gentibus eliget populum, in quo regnaturus erit. Et quoniam ciuitas tua sancta eum negabit, & occidet; ideo ciuitatem tuam iam reædificatam, & templum restitutum populus Romanus cum suo duce dissipabit. Et finis erit vastitas, & desolatio. Priusquam autem Christus occidatur post 62. hebdomadas in vltima

tima ex 70. hebdomadibus, cõfirmabit pactum promissum Patribus, & in dimidio eius hebdomadis, postquam scilicet confirmauerit pactum docendo tribus annis cum dimidio, deficient oblationes veteris legis per ipsius in Cruce oblationem, euacuantem & consummantem omnes legis hostias. Et in signum quod oblationes illas Deus reiecit, erit in templo abominatio desolationis, exercitu Romano omnia deuastante & desolante; nec reparabitur vnquam ea desolatio, quemadmodum ea quæ modo facta est per Chaldæos sed vsque ad consummationem seculi perseuerabit. Ex qua prophetiæ Danielis explicatione etiam patet quod hic dicitur de abominatione desolationis non referendum ex Domini saltẽ præcipua intentione ad tempora Antichristi. Nam cum Dominus ad præsens Danielis vaticinium hoc loco remittat, & ex eius explicatione satis constet in eo nihil prædictum de regno Antichristi, sed de vastatione Ierusalem; certum est abominationem desolationis, de qua hic Dominus, ad illam vastationem referendã esse, quemadmodum idem patet ex eo quod sequitur.

Tunc qui in Iudea sunt fugiant. Vt in alijs malis, quæ prædixit vastationem hanc præcessura, monuit quomodo se sui gerere debeant: ita imminente hac vastatione, monet quid sit faciendum dicens; Tunc qui in Iudea sunt, vbi Ierosolyma sita sunt, fugiant nõ in vrbes aliquas alias, sed in montes, in quos confugere solent, qui hostium oppugnationem metuunt, quo ibi propter loci altitudinem & desertionem tuti sint. Quin potius qui sunt in medio Iudææ, id est, intra Iudæam, omni cum festinatione discedant extra eam in exteras regiones, & qui sunt in regionibus externis, nõ intrent in Iudæam. Et si quis sit in tecto domus (habent enim in ea regione tecta plana super quæ versari, & pleraque agere solent) aut omnino nõ descendat in domum, sed aliunde descendẽs mox fuga sibi consulat, aut saltem non descendat ad hoc vt tollat quid de domo sua; sed omnibus relictis de sola fuga cogitet. Similiter qui in agro erit, non reuertatur in domum, vt hinc vel commodum fugæ tollat vestimentum, aut pallium suum, sed potius, vt est nudus, fugam rectà ineat. Quorum dictorum causa apud Lucã additur dicentem;

Quia dies vltionis, quæ scilicet requiretur à Iudæis pro effuso sanguine omnium iustorum, & maximè Messiæ *hi sunt*, vt impleantur omnia quæ scripta sunt in libris videlicet Danielis, & aliorum Prophetarum de huiusmodi Iudæorum deuastatione. Cumque sola fuga salus tum contingere posset, adijcit;

Va autem prægnantibus, & nutrientibus, vel vt est Græcè θηλαζουσις, id est, lactantibus *in illis diebus*, nimirum quod his fugere sit impossibile, aut difficile. Vtque magis fugæ necessitatem significaret, addit præterea;

Orate

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orate vt non fiat fuga vestra hyeme; Cum nimirum difficile fugitur ob temporis incommoditatem, *neque sabbatho*, quo religio vetabat vltra mille passus iter facere. Hæc autem omnia dicit Dominus non quod ea vellet sic ad literam seruari, sed exaggerare voluit atrocitatem malorum quæ tunc essent Iudæos constrictura.

Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt, &c. Nõ obstantibus qualibuscunque illorum rationibus, qui hęc quę Matthæus & Marcus dicunt de tribulationis magnitudine ad tempora Antichristi referunt; dubitandum non est quin Dominus hic præcipue loquatur de afflictione Iudęorum Genti per Romanos inferenda: quod primum patet ex eo, quod pro ratione eorum quæ Dominus dixit de incunda fuga è Iudæorum regione, subijcitur apud Matthæum & Marcũ; Erit enim tunc tribulatio magna, &c. Vnde manifestum est hæc ad idem tempus pertinere, ad quod ea, quæ prędecedunt. Secundò, quod Lucas pro ratione fugæ similiter subijciat; Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic; & quæ sequuntur apud eum: ex quibus est omnino colligendum ea quæ de tribulationis enormitate dicuntur à Matthæo & Marco referenda ad afflictionem Iudęorum. Itaque quod hic dicitur absolutè; Non fuisset salua omnis caro, & propter electos breuiabuntur dies illi: intelligendum tantum de Iudæis, & electis ex Gente Iudæorum. Cęterum quàm verè Dominus prædixerit tribulationem hanc fore omnium maximam, saltem in gente Iudaica: agnoscet facile is, quicunque Iosephi de bello Iudaïco historiam legerit. Calamitatis huius, cuius enormitatem in genere Matthæus & Marcus significauerunt, quasdam species recensent Lucas, dicens primum;

Aug. Epi. ad Esichiũ Lib. 6. & 7. cap. 11. & 14. & cap. 7. & 8.

Et cadẽt in ore gladij, id est per aciem gladij occidẽtur. Quod ex Iosepho insignitet impletum facile est intelligere, qui dicit mortuorum per omne tempus obsidionis fuisse vndecies centena millia. Secundo dicit Lucas;

lib. 7.

Et captiui ducentur in omnes gentes; Nimirum vt eorum impietas, & vltio in omnibus Gentibus agnosceretur, & semper ob oculos versaretur. Iosephus enim testatur captiuorum numerum fuisse nonaginta & septem milium. Tertio dicit;

Lib. 7. cap. 17.

Ibidem.

Et Ierusalem calcabitur à Gentibus, donec impleantur tẽpora nationum, id est Gentium. Venerabilis Beda putat quod hic dicitur esse illud quod Paulus dicit; Cæcitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. vt sit sensus: Ierusalem calcabitur ab his, qui non sunt Iudæi, donec impletum fuerit tempus, ante quod Gentes ad fidẽ sunt vocandæ. Aut, vt alij explicãt, donec expleta fuerint tempora, quibus Deus passurus est Israelitas diuexari à Gẽtibus, quod erit vsquequo ad fidem

Rom. 11.

fidem postea Gentes conuertentur. Quam fuerint autem hæc verè a Domino prædicta declarat Eusebius lib. 4 cap. 6.

Et nisi breuiassẽt Dominus dies, non fuisset salua. Significat Dominus tam grauem fore Iudæorum tribulationẽ à malis intus & foris eos prementibus, vt nisi dies illius tribulationis Deus pauciores fore ordinasset, quam eorum iniquitas merebatur, nullus superfuisset Iudæorum, ex quibus quoniam aliqui erant electi, qui scilicet tum crediturí erant, aut postea, aut etiam qui ex ijs qui tũc erant nascituri, erant electi ante mundi constitutionem; ideo pauciores Deus fecit illos dies, quam eorum impietas commeruerat.

Prædicitur aduentus filij hominis, & signa eius. Matt. 24. Mar. 13. Luc. 17. & 21.

CAPVT CXXIII.

C 17.

Q[illegible]T tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ª aut † ª.º nolí ᵇ ecce ᶜ illic, † ne credideretis. ᶜ Et ait ad discipulos suos: Iste crede- Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij re hominis, & non videbitis. Et dicent vobis: Ecce hic, & ▷ ª.º sur ecce illic, nolite ire, neque sectemini. ▷ ª Exurgẽt enim gent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabũt signa ª mag ‖ᵇ.º por- na ª & ‖ prodigia', ita † vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam tenta electi. ᵇ Vos ergo videte. ª ecce prædixi vobis ᵇ omnia. ª Si ergo dixerint † ᵇ. ad se- vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite cre ducendos dere. † ᶠ Sicut enim fulgur ª exit ab Oriente, & patet vsque in Occidẽ (si fieri po tem, ᶜ [&] coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt fulget, ᶠ ita test) etiã erit ▷ & aduentus filij hominis'. ª Vbicunque fuerit corpus, illuc con- electos gregabuntur & aquilæ. ᶜ Primum autem oportet illum multa pati, & † ª.º Nã reprobari à generatione hac, ᵇ sed in illis diebus ª statim * ª post tribu- sunt ▷ lationem ‖ dierum illorum' ª ᶜ erunt signa in Sole, & luna, & stellis, ᶜ filius ho & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuũ, minis in- arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient die sun vniuerso orbi. Nã ª Sol † obscurabitur', & luna nõ dabit ▷ splẽdorem' * autem suũ. & stellæ ᵇ cœli ‖ ª erunt decidentes' ª de cœlo, & ᶠ virtutes † quæ ‖ᵇ. illam in cœlis sunt' ▷ mouebuntur', & tunc ª parebit signum filij hominis * & in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & ᶠ videbunt filium ho- C 21. minis venientem in ‖ nubibus' ª cœli ᶠ cum † virtute multa', & ▷ ma † ᵇ.º. obte iaſtate'. ᶜ Et ᵇ tunc ª mittet angelos suos ª cum tuba & voce magna, ᶜ nebrabi- & congregabunt electos eius à quatuor ventis, ᵇ à summo terræ vsque tur summũ cœli. [&] ª à summis calorum vsq, ad terminos eorum. ᶜ His ▷ ª.º. lu- autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam ap men propinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem. ª Ab arbore ‖ᵇ. º. ca- autem sici discite parabolam. ᶜ Videte ficulneã & omnes arbores, ª cùm dent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

† c. calorũ i im ramus eius tener fuerit, & c nata b fuerint e folia [&] e cùm prę-
▷ a. e. fo ducunt iam ex se fructum, t1 scitis quia prope est æstas. Ita & vos cùm
mouebun videritis hæc e omnia b fieri, 1 scitote ▷ quia prope est e in ianuis.
tur f. na regnum Dei. 1 Amen dico vobis, || Quia non præteribit a generatio hæc,
te † c. e. donec † e omnia hæc fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem
portate mea non ▷ transibunt a. e De die autem ||illa & e hora, nemo scit, neque
magna angeli † cœlorum a. b neque filius, e nisi e solus e pater.

▷ b. e. glo
ria
† b. e. cog- *Et tunc si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, &c.* Transit nũc
noscitis, ad disserendum de his, quæ aduentum suum sunt præcessura, quę
quia in que ad aduentus sui signa & tempora pertinẽt: dicens tunc si quis,
proximo &c. Vbi aduerbium tunc, non tempus Ierosolymę vastationis ac-
▷ b. e. cipiendum est dæmonstrare, neque tamen solum tempus circa
quod in cõsummationem seculi, quanquam illud maximè, sed in genere,
proximo tempus post Ierosolymorum excidium: de quo tempore sic lo-
sit in ostiis quitur Dominus, quasi statim post illud excidium sit futurus ip-
|| b. e. quo sius secundus aduentus, vt illum semper omnes expectarent & ad
niam non illum sesè omni paratent tempore. Porro pleraque eorũ quæ Mat-
transibit thæus, & Marcus hic commemorant dicta de aduentu Christi: Lu-
† b. e. ista cas supra commemorauit dicta discipulis, postquam à Scribis Do-
▷ e. e. pre minum dixit rogatum, quando veniret regnum Dei. Proprium
teribunt autem Lucæ est, quod suis Dominum dixisse refert; *Venient dies*
|| b. e. illo *quando desideretis*, pro desiderabitis videre vnum diẽ filij hominis,
vel † b. & non videbitis hoc est, quando vel vno aliquo die desideretis me
in calo vobis habere præsentem sicut modo habetis. Quod verisimile est
cap. 17. Dominum non dixisse tantum propter afflictiones, quæ Apostolis, & fidelibus erant obuenturę post suum discessum, à quibus per ipsius præsentiam liberi erant, securè satis cum ipso viuentes; sed eriã propter errores inter fideles exorituros, & controuersias etiã de præcipuis quibusdã dogmatis, ob quas fideles desideraturi erant Dominum vel vno die redire ad terras, vt per seipsum quomodo se fidei habeat veritas intimaret. Hoc enim conuenit ei quod sequitur quosdam docturos nempe seductores;

Ecce hic, & ecce illic, supple est Christus, qui vos à tyrannide, aut ab errore liberet. Dupliciter autem demonstrant seductores alicubi esse Christum, & iuxta hoc dupliciter etiam totus hic locus intelligitur. Altero modo certum aliquem hominem alicubi existentem affirmantes esse Christum; quomodo hoc loco intelligendum quod dicitur quosdam dicturos hic vel illic esse Christum, patet ex eo quod subijcitur ex Matthæo, & Marco; Exorgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, &c. Hinc enim patet ipsum Dominũ significare voluisse, quosdã dicturos alicubi esse Christũ eum, qui non esset Christus, sed pseudochristus, id est, qui se Christum fingeret. Tales autẽ & mox ab excidio Ierosolymitano

& posterioribus etiam fuerunt temporibus, sed omnium maxime circa Antichristi tempora atque in eius aduentu implebitur quod hic de pseudochristis dicit Dominus. De Antichristo enim, qui inter pseudochristos erit postremus, dicit Paulus; Cuius est aduentus secundum operationem sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis, &c. Voles autem Dominus significare quam admirãda erunt hominibus signa pseudochristorum, adiecit; 2. *Thes.* 2.

Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi, &c. Eo enim non significauit quosdam electos seducendos, sed tantam fore signorum illorum ad seducendum efficaciam, vt & electi seducendi essent, si id esset possibile. Id autem non erit possibile, ob fortiorem, & efficaciorem Dei protectionem, & infallibilem eius prædestinationem. Vt ergo à falsis Christis & signorum falsorum efficacia fideles sibi cautè prospicerent, subijcit Dominus;

Vos ergo videte, hoc est cauete vobis, *ecce enim prædixi vobis omnia* ob id vt vobis caueretis. Si ergo dixerint vobis homines: Ecce in deserto est Christus, tantũ abest vt credatis, vt ne quidẽ exeatis ad videndum eum. Similiter si dixerint esse in penetralibus, secretisq; locis ne credatis. Non enim erit aduentus meus occultus, & certo aliquo consistens loco, nec talis vt vnus alteri eum indicare debeat. Nam sicut fulgur mox exiens ab oriente apparet vsque in occidentem; ita erit & aduentus filij hominis, subitus scilicet, inexpectatus, glorioſus, & omnibus manifestus, nec in aliquo terræ loco cõsistens, sed in aëre, & in nubibus. Cęterũ similitudo fulguris apud Lucam ad hunc modum clarius, effertur apud Græcos, sicut fulgur choruscãs è regione quæ sub cælo est, in eam quæ sub cęlo est fulget, hoc est ex vna plaga cęli coruscans fulget vsq; in alteram, omnia quæ sub cælo sunt replens subito & inopinato. Vt autem non desperarent fideles se posse fieri consortes eius regni, quod Dominus significauit fore cæleste, & in nubibus apparituru, & rursum vt significaret non opus esse, vt aliquo inuitante cõfluant ad aduenientem Christum subijcit;

Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquila, &c. Qua sententia parabolice Dominus significat, quod quemadmodum vbicunque fuerit cadauer aliquod, illuc continuo congregantur etiam aquilæ, sagacissimo suo olfactu cadauer vnde pascantur, à longè percipientes, nec indigentes alicuius demonstratione: ita & fideles mox essent celeri quodam raptu coniungendi sibi, tanquã illi vnde pascantur, & reficiantur, quodque opus non haberent alio indicante suam præsentiam, vt ad ipsum conuenire possent. Est & altera totius huius loci tractatio, sed à Patribus contra hæreses tantum accommodata, neque conueniens sensui à Domino principaliter intento.

Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari, &c. Sic

Dominus & mitigat mala, quæ Apostolis prædixit euentura, dū significat illa cum ipsis fore communia, & contra imminens crucis suæ scandalum eos præmunit, vt & alias sæpe, atque eisdem, quo ad ferenda mala sese pararent, significat non aliter ad consortium regni ipsius peruenirī posse, quam si & ipsi aduersitates, & persecutiones non detrectarent, cum oporteret Christum pati, & ita intrare in gloriam suā. Porro per generationem hanc, omnino videtur intelligēda hoc loco gēs Iudaïca, à qua & multa passus est Dominus, & reprobatus, potestque hæc reprobatio non tātum referri ad tempus Passionis, sed etiam ad tempus post resurrectionem, quando ad prædicationem Apostolorum Iudæi conuerti noluerunt, sed Christum constanter reiecerunt.

Sed in illis diebus statim post tribulationem dierum illorum. Cum non sit verisimile de alia aliorum dierum tribulatione hic loqui Dominum, quàm ea, de qua mox apertè locutus fuerat, rectè dicetur Dominum ob id statim post tribulationem dierum illorum, quibus scilicet gens Iudæorum incomparabili atrocitate vastata esset, filiū hominis venturū ad iudicium, eaq; quæ futura quæ hic dicūtur, quanquā multis annorū centenarijs postea, & incerto tempore ventutus esset: vt hoc sermone admoneret suos omni tempore expectare aduentū illum, atque ad illū sese parare tanquā iam instantem, & ipsorum tempore futurum. Deinde & ob id dicit statim post tribulationem dierum illorum aduentum suum futurum, quod post illam nihil aliud insigne sit expectandum, quam quod circa aduentum ipsius est euenturum. Statim ergo Dei ætimatione post vastationem Iudæorum futura erat seculi consummatio, quatūuis hominum iudicio sit longum tempus intermedium, quibus tamen ob causas superius dictas conueniebat sic Dominum loqui, vt significaret non longe abesse suum aduentū. Noluit enim Dominus certum aduentus sui tempus suis significare, & tamen eum omni hora illos expectare voluit. Vnde factum est vt non solum Patres Apostolis posteriores, sed & Apostoli ipsi videantur existimasse, aut suo tempore, aut non longe post venturum Dominum. Hanc autem horū verborum tractationē esse genuinam, vel ex eo intelligi potest, quod post mentionem tribulationis Iudaicæ subijcit Dominus: Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic aut ecce illic. Vbi per tunc demonstratur totum tempus futurum post Iudæorū excidium, & maximè tēpus Antichristi, quasi mox secuturum: quod tamē multis annis & seculis excidiū illud erat secuturū. Non ergo mirum si similiter etiā nunc dicit Dominus, statim post tribulationē dierum illorum futurū suum aduentum. Porro quod dicitur Solē & Lunā obscuranda intelligendū ad literā sic euentura, vt veraciter Sol & Luna cum cæteris sideribus intelligantur ad tēpus suo lumine priuanda; idque cū āliis quæ hic dicuntur

Sol & Luna quomodo obscuranda

dicuntur a pud Lucam, futurum cum iamiam Dominus est aduenturus. Non enim cum dicit: Erunt signa in Sole & Luna, ita hoc accipiendum est, quasi hæc signa sint significatura diem Domini post aliquot tempus medium aduenturum; vt ob significationē rei euenturæ dicantur hic signa; sed accipiuntur hoc loco pro rebus insolentibus, prodigijs, & miraculis nō vulgaribus. Quod autem dicitur stellas lapsuras è cælo; intelligendum est significare stellas lumen suum retracturas, vt videantur cecidisse é cælo, nec amplius in eo esse. Porro per virtutes cælorum quæ commouendæ dicuntur; cum Lucas pro causa anxiæ trepidationis & expectationis hominum subijciat: Et virtutes cælorum mouebuntur, & si communiter intelligantur cæleſtes exercitus, Angeli concutiendi admiratione cum videbunt maximam naturæ mutationem fieri; magis tamen intelligenda sunt omnia sydera & astra, quę in scripturis dicuntur frequenter militia cæli, & virtutes, hoc est exercitus cælorū. Quod ergo speciatim dicebatur, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo; id deinde generaliter dicitur, & virtutes cælorum commouebuntur.

Stellæ quo modo cadent è cælo

Virtutes cælorum

Psalm. 31.

Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, &c. Signum filij hominis antiquissimi etiam Patres intellexerunt Imaginem crucis, vnde ex hoc loco canit Ecclesia, Hoc signum crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Creditur ergo huiusmodi signum cum summa claritate, Sole, & Lunaobscuratis, apparaturum in cælo; tum incōsolatione fidelium, qui agnoscent signum victorię quo sunt redempti: tum in condemnationem Infidelium, vt agnoscant se impiè reiecisse crucifixum Dominum. Vnde de his sequitur:

Signū filij hominis.

Et tunc plangēt omnes tribus terræ, hoc est omne genus hominū, Infidelium scilicet, qui illum prius agnoscere noluerunt. Allusum est hic ad locum Zachariæ cap. 12. & licet locus ille propriè intelligatur de pio Iudæorum & fidelium planctu, qui mortem Christi in hoc mundo piè deplangunt, dolentes se illum occidisse, aut suis peccatis occasionem mortis eius dedisse: tamen accommodatur à Domino, & à Ioanne in Apo. cap. 1. ad planctum Infidelium inutilem, quo in nouissimo die plancturi sunt se illum occidisse, aut in illum non credidisse.

Et videbūt filiū hominis venientē in nubibus cæli, &c. Cū in cælos ascendisset Dominus, dixerunt Angeli, Sic veniet quemadmodū vidistis eum euntem in cælum. At de ipso eunte in cælum dicitur illo loco, quod nubes susceperit eum ab oculis eorum, sic ergo etiam in veris nubibus cæli venturus est ad iudicium: quæ partim facient ad hoc vt tolerari possit ab omnibus summa aduentis Christi claritas, & spendor, partim ad gloriæ Christi augmentū,

cui nubes ille velut sedes erunt, & vehiculum Deo proprium in scripturis. Dicitur autē filius hominis tūc vēturus cū virtute multa, id est, magna, & maiestate, vel gloria, ad distinctionē huius aduētus à primo, in quo venit in magna infirmitate, & humilitate.

Et tunc mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna. Prius mittentur Angeli, qui omnes cōgregabunt, quā videbunt omnes filiū hominis venientem in nubibus, & quam plangent eum omnes tribus terræ, sed quoniam omnia breuissimo peficientur tempore, & omnia simul fere concurrent, ideo non est mirum hic esse præposterum ordinem. Angelorum autem ministerio futuram mortuorum resurrectionem & congregationem, docet & Paulus dicens: Ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. Sicut autem apud Paulū illo loco idem est intelligendum per iussum & vocem Archāgeli, & tubā Dei: ita & hic idem est tuba & vox magna, ita vt cōiunctio, & expositiuè posita sit hoc sensu cum tuba, hoc est voce magna. Nō enim re vera tuba aliqua corporea est intelligenda futura, sed vox archāgeli, quę adeo magna erit, vt ad illius clamorē omnes mortui de terræ puluere resurgant. Quā vocem fore corporalē annotauimus ad cap. 5. Ioannis; exprimiturq; vocis huius qualitas postea apud Matthæū, cū dicitur in parabola; Media nocte clamor factus est, ecce spōsus venit, exite, &c. Porro per quatuor vētos in scripturis significantur quatuor mundi partes præcipuæ, à quibus quatuor præcipui vēti flāt. Quo autem rectè intelligatur quod sequitur apud Matthæum;

Turba, & vox magna.

cap. 25.

A summis cælorum vsque ad terminos eorum, est apud Marcum, A summo terræ vsque ad summum cæli: sciendum Græcis pro dictione summus, & dictione terminos, Græcis eandem esse dictionem ἄκρον, quæ est & in Marco; quæ dictio non tantum significat summum, sed etiam extremum, quod præsenti loco magis cōueniret. Sensus enim est electos congregandos ab vna cæli extremitate, vsque ad alteram cæli extremitatem, vt hæ orationes tantum sint ad id quod præcessit, à quatuor ventis maiorem declarationem & exaggerationem.

His autem fieri incipientibus suspicite & leuate capita vestra. Tropicè significat eis tum gaudendum, & bene fidēdum, meritò esse. Qui enim mœsto sunt animo incedunt vultu in terram demisso, quibus vero è malis datur respirandi spes, ij vultum prius demissum attollere solent. Porro dubium hic est quid demonstret pronomen his. Theophyl. refert ad ea quæ mox præcedunt solis scilicet, & Lunæ obscurationē, & totius mundi innouationem. Hęc enim paulo aduentum Domini, vt diximus, præcessura; portendent iamiā ipsum venturum. Nec inconueniens fuerit pronomē hæc etiam referri ad ea quæ dicta sunt de signo filij hominis parēte in cælo, & filio hominis veniente in nubibus cæli, eo quod Matthæus

thæus dicat. Cū videritis hæc omnia. Sed tunc in illo quod dicunt Matthæus, & Marcus; Scitote, quia prope est in ianuis, non potest subintelligi aduentus filij hominis, sed regnum Dei, quemadmodum expressit Lucas. Cum enim viderint fideles hæc omnia, quæ iam diximus; necdū erit ipsis regnum Dei, nec perfecta erit ipsis redemptio eorum, sed hęc illis propinqua erunt. Ad hunc sanè modum potius intelligendū crediderim, propterea quod apud Lucam illud; his autem fieri incipientibus, suspicite, &c. videatur dictum fidelibus, è regione illius quod de impijs dictū est, ipsos apparentibus signis in Sole, Luna, maria angustiandos, & exarituros præ timore, & expectatione superuenturorum. Deinde cū dicitur fidelibus, vt ob certam redemptionis suæ spem attolant capita sua: satis significatur eos prius in multis malis versaturos, à quibus tum iubentur propinquam redemptionem expectare, & proinde quod dicit, suspicite, & leuate, non ad omnia illa tempora pertinet (vt quidam volunt) quibus multa erant sancti mala passuri, sed ad tempus tantùm instantis retributionis. Vt autem certiores Dominus faceret suos fœlicitatis, & regni, quod expecta re eos voluit, apparentibus signis illis in sole, luna, & mari, quæ quoniam erant horribilia futura, magnum timorem erant per se incussura: similitudinem ex naturali illis proponit exemplo; admonens vt quemadmodum ex gummis, & solijs arborum primum prodeūtibus intelligimus instare æstatem: ita ex illis signis intelligamus instare regnum Dei. [Qua quidem similitudine *Chrys.* Dominus significauit. Primum quod non magnum temporis spatium sit futurum inter illa signa, & regnum Dei, sed ea regni Dei fore primordia. Secundo quod certò, & necessario regnum Dei sit signa illa secuturum. Tertio, horribilia illa, quæ dicta sunt signa, non portendere fidelibus imminentem malorum tempestatem, & veluti hyemem quandam, sed illis significare rerum omnium iucūdam immutationem, & fœlicioris temporis post vltæ quam hic vixerunt asperitatem successionem, veluti æstatis post hyemem.]

Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec, &c. Obscurum est, quid per generationem hanc Dominus hic significare voluerit, ideoque valde variè à diuersis istud intelligitur: credidissem tamen conuenientius hic nomen ætatis, vel generationis accipi debere pro toto tempore, quod fluet inter primum, & secundum Domini aduentum, quod nouissima dicitur mundi ætas, & à Ioanne dicitur nouissima hora, vt intelligatur Dominus significare eam mundi ætatem, quæ per nouam Euangelij prædicationem (qua mundo mirabilis quædam rerū mutatio est inducta) tū cœpta erat, nouissimam esse, nec præter eā aliam expectādam singularem orbis mutationē, donec omnia, quæ dicta sunt fierēt.

Significat ergo Dominus cito omnia, quæ dixit euentura, quia ante finem eius, quæ tum cœpta erat ætatis.

Cælum, & terra transibunt, &c. Sicut superiori sententia citò omnia significauit euentura: ita hac omnia certo euentura significat. Bene autem volens summam verborum suorum significare firmitatem, cõparat ea cum cælo, & terra, eo quod omnium quæ in mundo sunt hæc maxime sunt firma, & immobilia; proinde significans sua verba firmissimis rebus esse firmiora, & cõstantiora. Quod autẽ dicit cælum & terram aliquando transitura, secundum substantiam suam verè non transibunt, nec peribunt. Terra enim in æternum stat, vt dicit Ecclesiastes, & de cælis dicit Psalmista: Statuit ea in æternũ, & in seculum seculi: Sed prius futurum est vt illa pereant, & transeant, quæ omnium maximè sunt stabilia, & quæ scriptura dicit fore æterna, quam vt transeant verba Domini. Secundum hunc intellectũ ex Hebraica phrasi omissa est in hac sententia particula explicans comparationem, quę sic erat efferenda; Citius cælum & terra transierint, quã verba mea. In hunc modum præsentem locum esse intelligendum, ex eo apparet, quod Lucæ 16 simili confirmationis modo dicitur; Facilius est cælum, & terram præterire, quam à lege vnũ iota cadere, quibus verbis nõ significatur, quod cælum, & terra præterirẽt aliquãdo, sed simpliciter, quod illud citius eueniret, quod nemo futurũ facile putat, quam contingere possit, vt verbum Dei sit vanum.

Celũ & terra quo modo trãsitura cap. 1. 148. Euthymius

De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cæorum, &c. Cum ex alijs multis scripturis certum sit, filium Patri equalem, omniaque quæ Pater cognoscere: videndum in quo sensu verè dictum sit, neque filius; quod quare dictum sit à Domino patet ex prædictis, nimirũ dispensatione quadam, vt sic efficacius curiosites Apostolorum & nostræ occurreretur. Inter varios autẽ modos quibus variè ostenditur, quomodo istud accipiendum sit, optimus est, vt intelligatur Christum dicere se ignorare diem illum, & horam, quod non sic eum à Patre didicisset, & accepisset vt hominibus illum aperire, & indicare deberet, quem præcognoscere hominibus non expediebat: vt semper incerti de aduentu iudicis sic viuant quotidie, quasi die illo sint iudicandi.

Christus quomodo dicitur diem illum nescire. Hiero. Hilar. Teophyl. Aug li. 1. de Tri. cap. 12.

Docet quomodo ad aduentum suum nos parare debeamus. Matt. 24. Marc. 13. Luc 17. 18. 21.

CAPVT CXXIIII.

ATTENDITE autẽ vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa, tanquã laqueus enim superueniet in omnes, qui sedẽt super faciem omnis terræ: Sed

** autẽ*
*† *. aduẽi.*

*filij hominis: *sicut enim erant in diebus ante diluuiũ ▷ †comedẽtes, C. 17. & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes' ‖ vsque ad eum diem quo' ▷ *. edeintrauit Noë in arcam, & *non cognouerunt donec †venit diluuium, bant & bi & † perdidit' omnes, *ita erit aduentus filij hominis: *similiter sicut factum est in diebus Lot, edebant & bibebant, emebant & vendebant, vxores duplantabant & ædificabant: qua die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit: secundum hæc erit qua dabantur die filius hominis reuelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa ad nuptieius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non reuertatur retrò. memores estote vxoris Lot. Quicunque quæsierit animam diem quæ suam saluam facere perdet illam: & quicunque perdiderit illam, viui- ▷ *. tulit ficabit eam. Dico vobis, *Tunc †in illa nocte ▷ †erunt duo in lecto ▷ *. duo vno, vnus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in erunt in vnum vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro, vnus assu- agro vnus metur, & alter relinquetur'. †Respondentes dicunt illi: Vbi Domine? assume Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabũtur & aqui tur & vle. *Videte, †vigilate ‖ †ergo' ▷ & orate, †omni tempore orantes, vt nus relin digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante fi- quetur. lium hominis, † *Nescitis enim' ▷ quando tempus sit [&] *qua ho dua molẽ ra, Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, Quoniam si tes in mo- sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, la, vna aſ & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote paratæ, quia sumetur, qua nescitis hora filius hominis venturus est. ▷ Sicut homo qui pere- & vna re grè profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem linquetur cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet. *Quis putas est fi duo in ledelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus supra fami- cto vnus liam suam vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem, assumecum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Amen dico vo- tur & vbis, Quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem di- nus relinxerit malus seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus ve- quetur. nire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat C. 21. cum ebriosis, veniet Dominus serui illius, in die qua non sperat, & ‖ †. itaque hora qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocri- † *. quia tis. illic erit fletus & stridor dentiũ. ▷ Vigilate ergo (nescitis enim quã- nescitis do Dominus domus veniat, serò, an media nocte, an gallicantu, an mane) ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem nõ reuerebatur, vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hec vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens fugillet me. Ait autem Dominus:*

Audite quid iudex iniquitatis ait. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, Quia citò faciet vindictam illorum. Verumtamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?

Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate. Postquam Dominus quæ de aduentu suo cognoscere conueniebat, prædixisset; commodè iam etiam subiungit, quomodo ad illum aduentum propter eius, incertitudinem nos parare, & gerere debeamus. Quæcunque enim hic dicuntur Apostolis dicta, in ipsis etiam nobis dicta sunt; vnde postea dicit Dominus: Quod autem vobis dico omnibus dico, &c. Proinde quod in genere omnibus hic faciendũ consulitur ob nouissimi illius diei incertitudinem: idem etiam singulis facere conuenit, ob particularis dici, quo cuique moriendum est, incertitudinem. Quare quæcunque deinceps dicũtur de nouissimo Domini aduẽtu generali, eadem etiam simul ex consequenti sunt accipienda, & de proprio cuiusque Domini aduentu, quo venit mortis tempore animam repetens, & rationem anteactæ vitæ exigens. Quoniam autem docturus est vigilia opus esse: ideo imprimis ab illo reuocat quod vigiliæ contrariatur, nempe à cordis grauedine. Sicut enim grauedo corporis somnum inducit corporalem, & vigiliam impedit: sic grauedo cordis non sinit hominem corde vigilare spiritualiter. Dicit ergo;

Attendite vobis, hoc est, cauete vobis ne forte, vel nequando grauentur corda vestra *in crapula, & ebrietate*, id est, per crapulam, & ebrietatem. Porro cum crapula, & ebrietas imprimis grauent corpus, & per grauedinem corporalem etiam cor grauent: Dicit tamen Dominus, ne grauentur corda vestra, hoc est mens, & animus: eo quod ebrietas maximè habeat peccati rationem, ob grauedinem, quam cordi affert; quodque hæc grauedo directè contrarietur vigilantiæ illi spirituali, quam mox est exacturus. Grauant etiam cor, & sic grauant, vt spiritualem vigilantiam excludant, aut impediant curæ huius vitæ, hoc est solicitudines earum rerum, quæ ad hanc pertinent vitam; ideoque adiecit Dominus, *& curis huius vitæ*, non quidem omnem curã vitæ huius prohibens; sed ne sinamus illis cor nostrum grauari, quod fit cũ sunt immodicæ. Deinde addit causam: *ne*, inquit, *superueniat in vos repentina dies illa*, significans diem illam repentinam, inopinatamq; fore his qui grauata habent corda. Declarat autẽ id Dominus pulchro simili, dicens;

Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciẽ omnis terræ, hoc est eos qui terrenis rebus sunt affixi & dediti, in quos dies ille superueniet inopinatò, & maximò eorũ malo, è quo esse non poterunt extricare, quemadmodum laqueus supervenit auibus, sed in terram iam delapsis, non autem his, quæ in sublime volant. Huic autem similitudini iam rectè subijcitur, quod hoc loco Matthæus & Lucas cap. 17. commemorant Dominum diem iudicij cõparasse cum tempore diluuij, & Sodomiticæ vltionis. Significat enim Dominus his comparationibus, idem quod superiori, nempe hominibus mundo deditis nouissimum diem vẽturum præter expectationem, & cum illorum summo malo, quod effugere non poterunt, sed quod omnes omnino perdet; iustis tamen paucis in comparatione impiorum ab omni malo liberis: quemadmodum & à diluuio Noë cum suis, & ab igne Loth ereptus fuit. Porro cum dicit Dominus ædebant, & bibebant, &c. non voluit his significare peccata, ob quæ diluuio, & igne homines sunt perditi, sed hominum securitatem, in qua viuebant cum vltiones illæ mundo obuenirent. Simul tamen etiam his significauit Dominus homines illos totos fuisse deditos rebus huius seculi. Non enim simpliciter dicere voluit illos edisse & bibisse, cum hoc & Noë faceret & Loth, sed largiter eos indulsisse genio. Sic totos in eo fuisse dicere voluit, quod emerent, venderent, plantarent, & ædificarent.

In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, &c. Simplicissimum fuerit intelligere Dominum hac de non descendendo, & non redeundo admonitione, significasse, quod qua die Filius hominis rursum reuelari cœperit, & varia signa in sole & luna, ac reliquis mundi partibus apparere cœperint; omnium rerum terrenarum cura sit deponenda, ac solum id cogitandum, vt vensenti quis dignè occurrat: ita vt si fuerit quis in tecto domus, non cogitet. De vasis hoc est supellectili tollenda, & seruanda, aut qui in agro, non redeat retro, vt quid tollat è domo, sed quocunque loci repertus fuerit, ibi expectet sui immutationem, auideque cupiat venienti occurrere iudici, atque his bonis contemptus festinet ad meliora. Huic intelligentiæ cõuenit quod sequitur;

Memores estote vxoris Loth. Perstat enim Dominus in exemplo proximè præcedenti, cui comparauit diem sui aduentus. Nam quoniam dixit sic futurum, quando reuelabitur, quomodo fuit quando Deus pluit ignem, & sulphur super Sodomam: commodè nunc monet vt, cogitemus quid acciderit vxori Loth, nempe quomodo conuersa sit in statuã salis, propterea quod amore quodã eorũ quæ in Sodomis reliquerat capta, retrorsum respexerat; idq̃ue recordãtes cauemus & nos, ne ad terrena. Hęc bona aspicientes, in illa die malè pereamus, sed potius ad ea quæ ante sunt nos extendentes saluemur cum Loth, etsi cum dispendio omnium fortunarum. Vt autem significaret Dominus in illo

die

Universidad de Deusto
Biblioteca

die non tantum facultates omnes contemnendas esse, sed & vitam istam temporalem subiecit:

Quicunque quæsierit animã suã saluam facere, perdet illã, &c. Quo significat eum, qui vitæ huius amore tum vehementer tenebitur perditurum vitam, eum verò qui vitam hanc contemnere, & nihili facere poterit spe, & amore melioris vitæ lucrifacturum, vitã & animam suam viuificaturum. Cæterum quod dicit in illa hora, non præcisè ipsam horam intelligendum est significare in qua Dominus reuelabitur: sed tempus aduentui, & reuelationi valde propinquum; cum scilicet totus orbis commoueri cœperit.

Dico vobis, tunc in illa nocte erunt duo in lecto vno, &c. His iam significat Dominus in aduentu suo & subito bonorum à malis fiendam separationem, & inter coniunctissimos hanc fiendam: itemque nullum esse vitę genus quantumuis abiectum, in quo nõ suos habeat, qui ad æternam sint assumendi fœlicitatem. Porro cum & apud Matthæum, & apud Lucam nos legamus tria hominum paria, ex quibus vnus sit assumendus ad gloriam, alter extremo exitio relinquendus: apud græcos in vtroque Euangelista duo tantum ponuntur paria, quibus vtrumque sexum, & vtramque hominum conditionem, liberorum scilicet, & seruorum, vel pauperum & diuitum comprehendunt. Quod si tria legamus hominum paria apud vtrumque Euangelistam, per ea ad literam significabuntur tria hominum genera, nempe otiosorum, & laborantium, quorum alij in agro, alij domi operantur, aut alij libero digna, alij seruilia peragunt. Cum autem audirent discipuli ex duobus alterum assumendum, cupidi noscere locum Regni, de quo adhuc carnaliter cogitabant, quærunt; *vbi Domine*, pro quo Domine scilicet assumẽtur. Dominus autem significare volens nõ opus esse, vt de loco sint soliciti, satisque esse vt sciãt se ibi futuros, vbicunque ipse est futurus, dicit;

Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ, &c. Quod supra satis est expositum.

Videte, vigilate ergo, & orate, &c. Admonuit superius cauere ab his, quæ vigilantiam impediunt: nunc ad ipsam vigilantiam nos admonet, nec ad eam tantum, sed & ad Orationem, quę duo bene coniuncta sunt. Cum enim dicit vigilate, nostram requirit diligentiam, cum verò orate vult, vt pendeamus toti ab adiutorio diuinæ gratiæ. Sicut autem Paulo cum dicit: Non dormiamus sicut & cæteri, dormire est à bonis cessare operibus, ita vigilare apud illum & hic est, bonis vacare operibus, assidueque venturum Dominum expectare. Cæterum illud, omni tempore, quod est apud Lucam, potest coniungi vel cum præcedenti verbo vigilate, vt significetur omni tempore vigilandum, vel cum participio orantes. *Omni tẽpore quomodo orã* vel potius ad vtrumque referendum est. Omni autem tempore orandum

orandum, non quod omni momento hoc sit faciendum, & soli vacandum orationi, sed quod incessanter sit orandum, & nunquam ab oratione pœnitus cessandum; quod fit si non satis putemus semel Deum quid rogasse, sed singulis diebus & oportunis horis petere temus eum orare. Alioqui etiam semper orat, qui bonis semper insistit operibus. His enim significat se petere, & quærere regnum Dei. Quid autem orandum sit explicat, subdens.

Vt digni habeamini vel reddamini fugere omnia ista quæ ventura sunt, mala scilicet impijs obuentura, *& stare ante filium hominis.* Quæ pars dupliciter accipi potest. Primò, vt stare ante filium hominis, sit illius vultum simul cum sanctis Angelis in æternum cõspicere. Secundò vt stare ante filium hominis sit illius iram, & seueritatem in tremendo iudicij die sustinere, & intrepidè tunc coram illo consistere. Addit autem causam ob quam sit semper vigilandum, nimirum ob incertitudinem sui aduentus:

Quia, inquit, *nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* In quo alludit ad exemplum seruorum, qui vespertino & nocturno tempore vigilando expectant Dominum suum reuersurum à nuptijs hora incerta. Ad idem seruorum exemplum alludit, & cum mox apud Marcum sequitur;

Vigilate ergo nescitis enim quando Dominus domus veniat, Sero, an media nocte, an gallicantu, an mane. Hæc enim quatuor, sunt fines vigiliarum quatuor, in quas nox etiam apud Lucam diuiditur in cap. Conc. 87. significaturque nobis omni ætate vigilandum, quod nesciamus, qua ætate Dominus sit venturus. Preter autem hanc parabolam de seruis Dominum suum expectantibus hic indicatam, magis quam expressam, sequuntur hic maximè apud Matthæũ, & aliæ parabolæ, quibus ad vigilandũ nos hortatur Dominus. Et primum quidẽ habet parabolã de Patrefamilias vigilante contra furem, quæ loco prædicto tractata est apud Lucã, qui eandem totidem verbis ibi expressit. Aliam parabolam hic propriæ habet Marcus de homine, qui peregre profectus reliquit domum suam seruis gubernandam; cui non dissimilem & Matthęus habet cap. sequenti. Est autem apud Marcum locutio imperfecta supplenda in hunc modum; Sic habet se Regnum Dei, sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, id est, potestatem faciendi quidquid domui suæ vtile, & ianitori præcepit, vt vigilet. Quod quãtum attinet ad literam non sic est accipiendum, quasi non & alijs, quam ianitori præceptum sit vigilare: sed quod huic id maximè præceptum sit, & pro proprio ei iniunctum officio, vt vigilet ne per illius incuriam quis irrumpat in domum, & auferant quæ Domini sunt, aut perturbet opus laborantium seruorum. Significare autem hac parabola voluit Dominus, se in longinquam ex hoc

Cap. 12.

mundo

Universidad de Deusto
Biblioteca

mundo regionem profecturum, nempe in cælum; ac domum suam, hoc est Ecclesiam, relinquendam gubernationi seruorum suorum, hoc est Christianorum, quibus singulis suum munus iniunxit, dans alios quidem Apostolos, alios Prophetas, alios doctores, &c. Dum autem singulis in suo vigilandum sit opere, ianitoribus, hoc est Ecclesiarum prælatis, & imprimis summo ianitori Petro iniunxit peculiariter vigilare non pro se tantum, sed & pro tota domo Dei, ne hæretici tanquam fures, & latrones, per ianitoris dormitantiam irrumpant in domum Dei, & vasa Domini, hoc est fideles illinc diripiãt, aut alioqui pacem & diligentiam bene laborantium seruorum interturbent. Porro cum apud Marcum Dominus subiungat;

Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate; Significat se non solum hæc dicere illis, qui tunc audiebant, sed etiam omnibus qui post ipsos venturi essent, vsque ad nouissimũ diem. Eatenus enim dies ille ad omnes pertinet, inquit Augustinus, quod dies ille vnicuique venit cũ venerit ei dies, vt talis huic exeat, qualis illo die est iudicandus. *Exẽpla so*

Dicebat autem & parabolam ad illos quoniam oportet semper orare. In præcedentibus quidẽ ad orationem perseuerantẽ hortatus est, ne aduentus ipsius nos opprimat imparatos: hac verò parabola ad eandem hortatur, quod per eam certò in aduentu illo sumus liberandi à malis huius vitæ, & persecutionibus impiorum, quas supra significauit fidelibus obuenturas. Dicebat ergo ad illos, nempe discipulos parabolam ad eum finem, vt doceret semper orandum esse. Hunc enim sensum Græca clarius significant quæ habent πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι. *Et non deficere*, supple animo, hoc est non defatigari, nec delassari ob dilationem rei petitæ. Est autem hæc parabola ex earum genere, quæ petũtur à dissimili, & quibus aliquid probatur, & ostenditur ex dissimilitudine rei, quæ cõponitur cũ eo quod parabola proponit; proinde nõ est laborãdũ vt quę de iudice, qui in parabola proponitur, dicũtur, Deo accõmodentur cum quo sit comparatio. Non enim Deus cum hoc iudice comparatur tanquam cum simili sibi, sed tanquã cum dissimili, vt ex vi perseuerantis orationis apud iudicem & misericordem, & iniustum quàm sit efficax apud Deum misericordissimum simul & iustissimum perseuerans oratio, intelligeremus. Refert autẽ rem veluti gestã, quæ fortè sic, vt narratur, gesta nõ sit, sed à Domino, vt & alias cõficta est propter doctrinæ fructum.

Iudex, inquit, *quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat*, & hominem non reuerebatur, hoc est impius simul & impudens, qui nec metu numinis, nec pudore hominum tenebatur. Inducit autẽ Dominus non quamuis personã sed viduã interpellantẽ hunc iudicẽ, partim quod id conueniret rei per parabolam figuiificandæ (quam vi duæ cõuenienter comparantur fideles) sed multo magis vt iudicis huius inclementiam, & iniustitiam magis exaggeraret, dum ne eius quidem precibus longo tempore flexus est pro qualium defensione, maxime in ciuitatibus præficiuntur iudices, imo cui etiam non rogatus debuisset ex officio præstitisse, quod petebatur. *Vindica* inquit *me de aduersario meo*, hoc est defende me, & libera ab eo qui mecũ coram te disceptat. Est enim hoc ἀντίδικος. Cũ autem nõ desisteret à precando vidua, tãdem impro bitate, & molestia præcãtis victus iudex dixit intra se, id est, cogitauit secum; *Et si non timeo Deũ, nec hominem reuereor, &c.* In quibus verbis videtur esse repugnantia quædam, Si enim non reuerebatur hominẽ aliquẽ, quomodo metuebat ne fugillaretur à vidua? Significat autem verbum fugillare ex percussu carnem maculare, à fugendo, quod succus hoc est, liuor deducatur propriè autẽ ad genas pertinet & oculos, quę fugillata dicũtur, cum ex percussione redduntur lucida. Metaphoricè autem fugillare est vituperare aliquem, & accusare, ac maculam alicuius famæ inurere. In qua significatione hic potius accipiẽdum videtur propter illã particulã, in nouissimo die, hoc est tãdem. Illa enim significatur ipsum præter molestiã precum, quam iam passus fuerat, metuisse tandem & aliud malum sibi obuenturum. Proinde dici potest metuisse illũ fugillationẽ hãc, quanquã nullo hominũ pudore teneretur, quia metuebat ne accusatus, & delatus à ciuibus, priuaretur sua potestate. *Sugillare quid?*

Ait autem Dominus; Audite quid iudex iniquitatis dicat, &c. Nõ simpliciter dicit, Si victus precibus iudex iniquus fuit, multò magis Deus vincetur: sed vt magis ad fiduciam in Deum excitaret, significaretque planè absurdum esse non id expectare à Deo, quod ab impijs extorquet oratio constans; primum erigens ad narrati exempli considerationem; Audite, inquit, quid iudex iniquitatis id est, iniquus dicit: deinde cum hoc componens Deum subdit:

Deus autem non faciet vindictam, &c. q. d. An id in cuiusquam animum venire potest, vt id de Deo sentiat, si aduertat quid nonnunquam faciant impij iudices precum constantia victi? Cęterum pro eo quod sequitur.

Et patientiam habebit in illis. Græcè est καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, id est, & longanimus, & patiens existens super illis. Vbi coniectio, &, accipi potest cõiunctiuè vt in participio μακροθυμῶν sub intelligatur ἐστι vt sit sensus: An nõ faciet vindictã, & an nõ lõganimus erit in illis, vel erga illos, electos scilicet exaudiẽdos, & vindicãdos, hoc est, an lẽto, lenique animo patietur illos affligi impunè. Qui sensus optimè cõuenit sequẽti sententiæ, qua Dominus asserit Deum citò facturũ electorũ vindictam. Est autem nostræ lectionis hic sensus: An Deus patientiam habebit in illis, hoc est, an longanimiter sustinebit iniuriam electorum suorum? Secundũ

quam

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam explicationem in illis, pro erga illos positum est, & patientia pro longanimitate.

Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Si scopum Christi probè perpēderimus, videbimus ipsum de fidei defectu ingessisse mentionē, quòd hæc causa sit quo minus homines in malis huius vitæ perseuerent in oratione & nō deficiāt. Dixerat enim Deum cito factūrum vindictam electorum suorum, significans ob id merito eos debere perseuerantes orare, liberationēm à malis, & non deficere. Cum ergo nunc aduersarium subijciat sententiam dicens: Veruntamen filius hominis veniens, &c. Omnino videtur significare voluisse paucos in fidē perstituros vique ad illum aduentum, in quo perfecta fiet electorum vindicta. Itaque non tantum significat defectum, & paucitatem fidei in hominibus, qui viui reperientur in nouissimo die; sed etiam in hominibus cuiuslibet temporis: & tamen sic loquitur quasi tantum significet defectum fidei in hominibus, qui in aduentu ipsius reperientur in terra viui propterea quod sic semper loquatur de suo aduentu, vt eum velit quouis tempore à fidelibus expectari, quasi ipsorum tempore sit futurus.

Parabola de decem Virginibus. Matt. 25.

CAPVT CXXV.

TVNC *simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur. Respōderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere venit sponsus, & quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

Tunc simile erit Regnum cælorum decem virginibus. Rursum excitat Dominus hac parabola suos ad vigilantiam. Quomodo autem ea (quæ valde variè à diuersis, & minus curiosè à plerisque tractatur, vt

tur, vt vix alia magis) sic tractetur vt scopo Christi maximè conueniat: notandum imprimis quod ad ipsius exempli intelligentiam attinet; moris fuisse vt sponsus vespertino tempore comitatus adolescentum societate accederet sponsæ suæ domum, celebraturus ibi cum illa nuptias, ac tum e sponsæ domo virgines quædam sponsæ assidentes, sponsa domi residente & aduentum sponsi præstolante, prodirent obuiam sponso, deducturæ illum, cum lampadibus in domum sponsæ, & ibi cum illo nuptialibus gaudijs fruituræ. Proinde ipsi exemplo, quod proponitur non conuenit, quod in nostris legitur libris, exierunt obuiam sponso, & sponsæ, cum & Græci non habeant & sponsæ, & virgines non solerent simul cum sponso occurrere sponsæ, sed hæc, vt diximus, domi residebat, Iam quod hę virgines dicuntur obuiam exijsse sponso, cū posti quædam in medio gesta dicatur eis postea; exite obuiam ei: intelligendum est dictum per præoccupationem vt postquam dixerit Dominus virgines sponso exijsse obuiam; deinde narret quo modo factum sit, vt exierint obuiam hæc de ipso exemplo, quod cum in alijs sit facilē, quis eius sit à Domino intentus scopus patet ex eo quod subiecit.

Scopus huius Parabolæ

Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam, &c. Hinc enim colligimus, hoc exēplo monere Dominū nos voluisse, vt propter incertitudinē aduētus ipsius semper vigilemus, & semper parati simus ipsi occurrere venieti, ne idē patiamur, quod virgines fatuæ: quæ quoniam non præuiderunt incertum esse Domini aduentū, & ob id non erāt paratæ vt occurrere possent venienti sponso, exclusæ sunt à nuptijs. Tūe enim, hoc est in nouissimo filij hominis aduentu (nam de illo superius Dominus semper locutus est) regnum cælorum erit simile decem virginibus, hoc est in regno Dei & Ecclesia ipsius simile quid tunc accidet, quale in decem istis virginibus accidisse memoratur, vt scilicet exclusis imparatis, quanquam Domino occurre gestientibus, tantum qui parati erūt, ingressuri sint, cum ipso ad gaudia regni cælorum. Ad hunc ergo scopum, quæ in parabola conueniunt, sunt obseruanda, reliquis præteritis, quæ in ea tantum pro exempli commoditate sunt posita. Vt autem per partes parabolam accommodemus rei per parabolam significatæ, quantum id scopo proposito conuenit; imprimis per sponsum significat Dominus seipsum, quod in nouissimo die tanquam sponsus sit venturus in hunc mundum, vt sponsam suam Ecclesiam, ipsi iam tantum desponsatam sibi accipiat in vxorem, atque cum ea eiusque virginibus æternas cœlestis conuiuij celebret nuptias. Per decem virgines omnes significantur fideles, ob numeri denarij perfectionem, virginibus autem recte comparantur ob fidei integritatem, & sinceritatem. Lampades significant fidelium mentes ex gratia spiritus, fide illumina-

Applicatio eius parabolæ particularis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas; aut etiã externa opera, de quibus dixit Dominus: Si luceat lux vestra, &c. Quoc ergo omnes virgines acceptis lãpadibus suis parauerunt sese in occursum sponsi; significat omnes fideles per fidẽ, & opera exteriora sese parare in occursum Christi, desiderantes cũ ipso consortes fieri nuptialis conuiuij in regno cælorum. Sed inter huiusmodi fideles, quidam non minori numero quam alij fatuis virginibus sunt similes; nimirum qui non satis attendunt in certitudinẽ aduentus Dominici, & ob id negligentius viuunt, hoc est non sumpserunt oleum secum, id est misericordiæ & charitatis opera ad fidem non adiunxerunt, quod prudentes fecisse dicuntur. Quod autem tardante sponso omnes primum dormitauerunt, ac deinde dormierunt; significat, quod interim dum Christus suum differt aduentum, omnes fideles per deficientis nãturæ languorem, ac mortis hominem occupantis soporem, omnes in profundum mortis incidunt somnum. Quod media nocte clamor exortus est vocantium ad occursum sponsi, significat Dominum tempore, quo minimè putabitur, & quo iam omnes homines mortis somno grauati iacebunt, venturum: ac tum voce Archangeli omnes è somno mortis excitandos, euocandosque ad sponsi occursum. Quod excitatæ virgines parauerunt lampades suas: significat fideles omnes se paraturos, vt venienti occurrant Domino, eique dignè suscipiant, ac omnes conuertendos ad sui ipsius considerationem: num possint illi digné occurrere. Per sequentia verò, in quibus dicuntur fatuæ virgines considerantes lampades suas extingui, petisse à sapientibus olei participationem, illas verò recusasse, quod metuerent ne sibi non sufficeret actum, fatuas post oleum sero paratum non admissas intro, quanquam id summopere desiderantes: nihil aliud significatur quam quod in die nouissimo hi qui hic fuerunt negligentes, & improuidi experientur, & sentient tum demum lumen ipsorum quo hic lucere per fidem & opera videbantur, deficere & extingui, quodque frustra tũ ab alijs opem, & subuentionem desiderabunt, deserẽdi planè à bonis, qui & ipsi agnoscent tum sibi nihil superesse, vixque sibi, quod habent sufficere: ac proinde illos sero quærẽtes id, cũ quo possint sponso occurrere, quia imparati inueniẽtur, excludẽdos à nuptiarũ gaudijs, nec inter familiares, & notos amicos recipiẽdos, quantũuis id deterent familiaritate etiam prætensa. Bene ergo infert Dominus.

Vigilate itaque, &c. Sensus enim est, Itaque ne & vobis simile eõtingat quale istis fatuis virginibus, hoc est, ne & vos incertitudinem aduentus mei parum animaduertentes, dies ille imparatos inueniat, & ob id excludamini à regni cælorum gaudijs, parate vos ad incertum illum aduentum, hoc est assiduè vigilate in bonis operibus: certò persuasi sero vos tum quæsituros vt ea vobis paretis, quibus occurrere venienti possitis.

Para-

Parabola de distributis talentis. Mar. 25.

CAPVT CXXVI.

SICVT enim homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abijt autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum verò temporis, venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, & timens abij & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. Respondens autẽ Dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quod meto vbi non seminio, & congrego vbi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.

Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, &c. Hæc in absoluta locutio sic est perficienda, vt subintelligatur: Sic se habet regnum Dei, sicut homo peregre proficiscens, &c. Est autem hæc parabola multum similis ei, quæ supra ex Lucæ 19. habita est in Cap. Conc. 107. proinde ea tantùm hic erunt tractanda, quæ hic sunt propria. In illa singulis seruis æqualis committitur pecunia, nempe mina, ex qua non omnes etiam frugi serui idem lucrum fecerunt. In hac diuersi ponderis pecunia diuersis contradita inducitur. *Vni enim quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique* scilicet *secundum propriam virtutem*, id est, potestatem, & vires δυνάμεις. In illa enim significandum

erat eandem Euangelij doctrinam singulis credendam Apostolis & prædicatoribus, qua nõ omnes idẽ lucri referrent Domino suo. In hac verò significare voluit Dominus diuersis diuersa gratiarũ dona, ad Ecclesiæ vtilitatem danda, & quibusdam quidem maxima, aut multa, aliis mediocria a liis rursum infima, aut pauca: quam talentorum distributionem à Christo cum peregrè in cælum proficisceretur, factam Paulus explicat ad Ephes. 4. Vnde patet per talenta hic intelligenda ea dona quę dicuntur gratiæ gratis datę, nõ autem gratiæ, quæ dicuntur gratum facientes. Quod autem dicitur vnicuique datum secundum proprium virtutem, & facultatem; sicut quod attinet ad exemplum parabolæ, significat hominem illum considerasse singulorum suorum seruorum vires, & industriam, ac secũdum illa plus vel minus dedisse diuersis: ita quod attinet ad rem parabolæ, significat Christũ nulli vltra vires suas aliquid imponere oneris, sed in diuersitate suorum donorum, & vocationum attendere qualitates, & vires hominum, vt nullus cõqueri possit plus sibi vel minus commissum, quam oportuisset. Quod autem qui quinque, & qui duo acceperant talenta, duplicasse illa lucro suo dicuntur: ob id dicitur vt intelligamus seruos frugi oportere suo Domino lucrum facere per accepta ab ipso dona & lucrum non simplex, sed quod respondeat, & quodammodo æquiualeat acceptis donis; vnumquemque autem secundum proportionem acceptorum donorum: vt qui plura & maiora acceperit, sciat se plus lucri debere Domino conquirere; quod non solũ plurimos est ad Deũ conuertere, sed etiã quomodolibet facere opera, quę vel ad Dei honorẽ, vel ad proximorũ faciunt vtilitatẽ. Quod dicitur Dominus post multum temporis venisse: significatur Domini nostri lõganimitas, quodque & in genere Ecclesiæ suæ sufficiens tempus faciendi fructum, quem ab illa est requisiturus relinquet, & speciatim singulis suis seruis abundè satis indulget temporis, vt non more quorundam dominorũ asperorum, & imminentium, ex brẽui temporis spatio fructum illum requirat, qui multum temporis desiderat. Iam & illud diuersum est in parabola Lucæ & ista, quod cum in illa seruo, qui plus fecisset lucri, maius præmium decernatur: hic & ei qui quinque, & ei qui duo fuit superadditum, eadem dicitur, nempe;

Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, &c. Intra in gaudium Domini tui, id est, esto particeps gaudij eiusdem cum Domino tuo. In illa enim significatur Dominum remunerarum vnumquemque secundum meritorum proportionem; in hac verò omnes frugi seruos eodem donandos præmio, scilicet eãdem qua donatus est Christus, quanquam non æqualiter ab omnibus participata. Quæ autem hic dicuntur de eo, qui vnum talentum accipiens, abscondit illud fodiens in terra, eadem sunt cum iis quæ in parabola Lucæ dicuntur de eo qui minam repositam seruauit in sudario, significaturque quod quidam Dei dona seruant otiosa, nec illis studeant facere quem possent, & deberent fructum. Tantum id hic est proprium, quod iubetur inutilis seruus priuatus suo talento ejici in tenebras exteriores, qua parte vt & alias in fine parabolæ solet, ab exẽplo Parabolæ digreditur Dominus ad rem per parabolam significatam.

Modum aperit iudicandi in nouissimo iudicio. Matthæi 25.

CAPVT CXXVII.

CVm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurijui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, Quàmdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esurijui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei, & ipsi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, Quam diu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam. Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Olineti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum. C. 21.

Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, &c. Locutus est hactenus Dominus de suo aduentu, & hominum in illo aduentu iudicio: nũc de illo iudicio apertè, & sine parabolis disserit,

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicens: cum autem venerit filius hominis in maiestate, hoc est in gloria sua. Quod dicit ad distinctionem primi aduentus, qui fuit inglorius. Dicit autem semper filium hominis venturum, quia iudicium vniuersale fiet ab ipso quatenus homine. In forma enim humana iudicium exercebit, in qua eum videbunt impij, & iusti. Venient autem nō solus, *sed omnes Angeli*, inquit, *eius*, cum eo, dicit autem Angelos eius ad distinctionem Angelorum malorum, qui mox dicuntur Angeli diaboli. Cum ergo sic venerit cum Angelis suis, qui illi aderunt tum honoris, tum ministerij causa, atque vt testes iustæ æquitatis iudicij; *Ioan. 5.*

Tunc, inquit, *sedebit super sedem maiestatis suæ*, id est, sedem suam gloriosam. Quo aliud non significat, quam tunc ipsum se exhibiturum gloriosum omnium iudicem, & iudiciaria vsurum potestate. Sequitur;

Et congregabuntur, Angelorum scilicet ministerio ante eum omnes gentes iam resuscitatæ, *& separabit eos ab inuicem*, ministerio item Angelorum, quod non est intelligendum tantum de separatione secundum iudicium, & cognitionem Christi, sed etiam de separatione secundum locum. Quod etiam similitudo sequens significat, cum dicitur;

Sicut Pastor segregat oues ab hœdis. Qua similitudine præterquā significantur iusti ouibus esse similes, & iniusti hœdis: significatur etiam quam facile separabit Christus iustos ob iniustis, nempe quam facile separat pastor oues ab hœdis. *Et statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris*; quia ad fœlicitatem quæ dexteræ nomine significatur iusti, vocabuntur, iniusti vero extremæ tradentur infœlicitati quæ sinistræ significatur nomine.

Tunc dicet Rex his qui à dexteris eius erunt, &c. Nunc Regem se vocat, quod regis sit iudiciariam proferre sententiam, & tum ad regni consortium vocare, tum ab illo proscribere. Dicturus est enim *Venite possidete regnum, &c.* Nō est autē existimandū omnia sic ad literam euentura quæ hic narrantur, vt hæc verba præcise sint vltro, citroque proferenda à iudice, & iudicandis: sed hac narratione Dominus suum sermonem nostro accommodans captui, crasso quodam modo significare voluit nouissimi iudicij rationem: quanquam verisimile etiam sit Dominum quemadmodum apparebit visibiliter, ita etiam sensibiliter aliqua prolaturum verba, quibus & iustos ad præmia vocet, & Iniustos condemnet. Porro ratio iudicij hic à Domino commemorata non ad omnes pertinet homines, sed tantum ad fideles. Nam infideles non potissimum ob neglecta misericordiæ opera condemnabuntur, sed ob neglectam fidem. Nec inducuntur hic à Domino omnia, de quibus fideles tūc sunt iudicādi: sed ea, quę ad vniuersi

Iudicij nouissimi ratio.

tatem & communitatē fidelium maximè pertinent, & de quibus nemo se facile excusare potest; quod satis colligitur ex eo quod dicitur. Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis. Voluit enim Dominus hoc suo sermone docere fideles non secundum fidem suam ipsos iudicandos, sed secundum opera, idque potissimum secundum opera dilectionis proximo impendenda, quæ huiusmodi dilectionis enumerat opera, quæ omnibus competere possunt, sub quibus & alia dilectionis officia magis spiritualia, sed non sic omnibus conuenientia, facilè intelligenda reliquit. In verbis autem iudicis diligenter obseruandum, & iustis vitam æternam reddi tanquam mercedem bonorum operum, & impijs propter mala opera æternum addici supplicium. Nam quēadmodum pro causa quare impij discedere debeant in ignem æternum, dicitur; Esurijui enim, & non dedistis mihi manducare, ita pro causa, quare iusti vocentur ad regni possessionem dicitur; Esurijui enim & dedistis mihi manducare. Ne tamen sic meritis nostris putetur dari vita æterna, vt non totum tribuatur diuinæ misericordiæ, à qua habemus merita bona: obseruandum insuper quod præmittatur, *benedicti Patris mei*, quodque paratum dicitur regnum fuisse iustis a constitutione mundi. Vocantur autem benedicti Patris & ratione electionis ab æterno, & ratione gratiæ suæ, qua ipsos in tempore fecit consortes. Dicit autem possidere, seu vt est Græcè κληρονομῆσαι, id est, hæreditate, vel in hæreditatem accipite, tanquam scilicet paternum bonum, vobisque iure adoptionis debitum, quodque in perpetuum sitis possessuri, nec quoduis bonum sed, *regnum paratum vobis à constitutione mūdi*, plus dicit, plus significare volens. Non enim iustis Regnum fuit paratum tantum a constitutione mundi, sed & ab æterno, vt Paulus docet. Hæc autē regni præparatio non est aliud, quam hominum ad illud regnum prædestinatio. Quod autem inducuntur iusti dicturi: *Domine quando te vidimus, &c.* significat eorum admirationem, qua stupebunt sua tam exigua opera, sic magnificari a iudice, vt sibi impensa agnoscat, quæ se illius personæ non recolent impendisse. Inducitur autem à Domino hæc responsio iustorū, vt subijcere posset declarationē eius quod dixit. Esurijui enim, & dedistis, &c. Dicit ergo,

Benedicti Patris

Ephes.

Quandiu fecistis vni de fratribus his meis minimis, mihi fecistis, hoc est, eatenus, vel in tantum mihi hæc fecistis, quatenus vel inquantum, fecistis etiam vni de his fratribus meis minimis. Apparet autem ipsum notare voluisse Apostolos potissimum (dicens de his fratribus meis) & eis similes, qui tum ipsi proximè assistēt, qui voluntariè pauperes facti variis in hoc mundo propter Christum atrijs fuerunt calamitatibus, rectè tamen etiam generalius significari intelliguntur quiuis pauperes, qui Christi fratres per

Universidad de Deusto
Biblioteca

baptismatis, & adoptionis gratiam facti sunt. Minimos autem vocat fratres suos, quia humiles, pauperes, & abiecti in hoc mundo.

Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me, &c. Est in hac contra impios sententia antithesis, & imitatio verborum prioris sententiæ. Nō additur tamen vt ibi, *patris mei*, quod benedictionis quidē minister, & auctor sit Deus Pater, maledictionis autē vnusquisque sibi ipsi sit autor, qui maledictione digna est operatus. His autē verbis duplici condēnantur pœna dānati, nēpe pœna dāni & priuationis cōspectus diuini, cū dicitur, discedite à me, & pœna sensus, & cruciatus cum igni deputantur ætetno. Nec dicit iam ignem paratum iniustis sicut regnum dixit paratum iustis ne Dei ordinationi sic ascribatur hominum condemnatio, sicut eorum saluatio: sed intelligamus Deum quantum ex se est neminē creasse ad perditionem, homines vero peccantes sua sponte suisque demeritis se facere participes, & obnoxios eorum malorū quæ imprimis, & potissimum diabolo, & Angelis eius sunt parata. Subijcit autem Dominus causam condemnationis impiorum, contrariam scilicet causæ saluationis iustorum.

Origen.

Esuriui, enim inquit, *& non dedistis mihi manducare, &c.* Enumerat sigillatim neglecta misericordiæ opera sicut & superius in commendatione iustorum significans in illa die singulorum factorum hominis habendam rationem, simulque varia illa enumeratione significans, quam variæ sint species humanitatis, vt siquidem non omnes possimus, saltem earum aliquas præstare studeamus. In responsione autem hœdorum dicentium;

Quando te vidimus esurientem, &c. Significatur impios tunc admiraturos, & experturos facta sua longe aliter expendenda, & reputanda, quàm modo ipsi ea reputant.

Et ibunt hi in supplicium æternum, &c Hæc pars addita significat efficaciam sententiæ iudicij, a qua nulla erit appellatio, nec subterfugium. Prius autem dicit eos, qui à sinistris erunt, ituros in supplicium æternum, quam iustos in vitam, quia narrationis ordo sic requirebat; eo quod proximè præcesserit de condemnatione impiorum.

Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens. Tribus diebus continuis Dominum docuisse in templo supra patuit ex Marco: feria autem quarta & quinta verisimile est in templo non docuisse. Verisimile est itidem Lucam ob id dixisse Dominum in monte diuersatum, non exprimendo Bethaniam (quam alij exprimunt, & fuit in eodem monte) quo significaret eum nocturno tempore vacasse precibus. Porro de totius populi ad ipsum confluxu etiam supra satis dictum. Hoc tantum ex Erasmi annotationibus hic adijciendum, quod verbum manicabat quod multi libri hic habent, sit verbum fictum ad imitationem

tationem Græcè dictionis, ὀχθίζω pro diluculo veniebat. Sunt tamen libri, qui habent hoc loco mane ibat, ita vt quidam suspicentur pro, mane ibat, corruptè scriptum manicabat, contracta oratione in dictionem. *Manicare* ὀχθίζειν

Pacisciturr Iudas cum Iudæis. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.

CAPVT CXXVIII.



a PROPINQVABAT autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha. b Erat autem pascha & azyma post biduum. a Et factum est, cùm consummasset Iesus sermones hos omnes dixit discipulis suis: scitis, quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotum qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. b Et quærebant † summi sacerdotes, & scribæ, quomodo eum b dolo tenerent, & ▷ b occiderent', c timebant verò plebem, a dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. c Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnū de duodecim, b & a iuit b abijt ‖ c vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes', ad principes sacerdotum b vt proderet eum illis. c & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. a Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? † At a illi' b audientes, a constituerunt ei triginta argenteos. c Et b gauisi sunt, & ▷ promiserūt ei pecuniam se daturos'. c Et spopondit, ‖ & a exinde ‖ quærebat f oportunitatem b quomodo oportunè ★ ‖ traderet illum c sine turbis.

† c. prin cipes sacer dotum ▷ c. inter ficerent. ‖ b. Iudas Iscariotes vn⁹ de duo decim, abiit

† b. qui ▷ c. pacti sunt pecuniā illi da re

Appropinquabat autem dies festus azymorū, qui dicitur Paschæ. Tres Euangelistæ Matthæus, Marcus, & Lucas, post gesta, & dictum dierum eius hebdomadæ, in qua mortuus est Dominus, describpturi eius Passionem, auspicātur eam à consilio sacerdotū contra Christum, & pacto Iudæ cum Iudæis, quod passionis Christi fuit exordium. Et quidem Lucas pactum illud de tradendo Iesu describpturus, tantum præmittit diem festum Azymorum appropinquasse; Marcus vero quam vicinus ille dies fuerit explicauit, dicens post biduum fore Pascha, & azyma: vt intelligeremus post descripta ab ipso trium dierum gesta, adhuc biduum fuisse ante Pascha. Matthæus autem etiam Dominum dixisse post supe riores sermones commemorat pascha fore post biduum, ac tum se tradendum, & crucifigendum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et factum est, inquit, *cum consummasset*, id est, finiuisset Iesus sermones hos omnes, de suo scilicet aduentu, discipulis suis dixit:

Scitis quia post biduum pascha fiet. Dixerat enim Dominus superiores sermones in vespera, vel in nocte sequente feriam tertiam, vt patet ex præcedentibus, post tertiam autem feriã restabant duo dies ante pascha, nempe feria quarta & quinta, in cuius vespera cœpit paschalis solẽnitas. Porro ne quis erret in vocabulo paschæ, est Hebraïca dictio, à 70 sic posita, cum Hebræis dicatur Pesah, pro quo D. Hiero. posuit Phase; significatque propriè transitionem, aut transitum: quod exterminator videns sanguinem in postibus Israëlitarum pertransierit, nec percusserit eos sicut Egyptios. Acciptur autem aliquando hæc dictio pascha in scripturis pro ipso agno paschali, qui immolabatur 14. luna primi mensis ad vesperam. Sic accipitur cum dicit Lucas cap. sequenti. Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Aliquando accipitur pro ipsa festiuitate paschali, idque quandoque pro tota ipsa solennitate ex septem diebus cõstante, quandoque singulariter pro prima huius festiuitatis die, in cuius vespera præcedente agnus immolandus erat; nempe pro 14. luna primi mensis quæ solennior erat aliis diebus, vt patet Leuit. 23. & Nũ. 28. Vtroq; hoc posteriori modo accipi potest, isto loco eũ post biduũ dicitur futurũ pascha. Sicut autem nomen paschæ cum propriè significet agnũ paschalem, translatum est etiam ad significandum ipsam festiuitatem: sic etiam vocabulum græcum azyma cum propriè significet panes infermentatos, translatum videtur ad significandum ipsam festiuitatem, in qua septem diebus panibus infermentatis Iudæi vesci debebant. Sic enim videtur accipi cum dicit Marcus: Erat autem pascha, & azyma post biduum. Cæterum cum dicit: Scitis, indicat ipsum Apostolis suis prius indicasse quo tempore secundum legem pascha celebrandum esset, aut Christo fuisse consuetum non secundum morem Iudæorum, sed secundum exactam legis constitutionem pascha celebrare. Porro cum traditio Christi in scripturis tribuatur diuersis (siquidem & Pater dicitur tradidisse illũ nobis, & ipse seipsum) Hic cum dicitur, & filius hominis tradetur, verisimile est Dominum loqui de traditione Iudæi proinde coniunctio, & accipienda est consecutiuè potius, vt eum tum significet, quam finem à Iuda inceptum.

Pascha quid proprie signi ficet.

Azyma.

Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & seniores &c. Congregationem hanc factam feria quarta, supra annotauimus significasse & Matthæum & Marcum. Tunc ergo inquit Matthæus, hoc est biduo ante Pascha, hi qui maxime tunc circa religionem vacare debuissent, congregati sunt in atrium principis sacerdotum, qui cum debuisset ex officio omnes ab iniusta nece reuocare, omnium ad hanc maximus fuit instigator. Hic ergo congregati

gregati consilium fecerunt, hoc est consultauerunt, *vt Iesum dolo tenerent*, id est, occultè, & per insidias comprehenderent, & comprehensum occiderent. Cumque omnino iudicarent (propter populi erga ipsum fauorem) ipsum dolo capiendum, quærebant qua ratione & quomodo (vt Marcus habet) ipsum dolo comprehendere possent; nimirum (ait Lucas) quia timebant plebem, quam videbant Iesu fauentem propense. Ob cuius etiam metum inter varia quæ iecum agitabant consilia, iudicabant in die festo illum nec comprehendendum nec occidendum: in quo scilicet magna hominum multitudo ex omnibus locis in Ierusalem confluxerat, quam metuebant ne tumultu facto contra se exurgerent, & Iesum è manibus suis eriperent. Vnde dicebant:

Non in die festo, supple eum comprehendamus, & occidamus. Quod autem sequitur, *Ne forte tumultus fieret in populo*. Siue sint verba Euangelistæ, siue ipsorum consultantium (vt Græca verti possunt) declarat hæc pars principes Sacerdotum timuisse ne Christus euaderet, & malum aliquod à tumultuante populo ipsis obueniret. Ex tribus autem hominum ordinibus contra Christum in hoc concilio congregatis, qui fuerint Principes sacerdotum diximus in cap. Concordiæ. 9. Seniores populi verisimile est fuisse illos, quos Lucas vocat hoc loco magistratus, vt nos quidem legimus, quique in populo aliquam obtinebant authoritatem.

Intrauit autem Sathanas in Iudam qui cognominabatur Iscariotes, &c. Non est illud proculdubio sic accipiendum quasi infamire eum fecerit, & corpus eius agitauerit, quemadmodum eos quos dæmoniacos dicimus: sed quod illo aditum præbente potestatem in illum acceperit, ac veluti possederit ad nouum quoddam facinus per illum tanquam seruum, & instrumentum suum perficiendum. Addunt autem omnes Euangelistæ Iudæ cognomen Iscariotes, ad distinctionem eius ab alio Iuda Apostolo, atemque ipsum fuisse vnum ex duodecim, ad maiorem impietatis ipsius exaggerationem. Itaque die qua Dominus in Bethania remansit, ipse in Ierusalem concedens negotij alicuius prætextu, vel etiam à Domino ob negotiũ aliquod missus, cum intelligeret in atrium Pontificis principes Iudæorum congregatos, ac facile diuinare qua de causa illuc conuenissent, ingressus est ad eos vt proderet eũ illis. Cumque de modo comprehendendi Iesum sine tumultu illi essent soliciti, *locutus est*, inquit Lucas, *quemadmodum illum traderet illis*. Efficax autem auaritiæ eius malum in eo declaratur quod pretium venditor in mentium reliquerit voluntate.

Satanas quomodo in Iudam intrauerit

Quid vultis, inquit, *mihi dare, & ego eũ vobis tradã?* Gauisi sunt illi quod præter expectationẽ inuenissent quẽdã valde idoneũ huic sceleri perficiẽdo, & *constituerunt ei triginta argenteos*, promittẽtes se pecu-

se pecuniam illi daturos, postquam promissam traditionem adimpleuisset. Ipse vero tantula mercede contentus spopondit se factu rum, quod desiderabant. Atque ex eo tempore captabat opportunitatem tradendi Iesum, idque vt habet Lucas *sine turbis* hoc est quando ei non adessent turbæ. Vt autem sciatur quantum fuerit istud pretium, & quid sit argenteus: familiare est Hebræis per argenteos intelligere siclos, & aliquando quidem dicunt tantum siclos, aliquando dicunt argenteos, aliquando vero siclos argenteos, cum idem tamen semper significetur. Cum autem supra in cap. Concord. 89. ex Hieronymi, & Iosephi sententia ostensum sit siclum, & stateram esse semiuncium, & valere quatuor drachmas Atticas: facilè constare potest quanti æræ nostro æstimatus sit, & emptus Dominus noster, nempe quindecim florenis argēteis, quos Daelders dicimus, quibus probabile est potuisse emi agrum in sepulturam peregrinorum, non autem triginta argenteis denarijs, qui secundum Budæum tantum tres faciunt coronatos, secundum Senalem vero paulò amplius.

Triginta argentei.

Paratur agnus paschalis. Matt. 26. Marc. 14.

Lucæ 22. CAPVT CXXIX.

†ª. *prima autem* ▷ª. *dicē tes* ᵇ. *dicūt ei discipuli* ‖ᶜ. ª. *vbi* †ª. *comedere* ★ *Et* †ᵇ *dicit eis* ▷ ᶜ. ª. *amphorā* ‖ᶜ. ª. *portans* †ª. *ei* ᵇ *eamus* & ᶜ *paremus* ᵈ *tibi, vt māducs* † *paschā*? ª *At Iesus* ★ ᵇ *mittit* ᶜ. ª. *domino domus* ▷ᵇ. ª. *refectio mea* ‖ᶜ. ª. *ostendet vobis* †ᶜ. ª. *magnum*

"ENIT *autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha:* ᵇ & † ª *primo die azymorum,* ᵇ *quando pascha immolabant.* ᶜ *misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.* ª *Acceſſerunt discipuli ad Iesum.* ▷ ᵇ *At illi dixerunt* ᵇ *ei:* ‖ᵇ *Quò vis* ᵃ *paremus?* ª *Ait Iesus* ★ ᵇ *mittit duos ex discipulis suis,* ᵇ & † ª *dixit* ᵇ *ad eos:* ª *Ite in ciuitatem* ª *ad quendam,* ᵇ & ª *ecce introeuntibus vobis in ciuitatem,* ᵇ *occurret vobis homo* ▷ *lagenam aquæ* ‖ *bajulans: sequimini eum* ᶜ *in domum in quam intrat,* ᵇ & ᵇ *quocunque introierit* ᵇ *dicite* † *patrifamiliās domus:* ᵇ *Quia* ᵇ *magister dicit* ᶜ *tibi,* ª *Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis,* ᵇ *vbi est* ▷ *diuersorium* ᵃ *vbi pascha cum discipulis meis māducem?* † *Ipse* ᵇ *vobis demonstrabit* ᶜ *cœnaculum* † *grande* ᶜ *stratum.* ▷ *illic* ᶜ *parate* ᵇ *nobis.* ᵇ ‖ *Et abierunt* ᵇ *discipuli eius* ▷ ᶜ. ª. *ibi & venerunt in ciuitatem, &* ᵇ *inuenerunt sicut* † *dixerat* ᵃ *illis:* ª *& fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus.* ᶜ *& parauerunt pascha.* ª

Vespere autem facto ᵇ *venit cum duodecim.* ᶜ *Et cum facta esset hora* ▷ ᶜ *discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.*

†ª. *dixit* ▷ª. *discumbebat cū duodecim discipulis suis.*

Venit autem dies azymorum. Describi iam incipiunt gesta feriæ quintæ, in cuius vespera Græci, & Latini consentiunt Dominum edisse agnum Paschalem. Dupliciter autē in scripturis dies aliquando dicitur

dicitur prima azymorum. Quatenus enim vespera lunæ decimæquartæ pertinebat secundum legis dispositionem ad lunam decimamquintam, ea ratione illa luna dicitur maximè primus dies azymorum. Quatenus vero communi reputatione vespera illa in qua cœperunt edere azyma, pertinebat ad diem præcedentem ea ratione recte hic Euangelistæ lunam decimamquartam vocauerunt diem, & primum diem azymorum. Cæterum quod Marcus dicit, *quando Pascha immolabant*, non sic est accipiendum, quasi significare voluerit ea die qua Christus pascha edit, passim etiā Iudæos immolasse Pascha: sed quod ea die secundum legem immolare debuissēt, & sicut Lucas dicit, *necesse erat immolari pascha*. Aut potius dicit quando immolabant pascha, quia ea die, quā vocabant azymorum primam, omnes immolabant pascha, vt sensus sit, id est, in quali die immolabant pascha Iudæi: Sic & quod Lucas dicit hunc habet sensum; venit dies azymorum in qua, id est, in quali erat necesse occidi pascha: vt potius qualitas diei demonstretur, quam substantia. Cæterum probabilius est, iuxta Lucæ narrationem, Dominum priorem de paschate parando admonuisse, ac tum discipulos, duos scilicet illos quibus paschæ iniunxit præparationem, quæsisse quod omnes tres Euangelistæ cō memorant: Vbi vis paremus? Cum ergo venisset dies azymorum Dominus prior de paschæ præparatione solicitus, quemadmodum conueniebat eius desiderio, quod postea verbis expressit, vocatis ad se duobus discipulis Petro scilicet, & Ioanne, vt Lucas aperuit, quos habebat sibi maximè familiares dicit;

Primæ azymorū.

Leuit. 23. Exod. 12.

Euntes in ciuitatem (scilicet Ierusalem) parate nobis Pascha. Non quod tunc Agnus erat emendus, qui secundum legem decima die debebat assumi: sed quia tunc debebat mactari, & coqui, & alia parari, cum quibus agnus erat edendus.

Ite in ciuitatem ad quendam. Pro ad quendam, Græcè est πρὸς τὸν δεῖνα. Hoc est ad illum. Sic autem loquuntur Græci, quoties certum aliquem designant, quem tamen non nominant. Non ergo vult Matthæus Dominum his verbis vsum fuisse (quis enim sic loqueretur (sed significare volens, certum quendam illis Dominum designasse, quem tamen non duxerit nominandum, sicut nec Dominus eum nominauit, sed tantum circunstantijs descripsit, quas alij duo Euangelistæ expressērunt. Potro non solum hic Paterfamilias paret iussui Domini, sed singulari studio paret. Non solum enim diuersorium exhibet, quemadmodum rogabatur, sed cœnaculum in superiore parte ædium, vbi haberi solebant cœnacula in signioratideoque dicitur grande, & præterea paratum, ac stratum magnificè nimirum Tapetis, & Lectis in quibus antiquitus discumbebant. Certè istum fuisse vnum ex discipulis, aut credentibus in Christū (vt vel admonitione, vel reuelatione didicisse potuerit *dam.*

Quis fuerit iste quidam.

tuerit Christum petiturum apud ipsum diuersorium) apparet ex eo quod discipuli iussi sunt dicere ei: Magister dicit. Sic enim Christum discipuli sibi mutuo loquentes soliti erant appellare. Ita quod apud Marcum legimus lagenam, apud Lucam amphoram, Græcis est eadem dictio κεράμιον, quæ hic simpliciter posita videtur pro vase fictili, quæ propria est eius vocis significatio, sicut & apud nos dictionis lagena, quo factum est vt interpres nunc lagenam, nunc amphoram transtulerit. Sic & cum in Marco legimus, *vbi est refectio mea*, & in Luca, *vbi est diuersorium*, Græcis vtrobique est eadē dictio κατάλυμα, quæ vtrumque significat, quamuis posterius hic magis quadret. Illud autem quod est apud Matthæū. *Tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis*; Potest simpliciter sic accipi in proximo est vt hinc abeā, quare apud te decreui pascha meum cum discipulis meis facere, vt sic tibi, & illis valedicam.

Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem. Simpliciter obediunt Apostoli, quemadmodum & prius cum amandarentur ad pullum asinæ, & simpliciter credentibus & obedientibus omnia accidunt, sicut Dominus prædixerat.

Vespere autem facto venit cum duodecim. Venisse eum duodecim Marcus dicit, cum duo iam fuerint emissi, siue quia duo illi post omnia parata reuersi sunt ad Dominum, siue potius per Synecdochen, quia decem reliqui Apostolorum collegium præseferebant.

Et cum discumberet illis, & manducantibus ait: Amen dico vobis quia vnus ex vobis me tradet qui manducat mecum. Hæc Matthæus & Marcus, Lucas autem ordine quodammodo inuerso, quod ipse Spiritus sanctus dictauerit, ita scribit: *Et ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit, verumtamen væ homini illi per quem tradetur.* Et ipsi cœperunt quærere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset. Et contentio facta est inter eos quis eorum videretur maior esse. Ait autem illis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator. Nam quis maior est qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus Simoni: Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Ait illi: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram, & qui non habet vendat tunicam suam & emat gladium. Dico enim vobis quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis reputatus est. Etenim quæ de me scripta sunt finem habent. Illi autem dixerunt: Domine, ecce gladii duo hic. At ille dixit eis: Satis est. Hæc ille. Quæ omnia quo ordine gesta sint, non facile dixerim. Illud certum est, Lucam non seruasse ordinem temporis, sed quæ ad rem pertinere iudicauit, ea ex quocunque tempore sumpta, in hunc locum congessisse.

Lauantur Apostolorum pedes. Ioan. 13.

CAPVT. CXXX.

ANTE *diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei pater in manus & quia à Deo exiuit, & ad Deū vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cū accepisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquā in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorū, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonē Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modo, scies autē postea. Dicit ei Petrus: Nō lauabis mihi pedes in æternum. Respōdit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecū. Dicit ei Simō Petrus: Domine, non tantū pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est nō indiget nisi vt pedes lauet, sed est*

mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnā esset qui traderet eū. Propterea dixit, Nō estis mūdi omnes. Postquam ergo lauit pedes eorū, accepit vestimenta sua, et cum recubuisset, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exēplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amē amē dico vobis, nō est seruus maior Domino suo, neque apostolus maior eo qui misit illū. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Nō de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim. Sed vt adimpleatur scriptura: Qui manducat meum panem leuabit contra me calcaneum suū. Amo dico vobis priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis quia ego sum. Amen amē dico vobis, Qui accepit si quem misero, me accepit: qui autem me accepit, accepit eum qui me misit.

Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, &c. Communiori & veriori sententia hæc pedum lotio facta est post eum agni, sed ante Eucharistiæ institutionem, quod hinc efficacissime probari potest, quod omnino videatur lotio ista pedum facta obsequentem Eucharistiæ institutionem, & distributionem, quo scilicet exteriori quodam signo doceremur, quæ munditia requireretur in eo, qui Euchristiam digne esset percepturus. Siue autem dicatur festum paschæ (quod Græca habent) siue dies festus paschæ significatur ipsa paschalis festiuitas, quæ septem constabat diebus, aut prima huius festiuitatis dies. In illo autem quod sequitur, *Sciens Iesus quia venit hora eius*, Ioannes vult significare Christum, cum sciret iam instare tempus mortis, & transitus sui, neque præ tristitia ob imminentem mortem, neque præ gaudio ob instantem transitum ex hoc misero mundo ad Patrem minus affectum fuisse suis, sed vt eos semper dilexerat, & dilectionis signa exhibuerat, ita vsque in finem eos dilexisse, ac dilectionis signa eis exhibuisse. Illud ergo in finem, accipi debet pro eo quod est vsque in finem. Per suos intelligit sibi familiares, & amicos, Apostolos scilicet. Addit *qui erant in mūdo*, ad distinctionem sanctorum Patriarcharum & Prophetarum qui iam defuncti erant, aut etiam Angelorum qui erant in cœlo.

Et cœna facta cum diabolus iam misisset in cor, &c. Post quā superiori sententia, veluti quodam proœmio indicasset Euangelista causam Dominici facti à se narrandi iam mirē illud studet exaggerare vt in illius, vt vere est stupendum, admirationem lectorem attolleret. Imprimis ergo cœnæ factæ .i. cœptæ meminit, dicturus postea Dominum surrexisse à cœna. Nam & hoc ad facti pertinet admirationē quod inter cœnādum, relictis epulis non dedignatus sit sordidos discipulorū contingere pedes. Deinde proditionis

à Iuda

Universidad de Deusto
Biblioteca

à Iuda meditatæ meminit, vt & sic admirandam Domini indicaret submissionem, quod nec proditoris sui præsentia ab hoc facto est reuocatus.

Cum, inquit, *Diabolus iam misisset in cor*, id est, suggessisset, & persuasisset Iudæ, quando scilicet, vt Lucas supra dixit intrauit Satanas in Iudam, & abiens locutus est cum Principibus Sacerdotum. Iam quo adhuc magis admirandam nobis faceret Euangelista Domini erga suos dilectionem & submissionem, præmittit de ipsius celsitudine diuina.

Sciens, inquit, id est, cũ, vel quanquam sciret *quod omnia dedisset ei Pater in manus*, hoc est quanquam sciret sibi omnium potestatem à Patre traditam, & se verè Deum esse qui & à Patre venisset homo factus, & quatenus homo Deus rursum iamiam iturus esset ad Patrem, tamen surgit à cœna, &c. ac speciem abiectissimi induit serui. Nec satis habuit dicere *& cœpit lauare pedes discipulorum suorum*, &c. Sed ob admirationem, & dignam facti perpensionem excitandam, sigillatim, quæque à Christo facta commemorat dicens,

Ponit vestimenta sua. Exteriorem scilicet amictum, vt magis accinctus, ac paratus humilitatis opus exerceret, accipit *linteum* & non expectato alterius ministerio *præcingit se illo*. Nec iubet afferri aquam, allatamque infundi, sed ipse eam mittit in peluim, & lauat non manus, sed pedes discipulorum, & linteo non alio, quam quo erat præcinctus, tergit.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Augustinus arbitratur Dominum cœpisse à Petro, estque ea sententia verisimilior, magisque conuenit consuetudini Christi, & honori omnium Apostolorum, & seruori denique Petri. Qui hinc suam indignitatem considerãs, hinc Domini dignitatem attendens.

Dixit, Domine tu mihi lauas pedes? In quibus verbis magna est emphasis in pronominibus Tu, & mihi, quam cogitandam potius vult Augustinus, quam exprimendam. Lauas autem pro lauare paras dictum est, nec & illud caret emphasi. Sic enim significauit plane absurdum videri quod Dominus tentabat. Petro ergo ex reuerentia, & zelo detrectanti, respondit Dominus: *Quod ego facio, id* est facere paro, *tu nescis*, id est, non intelligis modo *scies autem*, id est intelliges postea. Porro Petrus ne hoc quidẽ responso coërcitus in cœpto persistit feruore, imo etiã magis refugit, & præ summa erga ipsum reuerentia non considerans quam deberet illi in omnibus obedientiam, dixit:

Non lauabis mihi pedes in æternum. Hoc est nunquam patiar, vt mihi laues pedes. Dominus igitur vt tam vehementem recusationem ab amore proficiscentem, veluti clauum clauo pelleret, vehementer scilicet amanti dilectionis damnum prætendens, ac significans

ficans eum si sic amare pergeret à mari vicissim non posse.

Si non lauero te, inquit, *non habebis partem mecum*, hoc est, non eris particeps hæreditatis, & fœlicitatis meæ in regno meo. Vel etiam, vt alij exponunt, non eris particeps conuictus, & consuetudinis meæ, sed ejiciam te à meo consortio. Potest autem istud intelligi dictum à Domino de spirituali ablutione (de qua intelligi debet quod mox sequitur) vt intelligatur Dominus facta anagoge ab externa ablutione ad internam extulisse sermonem: quemadmodum cum Samaritanam alloqueretur ab aqua corporali transtulit sermonem ad aquam spiritualem. *Caietanus*

Dicit ei Symon Petrus: Domine non tantum pedes sed, &c. Petrus vtrobique præ amoris magnitudine modum seruare nescit, ita vt qui prius etiã iussus pedes solos lauandos præbere noluit, iã etiã vltro & caput & manus, hoc est se totum lauandum offerat: Domine inquit non tãrum pedes meos laua, quando ita vis, sed vt manus, & caput, potius scilicet, quam à te diuellar, aut abijciar.

Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes, &c. Quod hæc sententia secundum intentionem Saluatoris potissimum de ablutione interiori sit intelligẽda: patet ex eo quod sub ea tanquã vniuersali subsumitur, cum dicitur.

Et vos mundi estis, hoc enim cõstat intelligendũ esse de mũditia spirituali. Porro sicut sub typo ablutionis pedum Dominus significauit necessariam spiritualem affectuum ablutionem: ita cum dicit Apostolos esse mundos & lotos verisimile omnino est ipsum respexisse ad corporalẽ suum baptismum, in quo huiusmodi mũditiem sint consecuti & lori spiritualiter. Dicit autem non omnes esse mundos, vt Iudæ conscientiam pungeret, isque intelligeret conceptã animo eius iniquitatem Domino non esse incognitam, ac proinde moueretur ab ea recedere.

Postquam ergo lauit pedes eorum accepit vestimenta sua, &c. Postquã cœpit Dominus ex parte iuxta promissum causam sui exponere facti, quatenus scilicet fuit factum in exemplum humilitatis, & dilectionis erga fratres exhibendæ. *Scitis* inquit, *quid fecerim vobis?* quod interrogatiue accipiendum est in hoc sensu: An intelligitis quid sibi velit id, quod feci vobis? Sciebant enim quod eorum pedes lauisset Dominus, sed causam huius tam insolentis facti ignorabant. Hanc ergo eis exponit, dicens se hoc fecisse vt suo exemplo prouocarentur ad exhibendum idem vel simile suis conseruis & fratribus, quod magistrum, & Dominum viderint exhibuisse discipulis & seruis. Non autem pedum tantùm ablutionem illis verbis Dominus exegit, ne sine hac putemus istud præceptum nõ obseruari, sed humilitatis ac vere dilectionis officia quæuis. Synecdoche enim est, vt ex eo, quod seruilissimum videtur, & abiectissimum, omnia officia intelligantur. Seruat ergo præcep- *Quomodo istud præceptũ obseruari possit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

præceptum Domini hoc loco traditum secundum scopum ab ipso intentum, qui seruat illud Pauli: Honore inuicem præuenientes. Et rursum: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, quique ex sincera erga proximos dilectione, nullum grauatur ipsius impendere officium etiam humile, siue in corpore, siue in anima, quod illis sit commodum, ac dilectioni fouendæ, ac promouendæ conueniat. Pergit autē Dominus humilitatis doctrinā prosequi.

Amen amen dico vobis nō est seruus maior Domino suo, &c. Nequo Apostolus, id est legatus maior est eo qui misit illum, vulgares enim Dominus suo more assumit sententias, ex quibus ad summ propositū significare voluit nō cōuenire, vt qui se ipsius agnoscūt seruos, & legatos, dedignentur sese submisse demittere ad pedū lotionem, & quodcunque proximi ministerium; cum ad illud sese iam ipse demisisset Dominus existēs, & magister. Subijcit autem,

Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Vt scirent hæc, docuit eos, quæ dicta sunt, vt facerent, ipse prior fecit. Cæterum quoniam de beatitudine meminit, rursum hinc occasione sumpta, proditoris sui pungit conscientiam, propius iam accedens ad impietatis eius notationem.

Aug. Nō, inquit, *de omnibus vobis dico*, quod beati eritis ego enim scio quos ex vobis ab æterno elegerim ad beatitudinē, ac proinde etiā scio, quis ex vobis beatitudine indignus erit. *Sed vt implaetur scriptura*, ideo ferendum à me, vel ideo me permittente fiet, quod ab vno vestrum futurum est. Scriptura autem quam Dominus hic citat, desumpta est ex Psalmo 40. non annumerando verba, sed sensu seruato. *Qui manducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum.* Leuare autem calcaneum, vel magnificare supplantationem, significat opprimere. Quem enim quis calcando truserit, & supplantauerit, eum prorsus habet prostratum. Licet autem Dauid ad literam istud de se dixit, ob perfidum aliquem ex domesticis suis, qui illi fuerat insidiatus: tamen quoniam in omnibus quæ passus fuit Iesus Chrysti typum gessit, benè Dominus dicit implendam in se hanc scripturam per proditionem Iudæ, sicut & alia fere illius Psalmi optime quadrant in Christum: Subijcit Dominus; *Amodo*. id est, Nunc, vel ex nunc dico vobis quod futurum est, priusquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis firmius scilicet, & magis, *quia*, id est, quod ego sum is scilicet de quo id prædictum fuerat.

Leuare calcaneum contra aliquem.

Amen amē dico vobis qui accipit si quē misero. Ne putaretur ad solos Apostolos, & Apostolorū similes pertinere quod dixit: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*, quia subijcitur, non est Apostolus maior eo, qui misit eum: opportune iam omnes etiam ad officia Apostolis exhibenda prouocat. q.d. Non tantum vos beati eritis si ad exemplum meum alterius laueritis pedes, sed id verissimè

mè contestor vobis, Qui accipit si quem misero, non illum tantum accipit, sed in illo etiam me accipit. Ne autem id parum videatur, qui me accipit, accipit in me eum, qui me misit Deum; proinde qui missum a me accipit, Deum accipit: quod proculdubio summę dignitatis est opus, ac summa mercede remunerandū. *Caietanus.*

Instituitur Eucharistia. Matthæi. 26. Marci 14. Lucæ 22.

CAPVT CXXXI.

DIcit illis: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, Quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, Quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et manducantibus, illis accepit Iesus panem, & accepto pane benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicēs: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem accipiens, postquam cœnauit, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Et biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Amen dico vobis, Quia iam non bibā amodo de hoc genimine vitis vsq; in diem illum cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Dei patris mei.*

1. *. ea- nūtibus autem & dedit 1. *. Su- scit: 1. * Accipite & comedite. 1 b. *. ac- cepto ca- lice, 1 re- cepto cali- ce, b. *. Hic 1 gratias a- gens 1 Hic ★ vobis. b Quia iam * non bibā * amodo * de * hoc * genimine vitis vsq; est calix * nouum testamēto meo, & in regno

Et ait illis, desiderio desideraui hoc pascha, &c. Simplicissimum fuerit intelligere his verbis significatum Agnum paschalem: quod sic semper apud Lucam in præcedentibus accipiatur. Desiderasse autem se dicit Dominus esum huius Paschę antequam pateretur, non propter ipsum pascha, sed quia pascha illud nouissimum erat conuiuium quod cum suis in mortali corpore erat agitaturus, in quo proinde conuiuio, abrogato veteri pascha, noua suis mysteria pro fidelium omnium salute commendare debebat, & cupiebat. Quoniam ergo sacrosancta, & salutaria corporis & sanguinis Dominici mysteria ante passionem, cum adhuc mortale corpus circū ferebat erāt instituenda, idque in vltima cœna, & ea non alia, quā paschali: benedicit se Dominus desiderio desiderasse, id est, summopere desiderasse esum huius paschæ antequam pateretur: eo quod summè desiderabat ad nostram salutem Sacramentum hoc discipulis commendare. Id enim significat quod sequitur;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Vbi ex hoc positum est pro, ex hoc tempore, hoc est post hac. Vt autem quod de manducando & bibendo dicitur (sequitur enim non bibam amodo de hoc genimine, vitis &c, & vtrobique est similis difficultas) similiter intelligatur: rectè secundum sensum indicatum à D. Augustino, per regnum Dei intelligatur status future vitæ, & generalis resurrectionis iustorum: ita vt significet Dominus se non amplius cũ suis comesturum, & bibiturum donec nouũ cibum, & potũ cũ illis, mortali etiã corpore exutis, & immortalitate donatis, & sic comesturus & bibiturus in regno cęlorũ: quando scilicet implebitur illud, quod mox sequitur in Luca; Et ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Itaq; nouum se dicit bibiturum vinum cum suis ad distinctionẽ vini, quo vtuntur, qui mortale corpus circunferunt, quod ad comparationẽ vini cęlestis verus vinum est. Nouũ enim vinum bibetur, quando cæli erunt noui, & terra noua. Sicut autem cum dicit se genimen vitis bibiturum cum iustis in regno Dei, non corporale vinum, sed spirituale se bibiturum significat: ita cum dicit se non manducaturum vltra pascha donec impleatur in regno Dei, non significat se rursum comesturum pascha corporale, quale tunc edebatur, sed pascha impletum, hoc est, perfectum. Id autem est cibus cælestis, quo Christus secundum humanitatem suam cum sanctis pascitur in cælos.

Lib. 1. quæs. Euã. cap. 43.

Nouum vinũ quãdo & quo modo cum suis bibiturus Christus

Et manducantibus illis accepit Iesus panẽ, &c. Inter cœnandũ institutа fuit Eucharistia, cũ iã rursum mensę accubuissent: sed post cœnam paschalem & esum agni legalis, atque ob id post cœnam, Lucas cum Paulo dixit calicem à Domino porrectum. Sunt autem diligenter expendenda singula dicta Christi & facta in Eucharistiæ institutione: Igitur celebrato veteri pascha, quod memoriale erat veteris redemptionis, instituturus nouum nouæ redemptionis tum perficiendæ memoriale, suum corpus & sanguinem inuisibiliter sub speciebus tamen visibilibus commendat, efficiens hac ratione, vt caro ipsius, & sanguis etiam corporaliter sumi posset. Secũdo dicitur quod Dominus accepto pane gratias egerit. Apud Matthæum autem pro gratias egerit, vt in Luca est, legimus benedixit. Græcis tamen eadem est dictio nempe *ευαγγέλιον*, quæ dictio propriè significat gratias agere: à qua dictione Sacramentũ corporis, & sanguinis Christi vocatur Eucharistia, hoc est gratiarum actio: quia ad exemplum Christi cum gratiarum actione offerri, & sumi debet. Vnde quod in Matthæo legimus benedixit, ad Deum referendum est, vt sit idem quod laudauit Deũ, aut gratias ei egit. Apud Marcum vero pro benedicens, vt nos in ipso legimus est *ευλογέων*, quod proprie est benedicere, & bona loqui, pro

Eucharistia quando instituta

pro quo tamen postea reponit *ευχαριστέων*. Proinde dicendum est in vtraq; dictione vtrumque intelligendum, videlicet & gratiarũ actionem Deo exhibitam, & benedictionem panis, & calicis, hoc est precationem super illa effusam, & inuocationẽ diuinę beneficentiæ super illa. Gratias ergo egit Deo Patri tum quod panis ille corporalis erat donum Dei; tum quod iam aduenisset legis consummatio, & ex singulari Dei munere hominibus per ipsum nouum pascha erat iam instituendum. Benedixit, quia Dei beneficẽtiam, & potestatem super panem inuocauit, quo fieret ex pane corpus proprium: quemadmodũ & nos ex Christi imitatione cũ gratiarum actione pani, & calice benedicimus, præmissis ad Deũ precibus, quibus panis, & calicis consecrationem precamur. Fuit autẽ hæc benedictio non simplex, sed operatoria, & panem communẽ in mysticum panem conuertens, maximè accedẽtibus illis Domini verbis, hoc est corpus meũ. Tertio fregisse panẽ dicitur, vt scilicet ex vno pane omnes partem acciperent, sicut & ex eodẽ omnes bibituri erant calice. Quarto discipulis dedisse dicitur, & dixisse:

Accipite, & commedite. Quod non sic videtur accipiendũ quasi singulis sua manu Dominus porrexerit in os eam partem, quam erat sumpturus, sed potius quod fracto pane in duodecim buccellas, singulis in manus dederit partem à se sumendam: aut partibus in patena dispositis, patenã tradiderit propinquioribus, à quibus succeßiue sequentes acceperint, quemadmodum propinquiores calicem à Christo acceptum sequentibus tradiderunt.

Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. His verbis apertissimè testatur Dominus veritatem corporis sui in Eucharistia, imò hoc ipsum quod in ea datur, & sumitur, esse corpus suum. Dubitatur tamen à quibusdam an his verbis Christus consecrauerit: aut cũ ijsdem verbis nunc fiat consecratio, eaque verba Sacerdos prosequatur vt palam à Christo prolata: apparet etiam Christum illis verbis palam prolatis consecrasse. Quod Tertull. ostendit cum dicit; Panem corpus suum fecit dicendo, hoc est corpus meum. In his autem consecrationis verbis, pronomen, hoc, demonstrat indeterminatè substantiam sub speciebus panis contentam, hoc est, sic vt cõ corpus non determinetur vel ad substantiam panis, vel ad substantiam corporis Christi sed in genere, & confuse tantum concipiat substantiam quandam individualem, quæ speciebus illis vestitur substãtia autem illa individualis ante consecrationem quidem cõpletam, quæ perficitur, & fit in momento terminante verborum prolationem, est panis, post vero consecrationem, est corpus Christi, in quod panis diuina verborum illorum virtute convertitur. Cæterum in dictione corpus quidã errant, existimantes eam accipi pro toto homine, cũ pro altera tantũ hominis parte accipiatur, carne scilicet: non quod illa ibi sit sola, sed sola ibi est virtute

Hoc

Corpus

tute consecrationis; Anima autem Christi, similiter & sanguis atque eius diuinitas simul ibi sunt cum carne per cõcomitantiam, eo quod hæc à carne separata esse non possint. Sic & in calice vinute consecrationis solus est sanguis per concomitantiam autem & ibi totus est Christus. Porro apud Lucam additur; *Quod pro vobis datur*. Cum autem verisimile sit simile quid significari apud
1. Cor. 10. Lucam his verbis, & apud Paulum per illud, quod pro vobis frangitur: intelligendum videtur in illo quod pro vobis datur. Dominum loqui de datione corporis sui in cibum, vt significaueric se tunc in cœna corpus suum dare discipulis in cibum pro illorum salute, & vita, quam percipere manducantes carnem ipsius supra apud Ioannem testatus erat. Illud enim Pauli de fractione spectarum panis, & distributione corporis dominici in cibum fidelium intelligendum, patet ex eo quod dicat: Panis quẽ frangimus, nõne communicatio corporis Christi est?

Hoc facite in meam commemorationem. Græca significantius verti possunt, in mei rememorationem, vel vt in Canone Missæ legimus, in mei memoriam subaudi renouandam. Refertur autẽ pronomẽ hoc, non tantum ad sumptionẽ, sed & ad omnia, quæ mox Christus fecisse dicitur. Mandat enim facere, quod ipse fecit, nempe accipere panem, gratias agere, benedicere, ac verbis suis consecrare, dicendo in ipsius persona: Hoc est corpus meum, frãgere, ac sumere, aliisque sumendum tradere.

Similiter & calicem accipiens postquam cœnauit, gratias egit, &c. Qualia fecit circa panem, talia & circa calicem. Accepit enim eũ in manibus, gratias egit, diuidendumque dedit, atque præcepit, vt eum accipientes, biberent ex eo omnes, quæ omnia Lucas complexus est dicens: Similiter, cum alij duo illa explicatim exponãt. Bene autem Lucas & Paulus adiecerunt, postquam cœnauit: vt intelligamus poculum hoc, & similiter panem, de quo dictũ est, ad vulgarem cœnam non pertinuisse, quæ pascendo corpori subseruiebat.

Hic est enim sanguis meus noui testamenti. Coniunctio enim, addita apud Matthæum, quæ etiam in Canone Missæ ex hoc loco additur in consecratione panis: reddit rationem eius quod dixit Dominus, Bibite ex hoc omnes. Videri autẽ posset hæc ratio esse absurda (quia sanguinis ejus horrore plenus est) nisi cogitemus Dominũ iã respexisse ad ea, quæ olim dixerat de necessitate & vtilita-
Ioan. 6. te sumptionis sui sanguinis, vt perinde sit ac si dixisset; dixi olim vobis quod nisi biberitis sanguinẽ filij hominis, nõ habebitis vitã in vobis, si verò biberitis ea, habebitis vitã in vobis bibite ergo ex hoc omnes; Nã hic est sanguis ille meus, quẽ qui dignè bibunt, habebũt secundum promissionẽ meã, vitam æternã. [Notandũ Græca verti posse hoc est sanguis meus, quæ versio magis conuenit ei, quod

ei, quod præcedit, bibite ex hoc omnes, vt iam eiusdẽ generis pronomen subijciatur dicẽdo, hoc est enim sanguis meus. Rursus pro nomẽ hoc, magis cõuenit indeterminatæ demonstrationi substãtiæ, qualẽ supra dictũ est esse in his cõsecrationũ verbis. Nec tamẽ male noster vertit Interpres, cum frequenter hic pro hoc ponatur, vt cum Exod. 16. filijs Israël interrogantibus de mãna. Quid est hoc, dixisse scribitur Moyses; Iste est panis, quem dedit vobis Dominus, &c. Cum videretur dicendum illud est panis.] Additur in verbis Domini pronomen, meus, ad distinctionem huius sanguinis, ad quem bibendũ prouocat, à sanguine animaliũ, quem bibere nõ proderat, nec licebat. Cæterum ob additum pronomen illud, duriusculè iã cohæret cum substantiuo sanguis, genitiuus, noui testamẽti, quæ pars addita est ad distinctionẽ eius sanguinis de quo *Exod. 24.* dixit Moyses, cum firmaret pactum inter Deum & Israëlitas, hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum, Ad quæ verba hic est allusum. Dicit autẽ scripturę phrasi Sanguis fœderis, *Sanguis testimẽti.* vel testamenti, sanguis, quo fœdus aliquod confirmabatur. Solitũ enim erat antiquitus fœdera firmari sanguine cæsorum animaliũ, in populo autẽ Dei, per sanguinẽ, & morte animaliũ mũdorum, quæ Christi typum præ se ferebant, fœdera inter Deum, & populum firmabantur. Dicit ergo Dominus suum sanguinem, esse sanguinem testamenti, hoc est, qui fœdus & testamentum confirmet, sed nouum, ad distinctionem veteris, quod confirmatum fuit sanguine vitulorum. Siue autem nomen testamenti hoc loco accipiatur simpliciter pro fœdere, pacto, vel dispositione, siue propriè pro promissione, vel dispositione hæreditatis, per mediam testatoris mortem obuenturæ his, qui nuncupati sunt hæredes: Sanguini tribuitur esse confirmatiuum noui testamenti, non corpori: quia sanguis, mortis est symbolum, qua fœdus, & testamentum propriè dictum fit ratum, & firmum: & Sanguis Christi meretur hominibus apud Patrem promissam hoc fœdere peccatorum remissionem, & æternæ vitæ hæreditatem. sequitur;

Qui pro vobis, & pro multis effundetur, &c. Quia Lucas singulariter dictum scribit pro vobis: rectius per multos videntur intelligi tantum electi, pro quibus solis efficaciter tãtum sanguis Christi effusus est. Promittit ergo remissionem per sanguinis effusionem, non per sanguinis bibitionem, vt asseruit Lutherus. Hæc enim vt dignè fiat, præsupponit iam obtentam remissionem peccatorum, siue per baptismum, siue per pœnitentiam, quemadmodum & scriptura docet, & Ecclesiastica traditio, & resta denique ratio. [Sunt quidem quædam Patrum sententiæ, & precationes, quæ in Sacrificio Missæ leguntur, quibus significatur ad peccatorum remissionem valere Eucharistiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

perceptionem, sed ea intelligi debēt de peccatis leuioribus, aut de purgatione reliquiarū, quæ ex grauioribus peccatis remanent in mente, aūt denique de purgatione occultorum peccatorum, quæ conscientiam effugerunt.] Cæterum quod dicitur sanguis effundetur, seu vt Græca habent, effunditur, in remissionem peccatorū, cōmuniter intelligitur de effusione facta in cruce, & rectè. Illa enim effusio facta est ad promerendam nobis remissionē peccatorum, & vt per eam fide, & Sacramentis nobis communicatam abluerētur peccata nostra. Quod autem de effusione sanguinis facta in cœna etiam intelligi debeat: manifestum videtur ex Luca, apud quem relatiuum (qui) non potest referri nisi ad calicem, vt ex græcis patet, quæ habent; τοῦτο τὸ ποτήριον, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον Poculum autem non dicitur effundi, nisi quia contentum in poculo Deo libabatur, relatione tamen facta ad effusionem in cruce faciendam, cuius libamen cœnæ fuit repræsentatiuum. [Neminem autē turbare debet, quod non eisdē omnino verbis nunc fiat consecratio calicis à sacerdotibus, quibus verbis Euangelistæ traditum à Domino calicem descripserunt. Non enim curæ fuit Euangelistis tradere formam verborum, quibus calicis consecratio esset peragenda: sed tantùm qualibuscūque verbis rem à Domino significatam explicare; quod patet, quia non eisdem omnes, sed idem tamen significantibus traditum calicem significant.

Tit. de celeb. miss. cap. cum Marthæ.

De ea autem qua in calicis consecratione vtimur præscripta forma dicit Innocētius Pōtifex. Credimus quod formam verborum tum, sicut in Canone reperitur & à Christo Apostoli, & ab ipsius eorum acceperint successores.

Prædicitur traditio à discipulo fienda Matt. 26 Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 13.

CAPVT CXXXII.

* ¶ *. eden tilus ▷ *. *. ve strū me traditu rus est ‖ *. *. cati- no

[d] VVM hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, [m] & [b] discumbētibus eis & † [a] mādūcantibus' [a] illis, [b] protestatus est, & [m] dixit [b] Iesus: [b] Verumtamē ecce manus tradētis me, mecum est in mensa. [m] Amen [d] amen [m] dico vobis, Quia vnus ▷ ex vobis tradet me' [b] qui manducat mecum [d] Aspiciebant ergo ad inuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. [b] At illi cœperunt contristari. * [&] * contristati valde, cœperunt singuli † *. verum li * dicere [b] ei singulatim: * Nunquid ego * sum Domine? At ipse respondens ait [b] illis: Vnus ex duodecim * qui intingit mecum manū in ▷ *. *. tra ropside' * hic me tradet. [b] & [l] filius quidem hominis vadit * secundum detur quod definitum est, [&] * sicut scriptum est de eo. † [l] Va autem * homini ‖ *. *. si nō ni illi, per quem * filius hominis ▷ [l] traditur' : * bonū erat ei ‖ si nō esset natus tus non fuisset' homo ille. * Respondens autem Iudas, qui tradidit eum

eum, dixit: Nunquid ego sum rabbi? Ait illi: Tu dixisti. * *Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.* [d] *Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quē diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaq; cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam tunc introiuit in eum satanas. Et dicit ei Iesus: Quod facis fac citius. Hoc autem nemo scriuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabāt, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.*

Quum hæc dixisset Iesus: turbatus est spiritu. Cum ex Luca constet, sermonem de proditore introductum post Eucharistiæ institutionem: constat etiam Iudam sacræ cœnæ interfuisse, & corpus & sanguinē Domini simul cum alijs sumpsisse. Cum ergo post exhibitam pedum lotionem, & tradita sui corporis, & sanguinis mysteria, & notatam Iudæ impietatem, ille perseueraret in concepto scelere; Dominus speciatim iā eandem explicaturus prius turbatus est spiritu; partim præ dolore ob insuperabilem Iudæ impœnitentiam, & hinc secuturam eius perditionem; partim præ horrore, & detestatione tanti sceleris, quod comparatum cum beneficiis Christi iam exhibitis, apparebat magis detestandum. Quod Lucas bene insinuauit, cum post traditum calicem dixisse Dominum refert. *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* q. d. Et si meum vobis sanguinem bibendum tradam, & iamiam sanguis is pro vobis sit effundendus: tamen ecce manus eius, qui iamiam me est traditurus, imò qui animo suo iam me tradit, mecum est in mensa. Pro quo alij tres cum solita asseueratione Dominum dixisse narrant. *August.*

Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Et addit Marcus, qui manducat mecum. In quibus verbis duplex est criminis exaggeratio, nempe & ratione Apostolicæ dignitatis, & ratione communionis mensæ, quæ etiam Ethnicis sacra esse solet. Cæterum quod post hanc Domini prædictionem, & protestationem, hoc est denunciationem, & asseuerationem contigit varie narratur ab Euangelistis: at varia hæc narratio quomodo in ordinem aptum possit redigi, indicat ipsius Concordiæ contextus. Verisimile enim discipulos cum hanc Domini, quem

sciebant non posse mentiri, audissent asseuerationem, primum quidem vt habet Ioannes, sese mutuò aspexisse, hæsitantes de quo diceret, & ex vultus mutatione deprehendere cupientes eum, qui sibi male esset conscius: cumque hac ratione non possent quicquam deprehendere, tum verisimile est id accidisse quod narrant Matthæus, & Marcus, nempe quod contristati discipuli ob amorem erga Dominum, & crimen detestandum, quo eorum collegium erat dehonestandum, cœperunt singuli rogare Dominum dicendo:

Nunquid ego sum Domine; Idque ideo, quia quanquam sibi bene essent conscij: tamen metuebant ne sibi ipsis parum essent cogniti; & quia quisque cupiebat Domini testimonio suam conscientiam alijs esse probatam, vt à criminis illius suspicione esset liber. Dominus autem absolutum proferens leuitatis exemplum, maluit suos ad tempus affici metore, quam prodere proditorem; nihil non faciens vt ab impio consilio resipisceret. Itaque nó aliud respondet, quàm prius: sed tamen cum maiore exaggeratione. *Vnus*, inquit, *ex duodecim, qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Cum enim prius dixisset, vnus ex vobis, nunc dicit quod magis pungit, vnus ex duodecim. Et pro eo quod dixit prius, qui manducat mecum, nunc dicit, quod etiam magis est exaggeratiuum, qui intingit mecum manum in paropside, hoc est, qui eandem lancem mecum habet communem, quod est asctissimæ familiaritatis indicium. Cum autem huiusmodi sceleris exaggeratione bis repetita non corrigeretur Iudas, subijcit Dominus de ipsius vltione: vt quem pudor non vicerat, denunciata emendarent supplicia; & simul addit quod ad sui ipsius, & aliorum Apostolorum faciat consolationem, nempe:

Filius hominis vadit, ad mortem scilicet, *secundum quod definitum est* ab æterno scilicet, à Patre, & sicut scriptū est de eo per prophetas. Id enim & Christo & Apostolis erat solatio, quod aduertebant Dei ordinationem scripturis etiam expressam ita exigere, vt in mortem tradetetur filius. At ne ob huiusmodi Dei Patris ordinationem à culpa, & supplicio crederetur proditor esse immunis; mox subiecit:

Verumtamen væ homini illi per quem tradetur. Deus enim sua ordinatione non impulit Iudam ad traditionem, sed præuidens eius malitiam seruite posse gloriæ suæ, ordinauit ea vti ad gloriam suam. Causam autem reddit cur væ illi comminetur;

Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille, id est melius esset ei non fuisse natum omnino, quam sustinere eam, quæ ipsum manet vltionem.

Respondens autē Iudas qui tradidit eum dixit. Nunquid, &c. Mira Iudæ hic insinuatur impudentia, qui inter alios non dubitauerit interro-

interrogare, num ipse esset eum proditurus, cum satis aduerteret ex verbis Domini, non latere eum quis esset se traditurus. Quod autem ex responsione Domini dicentis Iudæ. Tu dixisti; non intellexerint Apostoli quem Dominus notare voluisset; cum appareat ex recepta phrasi illud, Tu dixisti, perinde valuisse ac si dixisset, Tu es: Videtur Dominus istud dixisse sic submissa voce, vt turbati discipuli non aduerterent, nec intelligerent quid Dominus responderit.

Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, &c. Cum primum Apostoli aspexissent se mutuo, deinde singuli Dominum de se interrogassent: tum conuenienti ordine recte intelliguntur tertio inter sese disquirere cœpisse, quis esset is, quem Dominus notabat: si forte per collationem mutuam ex signis quibusdam, & coniecturis intelligere possent proditionis authorem. Qui cum nec sic deprehenderetur, tum demum id accidit quod habet Ioannes, vt sibi recumbenti in sinu Iesu ob nimium dolorem conceptum ex prædictione mortis, & proditionis, Petrus innueret, & ad quærendum de proditionis authore instigaret. Præmio enim erga Christum amore, & zelo Petrus tenebatur summo desiderio cognoscendi proditorem, iniurecturus in ipsum agnitum, & conatum eius prohibiturus: verebatur tamen per seipsum Dominum interpellare, metuens ne vt aliquoties sibi accideret, immodicum eius studium à Domino seuerè corriperetur: proinde per illum statuit Dominum interpellare, quem sciebat singulariter à Domino diligi.

Innuit ergo huic Symon Petrus. Et ipso nutus signo, quodammodo dixit ei: *Quis est de quo dicit.* Non enim sic istud est intelligendum, quasi prius Petrus innuerit, & deinde etiam verbis illum sit alloctutus: sed dixisse intelligendus est, quia ipsum nutus signum pro sermone & verbis illi fuit. Cum autem pro eo quod hic dicitur discipulus recubuisse in sinu, postea dicatur recubuisse supra pectus Iesu, aut, vt græca habent, incidisse super pectus: intelligendum relinquitur Ioannem caput suum inclinasse super pectus Iesu, ibique quieuisse: Christo forte altero suo brachio caput ipsius amplexante. Atque ob id dicitur in sinu Domini recubuisse, quia pectus ad sinum pertinet; & alioqui cum caput Ioānis quiesceret super caput Iesu, brachium ipsius forte fuit in inferiori sinu ipsius Domini.

Ioannes quomodo dicitur recubuisse in sinu Iesu.

Respondit Iesus ille est, cui ego intinctū panē porrexero. Hoc signo & Ioanni ostendebatur maxima proditoris impudentia, ac ingratitudo, & Iudas rursum prouocabatur ad pœnitentiam priusquam potestas ei fieret perpetrandi sceleris, & alijs Apostolis occultum adhuc Iudæ crimen studiosè tegebatur. Quod autem post acceptā à Christo buccellam vel offulam introiuit in eum satanas: non

fuit

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit causa ipsa buccella, sed peruersitas accipientis. Quoniã enim hoc beneuolentiæ indicium debuisset Iudam à suo reuocare proposito, ille vero contra ob firmato in malum animo perfricta fronte contemnens Domini & conscientiam, & benignitatem, accipere ausus est de manu Domini signum amicitiæ: Hinc iusto Dei iudicio iam factum est, vt totus permitteretur potestati satanæ, illæque in eo pleniorem acciperet potestatem quod significatur per hoc quod dicitur intrasse in eum satanas. Non fuit autẽ proculdubio panis iste intinctus, Eucharistia; cum hanc, vt ex Luca patet, omnes acceperint ante sermonem de proditore. *August.*

Et dicit ei Iesus: Quod facis fac citius, &c. Græca habent; Dicit ergo ei Iesus, quia scilicet iam sathanas post buccellam intrasset in eum, eumque totum possidens impelleret, & sollicitaret ad facinus, ideo dixit ei; Quod facis, fac citius. Quod facis animo, fac citius etiam ipso opere. Quibus verbis significauit Dominus & potestatem nullam esse Iudæ vel Diabolo contra se nisi ex sua permissione, & desiderium item subeundæ pro nostra salute passionis. Non suat autem hæc adhortantis verba, sed permittentis; sicut illa, soluite templum, &c. Cum autem subijcitur;

Hoc autem nemo sciuit discumbentium, &c. Intelligi potest Ioannem sese voluisse excludi, sicut & Iudam excludendum esse reliquit intelligendum. Is enim proculdubio, vt erat sibi conscius, intellexit cur id Dominus ei diceret. Porro cum Ioannes non simpliciter subijciat Iudam post hæc exisse continuò, sed dicat: *Cum ergo accepisset buccellam, exiuit continuo*, videri potest notare voluisse perditi hominis nullis officijs superabilem crudelitatem, & malitiam. A diecit & temporis, quo exiuit, qualitatem dicens: *Chrysost.*

Erat autem nox, siue ad exaggerationem impietatis Iudæ, vt quem neque temporis intempestiuitas retraxit à suo impetu, siue potius ad significandum tempus illud conueniens fuisse sceleri perpetrando, atque correspondisse dispositioni mentis Iudaïcæ, vt quæ auaritiæ tenebris fuit obcæcata, sese que iam exeundo à Christo subduxit à vera Lucæ.

Cum ergo exisset dixit Iesus; Nunc clarificatus est, &c. Clarificari hic, & in sequenti toto sermone accipitur pro glorificari. Etsi enim Passio Christi hominum iudicio fuerit ipsius humiliatio reuera tamen eius fuit glorificatio: quia per eam mortem, & diabolum superauit, & humanum genus in suum traxit dominiũ. Quoniam autem per Passionem, & glorificationem Filij etiã Deus Pater est glorificatus, ideo subiecit:

Et Deus clarificatus est in eo. Hoc est, per eum; vt qui Deo Patri vsque ad mortem obediens fuerit. Deique iustitiam misericordiã, & sapientiam per mortem suam hominibus commendauerit. Iam quoniã Christus sicut per suam passionem clarificauit Deũ, ita

ita etiam meruit vicissim glorificari vlterius à Deo Patre, ideo subijcitur: Si, hoc est, quia autem Deus clarificatus est per Filium, etiam Deus vicissim clarificabit eum, idque non per Angelos, aut Archangelos, sed per semetipsum. Nec differet hanc filij clarificationem, sed continuò clarificabit eum. Quod impletum est, quando in morte ad Filij innocentiam declarandam sol obscuratus est, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, velum templi scissum est in duas partes, quando tursum post triduum Deus Filium resuscitauit à morte, donans corpus eius immortalitate, & gloria quando item post quadraginta dies assumpsit eum in suam dexteram, & misso in mundum Spiritu sancto, nomen eius fecit hominibus gloriosum supra omne nomen.

Contentio discipulorum pro primatu sedatur, & prædicitur eorum abnegatio. Matthæi 26. Marci 14. Lucæ 22. Ioannis 13.

CAPVT CXXXIII.

*ACTA est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fit sicut iunior, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis supra mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël. [a] filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, Quò ego vado vos non potestis venire. Et vobis dico modò: Mandatum nouum do vobis. Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum † [b] [a] eis te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? [c] Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me negabis. Et dixit illis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, & cum iniquis reputatus est. Etenim quæ de me scripta sunt, finem habent. Illi autem dixerunt: Domine, ecce gladij duo hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliueti. Secuti sunt autem illum & discipuli eius. Cum autem venisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et surrexit ab oratione, & venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes præ tristitia. Et dixit illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu osculari eum. Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filium hominis tradis? Videntes autem qui circa eum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? & percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & abstulit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus ait: Sinite vsque huc. Et tangens auriculam eius sanauit eum. Dixit autem Iesus ad principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores qui venerant ad se: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus? cum quotidie essem apud vos in templo docens, non tenuistis me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. Et quidam adolescens sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum iuuenes. At ille relicta sindone nudus effugit ab eis. Illi autem duxerunt Iesum ad Caiphan principem sacerdotum, & conuenerunt ei omnes principes sacerdotum, & scribæ, & seniores. Petrus autem sequebatur eum à longe vsque intro in atrium principis sacerdotum, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se ad lumen. Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium vt eum morti tradant, & non inuenerunt. Multi enim falsum testimonium dicebant contra eum, & conueniebant testimonia eorum. Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentis: Quia ego destruam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium eorum. Et exurgens princeps sacerdotum in medium interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quid isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Iterum princeps sacerdotum interrogauit eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum. Et videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Princeps autem sacerdotum scindens tunicam suam ait: Quid adhuc desiderabimus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? Illi autem omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis cædere eum, & dicere ei: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ministri alapis eum cædebant. Et cum factus esset dies, congregatum est seniorum plebis, principum sacerdotum & scribarum concilium, & duxerunt eum in consilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Ille autem ait: Vos dicitis quia ego sum. Illi autem dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum, adduxerunt illum ad Pilatum. Et cœperunt illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus peruertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? Ille autem respondens ait illi: Tu dicis. Pilatus autem ait ad principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ in homine isto. At illi inualescebant dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem videns Iesum, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audisset multa de eo, & sperabat signum aliquod videre à eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ille nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Facti sunt autem amici Herodes & Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hominem hunc quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis nullam causam inueni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nihil ergo dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necessitatem autem habebat dimittere eis per diem festum vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi contra cum exclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Pilatus autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo eum, & dimittam. Illi autem instabant vocibus magnis, petentes vt crucifigeretur, & inualescebant clamores eorum. Et Pilatus adhibuit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Iesum autem tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenæum venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ sterilles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes autem vestimenta eius, miserunt sortem. Et stabat populus spectans. Et irridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se ipsum saluum faciat si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & aceto acerbo offerentes ei, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis & Latinis & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. Vnus autem de latronibus qui pendebant, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos. Alter autem increpans eum, dicebat: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium. Et clamans Iesus voce magna ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes notiores eius à longe, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus, hic non consentiebat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui & ipse erat expectans regnum Dei, hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, & depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et sabbatum illucescebat, quæ est ante diem sabbati. Secutæ autem mulieres quæ cum Iesu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum esset corpus eius. Et reuersæ parauerunt aromata & vnguenta. Et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Vna autem sabbatorum valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Inuenerunt autem lapidem reuolutum à monumento. Et cum introissent non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est dum mente consternatæ essent de hac re, ecce duo viri astiterunt iuxta illas in veste fulgenti. Cum timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Recordamini quomodo locutus est vobis cum adhuc esset in Galilæa, dicens filium hominis oportere tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus. Erant autem Maria Magdalene & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit positas lineas tantum, & abijt secum mirans quod factum fuerat. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sermones sunt hi quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in ea in diebus istis? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt ei: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, & quomodo eum tradiderunt principes sacerdotum & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël, & nunc super hæc omnia tertia dies hodie quæ hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuentis corpore eius venerunt dicentes se & visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non viderunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquabant castello quo ibant, & ipse sese finxit longius ire. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim & eos qui cum illis erant dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati autem & conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos adhuc cum essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Vos autem testes estis horum. Et ecce ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & leuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benedicit illis recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper laudantes & benedicentes Deum. Amen.

[a] filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, Quò ego vado vos non potestis venire. Et vobis dico modò: Mandatum nouum do vobis. Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum † [b] [a] eis te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? [c] Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me negabis. Et dixit illis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, & cum iniquis reputatus est. Etenim quæ de me scripta sunt, finem habent. Illi autem dixerunt: Domine, ecce gladij duo hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliueti. Secuti sunt autem illum & discipuli eius. Cum autem venisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et surrexit ab oratione, & venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes præ tristitia. Et dixit illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu osculari eum. Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filium hominis tradis? Videntes autem qui circa eum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? & percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum, & abstulit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus ait: Sinite vsque huc. Et tangens auriculam eius sanauit eum. Dixit autem Iesus ad principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores qui venerant ad se: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus? cum quotidie essem apud vos in templo docens, non tenuistis me. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. Et quidam adolescens sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum iuuenes. At ille relicta sindone nudus effugit ab eis. Illi autem duxerunt Iesum ad Caiphan principem sacerdotum, & conuenerunt ei omnes principes sacerdotum, & scribæ, & seniores. Petrus autem sequebatur eum à longe vsque intro in atrium principis sacerdotum, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se ad lumen. Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium vt eum morti tradant, & non inuenerunt. Multi enim falsum testimonium dicebant contra eum, & conueniebant testimonia eorum. Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentis: Quia ego destruam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens testimonium eorum. Et exurgens princeps sacerdotum in medium interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quid isti aduersum te testificantur? Iesus autem tacebat, & nihil respondit. Iterum princeps sacerdotum interrogauit eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum. Et videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Princeps autem sacerdotum scindens tunicam suam ait: Quid adhuc desiderabimus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? Illi autem omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis cædere eum, & dicere ei: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ministri alapis eum cædebant. Et cum factus esset dies, congregatum est seniorum plebis, principum sacerdotum & scribarum concilium, & duxerunt eum in consilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Ille autem ait: Vos dicitis quia ego sum. Illi autem dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius. Et surgens omnis multitudo eorum, adduxerunt illum ad Pilatum. Et cœperunt illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus peruertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? Ille autem respondens ait illi: Tu dicis. Pilatus autem ait ad principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ in homine isto. At illi inualescebant dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens a Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem videns Iesum, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audisset multa de eo, & sperabat signum aliquod videre à eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ille nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Facti sunt autem amici Herodes & Pilatus in ipsa die. Nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hominem hunc quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis nullam causam inueni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes. Nihil ergo dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necessitatem autem habebat dimittere eis per diem festum vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. At illi contra cum exclamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Pilatus autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo eum, & dimittam. Illi autem instabant vocibus magnis, petentes vt crucifigeretur, & inualescebant clamores eorum. Et Pilatus adhibuit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Iesum autem tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenæum venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ sterilles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Diuidentes autem vestimenta eius, miserunt sortem. Et stabat populus spectans. Et irridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se ipsum saluum faciat si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & aceto acerbo offerentes ei, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis & Latinis & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. Vnus autem de latronibus qui pendebant, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos. Alter autem increpans eum, dicebat: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium. Et clamans Iesus voce magna ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Vere hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes notiores eius à longe, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes. Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus, hic non consentiebat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui & ipse erat expectans regnum Dei, hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, & depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento excisum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et sabbatum illucescebat, quæ est ante diem sabbati. Secutæ autem mulieres quæ cum Iesu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum esset corpus eius. Et reuersæ parauerunt aromata & vnguenta. Et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Vna autem sabbatorum valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Inuenerunt autem lapidem reuolutum à monumento. Et cum introissent non inuenerunt corpus Domini Iesu. Et factum est dum mente consternatæ essent de hac re, ecce duo viri astiterunt iuxta illas in veste fulgenti. Cum timerent autem & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Recordamini quomodo locutus est vobis cum adhuc esset in Galilæa, dicens filium hominis oportere tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius. Et regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus. Erant autem Maria Magdalene & Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit positas lineas tantum, & abijt secum mirans quod factum fuerat. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierusalem, nomine Emmaus. Et ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur & secum quærerent, & ipse Iesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sermones sunt hi quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in ea in diebus istis? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt ei: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo, & quomodo eum tradiderunt principes sacerdotum & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël, & nunc super hæc omnia tertia dies hodie quæ hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuentis corpore eius venerunt dicentes se & visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non viderunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquabant castello quo ibant, & ipse sese finxit longius ire. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim & eos qui cum illis erant dicentes: Quod surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis. Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati autem & conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos adhuc cum essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Vos autem testes estis horum. Et ecce ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in ciuitate Hierusalem quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & leuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benedicit illis recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, & erant semper laudantes & benedicentes Deum. Amen.

[a] filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, Quò ego vado vos non potestis venire. Et vobis dico modò: Mandatum nouum do vobis. Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare non possum † [b] [

Universidad de Deusto
Biblioteca

▶ᵇ.Petrus autē ‖ᵃ.qui dixit ei ▶ᵃ non ego ▶ᵃ.ille dixit ‖ᵃ.ᵃ. ante quam †ᵃ.ᵃ.ter †ᵃ.ᵃ.neges ‖ᵇ.ᵃ.ᵃ. ante quam †ᵃ.ᵃ.neges me ‖ᵇ.Et †ᵃ.ᵃ. ▶ᵇ.dicebat

dam vos in Galileam. ▷ ᵃRespondens ᵃ autem ᵗ Petrus ᵃ ‖ ait illi: ᵃ Et si omnes scandalizati fuerint ᵃ in te, † ᵇ sed ᵃ ego nunquam ᵃ scandalizabor. ᵃ Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. ᵇ Et ▷ ᵗ ait illi Iesus: ᵐ Amen ᵈ amen ᵖ dico tibi ᵃ quia ᵃ tu hodie ᵃ in nocte hac ‖ priusquam ᵇ gallus † ᵃ vocem bis dederit, ter me ▷ es negaturus [&] ᵇ non cantabit ᶜ hodie ᵇ gallus antequam ter † abneges, noscere me. ᵇ At ille amplius loquebatur [&] ᵃ ait illi ‖ᵃ. Etiam si oportuerit me † simul commori tibi, non te negabo. Similiter ᵇ autem ᵃ & omnes ᵃ discipuli ▷ dixerunt. ᵃ Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, Quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus ‖ᵇ. Et †ᵃ.ᵃ. est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est.

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum &c. Hoc est, Sicut fuerat inter eos quæstio, quis ex eis Dominum esset proditurus: ita etiam facta est inter eos contentio, & quæstio, quis eorum videretur ipsi Domino maior esse. Huius contentionis cum varia diuersi afferant occasionem, probabilius est quod sicut prædictio passionis & mortis Dominicæ occasio fuerat Apostolis olim contentionis pro primatu, eademque fuit occasio postulationis filiorum Zebedæi: ita & modo quia audierunt Dominum tradendum & moriturum, inter sese disquirere cœpetūt quis eorum esset maior, qui scilicet post Dominum aliorum princeps esset, aut quis in regno eius, quod statim à morte putabant auspicandum in terris, primum post Christum regem, obtineret locum. Dixerat enim etiam se mox clarificandum à Deo, vt est apud Ioannem in fine cap. præcedentis, ideoque vel illorum etiam verborum occasione in hanc contentionem inciderunt. Cæterum quæ hic Dominus respondit Apostolis, supra ex magna parte tractata sunt in cap. Cōcord. 1. proinde hic tantum quæ sunt huic loco peculiaria sunt tractāda. Inter quæ primum est quod hic dicitur:

Qui potestatem habent super gentes, benefici vocantur, &c. Quibus verbis significatur eos affectare huiusmodi titulos & nomenclaturas, quibus commendetur eorum munificentia, & liberalitas; eosque magis vocari huiusmodi nominibus, quam esse quod vocantur. Iam quod sequitur:

Sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior. Dictio iunior ad submissionem magis pertinet, quam ad ætatem: vt sit sensus: Qui in vobis est honoratior, sese gerat vt contemptior. Cum autem sequitur; *Et qui præcessor est, &c.* dictio Græca ἡγούμενος significat etiam ducem

ducem & rectorem, cæterum sensus semper eodem recidit: nimirum quod qui primatum aliquem est adeptus, & regendi munus, sese vt ministrum gerere debeat, liber scilicet ab omni fastu, & aliorum vtilitatibus inseruiens. Deinde proposito exemplo suiipsius, cuius vt erāt discipuli, ita conueniebat esse sectatores, primatus appetitum in ipsis corrigit.

Nam quis maior est qui recumbit ad mensam. An qui recumbenti ministrat. Certè qui recumbit. Ego autem cum reuera in vobis sum maior, vtpote Dominus vester, & Magister; non tamen me tanquam maiorem gero, ita vt accumbam vobis mihi ministrantibus, sed in medio vestrum, id est, inter vos sic sum sicut qui ministrat accumbenti. Quod ob id dicit, quia iam eorum pedes abluerat surgens à cœna, semperque in conuiuio cum Apostolis accumbens panem & cibum illis frangere, & dispensare solitus fuerat.

Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus, &c. Hoc est quod dicit: Frustrà contenditis inter vos, quis vestrum sit maior; singuli enim eritis maximi. Nam cum hactenus mecum perseueranter humilitatis viam triueritis, permanentes mecum in tentationibus meis, quas à Iudæis pertuli, ob quas plerique defecerunt à me: ideo quemadmodum Pater veracissimus mihi disposuit, & parauit regnum, ita & ego, dispono iam & addico vobis regnum; vt qui mecum in afflictionibus perseueratistis, mecum etiam perseueranter postea regnetis. Neque simpliciter dispono vobis regnum, sed regni mei plenum, perfectumque consortium; nimirum vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, hoc est, cunctis vitæ futuræ delitijs in summa gloria mecum pariter fruamini, ac insuper patem mecum quodammodo obtineatis cum summa gloria potestatem, ita vt sedeatis super thronos duodecim, iudicantes mecum in nouissimo die duodecim tribus Israël. Quid sit, autem sedere super sedes duodecim, & quomodo hæc Christi promissio sit impleta, quanquam Iudas exciderit, dictum est in cap. Concord. 100. circa illud: Vos qui secuti estis me, &c.

Filioli adhuc modicum vobiscum sum, &c. Cum iam abisset Iudas proditionem perpetraturus, & iam instaret tempus passionis suæ, Dominus valedicere volens reliquis suis, quos amabat discipulis, multa cœpit cum eis blandè loqui, significans iam adesse tempus, quo ab eis separandus esset, ac modum præscribens, quo se gerere inter se ipso absente deberent, eosque ob abitum suum mœstos consolans, atque aduersus imminentem armans tēpestatem, tandemque Deo Patri eos oratione commēdans. In primis ergo dicit:

Filioli adhuc modicum, id est, modico tēpore vobiscū sum quod *Augustinus* accipi

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipi potest pro tempore illo breuissimo, quo ante mortem, & captiuitatem suam futurus erat cum Apostolis, aut potius etiam simul pro toto illo tẽpore quo post resurrectionem cũ eis corporaliter erat conuersaturus vsque ad Ascensionem suam. De eo enim modico tempore videtur illud accipiendum, post quod euẽturũ erat, quod sequitur. *Quaeretis me*, secundum corporalem meã scilicet præsentiam, quod post Domini in cælos ascensionem cõtigit Apostolis, quando desiderabant præsentiam Domini iã absentis. Quod autem sequitur *& sicut dixi Iudæis, &c.* Sic est distinguendum, vt illa verba, & vobis dico modo, sint secunda pars cõparationis respondens particulæ sicut, hoc sensu. Et sicut dixi olim Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire, ita etiam idem vobis dico modo, nempe quod quo ego modo vado, hoc est mortem iturus, eo vos non potestis venire. Vado enim ad Patrem per mortem, eo autem vos vestra opera, & virtute omnino non potestis venire, aut saltem necdum potestis venire, siue quia per imperfectionem vestram necdum apti estis regno Dei, aut mortis pro eius gloria tolerandæ, siue quia secundum Patris ordinationẽ adhuc aliquamdiu ad aliorum ædificationem manẽdum vobis est in mortali hoc corpore.

Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem. Cum se iam abiturum dixisset, & eos adhuc hic relinquendos, restabat vt formam præscriberet vitæ, quam inter se seruare deberent. Itaque monet & præcipit vt mutuo se diligant, vno hoc præcepto cõplexus omnia, quæ pertinent ad hoc vt iustè & benè inter se viuant homines, & sine quo iustè, & benè inter se viuere non possunt. Et quidem si Ioannes in epistolis loca obseruentur, videbimus ob id dici præceptum mutuæ dilectionis, præceptum nouum, quod cum iam moribus hominum esset antiquatum, & Iudæi illud nimis imperfectè intelligerent: Christus nouus Magister illud renouauit, inculcauit, & absoluit, non tantum docendo, sed etiam ipso opere perfectissimè adimplendo, & suis per communicationem sui spiritus donando, vt & illud ipsi præstare perfectè valeant. Et rursus quia pro variis legis Mosaicæ præscriptis, & constitutionibus, quę hoc mandato antiquantur vnicè, & singulariter hoc mandatum Christus exigit. [Ob hæc enim rectè mandatum hoc etsi vetus, & non solum in lege datum veteri, sed etiam ab initio conditi hominis, tamen nouum dicitur, & lex Christi peculiariter. Vnde Ioannes, Charissimi, inquit, non mandatum nouum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis ab initio. Mãdatum vetus est verbum, quod audistis. Iterum mandatum nouum scribo vobis quod verum est in ipso, & in vobis. Vetus dicit quia traditum ab initio, nouum, quia in Christo mandati huius renouatore verum est. Nemo enim illud plenius vnquã impleuit cum animam suã posuerit pro nobis inimicis: & quia in ipso datur, vt idem sit in nobis verum, hoc est vigeat in nobis minimè fucata, sed solida, offensa, & ardens dilectio.] Quod autem sequitur in verbis Christi:

Præceptũ dilectionis quatenus nouum.

1. Ioan. 2.

Sicut dilexi vos, additum est vt prouocatiuum ad obseruationem mutuæ dilectionis per propositum exemplum Christi, simul tamen etiam indicatur & modus huius mutuæ charitatis, nimirum vt verè, efficaciter, & spiritualiter nos diligamus mutuo, parati etiam Animam pro fratrum ponere salute si res poposcerit. Quod verò subiungitur; *Vt & vos diligatis inuicem*, accipi potest vel vt sit repetito propositi mandati, vel verba illi coniungi possunt cum eo quod præcedit, Sicut dilexi vos, vt significetur finis propter quem Christus se dicat illos dilexisse; vt sit sensus, Sicut dilexi vos, propterea vt & vos diligatis, &c.

In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, &c. Indicatur hic ratio quare singulariter dilectionis mutuæ mandatum eis tradat, seque in ea singulariter imitandum velit: nimirum quod ipse primus suprema hominibus exhibuerit charitatem, & in ea pro hominibus dispensatione vnicè, & singulariter eam erga homines commendauerit, quam proinde imitari debeant, qui eius haberi volunt discipuli. Discipulus enim in eo magistrum maximè debet imitari, quod magistro est proprium

Dicit ei Simon Petrus, Domine quo vadis? &c. Cum audiret Petrus Dominum dicentem. Quo ego vado, vos non potestis venire, & præ feruido quodam erga Dominum amore cuperet semper ei adesse, doleretque se ab illo separandum, alios præueniens Apostolos, qui fere illi locum reliquerunt rogandi, & respondendi omnium nomine, rogat quo sit iturus Dominus, quasi omnes secuturus, si sciret quo esset iturus. Cui Dominus necdum quidem aperit quo esset iturus, sed tantum repetit, quæ prius omnibus dixerat: significans eum merito illis contentum esse debere, nec de sua promptitudine nimis debere confidere. Addit tamen quod illius dolorem propter separationem mitiget & consoletur, cum dicit; Sequeris autem postea. Cuius responsionis duplicem sensum a Cyrillo indicatum simul complecti conuenit hoc modo; vado per mortem ad Patrem, tu verò necdum me potes cõsequi, quod imbecillior sis, quàm vt mortem possis contemnere, tum quod necdum sit ordinatum à Patre tempus impletum, quo ad ipsum recipiaris; sequeris autem postea cum Spiritu sancto corroboratus tempore destinato per mortem pro Dei gloria etiam toleratam, ad Patrem quoque in cælis assumeris. Portò quanquam audiret Petrus se non semper à Domino separandũ quem amabat, tamen moræ impatiens;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quare, inquit, *non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.* q.d. Quid prohibere potest ne te sequar, cum etiam pro te sim paratus mortem subire, si res ita popoſcerit. Et quidem his verbis Petrus syncerè suam expressit voluntatem, & propositum, virium suarum ignorans imbecillitatem: Dominus autem inspiciens eius infirmitatem, & ob id non ignorans nimiè præsumptionis esse huiusmodi sermonem: reprimit quidem eius præsumptionem, non tamen seuerè: illum incessit, vt qui sciret indiscretā hāc præsumptionem non profectam ex corde ficto, sed amore feruido & incircunspecto.

Aug. Beda Hieron. Ambr. *Animam*, inquit, *tuam pro me pones.* Itane facies pro me, quod ego nondum feci pro te; Præcire potes, qui sequi non potes.

Ait autem Dominus Simoni: Simon ecce Satanas expetiuit, &c. Græca non habent datiuum Simoni, sed geminatum habent nomen Simon, Simon, quæ duplicatio seruit affectui, & attentioni excitandæ. q.d. Simon, Simon, magna de te præsumis, sed audi aliud. *Ecce Satanas expetiuit vos.* Græcum ἐξῃτήσατο proprie exposcere aliquem ad pœnam, aut torturam significat. Cribraret autem hic translatè positum est pro commoueret, concitaret, & tentationis impulsu agitaret, quemadmodum in cribro triticum agitatur, cū puluis à tritico secernitur. Impetrauit autem hanc postulationem satanas. Nam qui hactenus, vt modo dixit Dominus, permanserant cū Domino intentationibus ipsius; nunc derelicto Domino dispersi fugerunt. Sequitur;

Ego autem, inquit Christus, rogaui pro te. Pro Petro singulariter se dicit rogasse (licet pro omnibus rogauerit) tum quod ille grauius erat tentandus, & lapsurus, tum quod ille aliorum erat à Christo constitutus caput, per quem alij erant confirmandi, vnde oratio pro illo redundabat etiam in alios. Rogasse autem se dicit pro Petro non, vt non concuteretur à satana, quemadmodum ille postulauerat (Id enim in bonum Petri, Apostolorum, & nostrum satanæ Deus permissurus erat) *sed vt non deficiat*, inquit, *fides tua.* Illa scilicet ob quam te olim beatum prædicaui, ob quam te petram appellaui, &c. Vt inquam hæc tua fides, & si tentationum procellis agitata vacillet, non tamen deficiat. Qua in parte Christus, quem Pater semper audit, exauditus est pro sua reuerentia. Nam & si ore Petrus Christum negauit, fidem tamen semper in corde seruauit: aut si ad tempus etiam fidem perdidit, non tamen ea defecit, quia mox eam recepit. Quo autem Petrus intelligeret orationem pro se factam, etiam ad alios redundare; nec cæteri se à Domino neglectos arbitrarentur, subiecit;

Et tu aliquando conuersus, vi scilicet orationis meæ pro te fac, confirma vicissim fratres tuos in fide, & spe veniæ impetran-

dæ. Quibus verbis manifeste satis Christus Petrū cæteris præfecit.

Et tunc dixit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini, &c. Cum supra dixisset diabolum petijsse, & impetrasse tentationem Apostolorum; his nunc verbis declarat, cur id dixerit, & quando sit futura illa tentatio, ac quando. Omnes inquit, vos scandalum patiemini in me, hoc est, propter ea, quæ in me fieri videbitis, a fide deficietis, aut in ea vacillabitis, idque non longo post tempore, sed in hac ipsa nocte. Vt autem minus discederent hanc prædictioni Apostoli, atque vt propter istud minus turbaren tur, hoc ipsum quod euenturum erat, in scriptutis prædictum esse ostendit. Scriptum est enim inquit: Percutiam pastorem, &c. Desumptum est autem hoc testimonium ex Zach. 13. cap. Vbi *Zach.13.* cū legimus; Framea suscitare super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi dicit Dominus exercituum: Percute pastorem, & dispergentur oues. Porro quoniam huiusmodi ad gladium facta iussione nihil aliud significatur, quam ex Dei voluntate persecutionem contra Christum (qui pastor Domini bonus, idemque vir cohærens Domino, aut, vt Hebræa habent, proximus illi est, quia ei consubstantialis, & dilectus filius) sequendam, in qua ipso detento, & iam percusso dispersę fuerunt pastoris huius oues, nempe Apostoli, qui omnes fugerunt: bene Dominus, siue Euangelista, sensum potius quam verba referens scriptum dicit ex persona Dei, Percutiam pastorem, &c. Ne autē dispersi Apostoli disperarent, & ob fugam putarent se non recipiendos rursum in Christi gratiam, promittit se post resurrectionem suam venturum ad illos,

Postquam, inquit, *resurrexero, præcedam vos in Galilæā. &c.* q.d. Antequam vos fugientes redeatis in Galilæam patriam vestram, ego illuc ibo videndus à vobis, vosque excepturus. Cæterum Petrus ex magno erga Dominum amore alienum planè à se putans, vt Christi periclitantis iam causa offendiculum pateretur.

Et si, inquit, *omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizor*; Triplici nomine per indiscretionem peccans, quia scilicet Domino contradixit, quia alijs se prætulit, & quia de se nimis præsumpsit. Quoniam autem ex amore proficiscebatur huiusmodi affectio: non seuerè illum Dominus redarguit; quia tamen plus de se quām de alijs præsumpsit, magis etiam alijs scandalizandus præscitur.

Amen, inquit, *dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Circa quæ verba ex Marco oritur nonnulla difficultas: proinde omissis rationibus quibus quidā student conciliare Euangelistas, dicendum est tres Euāgelistas de gallo loqui cantu galli, qui ab hominibus maximè solet obseruari, atque scilicet vltima noctis pars, quæ quarta olim dicebatur vigi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lia, dicitur gallicinium. Duabus enim potissimum vicibus galli in nocte canere consueuerunt. Semel non diu post medium noctis, & secundo cum iam adhuc duæ, aut tres, vel circiter noctis horæ supersunt, quando in cantu perseuerat vsque ad tempus, quod conticinium dicitur; à quo secundo cantu quarta noctis vigilia dicitur gallicinium. Marcus itaque rei in Petro gestæ, vt ab ipso Petro audierat, accuratam perscribens historiam, vtriusque cantus galli meminit; Reliqui verò tres posterioris tantum meminerũt, vt qui sit præcipuus, & à quo pars noctis dicatur gallicinium: propterea idem ob omnibus est significatum, nempe ter Petrum negaturum ante rẽpus illud noctis quod gallicinium dicitur: quod tempus secundum communem quidem loquendi modum, simpliciter notatur per galli cantum, secundum accuratiorem vero loquendi rationem, notatur per secundum cantum galli. Quomodo autem Petrus Dominum erat negaturus, explicatur in Lucæ his verbis.

Donec ter abneges me nosse, id est, donec abneges quod tu noueris me. Dixit enim. Nõ noui hominem. Cum autem Petrus authoritate sui Domini, cum solita sua asseueratione prædicentis trinam sui negationem, conturbari & humiliari debuisset: tamen testimonio conscientiæ suæ nimis confisus, vehementius etiam Domino contradicere perseuerauit; eiusque constantiam & alij sunt imitati discipuli, nolentes illo videri inferiores.

Et dixit eis. Quando misi vos sine sacculo & pera, &c. Pergit Dominus Apostolis prædicere mala & sibi, & ipsis imminentia, aduersus ea volens illos esse munitos. Itaque significans alium fore iam rerum statum, quam in quo hactenus secum vixissent. Quando inquit misi vos ad prædicãdum sine sacculo, i. loculis in quibus reponeretis pecuniã, & sine pera, in qua reconderetis cibũ, & sine calceamẽtis; nunquid aliquid defuit vobis rerum necessariarum? At illi dixerunt. Nihil, Dei enim benignitate omnium rerum affluentia vberrimẽ illis parabatur. Quod autem subiungitur à Domino responsum;

Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram, &c. Habet multam obscuritatem. Porro simplicior, & intentioni Domini conuenientior est ea huius loci tractatio, quam indicat D. Chrys. & post eum Theophylactus, vt scilicet intelligatur Dominus dum nunc iubet sacculum, peram, & gladium tollere, nihil aliud significare voluisse, quam acerbissimã instare persecutionẽ: qua non solum rebus necessarijs illos spoliare aduersarij erant conaturi; vt videri posset opus ipsis esse & sacculo, & pera, sed etiã eam vim intentaturi, qua tanta gladij necessitas videri posset; vt humano iudicio consultum videretur etiam vestibus distractis arma sibi comparare. Obscurius autem locutus est Dominus, permittens Apostolos aliquandiu in eo detineri errore, vt putarẽt ipsum requirere gladios ad defensionẽ: vt dũ hac ratione illi postea accenderentur ad defensionem. Dominus & ipsis, & Iudæis efficacius declararet se sponte adire passionem, & è suorum animis eximeret certius omnem vleiscendi affectum, increpando seuerè Petrum accensum ad defensionem, & potenti sua benignitate sanando eum, qui à Petro læsus fuerat. Huic sensui probè conuenit subiuncta à Domino dictorum ratio.

Hom. 85 in Matt. in Lucã.

Dico enim vobis, quia adhuc hoc quod scriptum est, oportet, impleri in me, & cum iniquis reputatus est. Quod in Christo impletum est, quando tãquam facinorosus, captus est, vinctus, flagellatus, varijsque contumelijs affectus, sed maxime quando inter duos latrones medius in cruce pependit. Cum autem discipuli non intelligẽtes quorsum Dominus gladios requireret, duos adesse gladios dixissent, quos secundum Chrysostomum, tunc habebant Apostoli, quia illis vsi fuerant ad immolationem, & diuisionem agni, respondit Dominus, Satis est; aut ironicè locutus, aut simpliciter amputans sermonis progressum, quod videret eos non assequi intentum sensum, quem ob causas dictas necdum eis censuit explicandum.

Sermo Domini post cœnam. Ioan. 14.

CAPVT CXXXIIII.

NON turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis, & amodo cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis, quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis. Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem vado. & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciã. Si diligitis me, man-

data mea seruate. Et ego rogabo patrem. & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternùm, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autē videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mādata mea et seruat ea, ille est qui diligit me, qui autē diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eū, & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas non ille Iscariotes: Domine, quid factū est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat: & sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me est. Et nunc dixi vobis, priusquàm fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, &c. Variæ erant nunc Apostolis turbationis occasiones, nimirum & quia audierunt suum Dominum abiturum, nec se tamen eum sequi posse, & quia audierunt Petro, sibique omnibus prædici scandalum, quod mox in ipso essent passuri, & quia audierunt instare tempora periculosa, & mala, quæ etiam gladios requirerent. Contra has turbationis occasiones omnes dicitur: Non turbetur cor vestrum, neque mœrore scilicet, neque timore. Qua ratione autē turbatio pelli possit, & superari ostendit cum subijcit

Creditis in Deum, & in me credite. Græcis vtrobique est imperatiuus; proinde duplex potest esse huius loci sensus; primum vt iubeantur & in Deum, & in filium credere, quo per huiusmodi fidem vincant cordis turbationem; deinde vt prius verbum accipiatur indicatiuè, & secundum imperatiuè, vt habet noster Interpres, quomodo & Augustinum intellexisse patet ex eius commentario, qui vult hac Domini sententia significari consequens esse vt si credant in Deum, credere debeant

& in filium: quod non significatur nisi prius verbum accipiatur indicatiue. Exigit autem Dominus cum fide in Deum etiam fidem in se; tum vt sequentibus suis promissionibus, quibus eos consolari studet, fidem habeant, tum vt fiduciam suam in ipso collocent, sicut in Deo collocant: qua fiducia, & fide omnem facile animi turbationem, omniaque mala superare possint, & participes fieri promissionum illius

In domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c. Incipit aperire bona, quæ per ipsum tutò expectare debeant, & propter quæ turbatio cordis fit deponenda. Itaque quoniam dixit; Quo ego vado, vos non potestis venire, ne existimarent se nunquam eo perventuros, aut solum quidem Petrum eo perventurum, quia ei singulariter dictum est sequeris postea; In domo inquit Patris mei, hoc est in cælo, mansiones, id est, habitacula multa sunt hominibus ab ipso Patre meo parata; Cæterum per multitudinem mansionum Dominus humano more de cælestibus loquens, significauit & amplam cæli capacitatem, & glorię differentiam pro meritorum diuersitate; quotum vtrumque non parua hominum est consolatio. Locus autem qui sequitur, vt est obscurus; ita variè intelligitur & distinguitur: Sed conuenientior est illa distinctio, quam omnes pene Latini, & Græci sequuntur; secundum quam illa verba, *Vado parare vobis locum*, coniunguntur cum verbo dixissem, vt significetur ipsum dicturum, quod abiret ad parandum locum, nisi iam essent multæ in cælo paratæ mansiones. Secundum hanc tamen distinctionem nascitur difficultas ex sequenti sententia, qua significat se abire ad parandum eis locum. Significat ergo Dominus Apostolis partim esse paratas mansiones, partim per abitum suum parandas: vtrinque tamen oportere confidere, & non turbari, quod vtrinque securam ipsorum esse fœlicitatem significetur. Paratæ autem in Dei prædestinatione mansiones, per Christi abitum, id est, mortem, & ascensionem, adhuc erant parandæ: quia per eius mortem & ascensionem clausum eatenus cælum erat aperiendum reconciliatione cū Patre impetrata, & Spiritus sancti communicatio hominibus erat impetranda, per quē idonei fierent cælestibus mansionibus. Quod autem dicit.

Aug. Cyrill. Theophyl.

Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum. Ex parte quidem impletur in morte singulorum iustorum, quando animas eorum sibi coniungit, & fœlicitatis suæ facit esse consortes, perfectissimè autem in omnibus simul iustis implebitur in nouissimo die, quādo omnes ex mortuis resuscitatos etiam secundum corpus sibi coniunget in gloria.

Et quo ego vado scitis, & viam scitis. Istud adiecit Dominus veluti alia iam ratione eos consolans. Reuera tamen istud dixit, vt

quoniã sciebat eos cupidos discẽdi & quo iret, & viã quaq, sequendum eis esset, prouocaret eos his verbis ad interrogandum, & interrogantes plenius instrueret. Cum autem Thomas omnium nomine dicat se nescire & quo iret, & viam: Dominus tamen vtrumque eos scire dicit, nec tamen mentitus est. De initio enim fidei hæc intelligenda sunt, per quam vtcunque cognouerunt & Christum ire ad Patrem, & per Christum viam esse hominibus ad Patrem, sed imperfecte adeo & obscure, vt ipsi se nescirent scire, quod sciebant.

Dicit ei Thomas; Domine nescimus quo vadis, & quomodo, &c. Putabat Thomas sensibilem aliquẽ in hoc mundo locũ esse quo iret, & viam quoque esse similem, vnde cum huiusmodi locum, & viam ignoraret, vtrumque eorum quæ eos scire Dominus dixerat, cum reuerentia omnium nomine se dicit ignorare: hac ipsa ignorantiæ professione Dominum modeste veluti cogens, vt locum, & viam planè denotaret: Domine inquit, non ego solus, sed omnes nos nescimus quo vadis. Dominus ergo hanc suorum ruditatem & carnalem intellectũ benignæ ferens, nõ dedignatus est aperire quod illi se ignorare profitebantur, imo & conniuere eos, quod vtrumque dictorum scirent, quamuis id se scire nescirent. Et primum quidem aperit quæ sit via de qua est locutus, dicens:

Ego sum via, veritas & vita. q.d. Non est via de qua sum locutus terrena, vt vos suspicamini, sed ego ipse sum illa via, quem cum vel vobis fatentibus, cognoscatis, scitis vtique & viam, qua me sequamini. Via autem est & ratione suæ doctrinæ, & ratione suæ exemplaris cõuersationis, & ratione mortis, resurrectionis, & ascensionis suæ, per quæ nobis ascensum in cælos meruit, & paruit. Cæterum quod non solum se dixerit viam, sed etiam adiecerit se esse veritatem, & vitam, simpliciter videri potest fecisse ad significandum qualis ipse sit via, nempe talis quæ non fallat, nec mittat in errorem, ac per errorem tandem in mortem, sed quæ ducat in omnem veritatem & doctrinæ, & iustitiæ, & per veritatem deducat ad vitam æternam, eamque suis sectatoribus largiatur. Declarat autem se esse viam cum subijcit:

Nemo venit ad Patrem nisi per me, hoc est, nisi per meritum mortis meæ, cuius credendo fiat particeps, & per doctrinam meam cui obediat, & per conuersationem meam, quam imitetur. Veniunt autem homines per Christum ad Patrem, aut quia per cognitionem filij conscenditur ad cognitionem Patris per fidem, aut quia per Christum modo prius dicto peruenitur ad consortiũ Patris, & contemplationem vultus ipsius in æterna fœlicitate.

Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis, &c.

Quia

Quia præcedenti sententia Dominus indicauit quo iret, nempe ad Patrem, iam significat eos etiam Patrem nosce si modo, vt putabant, se nosceret. & proinde bene se dimisse, & quo ego vado scitis, & viam scitis. Ne enim dicere possent se ignorare Patrem, & proinde nescire, quo iret, subijcit; Si cognouissetis me (sic enim græca conuenientius verti possunt) sicut putatis vos cognoscere; necesse est etiam nouerit is Patrem meum; quare consequens est vos non tantum cognoscere viam, cum ego sim via, sed etiam quo vadam, quia vado ad Patrem. Loquitur autem hic Dominus procul dubio de cognitione fidei, qua ex doctrina & operibus cognoscitur Christi excellentia, & dignitas. Huiusmodi autem Christi cognitio infert etiam cognitionem Patris. Doctrina enim Christi, & opera ipsius declarant diuinam ei inesse autoritatem, sapientiã, potestatem, & benignitatem. Porro cum iam Dominus significasset Apostolos parum se cognouisse, & ob id & Patrem non satis agnouisse: tamen quo ostenderet se verè etiam dixisse. Quo vado scitis, &c. & vt discipulos ad rogandum de Patre prouocaret, sicque haberet occasionem docendi eos quomodo ex se Patrẽ cognoscere deberent, ideo subiecit; *Cyril.*

Et amodo, hoc est, *nunc cognoscitis eum, & vidistis eum*. Oculis scilicet fidei, quibus vtcunque me videtis & cognoscitis. Sic enim potius legendum est, quam cognoscetis. Nec est in hac sententia pugnantia cum præcedenti, qua significauit eos nec se, nec Patrem cognoscere. Ibi enim significauit eos non satis se cognoscere, & proinde nec Patrem, adeo vt nec illum se putarent cognoscere. Nunc vero significat eos vt obscurã quandam habere sui cognitionem, ita & Patris.

Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, &c. Cum diceret Dominus eos cognoscere, & vidisse Patrem, Philippus id crasse intelligens de visione corporali, quali Patrem se nunquam vidisse cognouit: præ reuerentia quidem erga Dominum non aperte negat Patrem à se visum, sed præ nimio videndi Patrem, de quo frequenter Dominum loquentem audierat, desiderio, modeste petit omnium nomine Patrem sibi exhiberi videndum oculis corporalibus, Domine, inquit, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Quibus verbis Spiritus sanctus per os ipsius loquens significauit Patris visionem omnium rerum afferre satietatem, atque in ea hominis consistere fœlicitatem, Philippus tamen simpliciter dicere voluit, nihil amplius ipsos requisituros, si daretur Patrem conspicere. Dominus autem Philippum à carnali illo reuocare volens intellectu, atque significare quomodo dixisset eos cognoscere, & vidisse Patrem, respondit, dicens:

Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouisti me? Sensus est,

Cum iam tanto tempore vobiscum fuerim & ex tanti temporis consuetudine me merito omnes cognoscere deberetis: an ni necdum me cognouisti Philippe· Te enim necdum me cognoscere apparet, qui Patrem tibi ostendi postulas. Qui enim videt & cognoscit filium, is & patrem videt atque cognoscit. Quomodo tu ergo dicis ostende nobis Patrem, quasi necdum videris. quem qui videt, videt & Patrem. Quod non sic intelligendum est vt Sabelliani intellexerunt, quod ipse esset & filius & pater, sed eo fere modo, quo de duobus sibi valde similibus dicere solemus; qui vnum nouerit, aut viderit, ambos nouerit, aut viderit. Non tamen solum ob similitudinem summam, quæ sit inter se & patrem hoc dixit, sed ob omnimodam naturæ identitatem, quod patet cum ad huius probationem subiicit:

Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? His enim verbis & significatur personarum Patris, & filij diuersitas, & rursum significatur naturæ omnimoda identitas. Probat autem Dominus istud ex verbis simul & operibus cum subijcit:

Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera. Quæ duæ sententiæ concisæ sunt, perficiendæ hoc modo. Verba, quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor, similiter nec opera quæ facio, facio ex meipso; sed Pater in me manens ipse facit opera, & similiter loquitur & verba. Ipse enim quatenus homo non finxit ex capite suo, quæ loquebatur, & secundum diuinitatem suam, sicut à seipso non erat, ita nec loquebatur, aut faciebat quicquam. Vis ergo argumentationis Christi, qua probat non tantum Patrem esse in se, sed etiam se esse in Patre, Patremque & se vnum esse natura, in eo consistit, quod dicit Pater in me manens, non autem Deus in me manens, significans Deum tanquam Patrem in ipso manentem facere opera. Cum autem hactenus Philippo singulariter locutus esset Dominus, vt qui suam peculiariter ruditatem rogando dempnstrauerat; sermonem deinceps ad omnes conuertit eadem adhuc ruditate laborantes, inculcans eis, quod modo vni dixerat Philippo.

An non creditis inquit, *quia ego in Patre & Pater in me est?* Græca pro non creditis, habent, credite mihi, quæ lectio magis conuenit ei quod sequitur. Alioquin vt sit hic sensus; Credite mihi dicenti, quod ego in Patre, & Pater in me est. Alioqui si mihi nō creditis, quia dico, cū tamē mētiri nequeā, credite saltē mihi propter ipsa opera. In hunc ergo sensum etiam nostra lectio accipi debet.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego, &c. Post digressionem, cuius occasio fuerat interpellatio Thomæ, & Philippi redit Dominus ad id vnde cœperat, occasione sumpta ex his, quæ de suis mox dixerat operibus. Cœperat enim eos prouocare ad fi-

ad fidem in se, qua cordis superarent turbatione & mœstos promissis rerum lætarum consolari. Ad hæc ergo hic modo redit, secundam adferens rationē, qua eos consoletur, intelligentes ipsum suo bono abiturum. Qui credit in me, inquit, opera quę ego facio, & ipse faciet. i. opera qualia ego iam hactenus feci, & ipse faciet, & maiora horum (pro his) faciet. Non necesse est, vt horum verborum occasione ostendatur Apostolos, aut alios maiora fecisse. Nam non voluit absolute significare Dominus fideles maiora facturos, sed facturos si peterent, qui non poterant id rectè petere, ni si iusta sese offerret occasio, nempe pro Dei gloria illustranda. Magistero suam in sequentibus insinuat diuinitatem, quibus rationē reddit eius quod modo dixit, credentes in se facturos eadē, imo & maiora. *Quia*, inquit, *ego ad Patrem vado*. In quibus solis verbis non consistit tota ratio, sed pars rationis est & id quod sequitur; *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam.* Significat enim ideo credentes in se facturos eadem, imo & maiora, quod ipse iam mundum relinquens vadat ad Patrem, apud quem regnans gloriosè facturus sit per fideles, quidquid illi peterent, etiamsi maiora peterent, quam ipse fecisset. Quamdiu enim cum Apostolis in mortali corpore degebat, non multa Apostoli operabantur miracula, sed ea per sese Dominus fere operabatur; nec tamen tanta, & tot, atque tam efficacia operabatur, quanta postea per Apostolos, cum iam sederet in dextera Patris, eo quod tempus illud, quo in carne vixit mortali, tempus erat humiliationis, quo non debuerat adeo inclarescere, & glorificari atque post crucem. Bene autem dicit in reddita ratione, quidquid petieritis, hoc faciam, non autem hoc faciatis: significans eos non eo modo, quo ipse fecisset miracula ædituros, virtute scilicet propria, sed se per eos operaturum, quidquid ipsi peterent, & facerent. Est autem petere in nomine Christi, petere aliquid fieri per inuocationem nominis, hoc est potentiæ, & bonitatis, aut meritorum eius. Et sunt generales hæ sententiæ intelligendæ cum conditionibus, quæ in similibus sententijs sunt subaudiendæ, vt dictum est circa illud Matth. 7. Omnis enim qui petit, &c. Ne autem putaretur filius Patris gloriam obscuraturus, suamque ipsum quæreret gloriā; sed contra potius intelligerent ipsum in omnibus Patris sui quærere gloriam.

Hoc faciam, inquit, *vt glorificetur Pater in filio*, id est, per filium. Gloria enim Patris est filij omnipotentia, & per miracula filij nomen Patris illustre factum est in vniuerso mundo.

Si diligitis me, mandata mea seruate. Alia iam ratione suos Dominus a mœrore auocat, aliaque pollicitatione iam eos tertio consolatur. Si, inquit, verè me diligitis, dilectionem hanc non ostendi vt dolendo de meo discessu sed seruando, & adimplendo mandata mea,

ta mea, mutuæ scilicet erga vos dilectionis, & fidei in me. Si enim diligentes me mandata mea seruaueritis, ego ad Patrem iam profectus rogabo eum, & pro me alium dabit vobis Paracletum, non vt ad tempus sit vobiscum sicut ego fui, sed vt maneat vobiscum in æternum, toto scilicet vitæ vestræ tempore, atque ad consummationem vsque seculi, imo & post mortem, ac seculi consummationem. Quis autem is sit explicat subiungens: *spiritū veritatis*, quo significat hunc non corporeum esse nec corporaliter, aut visibiliter cum eis mansurum, sed spiritualiter, & intuisibiliter. Hunc autem spiritum vocat alium à se paracletum non natura, sed subsistentia, & persona. Conuenientissimum autem fuerit intelligere Spiritum hic dici Paracletum non tantum ratione consolationis, nec tantum ratione aduocationis & intercessionis pro nobis (vtrumque enim significat παρακλητὸς) sed & vtriusque horum ratione, & propter alia item, quæ in hoc nomine continentur, quę vna Latina dictione sufficienter exprimi non possunt, nisi forte dictione Patronus, cuius est suggerere clienti, quæ sunt vtilia, atque ad ea adhortari, consolari mœrentem, & intercedere pro eo apud alios. Talem enim videtur omnino promittere Dominus his verbis, qui omnia discipulis præstaret, quæ ipse in carne præsens, eis præstiterat. Cæterum dicit se rogaturum Patrem, secundum humanam suam naturam, mira quadam dispensatione nunc de se tanquam homine, nunc tanquā Deo loquens, vt vtriusque fidem in nobis confirmaret. Declarat autem Dominus cur dixerit singulariter dabit vobis, subijciens:

Paracletus cur dicatur Spiritus.

Quem mundus non potest accipere, id est, quem homines mundani non possunt quandiu tales sunt accipere, *quia non vident eum*, hoc est non sciunt, nec cognoscunt eum, notitia supple perfecta, & affectiua, quia mens eorum tota detinetur in rebus vanis huius mundi.

Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit, Cognitionem sui vobis impartiens, & sua suggestione, & sua in vobis efficacia, atque operatione. Ne autem existimaretur Spiritus mansurus apud eos, sicut manet homo apud hominem extra eum existens, adiecit:

Et in vobis erit: Quo & insinuata est diuinitas Spiritus sancti quod diuinæ naturæ sit proprium esse in mentibus hominum, eas que inhabitare.

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Quarto iam eos alia ratione consolatur. Non relinquam, inquit, vos orphanos, id est, orbos mea præsentia, & veluti pupillos Patre destitutos: sed veniam rursum ad vos corporaliter quidem cum tertia die à morte resurrexero, spiritualiter vero cum post ascensionem in cælos, Spiritum sanctum vobis misero. Quare autem peculiariter se ad eos ventu-

venturum dicat declarat in sequentibus dicens:

Adhuc modicum, supple tempus est, & post illud *mundus iam me non videt*, id est, mundani homines me amplius non videbunt, nec corporalibus oculis sicut modo vident, nec spiritualibus, quia non credent in me. *Vos autem videtis*, id est, videbitis me, & corporalibus oculis cum resurrexero, & multò clarius oculis fidei, cum in cælos ascendero, & Spiritum veritatis à Patre acceperitis. Ideo autem videbitis me, *quia ego viuo*, id est, viuam resuscitatus à morte, & *vos viuetis*. Ad consolationem autem eorum facit, quod dicit eos victuros, ne putarent statim se interficiendos.

In illo die cum me videbitis resuscitatum, *vos cognoscetis* clarè, quod modo obscurè cognoscitis *quod ego sim in Patre meo*, hoc est vnum sum cum eo, quodque ad imaginem vnionis meæ cum Patre etiam vos estis in me, & ego in vobis. Quomodo autem fideles sint in Christo, & Christus in ipsis, dictum est in cap. Conc. 59. cir ca illud. Qui manducat meam carnem, &c.

Qui habet mandata mea & seruat ea, &c. Cum prius locutus sit in secunda persona, nunc loquitur in tertia dicens: Non ea ratione declaratur vera erga me dilectio si, vt nunc vos, aliquis tristetur de meo abitu, sed qui habet mandata mea (repetit enim oftensionem dilectionis suę consistere in obseruatione mandatorū suorū) edoctus scilicet ea à me, & deinde quæque didicit ea etiam seruat opere ea adimplendo; ille est qui verè me diligit. Qui autē me diligit, id fecerit cum magno salutis suæ cōmodo. Diligetur enim vicissim à Patre meo, sed *& ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum*; quia & per Spiritus mei afflatum, mei cognitionem & contemplationem in animum ipsius insinuabo, & post hanc vitā me ei facie ad faciem videndum exhibebo.

Dicit ei Iudas non ille Iscariothes; Domine quid factum est, &c. Verisimile est Iudam illud nunc interrogasse, propterea, quod cum regnum Christi existimarent declarandum palam toti mundo, & Christus solitus esset sua dona promittere communiter omnibus, nunc in illis Domini verbis hæsitauerit, quibus dixit se illis dumtaxat manifestaturum seipsum, mundum autem amplius se non visurum. Iudas ergo carnale adhuc Christi somnians regnū, & crasse Domini verba intelligens sicut & Thomas, & Philippus. Domine, inquit, quid factum est, id est, quid nunc accidit, aut quid causæ est, quod te nobis, & non mundo es manifestaturus, cum hactenus crediderimus te post resurrectionem palam in toto regnaturum orbe & restiturum regnum Israel. Dominus autem continuando sermonem, & inculcando quod dixt prius, & si non videatur apertè quæstioni respondere, indicat tamē, quo id pacto sit futurum, & quare.

Si quis, inquit, *diligit me sermonē meum seruabit*, id est opere adimplebit,

plebit, & ideo vicissim *Pater meus diliget eum*, & in signum dilectionis is simul & ego *ad illum veniemus*, & mansionem apud eum habitationem faciemus. Quibus verbis indicat talem fore sui manifestationem quam supra promisit, qualis est Dei ad homines aduentus, & mansio, atque manifestatio nimirum spiritualis, & non corporalis, atque visibilis: loquiturque de se & Patre ad similitudinem amicorum qui inuisere gestiunt eos, quos diligunt, & habitationem apud eos deligere.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat, &c. Indicat causam quare non sit se manifestaturus mundo, nempe quod cum non diligat eum, sermones eius non seruet. Et vt intelligatur quare qui suos seruat sermones à Patre sit diligendus, qui vero non seruat, nō sit diligendus, adiecit:

Et sermonem (pro sermo) *quem audistis, non est meus* originaliter *sed eius, qui misit me Patris*: significans non sibi tantum, sed & Patri iniuriam inferri ab his, qui non obseruant sua mandata: & contra non se tantum, sed & Patrem honorari ab his, qui seruant mandata: ac ea de causa hos quidem à Patre diligi, illos verò negligi.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem, &c. Declarauerunt Apostolorum plerique, Petrus scilicet, Thomas, Philippus, & Iudas se non assequi profunditatem verborum Christi; quare ne eos cruciaret propria tuditas, & pergerent pleraque scisciatari, quæ tunc capere non poterant; cum iam esset veluti finem facturus sui ad eos sermonis, promittit eos percepturum ad ipsos, de quo dixerat, Paracletum, & omnia intellecturos, quæ iam assequi satis non poterant, & discituros omnia, quæ possent requirere, & commonefaciendos omnium (hoc est enim quod dicit suggeret vobis omnia) quæ ipse eis dixisset. Dicit ergo Patrem missurum Spiritum in suo nomine, aut quia missurus erat in locum suum, aut in eius gratiam, qui pro Spiritu hominibus impartiendo Patrem erat rogaturus. [Cæterum quemadmodum ex Christi doctrina primum aperte mundo declaratum est indiuinitatis subsistere Patrē & Filium in duabus personis: ita ex eiusdem doctrina, & maximè ex his, quæ in hoc sermone dicuntur de Spiritu sancto, mundo apertè declaratum est Spiritum sanctum in diuinitate etiam subsistere distinctum personaliter à Patre & Filio.]

Spiritus sancti personalis in diuinitate distinctio.

Augus. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, &c.* Redit nunc ad propositam mœstorum Apostolorum consolationem: quāuis & in his, quæ mox præcedunt quintam rationem consolationis indicauerit, cum pollicetur Spiritum omnia eos docturum. Nunc ergo sexta eos consolatur ratione, dum pacem, idque suam eis se dicit relinquere, & dare, quam rectè eis dat post promissum Spiritum, quia fructus Spiritus, ait Paulus, est Charitas, gaudiū, pax, &c.

Hæc

Hæc autem pax Christi tria in se includit, nempe pacem hominis cum Deo, pacem hominis in seipso, pacem hominis cum proximis: quorum trium posterius semper nascitur ex præcedenti. Ex quo inclutetum quod additur. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.

Pax Christi sit tria in se inclutetum.

potest accipi vt simpliciter intelligatur Dominus indicare quare dixerit, meam, & sit sensus: Non talem pacē do vobis, qualem mundus, hoc est homines mundani qui dāt pacem tēporalem, & externam, & proinde nec veram, nec solidam: ego vero spiritualem, & internam, & proinde æternam, & veram. Bene autem postquam dixisset, Pacem relinquo vobis, repetendo adiecit: *Pacem meam do vobis*, addens iam meam, & pro verbo relinquo, substituens do: vt explicaret de quali loqueretur pace, & significaret se autorem huius pacis, ne putaretur relinquere rem non suam, sed alienā. Hæc autem Pax Christi tanto perfectius in hac vita habetur à fidelibus, quanto eorum quisque habet Spiritum sanctum, perfectissimè autem ab omnibus habebitur in patria, quando nulla erit in ipsorū membris repugnantia contra Spiritum, nec aliqua animorum in sententijs, aut desiderijs diuersitas.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet, &c. Cum iam varijs, & potissimum sex rationibus, suos Dominus fuisset consolatus, repetit iam vnde cœperat, & propter quod persuadendum omnia hactenus dixerat. Duo autem dicit, vt scilicet non turbentur neque formident: quia Apostoli non solum turbabantur mœrore ob abitum Domini, quem diligebant, sed etiam ob illum abitum sibi timebant, ne ab illo essent deserendi, & ne multa sibi mala essent obuentura. Repetit autem vnam ex precipuis rationem, ob quam meritò non deberent turbari.

Audistis, inquit, quia ego dixi vobis, vado, & venio ad vos, &c. q. d. Quamuis dixerim me abire à vobis, non est tamen quod turbemini, quia ego qui dixi me abire, dixi etiam me venturum ad vos. Sic exclusa hac sententia turbatione ex parte ipsorum, ostendit iā cur non deberent etiam turbari & dolere ex dilectione erga se abeuntem, dicens:

Si diligeritis me, tantum abest, vt audientes me dicentē quod ad Patrem vadam, dolere deberetis, vt potius gaudere & cōgratulari mihi deberetis, quia ad maiorem me abeo, apud quē proinde magno sum afficiendus honore, qui modo apud homines viuo inglorius. Cæterū, quod dicit Dominus, Pater maior me est, intelligitur hoc asserere secundum humanam formam serui. Et omnino sic accipiendum ideo videtur, quia secundum id videtur Patrem se dicere maiorem, secundum quod ibat ad Patrem. Ibat autem non secundum diuinitatem, sed secundum assumptam à se humanam naturam.

Et nunc dixi vobis priusquam fiat, &c. Quod scilicet vado ad Patrem

trem, non quod gaudeam vestro dolore, sed propter vestram vtilitatem: vt scilicet cum factum fuerit, quod modo dixi credatis fi mius in me, dum videbitis nihil mihi fuisse incognitum, & in om nibus semper fuisse veracem. Cum autem hactenus eos fuerit con solatus, & rationes doloris eorum euertisset, & causam prædictionis vnde dolorem illum conceperant, attulisset: finem huic sermoni imponere volens subiecit:

Iam, id est deinceps, *non multa loquar vobiscum. Venit enim*, id est jamiam venturus est per suos satellites princeps huius mundi diabolus ad me comprehendendum & occidendum: *& in me non habet quicquam*, hoc est, nihil habet in me iuris, sicut habet in aliis ratione peccati: *sed vt cognoscat mundus, &c.* Sēsus est: Quanquam nihil in me habeat iuris diabolus: tamen vt cognoscat mundus quod diligam Patrem, & quodsic faciam sicut mandauit mihi pater, *Ideo surgite, & eamus huic* obuiam satellitibus eius. Sic distinguit sanctus Augustinus. Et Nonnus conuenientissimè: Ideo enim & postea hostibus suis occurrit Dominus dicens Apostolis: Surgite eamus, ecce appropinquauit, qui me tradet: vt mundus intelligeret promptam Christi ad subeundam mortem obedientiam secundum Patris voluntatem.

Continuatio sermonis. Ioan. 15. & 16.

CAPVT CXXXV.

EGO *sum vitis vera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus adferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum adferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. maiorē hac dilectionē nemo habet, vt animā suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico*

dico vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo det vobis: hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis. Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum nō haberent, nunc autē & viderunt & oderūt, & me & patrē meū. sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Cùm autem venerit paracletus quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum Ca. 16.
estis. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. & hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me. Quò vadis? sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implecit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam: si enim nō abiero, paracletus nō veniet ad vos: si autem abiero, mittā eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundū de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet pater, mea sunt, propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non videbitis, & iterum modicum & videbitis me, & quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid est quod dicit modicum, nescimus quid loquitur. Cognouit

autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autē gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, cùm autem pepererit puerum, iam non meminit præsuræ propter gaudiū, quia natus est homo in mundū. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autē videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in illo die me non rogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenū. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrē de vobis, ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre & veni in mundū, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palā loqueris, & prouerbium nullū dicis, nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi: Respondit eis Iesus: Modo creditis? ecce venit hora & iam venit vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum reliquetis: & non sum solus, quia pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo præsuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.

Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Superiori sermone hoc vnice agebat Dominus, vt de recessu suo mœstos consolaretur Apostolos; isto vero qui planè nouus est, quemque ad suos iam ad eundum paratos exorsus est, primum quidem monet, vt in se perseuerantes maneant fide, & dilectione, deinde vero & de tribulationibus quæ ipsis superuenturæ erāt præmonet, ac postremum per promissionem mittendi ad eos paracleti leniit tristitiam eorum de suo abitu, & metū ob venturarū tribulationū. Ad primum ergo horum suos adhortaturus Dominus assumit à corporalibus rebus metaphoram ad illud conuenientissimam, comparans sese viti, Patrē agricolę, fideles palmitibus, quo sensibili quodā exemplo significaret ita fideles à se pendere, sicut palmites à vite, & Patrem ita se exhibiturum erga fideles, sicut se gerit vinitor erga palmites. Non est autē Christus vitis, quatenus tantū cōsideratur vt homo, sed quatenus homo talis, qui etiam est Deus. Hinc enim est, quod ipse fidelibus per vnitatem naturæ coniunctus, tanquam palmitibus influat suam, qua ipse viuit vitam, ac suum, vt ita dicam, humorem, suorumque operum sanctificationem. Hæc autē vitis plantata est à Deo Patre in terra, cum filium suum in vtero virginis humana induit natura. Proinde bene subiecit: *Et Pater meus*

meus agricola est. Ipse enim est qui hanc vitem non tantum plantauit, & rigauit, semperque excoluit, sed qui etiam ei semper dedat, & dat suum incremētum. Patrem tamen se habere vt agricolā respectu huius vitis, non declarat ex plantatione, aut alijs actibus viti impensis, sed magis ex eius circa vitis palmites officijs: quod ita conueniret suo scopo, vnde adiecit:

Omnem palmitem in me non ferentē fructum, tollet eum, &c. Hoc est, quemadmodum vinitor infrugiferos vitis palmites amputat è vinea, frugiferos autem repurgat, superflua resecando, vt sic plus fructus proferant: ita & Pater meus inflat agricolę omnem eum, qui per fidem, & baptismum ex me germinauit, & mihi tanquam palmes insitus est, & inheret, sed tamen fructum bonorum operum nō profert, tollet, & extra communionem, quam mecum habeat, ponet: contra vero omnem eū, qui in me fert fructum virtutum, repurgabit, vt repurgatus plus, id est, copiosius afferat fructum. Tollit autem Deus à vite infrugiferos palmites: & dum in hac vita aut apertè, aut occultè eos sinit excidere à consortio Christi, & communione spiritus ipsius, & dum per mortem eos separat à Christi sanctorumque consortio. Purgat autē eos velut quodam gladio superflua resecans, dum siue interiori suo afflatu, siue externis afflictionibus eos agitando, tollit radices malarum cupiditatum, & affectuum, & à commissis mundat peccatis: quo fit vt plus virtutum proferant Deo, sibique maiorem meritorum colligant cumulum.

Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus, &c. Quoniā dixit patrem purgare palmites infructiferos; ideo vt significaret eos esse tales palmites, atque hinc procederet ad exhortādum eos, vt in se perseueranter manerēt, ad quod tendebat assumpta ab eo vitis similitudo; subiecit; Iam vos mundi estis, & purgati, & subla to ex vobis Iuda proditore palmite infrugifero, nemo est in vobis iam immundus, sed omnes estis mundi, idq; propter, & per sermonem, *quem locutus sum vobis*, id est, doctrinam Euangelicā cui credidistis, & quæ animos vestros ad studium veræ pietatis inflammauit à mundi vos fœditate separans. Vnde iam adhortando ad id propter quod similitudinem hanc assumpsit, subijcit;

Manete in me, & ego in vobis. Quod rectè intelligitur subiunctū illatiuè, quod autem additur, *& ego in vobis*, rectius intelligitur etiam præceptiuè, vt subintelligatur verbum maneam, & sit sensus, Manete in me, & ego maneam in vobis, hoc est, curate vt & vos in me, & ego maneam in vobis. Sic enim intelligendum patet ex ea quæ sequitur sententia;

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Adfert autem rationem persuasiuam ad manendum in se, quasi dicat: Manete in me, quia sicut palmes non potest ferre fructum à

semetipso nisi, id est, sed tãtum si manserit in vite: sic nec vos fructum Deo gratum poteritis proferre, nisi in me manseritis. Ostendere autem volens quam rectè ea vsus sit similitudine, subiecit:

Ego sum vitis, vos palmites. Et si enim prius se vitem dixerat, nec dum tamẽ explicauerat eos esse palmites, proinde hic vtrumque rectè dixit ad probationem allatæ similitudinis. Cum autem Dominus iam attulerit rationem inductiuam ad manendum in se ex negatione fructus in his, qui non manent in se, secundam iam subijcit rationem inductiuã ad idem, ex promissione fructus proferendi ab his, qui manent in se.

Qui, inquit, *manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ, &c.* q.d. Qui non manet in me, non potest ferre aliquem fructum, cõtra vero, qui manet in me, & me habet manentem in se, hic fert fructum multum, vt ob id duplici nomine curandum vobis sit, vt in me maneatis. Debet autem in hac sententia pronomen hic, accipi emphaticè, hoc sensu, hic solus, & non alius fert fructum: quia alioqui non rectè cohæreret, quod pro ratione subijcitur, *quia sine me nihil potestis facere*. Hæc enim verba probant solum eum posse ferre fructum, qui manet in Christo.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes. Duplici nunc ratione efficacius inducit ad manendum in se, ostendendo & mala, quæ obuenient non manentibus, & bona quæ consequentur manentes. Si quis inquit in me non manserit, constanti fide, & dilectione, hic non tantum nullum proferet fructum, sed etiam ob suam sterilitatem proijcietur foras extra sanctorum consortium, sicut inutilis palmes ejicitur extra vineam, & ejectus arescet, perdens omnem, quem ex radice & sanctorum consortio habuit gratiæ humorem: quia autem aridus inuenietur, Angeli colligent eum cum alijs, qui inutilibus sunt similes sarmentis, & in ignem gehennæ scilicet proijcient eum. Ejicitur ergo quis foras etiam in hac vita, dum iusto Dei iudicio, aut apertè per hæresim, vel schisma permittitur excidere à corpore Christi, quod est Ecclesia, aut etiam si in Ecclesiam maneat occulte relinquitur sibi ipsi, nec Spiritu Christi cum alijs amplius viuificatur. Huiusmodi ejectionem necessario sequitur ariditas ex destitutione gratiæ Dei. Simul tamen hæc ejectio potest intelligi fieri in morte. Huic autem seueritimæ commination contra non manentes in se, subiungit Dominus è regione dulcissimam promissionem pro manentibus in se dicens:

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, &c. Non solum fructum multũ proferetis, sed quodcũque volueritis petetis, & fiet vobis. Nihil enim indignum tunc velle aut petere poteritis, & quia Deo eritis charissimi, nihil petetis, quod ille sit negaturus. Indicat autem, qua ratione possint in se manere, nimirum si verba

si verba eius in ipsis maneant, quemadmodum postea explicat dicens:

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Verba Christi manere in nobis est eius præcepta manere in memoria nostra, & affectu, memores semper mandatorum ipsius ad faciendum ea.

In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum, &c. Cum iam quatuor attulerit rationes inductiuas ad manẽdum in se, causam iam indicat huius sui tanti desiderij; simulque quintam indicat rationem inductiuam ad manendum in se, nempe quod ob gloriam Dei Patris sui tam studiosè inculcet eis vt in se maneant; quodque ob eam etiam merito debeant manere in se. Duo autem dicit vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli: quia supra significauit proprium esse manentibus in se ferre multum fructum, & habere verba sua manentia in ipsis; quæ tamen eodem redeunt.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, &c. Est alia ratio inducens ad manẽdum in se. Similitudo autem huius dilectionis cum Christi erga Apostolos dilectione in eo consistit, quod quemadmodum Pater Christum hominem gratia sua præuenit, dedit-que ei varia edere signa, assistens ei in omnibus, atque illi gloriam super omnes in dextera sua præparauit: ita & Christus sua electione & gratia præuenit suos, varijsque eos dedit inclarescere signis, atque suæ in cælestibus glotiæ consortium eis præparauit. Hæc ergo dilectione erga suos insinuata, subiungit;

Manete in dilectione mea. q.d. Ergo quandoquidem non simpliciter vos dilexi, sed eo modo, quo me dilexit Pater, cuius qualis sit erga me dilectio ex multis hactenus intelligere potuistis, & adhuc intelligetis: ideo curate persistere in mea vos dilectione, quæ non poterit vobis non esse multorum imo omnium causa bonorum. Quomodo autem manere possint in illa dilectione ostendit, subijciens.

Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, qua vos cœpi diligere. Et ne dura videri possit hæc conditio, se in exemplum proponit, significans non alia ratione se manere in Patris erga se dilectione, quam per mãdatorum ipsius obseruationẽ. *Sicut*, inquit, *& ego Patris mei præcepta*, hactenus semper seruaui, obediens ei in omnibus quæ mihi mandauit vt facerem pro hominum salute, & hac ratione permaneo in eius erga me dilectione. Vt autem intelligerent discipuli Dominum non ob propriam vtilitatem sed propter illorum bonum tam studiosè, tamque variis rationibus eos inuitare ad manendum in se, subiecit;

Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit &, &c. In qua sententia illud quod dicitur, Gaudium meum, varie intelligi-

tur. Cæterum si spectemus similem locum, qui postea est in cap. Ioan. 17. Hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis: videtur præsentis loci hic esse sensus: Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum, quo ego gaudeo in Patris erga me dilectione, quodq; meo munere cœpit esse in vobis, sit in vobis perseueratèr, & gaudiũ illud vestrũ impleatur. Qui sensus & cõuenit illi loco Ioannis, & his quæ hic præcedunt. Ex parte autem impletum est in eis gaudium illud per Christi resurrectionem, & spiritus sancti missionem, perfectissime autem impletur in æterna felicitate. Et quoniam ad mandatorum suorum inuitauit Dominus obseruationem, & dicere quis posset, quæ essent ea mandata, subiecit: Hoc est peculiariter, & propriè præceptum meum, in quo alia ferè continentur mea præcepta, *vt diligatis inuicem*. Quo autem ad mutuam hanc dilectionem magis prouocaret, rursum suæ dilectionis exemplum eis proponit, in quo & modus indicatur dilectionis, sicut supra dictum est, *Sicut*, inquit, *dilexi vos*. Bene autẽ suã dilectionẽ se illis in exemplũ proponere significat sequenti sententia, nimirũ quod sua illa dilectione nulla sit maior.

Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam, &c. Sensus est, hac dilectione, nimirum vt animam suam quis ponat, hoc est ea dilectione qua quis animam suam ponit, aut ponere est paratus, nemo habet maiorem dilectionem. Potuisset vtique Dominus dixisse se ex nimia charitate erga nos animã suam pro inimicis suis positurum: sed non conueniebat vt Apostolos suos esse significaret inimicos (dixerat enim, sicut dilexi vos,) vt qui nõ diligebantur tantum, sed etiam diligebãt. Porro quia de amicis facta est mentio, ex ipso vocabulo Dominus accipit occasionem rursum adhortandi eos ad mandatorum suorum obseruationem, in quo persuadendo hactenus hic eius sermo consistit.

Vos, inquit, *amici mei estis si feceritis, quæ ego præcipio vobis*, id est, vos eritis perseueranter amici mei, hoc est, a me perseueranter diligemini. Sic enim vt (*estis*) exponatur, requirit verbum sequens *feceritis*. Rursum ex eodem amici vocabulo Apostolis attributo ostendit suam erga illos eximiæ dilectionis dignationem, vt sic ad redamandum vicissim magis illos prouocaret; vnde subijcit:

Iam non dicam vos seruos. Græcis est, dico per præsens, vt intelligi possit Dominum tantũ hic significare, quare modo eos dixerit amicos, non autẽ seruos. Cui intelligentiæ cõuenit quod sequitur, vos autem dixi amicos. *Quia*, inquit, *seruus nescit quid faciat Dominus eius*, hoc est, Seruus scit ratũ quid sibi Dominus imperat, nescit autẽ quid Dominus facere intẽdat, nescit eius secreta consilia. Et hæc autẽ vulgaci, & generali sententia (cuiusmodi nõ est necesse vbique & in omnibus veras esse) Dñs declarat quare suos non iam seruos, sed amicos vocauerit, cũ subijcit: *Quia omnia quæcunq; audiui a Patre meo, nota feci vobis*. Loquitur de se tãquã de fideli aliquo legato, qui omnia quæ accepit alijs dicenda illis exponit, nihil per odium reticens. Proinde intelligendum est de his loqui, quæ sic accepit à Patre, vt ea hominibus in carne passibili annunciaret. Cæterum quo magis adhuc suæ erga Apostolos dilectionis dignationem commendaret, subiecit:

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Significans suam erga illos dilectionem, non ab illorum cœpisse merito, sed à sua gratuita beneuolentia, & beneplacito. Commẽdat autem hanc suam electionem ex ipsius fine, & vtilitate.

Ego, inquit, *elegi vos in amicos meos, & posui vos*, id est, cõstitui vos, vt eatis, i. proficiatis, & crescatis, aut vt eatis ad prædicandum in vniuersum mundum, & fructũ afferatis non quemuis, sed perpetuum, & vt sic in me fructificantes impetretis à Patre quidquid petieritis inuocato meo nomine, quemadmodum euenturum vobis prædixi, si manseritis in me. Rursum redit ad declarandũ deinceps quod dixerat, vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Subijcit enim.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem, frequenter idem alijs verbis repetens vt inculcaret hrmius proprium Euangelicæ doctrinæ Præceptum mutuæ dilectionis. Emphasim ergo habet non paruã quod plurale illud, hęc mando vobis, explicetur per vnum præceptum, & per tale præceptum;

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. In sequentibus mala quæ à mundo suis erant obuentura prędicit, & contra ea duabus potissimum rationibus munit: quarum prior sumitur ex exemplo sui ipsius, altera ex causa odij mundani. Dicit ergo; Quanquam mundus vos odio habeat, non tamen propterea aut à mei, aut à mutua dilectione excidatis, sed quo possitis contra illud odiũ persistere infracti, scitote, id est, perpẽdite, quod & me odio habuit, *priorem vobis*, id est, priusquam vos, vel me primũ vestrum, hoc est me qui inter vos sum primus, & princeps. Sic enim dupliciter accipi potest Græcum πρῶτος ὑμῶν & nostra lectio, si accusatiuus priorem referatur non ad tempus, sed ad dignitatem. *Cyrillus Caiet.*

Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, &c. Alia iam ratione eos contra odium mundanum munit, causam huius odij insinuans, quę sit plausibilis, & salutaris. Si de mundo inquit, id est, de numero hominum mundana sapientium fuissetis, mundus, id est, homines mundani, quod suum erat diligeret. Quia vero non estis mundana sapientes, sed ego elegi vos de numero mõdanorum hominum, ideo odiunt vos hi, qui mundus dicuntur, quia quæ huius mundi sunt, sapiunt.

Memẽtote sermonis mei, quẽ ego dixi vobis, &c. Redit hic ad priorẽ rationẽ prouocans eos rursum ad considerationem proprij exẽpli, quo vt efficacius moneantur, vult eos memores esse vulgaris illius sententiæ, qua aliquoties ad suum vsus est propositum. Non est seruus maior Domino suo. Bene ergo ex ea infert:

Si me persecuti sunt, & vos persequẽtur. Sicut enim cũ de dilectione loquitur, de tali loquitur, quæ operibus declaratur: ita & cum de odio mundi loquitur, de tali loquitur quod externis erat declarandum persecutionibus. Addit autem,

Si sermonem meum. i. doctrinam meam seruauerunt, & vestrum seruabunt: significans per contrarium sensum, quod quemadmodum non seruauerunt suum sermonem, nec illorum sint seruaturi. Priore autem hac ratione ex consideratione proprij exempli pertractata, redit Dominus ad secundam etiam rationem, qua superius eos contra mundi odium præmuniuit, suggerens eis rursus plausibilem & salutarem mundani odij & persecutionis causam.

Sed hæc omnia, inquit, quæ vobis ad exẽplũ mei euenient, homines facient vobis propter nomen meũ, quod scilicet in vobis odio prosequẽtur & persequẽtur. Porro ne videri possent homines iuste persecuturi Apostolos propter nomẽ Christi, addit: *Quia nescũt eum qui me misit*: significans homines non iusta de causa nomen suum persecuturos, sed ex ignorantia Dei, ignorantes videlicet, & nescientes, quod Deus illum miserit. Ne autem isti videri possent, excusabiles, quia per ignorantiam essent fideles persecuturi, ostendit eos omni carere venia, & excusatione, idque dupliciter, nempe & ob suam doctrinam, & ob sua opera: quod ideo tam diligenter ostendit, vt tanto magis libeat Apostolis propter nomen Christi odia hominum & persecutionem pati, quanto magis intelligũt eorum odium & persecutionem esse iniquam. Primum ergo à sua doctrina ostendit eos inexcusabiles dicens: *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, ex eo scilicet quod non credunt in me, sed odiunt nomen meum, & illud in vobis persequuntur. Nunc autẽ cum venerim ad eos, & locutus eis fuerim doctrinã, quæ secundum Prophetarum vaticinia declararit me esse Messiam, non habent excusationem pro peccato suo scilicet incredulitatis, & odij in me, ac persecutionis vestræ propter nomen meum. De huiusmodi enim singulariter peccato Dominum hic loqui patet ex præcedentibus, propter quæ hæc introducuntur. Deinceps autem ostendit quam graue peccatum sit huiusmodi odiũ, eo quod redundet in odium Dei. *Qui*, inquit, *me odit*, hoc ipso etiã Patrem meum odit, eo quod vna sit mihi cũ illo natura, quod que eius sit ipsa doctrina propter quam me odiunt homines. Deinde & à suis operibus ostendit eos fore inexcusabiles dicens:

Si opera non fecissem in eis, id est, inter eos, & ipsis videntibus, *quæ* id est, qualia nemo alius fecit ante me, non haberent peccatum. Nunc autem & viderunt me fecisse talia opera qualia nemo fecit, ex quibus proinde merito secundum Prophetarum vaticinia intelligere debuissent me esse Messiam, & tamen oderunt me, & ex consequenti etiam Patrem meum cuius sunt ea opera propter quæ me oderunt. Cæterum quoniam iam quæri poterat cur tam iniquum odium contra Christum ex Dei sit permissione excitatum, subiecit:

Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est de me, nempe: *Odio habuerunt me gratis*, id est sine iusta aliqua causa, supple, ideo ex Dei permissione odium hoc contra me est excitatum. Est autem hoc testimonium scriptum Psal. 68. Vbi legimus. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Et rursum Psal. 34. Qui oderunt me gratis, & annuunt oculis, proinde homen legis hic accipitur generaliter pro toto veteri testamento.

Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis, &c. Odio Iudæorum contra se opponit testimonium Spiritus de se, quo magis adhuc declarandum erat illorum odium iniustum esse, & irrationabile. Potest autem istud intelligi. De testimonio Spiritus per opera miraculorum, quæ in Apostolis, & per Apostolos erat editurus ad gloriam nominis Christi. Potest etiam intelligi de testimonio Spiritus in cordibus Apostolorum, & omnium fideliũ, docentis eos claritatem Christi: *Non solum*, inquit, *ille testimonium perhibebit de me*, sed & vos illo accenti testimonium perhibebitis de me, quia ab initio prædicationis meæ, & retum à me gestarum mecum estis, quare idonei eritis, qui testificemini de me. Circa illa autem verba, *Quem ego mittam vobis à Patre*. Spiritum veritatis, qui a Patre procedit: primum notandum Christum paucis Trinitatis mysterium complexum dum Spiritum dicit mittendum se missurum, sed à Patre. Dicit autem se missurum illum à Patre, quia Spiritus primo est, & procedit à Patre, & quia ipse filius à Patre habet, quod Spiritum mittat. Mitti autem dicitur aliqua persona diuina, dum alicubi incipit esse nouo modo, quo ibi prius nõ erat. Sic Spiritus sanctus dicitur mitti, cum alioqui sit vbique, quia per suam gratiam & efficaciam nouo modo incipit esse in hominibus. De visibili autem Spiritus missione intelligendus est hic locus, cum sub signis quibusdam visibilibus in die Pentecostes Spiritus datus est Apostolis. Porro paracletum vocat nunc rursum Dominus Spiritum veritatis, idque appositè, vt quia illum dicit perhibiturum testimonium, ostendat eum fide dignum. Cæterũ quod sequitur. *Qui à Patre procedit*, magnam præbuit quibusdam contentionis occasionem. At si rectè perpenderimus, videbitur hic locus simpliciter accipiendus de temporali Spiritus ad creaturas

Quomodo dicatur mitti aliqua persona diuina

Universidad de Deusto
Biblioteca

Beda. Nonnus. processione, hoc est de eius missione. Sicut enim nunc Dominus dicit Spiritum procedere à Patre, ita supra cap. 8. de se dixit, Ego ex Deo processi. Id autem magis de processione Christi temporali, quam æterna accipiendum, patet ex sequentibus.

Hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini. Pronomen hæc, videtur referendum ad ea quæ prius dicta sunt de odijs, & persecutionibus, propter nomen Christi perferendis: vt intelligatur hic Dominus reddere causam; quare tam tristia eis prædixerit. Cum autem in præcedentibus Dominus in genere dixisset suos odia, & persecutiones passuros; nunc species quasdam persecutionum explicat, easque duplices iuxta duplex malorum genus. Est enim malum calumniæ, & ignominiæ, est & malum pœnæ atque supplicij. Ad calumniæ, atque ignominiæ malum pertinet quod primo loco dicitur: *Absque Synagogis facient vos*; Græcè est ἀποσυναγώγους hoc est alienos à Synagoga, aut excommunicatos.

Sed venit hora vt omnis qui interficit vos. Pro coniunctione sed, quæ aliquam obscuritatem adfert hoc loco, Græca dictio ἀλλὰ etiã Cyrillus. verti potest per imo, aut quinetiam, quo modo sensus erit conuenientissimus, nempe ille: Excludent vos à Synagogis suis, imò, quod amplius est, venit hora, id est instat iam tempus, vt omnis qui interficit vos, arbitretur se Deo obsequium, hoc est, cultum præstare, aut sacrificiũ offerre. Est enim Græcis χρείαν παρέχειν. Significatur autem hac sententia maximum supplicij & pœnæ malum, quemadmodum superiori maximum ignominiæ malum significabatur; proinde sub his duabus persecutionis speciebus omnia alia mala comprehenduntur. Ne autem Apostolos contristaret, quod eorum cæsa reputanda esset cultus Dei & sacrificiũ, sed intelligerent illam suorum persecutorum existimationem esse erroneam, bene subiecit Dominus,

Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. Non solum quia non nouerunt Deum sub nomine Patris dicit illos Patrem non nouisse, sed etiam quia Dei non habuerunt rectam notitiam; qua quoniam caruerunt, nec ipsum Christum agnoscere potuerunt.

Sed hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora eorum, &c. Adversatiua coniunctio, sed, quæ & hic videtur duriè posità, refertur ad tristitiam, quæ in Apostolis causari posset ex audita imminentium malorum prædictione, significatque non obingeretem dam tristitiam hæc eis Dominum locutum. Genitiuũ autem eorum referendum ad verbum reminiscamini patet ex Græcis hoc sensu, vt cum venerit hora, i. tempus illud, quod nunc dixi instare, tũm reminiscamini eorum, id est, earum rerum, quæ modo locutus sum. Subijcit deinceps causam, quare hæc ipsis non prius fit locutus.

Hæc

Hæc autem, inquit, *vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* Quia scilicet per meam præsentiã ab his malis liberi hactenus fuistis, & in me totum præsium vertebatur: proinde non erat necesse de his tũc vos prænonere sicut modo quãdo mea destituemini præsentia, & de me testimoniũ perhibere debebitis mũdo reclamãte.

Et nunc vado ad eum qui misit me. Græca habent, nunc autem pendet enim adhuc hæc pars cum præcedenti, & ratio indicatur quare quod ab initio non dixit, modo eis dixerit: Cum autem prædictione sui abitus, & malorum quæ post illum erant obuentura videret suorum animos, nimia repletos mœstitia, ad consolationem conuertitur; in qua reliqua fere sermonis pars consistit. Quod autem dicit: *Nemo ex vobis interrogat me quo vadis.* Cum & Petrus & Thomas hoc antea interrogauerint: Dominus amicorum more his verbis mœstos Apostolos pronocat ad familiares interrogationes, notans eos quod præ nimia mœstitia iam cessarent pœnitus ab huiusmodi interrogationibus, ex quibus vtilitatem aliquam percipere possent, & à mœrore suo libetari. Itaque subiungit:

Sed ego, qui ipsa sum veritas, quique fallere nequeo, *veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam à vobis*, & vadam ad eum qui misit me. Si enim non abiero, paracletus ille, de quo iam aliquoties dixi, & per quem multa vobis promisi, non veniet ad vos. Si autem abiero ad Patrem, mittam eum à Patre ad vos. Duplici autem de causa Spiritum sanctum non potuisse venire ad Apostolos, nisi Christus abiret, dictum est circa illud Ioannis. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat, &c.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, &c. Ne dicant se malle ipsius præsentiam, quam Spiritus pro ipso aduentum: ostendit ipsius paracleti officium & fructum. Quoniam autem admodum obscurus est hic locus; sciendum verbum arguet, hic accipi posse aut pro corripere, confutare, & redarguere, aut pro certis argumentis demonstrare, & conuincere. Nam & hoc significat Græca dictio ἐλέγχειν. Et quidem si priori modo accipiatur: tunc in ablatiuis illis, peccato, iustitia, & iudicio subaudienda sunt adiectiua diuersa hoc modo; arguet mundum de peccato admisso, & de iustitia spreta vel neglecta, & de iudicio item spreto, vel neglecto. Si vero verbum arguat posteriori modo accipiatur, sensus erit facilis, certissimis argumentis eum ipsius mundi reprehensione conuincet eum de tribus illis, peccato, &c. Omnino autem videtur Dominus hic loqui de sua iustitia quæ declaranda erat per ipsius ad Patrem abitum. Per hoc enim quod Spiritus post Christi ascensionẽ fidelibus tam mirabiliter, & efficacitet datus est, quodque per eum

Nonnus. Chrysost.

fideles

fideles tam mirabilia sunt operati, morbos, dæmonesque pellentes, ac totum mundum à paterna religione ad Christi fidem trahentes: declaratum est mundo ipsa re & peccatum non credentium in Christum, & iustitia Christi, & iudicium, condemnatioque diaboli.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare, &c. Cum de subtilioribus quibusdam fidei mysteriis in his quæ mox præcedunt, disserere cœpisset, sciretque Apostolos pro illo tempore nõ esse capaces, longioris de illis sermonis, aut apertæ eorum explicationis sermonem imputans omnium cognitionem eis promittit per aduentum iam promissi Spiritus; Adhuc multa habeo inquit, hoc est, possem vobis dicere: tamen ab his dicendis abstineo, non quod eorum cõmunicationem vobis inuideam, sed quia non estis nunc eorum capaces. Non ergo multa hæc diuersa quædam erant ab his, quæ ipsos Dominus præsens docuerat, sed eorundem plenior, & clarior explicatio. Hæc ergo Spiritum eos docturos promittit dicens:

Cum autem venerit ille, de quo dixi, paracletus, Spiritus scilicet veritatis. Dum Spiritum eum vocat, innuit eos per ipsum fore spirituales, & proinde etiam capaces eorum, quæ tunc non poterant portare; cũ veritatis dicit Spiritũ, credibile magis facit, quod sequitur, *docebit vos omnẽ veritatẽ*. Est autem hic sermo nõ de quauis veritate, sed de veritate fidei, atque ea in cuius cognitione hominum salus consistit: qualem Spiritus, isque solus cognoscere facit fideles ex parte quidem in hac vita, perfectè autem in futura.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, &c. Dispensatiuè dicitur Spiritus nõ locuturus à semetipso: quia ab eo à quo est Patre, & filio sicut habet suũ esse, ita & quæcunq; loquitur, & inspirat hominibus. Sic & dicitur locuturus quæcunque audiet, non quod quædam de nouo discet, quæ prius ignorauit: sed quia ea est locuturus, quę à Patre & filio accipiet nuncianda, & intelliget Patrem & filium velle.

Et quæ ventura, inquit, *sint annũciabit vobis.* Ad maiorẽ Apostolorum consolationem promittit eis etiam futurorum præcognitionem. Dicit autem indefinitè quæ ventura sunt, quia nõ omnia ventura eis prænunciauit, sed quædam, quæ scilicet prescire vel ipsis, vel etiam nobis expediebat.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, &c. Hic iam tertius insinuantur fructus ex aduentu Spiritus prouenturus, & ad ipsum Christum pertinens: nam primus pertinuit ad mundum, secũdus ad Apostolos. Ille, inquit, me clarificabit, id est, clarum & gloriosum efficiet. Quod fecit testimonium de ipso in mentibus Apostolorum exhibendo, & per eos longè lateque nomen ipsius prædicando, ac opera admiranda in eis & per eos ad gloriam eius faciendo,

ciendo & attamẽ peculiaris quædã ratio, & modus clarificãdi hic designatur, cum subditur; *Quia de meo accipiet*, hoc est ex mea scientia, & sensu accipiet, & à me audiet, quod vobis annũciabit. Quod opportunè & necessario nunc dicit; quia dixerat antea Spiritum docturum eos omnem veritatem, quam ipse eos non docuerat, ac proinde videri posset in scientia, & potentia perfectiorem ipso esse, adeoque ipsius gloriam obscuraturum. Pronomen ergo meũ, hic accipitur essentialiter. Vnde quod dicit de meo accipiet, perinde est atque de mea essentia, aut quod proposito magis conuenit, de scientia mea. Dicit autem potius de meo, quam de me, vel à me; ne sibi vendicaret primam Spiritus originem, quæ conuenit Patri, à quo filius habet quod ab ipso accipiat & Spiritus quæcunque habet. Declarans enim quomodo dixerit de meo accipiet.

Omnia, inquit, *quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, &c.* Significans Patri competere primo Spiritus originem, per illum vero eandem competere sibi, quod ab eo accepisset quæcunque ille haberet.

Modicum & iam non videbitis me. &c. Post consolatoriam Spiritus promissionem, rursum sermonem ingerit de suo discessu, aliãque consolationis rationem adfert, promittendo eis suum ad ipsos reditum. Cęterũ dictio modicum bis hic posita secundũ quosdam significat tempus post quod futurum est quod sequitur non videbitis, & videbitis, vt sit sensus: Modicũ tẽpus est, post quod nõ videbitis me, & post illud modicum tẽpus, erit rursum modicũ, tẽpus post quod videbitis me: hoc est, post breue tempus non videbitis me, & iterum post breue tempus videbitis me. Atque in hunc modum accipiendum esse hunc locum patet ex eo, quod in hunc sensum aliquoties superius posita est hæc dictio, vt ibi; Adhuc modicum, & mundus iam me non videt. Sciendum tamen quod totus hic locus ab illo; Modicum, & non videbitis me, vsque ad illud, & in illo die me non interrogabitis quicquam, &c. Dupliciter tractetur ab. D Augustin. & alijs. Altero modo vt tempus quo se dicit Dominus non videndum & quo suos dicit contristandos, mundum autem gauisurum, intelligatur tempus passionis, mortis, & sepulturæ illius, tempus vero quo se dicit rursum videndum, intelligatur tempus à resurrectione ipsius. Secundum quam intelligentiam totus hic locus propriè, & solum pertinet ad Apostolos, sicut & alia pleraque quæ in hoc sermone dicuntur. Altero modo vt tempus luctus intelligatur totum tempus præsentis seculi, tempus vero gaudij, tempus futuri, secundum quam intelligentiam totus hic locus non ad Apostolos tantum, sed ad vniuersos pertinet fideles: quam posteriorem tractationem existimat D. Augustin. magis esse germanam, priorem tamen simplicior est, & præcipuæ, aut primæ intentioni Domini cõuenientior. Ita tamen Dominus

minus in sequentibus suum temperauit sermonem, vt quod dixit pro mitigatione præsentis ob suam mortem tristitiæ in Apostolis omnibus etiam fidelibus valeret pro mitigatione malorum omnium, & afflictionum, quæ in hac vita erant perpessuri: quorũ malorum principium quoddã fuit planctus ille, & dolor, quem Apostoli de Domini sui crucifixione, & morte conceperunt, sicut gaudij sempiterni, quod in cælis manet iustos post huius mundi afflictiones, initium quoddam fuit & typus Apostolorum gaudium de Christi resurrectione conceptum. Omnibus tamẽ maturius perpensis, visa est mihi postea explicatio August. esse probabilior: eo quod eum in hoc sermone alias Dominus dicit se non videndum, significet eam absentiam, quæ post ascensionem futura erat, & cũ se videndum rursum dicit, eam visionem significet, quæ in fine seculi futura est.

Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem. Quid est hoc, &c. Peculiaris ratio cur hæc Domini verba non intellexerunt, fuit, vel quia non intellexerunt tam vicinum esse tempus abitus Domini, vel etiam quia verbis Domini contrarietas quædam inesse videbatur, eo quod post modicum se diceret videndum & non videndum.

Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare &, &c. Cum ex discipulorum inter se collatione, sed magis ex suo Spiritu cognosceret Dominus, quod cuperent eum interrogare, suo more interrogationem, quam reuerentia aut verecundia retrahebat præuenit. Non tamen plane explicauit eorum de quibus dubitabant discipuli, verborum intellectum: sed etiam hic suo more nouam subintulit adiectionem, qua, quod dixit, firmius asseuerauit, & ex qua intelligendum reliquit quod dixit videbitis, & non videbitis, q.d. Quod dixi verissimum est & ex ijs quæ modo dicam vtcunque intelligere potestis: Ecce iam adest tempus quo præ nimio mœrore vos plorabitis & flebitis, ob ademptam scilicet hanc meã vobiscum consuetudinem, & crucis ignominiam mihi irrogatam. Cõtra mundus me capto, & occiso, tanquam victor, suique voti compos effectus gaudebit, gestiet & exultabit: sed breui commutabuntur rerum vices, vestra enim tristitia vertetur in gaudium cum me videbitis à morte redituum, & contra mundi gaudium vertetur in mœrorem.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius &c. Præclarum gaudij post mœrorem successum declarat per vulgare, ac certissimum exemplum, quod etiam ob alia optime deseruit proposito: nempe ad designandum quod quemadmodum mulieris iam parturientis magnus quidem sed breuis est dolor, quique mox cõuertitur & in maximam lætitiam, eamque solidam, atque diuturnam: ita etiam Apostolorum animi grauissimo dolore ob Domini sui mortẽ desinendi erãt, sed dolore breui, quique & in summam

niam, & in perpetuam mutãdus esset lætitiam. Applicat autẽ Dominus allatum exẽplum suo proposito simpliciter, dicens: Et vos igitur nunc quidem ob meum abitum, & passionem tristitiam habetis, verum rursum ego vos mox videbo resuscitatus: & tum mœrore omni pulso, gaudebit cor vestrum in me, & de me nec mõrientem eo, & breui gaudio, sed perpetuo. Non enim vt modo vestrũ in me gaudiũ tũc tolletur, sed gaudiũ illud nemo tollet à vobis, quod certõ critis persuasi, me semper in bonũ vestrum viuere.

Et in illo die me non interrogabitis quicquam. Videtur istud subiecisse in consolationem Apostolorum, de quibus statim dictum est quod volebant eum interrogare. Ne ergo eos erucietur quod pleraque adhuc in verbis ipsius non intelligerent, ac pergerent interrogare, quæ tunc intelligere nõ poterant: promittit venturum tẽpus, quo omnia edocti & cognoscentes non opus habebunt quicquã interrogare ipsum. Cæterum intelligendo ea quæ præcedunt implera in Apostolis post resurrectionem, qui est vt diximus, simplicior intellectus, vt cum dicitur. *In illo die*, designetur tempus à resurrectione: dicẽdum id quod hic dicit Dominus ex parte quidẽ resurrectione: dicẽdum id quod hic dicit Dominus ex parte quidẽ impletũ ante Domini ascensionẽ, perfectè vero post Spiritus missionẽ quãdo ita ab eo edocti sunt omnem veritatẽ, vt corpotalem Christi præsentiam ad discendum aliqua non requirerent.

Amen, amẽ dico vobis si quid petieritis Patrem in nomine, &c. Promisit eis omnium post suum reditum cognitionem nunc verò etiã omnium, quæ petent impetrationem. Solita autem sua asseneratione hanc promissionem vt suam confirmat, quod vt maximè hæc promissio faciat ad fidelium consolationem; ita ægrè dissidentia humanæ mentis possit induci vt ei credat. Est autem petere Patrem in nomine Christi, postulare aliquid per illius merita, & per illius virtutem atque potentiam Patri æqualem, aut vt vno dicam verbo, postulare aliquid per illum tanquam mediatorem inter Deum, & homines. *Petere in nomine Christi.*

Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo. Hac sentẽtia significat Dominus absolute Apostolos nihil eatenus petisse Patrem in nomine Christi. Etsi enim spiritus sit mundos eiecerãt, & morbos curauerant in nomine Christi: non tamen in nomine Christi tunc Patrem rogabant, quem hoc nouo precandi modo orare necdum edocti erant: qui modus ante istud tempus tradendus nõ fuerat, quando futurum mox erat, vt nomen Christi eiusque apud Patrem vis fidelibus iam manifestaretur.

Petite vt accipietis vt gaudiũ vestrũ sit plenũ. Secundũ quosdã rectius ea pars, vt gaudiũ vestrũ sit plenũ referenda ad verbũ accipietis, vt cõiunctio vt, finẽ denotet hoc sensu, Petite deinceps Patrẽ in nomine meo, & accipietis ab eo, quod sic petieritis, ideo propterea vt gaudiũ illud vestrũ quo in me, & de me gauderetis cœpistis, sit plenum,

& per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& perfectum: dum per me omnium votorum vestrorum efficiemini compotes, dumque intelligetis omnipotentiam nomimis mei & proinde non vanâ esse fidem, & spem, quam in me collocastis.

Hæc in proverbijs locutus sum vobis, &c. Iam finem facturus huius sermonis, tollit ab Apostolis occasionem tristitiæ, quam ex sermonis poterant obscuritate concipere, significans præsenti tempori competere hanc obscuritatē: instare autem tempus quo omnia clarius sit illos docturus, maxime de Patre, cuius ignorantia singulariter torquebat Apostolos, vt in superioribus patuit. Sequitur enim in illo die, id est illo tempore, quo à me per Spiritum meū perfectiore Patris donati fueritis cognitione, ex qua & mei perfectiorem cognitionem accipietis: tunc in nomine meo petetis patrem, quod modo non facitis, quod me non satis cognoscatis nec patrem meum.

Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. &c. Tertia iam ratione eos consolatur, occasione accepta à Patre, estque hæc ratio omnium efficacissima. Non negat autem se rogaturum Patrem de, id est pro Apostolis, & fidelibus: sed dicit se modo non dicere, quod prius dixit, ego rogabo Patrem, significans non opus esse vt sic dicat, quasi Pater erga eum patum propēsus esset, & hac de causa intercessore apud eum indigerent. Miro ergo modo & intercessionis suæ necessitatem significat, dum docet in nomine suo petendum, & tamē ab ea apertē prædicanda abstinet ad maiorem suorum consolationem, & benignitatis paternæ declarationem. Cæterum quod dicit: *ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Non sic est accipiendum, quasi nostra dilectione præueniamus absolutè omnem Patris erga nos dilectionem: sed quod dilectio nostra ratam faciat Patris erga nos dilectionem, quodque nostram dilectionem sequatur dilectio Patris, quo ad aliqua nouæ dilectionis indicia. Cum autem dixisset: *Et credidistis quia à Deo exiui*, vt hanc ipsorum fidem confirmaret, & rectam approbaret, atque ex ea fide eos etiam proueheret ad fidem eius, quod toties affirmauit, se ire ad patrem, subiecit:

Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. In qua sententia, iterum denotat alterum iter, non alteram mundi derelictionem. Proinde illud exiui à Patre intelligendum est potissimum de exitu filij temporali, quo scilicet dicitur missus à patre ratione incarnationis, non autem de exitu eius æterno, quo ratione æternæ generationis exiuit filius à Patre, quanquam huiusmodi exitus etiam hic satis includatur.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris, &c. Discipuli nunc recreati postremis illis Christi verbis, tum quod illis apertius iam significasset quomodo dixisset, videbitis, & non videbitis, & vado ad Patrem, tum quod audirent bona multa sibi promitti,

mitti, atque inter ea potissimum quod Pater eos amaret, prorumpunt in verba, sibique persuadent id, de quo prius inter se conquirebant iam satis intellexisse, cum tamen illis multum deesset veræ intelligentiæ. Ad hoc autem dicunt eum scire omnia, quia arcana hominū nouit, & priusquam interrogetur, interrogatoris nouit voluntatem. Tibi ergo inquiunt non est opus vt quis te interroget ad hoc vt scias, quid ille scire desideret, sicut hoc est opus alijs doctoribus. Tibi etiam non est opus vt te interrogemus, quo quæ ignoramus discamus à te qui omnia nosti.

Respondit eis Iesus: Modo creditis, &c. Si interrogatiuè istud legatur, vt magis est legendum, quod sic sermo Domini sit efficacior, sensus est: Nunc vobis vendicatis firmam in me fidem? Necdum sane. Arguet enim, & conuincet vos tempus, quod iam instat. *Ecce enim venit hora, & iam venit.* In quibus verbis prius venit, est præsentis temporis, secundum vero præteriti, & est sensus. Ecce iam instat tempus, nec instat solum, sed & iam adest, *Vt dispergamini vnusquisque in propria*, id est, in sua, hoc est, vt non solum omnes me relinquatis, sed etiam vos mutuō, alius alio fugientes, in locum in quo se tutum fore quisque existimabit. Cæterum ne Dominus videretur conquerendo dixisse, & me solum relinquatis, quasi indigeret eorum [illegible] dio, & solatio subiungit:

Et non sum solus, quia Pater mecum est, qui vnus mihi pluris est, quam omnium hominum societas præsidium, & solatium.

Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. His iam Dominus concluſit sermonem hūc magnum, & prolixum, quem à cœna habuit partim sedens, partim stans. Hæc (ait) omnia quæ modo dixi, locutus sum vobis, vt credētes istis habeatis pacem in me. Ad hoc enim valent omnes prædictæ promissiones, consolationes, & adhortationes, vt & inter sese mutuo pacē habeatis in Christo, concordes in fide & dilectione Christiana, & in seipso quisque trā quillam habeatis in Christo mentem, quam aduersitates & tentationes obuenturæ non perturbarent, propter fidem, & spē in Christum ex prædicto sermone conceptam. Vt autem intelligerent quare dicat pacem in me, subiecit:

In mundo pressuram habebitis. q.d. Non dico absolutè vt habeatis pacem, sed vt habeatis pacem in me. In mundo enim non habebitis pacem, sed pressuram, & afflictionem, non solum nunc quando patiar, verumetiam quandiu fueritis in mūdo. Ne autem hinc turbarentur, eos erigit dicens: *Sed cōfidite*, id est, bono sitis animo, *ego vici mundum*, vnde & vos si in me manseritis, facilè per me mundum deuincetis, maxime cum semel à me sit deuictus. Dicit autem se vicisse mundum, tum quia eatenus contra omnes mundi machinationes fortiter dimicauit, dæmone cum omnibus suis satellitibus, Iudæis infidelibus nihil contra eum prævalente, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

per opera, & doctrinā ipsius superato, & confutato tum ; quia iam iam per passionem suam, mortem, & resurrectionem. Diaboli, & omnium mundanorum vires erat fracturus, vt non solum nihil amplius possent contra se, sed nec prævalere omnibus qui ipsi fimiter fide, & dilectione adhærerent.

Oratio Iesu ad Patrem. Ioannis. 17.

CAPVT CXXXVI.

HÆc loquutus est Iesus, & sublevatis oculis in cælum dixit. Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi vt faciam. & nunc clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo : tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt & cognoverunt vere, quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo : Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Cùm essem cum eis ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo: non rogo vt tollas eos de mundo sed vt serves eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint : vt credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatē quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnū, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionē mundi. Pater iuste, mundus te non cognovit.

Ego autem te cognovi, & hi cognoverunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me : in ipsis sit, & ego in ipsis.

Hæc locutus est Iesus, & sublevatis oculis in cælum, &c. Post adhortationem, præmonitionem, & consolationē discipulorum, restabat vt abiturus Dominus, suosque relicturus eos pro more boni Patris familias Deo commendaret: ad quem quamuis ipsi non esset opus oratione, nunc tamen vt & alias, orationem, eāque ardentem & prolixam habuit, vt per eam discipulis testatam faceret suam erga ipsos dilectionem, curam & prouidentiam, eorumque in se atque in Deum Patrem fiduciam confirmaret. Oraturus autem oculos subleuat in cælum, vt & ipso corporis habitu ardens salutis suorum desiderium insinuaret. Dicit ergo;

Pater venit hora, id est, iam adest tempus à te prædefinitum pro filij tui glorificatione, *Clarifica ergo filium tuum.* Porro Pater qui filium hactenus clarificauerat per admiranda opera miraculorū, quæ per ipsum ædiderat, per subm in Iordane testimonium, aliisque modis : vlterius iam ipsum erat clarificaturus, imprimis per prodigia, & admiranda signa, quæ tempore passionis sunt ædita, deinde per ipsius resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, qui tori orbi nomen Christi reddidit glorioſiſſimum. Quæ omnia includere clarificationem, quam nunc Dominus precatur, sed maximè eam, quæ erat per ascensionem, & sessionem ad dexteram Patris, patet ex eo, quod mox dicit.

Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quā habui priusquam mundus fieret, &c. Vt autem intelligeremus ipsum non petere iuuenem gloriam, nisi propter gloriam Patris, subiecit : *Vt & filius tuus clarificet te.* Quod non sic est accipiendum quasi vicissim Pater filium, ac deinde filius Patrem esset clarificaturus : sed quod per gloriam filij etiam clarificandus esset Pater gloriæ eius auctor, & conseruator.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Coniunctio sicut, non est hic accipienda, vt similitudinem denoter, sed potius rationem ob quam filius debet Patrem glorificare. Græcis enim est καθὼς, quod propriè est iuxta quod, vel ea ratione qua. Sensus ergo est. Da vt filius tuus clarificet te, eo quod dederis ei potestatē omnis carnis, ad hoc vt det vitā æternam omnibus quos dedisti ei. Ad complectionem autem huius rationis oportet etiam adiungere quod Dominus subsumēdo subiecit : hæc est autē vita æterna, vt cognoscāt te, &c. Hac enim sententia etiam adiuncta hic resultat sensus: Quandoquidē ô Pater dedisti filio potestatē omnium hominū, ad hoc vt electis omnibus daret vitā æternā, & vita æterna cōsistit in tui cognitione: ideo da vt filius tuus, clarificet te, hoc est, clarum

Universidad de Deusto
Biblioteca

te & cognitum faciat omnibus quos dedisti ei. Dictum est autem potestatē omnis carnis, pro potestatē in omnem carnē. i. synecdochicè in omne hominum genus. Hanc autem potestatē & si Christus homo ab initio suę natiuitatis accepit ad saluādum homines: tum primum tamen eam exeruit cum sua prædicatione, & miraculis quosdam ad se cœpit trahere, & perfectius cum iam in cælū assumptus per Spiritum à se missum totum ad se traxit mundum, diabolum sua spolians potestate, quam prius habebat in homines.

Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum. Loquitur hic de vita æterna, vt & alias sæpe, vt communis est & huic, & futuræ vitæ, vnde non dicit, vt videant te, sed vt cognoscant te. Vita enim æterna inchoatiuè & imperfectè hic habetur cognoscendo Deum per fidem, habetur autem in cælis perfectè cognoscendo Deum per visionem. Loquitur autem Dominus de tali proculdubio cognitione Dei, quæ viua sit, & Dei etiam dilectionem coniunctam habeat.

Ego te clarificaui super terram. Declarat iustam esse suam petitionem, eo quod secundum Patris præceptum ipsum iam prius clari fieasset, id est, clarum & glorioſum sua prædicatione & miraculis effecisset *super terram*, id est, apud homines.

Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Loquitur non de omni opere à Patre sibi iniuncto (nondum enim compleuerat hominum redemptionem per mortem suam) sed de opere catenus sibi iniuncto, nempe prædicationis Euangelicæ, atque in genere de opere quouis, quousque ad illud tempus per ipsum Patris nomen erat clarificandum, & manifestandum hominibus. Exposita itaque causa, ob quam meruit petitam assequi clarificationem sui, infert rursum priorem petitionem, addens & desideratæ à se suæ clarificationis modum.

Et nunc, inquit, hoc est, Nunc ergo vicissim etiam tu clarifica me ea claritate, quam habui apud te priusquā mundus fieret. Quibus verbis simplicissimum fuerit intelligere Christum precari sibi homini omnino eandem dari claritatem, & gloriā, quam quatenus verbum reipsa habuit ante mundum: non quod humanitas Christi eius gloriæ esset capax; sed quod suæ personæ, quæ à simul erat homo, & Deus, vellet in humana etiam natura dari eam gloriam, quam catenus ratum habuit in diuina natura: hoc est, vt qui hactenus solum quatenus verbum habuit gloriam diuinitatis, iam eandem etiam haberet quatenus verbum caro, aut quatenus homo Deus. Quam claritatem tūc accepit persona Christi, cū humana natura immortalitate donata est, & in cęlū sublata, & per cōiunctionē sui cū diuina natura in vnitate personæ eiusdē cum illa glorię cōsortem effecta: ita vt & ab angelis, & ab hominibus persona illa, quę homo erat, Deus cognosceretur, coleretur, & adoraretur.

Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, &c. Quod dixit, Ego te clarificaui, exponit per illud: Manifestaui nomē tuū, &c. Sic enim clarificatur Deus, cum nomen eius, hoc est bonitas eius, potentia, diuinitas, & alia quæ ei competunt manifestantur. Quod vero dixerat, super terram, declaratur per illud, hominibus quos dedisti mihi de mundo, hoc est, non quibuslibet, sed è mundanorum hominum consortio & perditorum numero abstractis, & electis: significans se proinde Patris sui voluntatem adimpleuisse, eo quod nomen eius illis manifestauerit, quibus ille voluit illud manifestari. Notat autem potissimum Apostolos, quos quare sibi datos dicat, declarat per sequentia, cum dicit:

Tui erant, non solum ratione creationis, sed potissimum ratione prædestinationis ab æterno, per quam illi inter filios Dei erāt ascripti. *Dedisti* autem mihi inquit, dum tua æterna prædestinatio ac mihi eos deputasti, dumque tua vocatione & gratia eos ad me traxisti. Cæterum vt ostenderet hos non frustra sibi datos à Patre, subijcit:

Et sermonem tuum seruauerunt, hoc est sermonem & doctrinam non tam meam, quam tuam; non vt alij abiecerunt, sed receperunt, receptamque constāter tenuerunt. Id verum esse per sequētia declarat, cum dicit:

Nunc cognouerunt quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt, Atque id rursum per sequentia manifestat, dicens:

Quia verba, quæ mihi homini dedisti alijs prædicanda, dedi eis; nihil extra præscriptum docens, & ipsi ea verba acceperunt tanquam abs te profecta, vnde & vere cognouerunt, quod à meipso non venerim, sed quod à te exiui, id est, crediderunt, quod tu me miseris in mundum ad prædicandum.

Ego pro eis rogo, non pro mundo. q. d. Quoniam hi, quibus nomen tuum manifestaui, tam varijs nominibus tibi merito debent esse commendati, nempe quia tui erant, quia mihi eos de mundo dedisti, quia sermonem tuum receperunt, & tenuerunt, credentes me à te missum: ideo etiam pro eis rogo, *nō pro mundo*, hoc est hominibus mundanis, & perditis, sed pro his, quos dedisti mihi. Quod autem sequitur:

Quia tui sunt. Potest referri ad illud, Ego pro eis rogo; vt reddatur ratio cur pro eis peculiariter oret. Illud autem:

Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: Obiter inter rationes suę pro Apostolis peculiaris orationis interiectum est ad obuiandum quæstionibus, quæ obijci poterant. *Et glorificatus sum in eis*, inquit, eo quod me Christum agnoscant: vnde ipsorum erit ad laborare quo & in alijs, electis per orbē dispersis glorificer. Dicit autē Dominus; *Iam non sum in mundo*; quia iamiā imminebat tempus vt transiret ex hoc mundo ad Patrem.

Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos, &c. Post causas suæ pro illis peculiaris orationis: aperit nunc quid eis petat; nempe eorũ custodiam & seruationem. Non simpliciter autem nunc Patrem appellat, sed addidit opportune, *sancte*, quoniã mox sanctificationem suorum erat postulaturus. *serua eos*. inquit, ab omni malo, serua eos in bono, quod amplexi sunt. Serua eos inquam per nomen tuum, hoc est, per tuam virtutem, & bonitatem, quos dedisti mihi. Quorsum autem, & ad quem finem velit eos Patris virtute seruari, aperit dicens. *Vt tua*, scilicet virtute seruati, sint vnum inter se, & in nobis, sicut & nos vnum sumus inter nos. Sicut enim superius discipulis potissimum mandauit mutuam seruare dilectionẽ: ita & hic eis, & omnibus electis postulat potissimum vnitatem fidei, scilicet & dilectionis.

Cum essem cum eis ego seruabam eos in nomine tuo, &c. Aperit nunc necessitatem suæ petitionis primum ob suum discessum, secundo propter odium mundi. Ideo ait, nunc te necessario oro, vt eos qui sibi seruandis non sufficiunt sua virtute, tu serues tua virtute: quia quandiu fui cum eis secundum præsentiam corporalẽ ego per illam præsentiam seruaui eos; *at nunc ad te venio*, vnde illis posthac mea præsentia destitutis, opus erit tua protectione, atque custodia. Quod autem humano more, seu dispensatorie tantũ, & ad consolationem suorum hæc sit locutus testatur dicens;

Hæc loquor in mundo, priusquam scilicet plane ab eis, secundum corpus ablatus sum, *vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, hoc est, vt gaudium quod de me habent per meum abitum non minuatur in eis, sed impleatur, augeatur, & perficiatur, dum audiunt me semper eorum gerere curam, & per me eos non destituendos tua custodia, dũ destituẽtur mea præsentia. Aut vt gaudium meum, id est, gaudium tale, quale ego habeo in Patris erga me dilectione, & quale ex meo munere cœpit esse in ipsis, non deficiat in ipsis, sed impleatur. Secundam hanc enim expositionem propria erit locutio. Cæterum quoniam inter Apostolos, vnus perierat Iudas, ne huius perditio sibi imputari posset, subijcit Dominus, *Et nemo ex illis periit nisi filius perditionis*, hoc est homo perditioni olim destinatus. Addit autẽ quod magis adhuc se à culpa liberat, *vt scriptura impleatur*. Dauidis scilicet, qui frequenter eius prædixit perditionem, sed maxime Psalmo 108, vt patet ex Petri explicatione. Act. 1. Accipitur autem hic coniunctio, vt, sicut & alias sæpe, non finaliter, sed consecutiuè.

Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos habuit odio, &c. Alteram nunc indicat causam, ob quam & necessaria eis erit custodia Patris, & dignũ atque iustum, vt à Patre seruarentur: nimirum quod odio haberentur a mundo, idque propter Patrem, quia propter sermonem & doctrinam à Patre illis tradiderat, propter quã doctri-

doctrinam quam receperunt, *non sunt amplius de mundo*, id est, nõ sapiũt quæ mũdi sunt, nec sunt amplius de numero mundanorũ hominũ, atque ob id mundani homines tanquã sibi dissimiles & contrarios persequuntur, & persequentur, sicut & ego nõ sum de mundo, & ob id mundi persecutiones patior. Ne autem propteres quod dixit mundum eos odisse, videretur desiderare vt secum iam e mundo tollerentur, subiecit;

Non rogo vt tollas eos de mundo. sed vt serues, &c. Hoc est, id à te cupio vt quoniam mundi odium perpeti necessario debebunt, cõtra quod per se fortes satis esse non poterũt, quoniamque in mundo eis viuendum erit in medio nationis peruersæ: tu eos serues à malo, non vt nullum malum, aut incommodum sentiant, sed vt ne per persecutiones, & odia mundi abalienentur a tuo sermone, aut consortio prauorum contaminentur. Rursum autem repetit Dominus id, quod mox semel dixit;

De mundo non sunt sicut & ego non sum de mundo; Quam repetitione videtur adiecisse, vt comode subinferret illud, quod sequitur, *Sãctifica eos in veritate* Quoniã enim nõ est satis à malo seruari, nisi quis etiam sanctus efficiatur, virtutibusque ornetur; ideo subijcit orando vt Pater eos sanctificaret per suam veritatem. Itaque sensus est: Nõ sunt de mundo sicut nec ego, proinde sicut ego tibi sanctus sum, quia de mundo non sum; ita & tu sanctos eos effice, tibique addictos, idque per veritatem doctrinæ tuæ Euangelicæ. Quod autem per veritatẽ hoc loco doctrina Euangelica, quæ homines sanctificat, & sanctificatos à malo seruat, & in sanctitate perficit ac confirmat, intelligẽda sit; manifestat Dñs cum subijcit;

Sermo tuus veritas est. Sermo enim Euãgelicus pura veritas est, nullos habens fucos, nec vmbrarum typos. Duplicem autem subiecit Dominus causam, ob quam merito Pater petitam sanctificationem Apostolis præstare debeat: Alteram cum dicit;

Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mũdum, &c. Hoc est, sicut tu me misisti in mundum ad prædicandum veritatem tuam, ad arguendum mũdum de suis sceleribus: ita & ego eadem de causa eos iam cœpi mittere in mundum, quoniam ergo in mundo, & inter mundanos conuersandum erit, idque ad prædicãdum Euangelij veritatem, opus illis est vt per te sanctificentur in veritate tua. Altera causa est

Et pro eis ego sanctifico meipsum, hoc est, meipsum iamiam offeram tibi in sanctum hostiam, vt & ipsi à contagio prophani mundi magis, magisque purgati sanctificentur amplius per veritatem tuam. Congruum est ergo vt oblationis meæ intuitu, eis quam peto veritatis sanctificationem præstes.

Non pro eis autẽ rogo tantũ, sed & pro eis qui credituri, &c. Postquam in primum pro se, deinde & pro apostolis, qui in suum locum

erant post se successuri orauit: hac orationis suæ parte pro omnibus orauit fidelibus, qui vsque ad finem mundi futuri sunt. Omnes enim hi & si non viderint, nec audierint Apostolos docentes, tamen per doctrinam, & verbum eorum hactenus crediderunt, & credent, quam ab Apostolis primò post Christum acceptam Ecclesia hactenus conseruauit, tradetque posteris vsque ad consummationē seculi. *Vt*, inquit, *omnes*, scilicet & qui credituri sunt, & quomodo credunt, hi mei discipuli sint vnum. Et exemplar huius vnitatis modo repetens, magisque explicans de quali loquatur vnitate. *Sicut*, inquit, *tu Pater in me, & ego in te*, per omnimodam naturæ, & voluntatis vnitatem, vt sic etiam ipsi sint inter se vnum, sed in nobis. Hac enim adiectione non quamlibet se illis insinuat precari vnitatem, sed eam qua fideles consentiant in Deo, idem scilicet cum Deo, & in Deo sentientes, & volentes. Bene autem Dominus orat vt fideles sint vnum ad hoc vt mundus credat, & agnoscat se à Patre missum. Ex vnitate enim & concordia fidei, & doctrinæ fidelium inter se, maximè euadit manifestum Christi doctrinam à Deo profectam, ipsumque venisse à Deo missum magistrum.

Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, vt sint. &c. Hic locus conuenienter intelligitur de gloria filiationis diuinæ, & consortij, atque participationis diuinæ naturæ; vt significet Dominus se qui à Patre accepetat vt filius Dei esset per naturam, dedisse etiam Apostolis, vt & ipsi atque omnes fideles filij Dei dicerentur, & essent per gratiam: quæ maxima est, & fidelibus omnibus communis claritas, & gloria. De hac claritate si locus hic accipitur optime subiungitur; *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.* Per hoc enim quod per Christū fideles facti sunt Dei filij, & diuinæ cōsortes naturæ, vnum facti sunt in Deo, sicut Pater & filius in diuinitate vnum sunt per naturæ communionem. Huic sensui conuenit quod sequitur:

Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum; Sic enim hac parte explicabitur iam dicta sententia, quod omnino videtur hic voluisse Dominus. Ego inquit in eis sum per gratiam meam, & fidem eorum in me; *Sicut tu* Pater es in me per naturæ communionem: sicque dedi eis claritatem, quam tu dedisti mihi, ad hoc vt sint consummati in vnum, hoc est perfecti in vnitate, & concordia: non solum in futura vita, quando perfectissima erit fidelium concordia, sed etiam in præsenti, pro modo, & statu huius vitæ. Rursum autem repetit Dominus fructum, qui ex vnitate fidelium sit peruenturus ad mundum, latius iam illum prosequēs: *Et*, inquit, mundus videns meorum vnitatem stabilem, & planè diuinam, agnoscat & quod tu me, quem illi prædicabunt miseris, & quod tu illos tali prosequaris dilectione, quali me prosecutus es semper: eo quod tuum spiritum per illos potenter exerueris, sicut per me, atque variis modis declaraueris illos tibi vnicè charos esse, & tanquam filios dilectos.

Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint, &c. Postquam precatus est eis id quod eis erat in præsenti vita necessarium, precatur eis modo & gloriæ, atque fœlicitatis post hanc vitam consortium: peculiariter tamen de Apostolis ad quorum cōsolationem hæc tum loquebatur, istud dixisse videtur, sicut prius semper. De his enim & mox iam locutus est dicēs: Ego in eis, &c. & mox in sequentibus cum dicit;

Et hi cognouerunt te. Hi dati erant Christo iam non solum per prædestinationem, sed etiam per vocationem. Volo autem Hebraïca phrasi positum est pro cupio, opto, desidero, quanquam aliqui hoc verbo non malè intelligant designate Christi apud Patrem authoritatem. Cum dicit, *vt vbi ego sum, & illi sint mecum*, cælum designat, vbi non solum breui futurus erat secundum humanam naturam, sed iam verè etiam erat secundum diuinam, vt non sit necesse verbum sum, accipere pro futuro ero. Est autem in cælo peculiari modo tanquam in proprio suo loco, cum alioqui sit vbique. Quorsum autem eos velit esse secum significat cum adiungit;

Vt videant, &c. Quo significat se non in suum bonum optare secum illorum præsentiam, sed in ipsorum. Loquitur autem non solum de claritate corporis in cælum sublati, sed & de claritate, & gloria diuinitatis in cuius visione fita est hominum fœlicitas. Et ne iamdudum data putaretur, sed ab æterno data noscere-tur, addidit;

Quia dilexisti me ante constitutionem mundi. In qua parte si dilectio referatur ad Christum hominem, coniunctio quia, causam denotat eius, quod dixit, dedisti mihi claritatem. Sicut enim dilectio, & prædestinatio Dei æterna est causa gratiæ, & gloriæ in nobis: sic etiam est causa claritatis humanitatis Christi. Si vero referatur ad Christum quatenus Deus est: non tam causam denotat, quam signum manifestatiuum. Non enim Pater filio dedit claritatem quia dilexit, dedit enim gignendo, non genuit autem quia dilexit: sed dilexit quia per omnia sibi genuit similem. Quod tamen ei claritatem dederit, hinc licet intelligere, quia dilexit eum ante conditum mundum, hoc est ante omnia secula.

Pater iuste, mundus te non cognouit. Prius sanctum, nunc iustum Patrem suum appellat, quod petat suis retributionem, q.d. iustum est Pater cum iustus sis, vt fœlicitatem, quam mundus capere non potest meis præstes, mundus enim te non agnoscit: isti vero te cognoscunt vti ego te cognosco, à quo cum debeant homines tui notitiā accipere, ego eis nomen tuum notum iā feci ex parte, & amplius

Universidad de Deusto
Biblioteca

plius notum faciam mittendo eis spiritum sanctum, qui eos ducet in omnem veritatem: *Vt dilectio, qua dilexisti me sit in ipsis*, hoc est vt tali eos dilectione prosequaris, qualì me dilexisti, & te eos diligente, & dilectionem in eos declarante, ego quoque tecum in ipsis semper perseuerem, autiusque perstiam: quia perfectiore nominis tui cognitione donati; & amplius tuam in se sentient dilectionem, & me habebunt in se ipsis firmius manentem, sibique coniunctum.

Ter orans deprecatur mortem, & capitur. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

CAPVT CXXXVII.

HÆC cum dixisset Iesus & hymno dicto † [m] egressus est cum discipulis suis' [d] trans torrentem Cedron, [e] & egressus ibat secundù consuetudinem [l] in montem ▷ Oliueton'. [e] Secuti sunt autem illum & discipuli eius. [b] Et [e] tunc ‖ [e] venit Iesus cum illis in villa quæ dicitur' Gethsemani. [d] ubi erat hortus in quem introiuit ipse & discipuli eius. [l] Et [e] cùm peruenisset ad locum † [l] dixit discipulis suis'. [e] Sedete hic donec [e] vadam illuc & orem. [e] Orate, ne intretis in tentationem. [b] Et assumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum, [e] & [e] assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi [e] cœpit [e] contristari, [b] pauere, [e] & ▷ mœstus esse. [b] Et [e] tunc [e] ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic & vigilate, [e] mecum. [e] Et ipse amplius est ab eis. [e] & ‖ progressus pusillum' [e] quantum iactus est lapidis. & positis genibus [e] pro eiulì [e] super terram [e] in faciem suam, [b] & † [l] orabat', [b] vt si fieri possit transiret ab eo hora. [e] & ▷ [l] dixit'. [b] Abbâ! [l] Pater [e] mi si possibile est, transeat à me calix iste, [b] omnia tibi possibilia sunt, [e] si vis [b] transfer calicem hunc à me, † [l] veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat'. Et [e] cùm surrexisset ab oratione. & ▷ [l] veniens' [e] ad discipulos suos ✶ [l] inuenit eos dormientes [e] præ tristitia, & ait illis: Quid dormitis? [e] Et dicit Petro: [b] Simon, dormis? [e] Sic [e] non ‖ potuisti' vna hora vigilare [b] mecum? [e] Surgite, [e] vigilate, & † orate, † vt non intretis in tentationem. [e] spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. [b] Et [e] iterum secundò ▷ [e] abijt, & [e] oranit [b] eundem sermonem, [e] dicens: [e] Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. [e] Et [b] reuertens [e] venit, & ‖ [e] iterum' inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati. [b] & ignorabant quid responderent ei. [e] Et relictis illis, iterum abijt & oranit tertiò, eundem sermonem dicens. [e] Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum, & factus in agonia, prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut gutæ sanguinis decurrentis in terra. [b] Et [e] tunc [e] venit [b] tertiò [e] ad discipulos suos, [e] & † dixit illis:

† [e] exierunt ▷ [e] [e] O- liueti ‖ [b] venit ea prædixi tui nomẽ † [b] ait [e] illis ▷ [b] [e] 14 dere ‖ [b] [e] cum processisset [e] paululù † [e] orans ▷ [l] dicẽs † [e] verus tamẽ non sicut ego volo, sed sicut tu [b] sed non quod ego volo, sed quod tu ▷ [e] venit ✶ [e] & ‖ [e] potuisti † [e] [e] ne ▷ [b] [e] ationis ‖ [b] [e] de- nuo † [b] [e] ait

Dormite iam & requiescite. [b] sufficit, [e] ecce [e] ‖ appropinquauit' hora, [e] & [b] ecce [e] filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgi ‖ [b] vemit te eamus: ecce ▷ appropinquauit qui me tradet'. [d] Sciebat autem & ▷ [b] [e] qui Iudas qui tradebat eum, locum, quia frequenter Iesus conuenerat illo- me tradet hic cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à pontificibus & Phariseis ministros, venit illuc cum laternis, facibus, & † [b] [e] lignis armis. [b] Et [l] adhuc eo loquente, [f] ecce [e] Iudas [b] Iscariotes [e] vnus de duo ▷ [b] [e] sũ decim venit, & cum eo [l] turba [e] multa cum gladijs & † fustibus' [e] mis sacerdotum' [e] & ▷ principibus sacerdotum', [b] & scribis, [e] & senioribus [e] populi. ‖ [e] Qui autem tradit eum dedit illis signum', dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eũ, [b] & ducite cautè, [e] vt qui vas autẽ vocabatur Iudas vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinqua traditor erat Iesu, vt osculareturi eum. [e] Et [b] cùm venisset, ‖ [e] statim' accedens eis signũ dedit ad † Iesum dicit, : Aue rabbi, & osculatus est eum. ▷ Iesus autem ‖ [e] [e] consdixit illi' : [e] Amice, ad quid venisti? † Iuda, osculo filium hominis tra- festum dis? [d] Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit, † [b] eũ ait & dixit eis, quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Ie- ▷ [e] dixit eis Iesus: Ego sum. Stabat autẽ & Iudas qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis Ego sum, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixe- † [e] illi runt: Iesum Nazarenũ. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ✶ ergo ergo me quæritis sinite hos abire. vt impleretur sermo, quẽ dixit: Quos ▷ [b] [e] dunos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam. [b] At illi [e] tunc accesse- ces gladiũ runt & [e] manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. [c] Videntes [d] exuxit autẽ hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei: Domi- eum ne, si percutimus in gladio? [l] Et [e] ecce [l] vnus [b] quidam de circumstan- ‖ [b] [e] sumtibus [l] ex † his', [e] qui erant cum Iesu, [d] Simon [e] Petrus habens gladiũ, misit [e] extendens manum ▷ [m] exemit gladium [e] suum', [d] & [e] percussit seruum principis sacerdotis. [d] [e] num ‖ principis sacerdotum', & [e] percutiens seruum principis sacerdotis pontifi- † ▷ amputauit' [b] illi auriculã [e] eius [b] dexterã. [d] Erat autẽ nomẽ † [e] abscicius seruo Malchus. [c] Respondẽs autẽ Iesus ait: Sinite vsque huc, & quid dit tetigisset auriculam eius, sanauit eum ▷ [c] dixit [d] ergo [e] tunc ‖ Iesus ▷ [e] Tunc Petro † Conuerte gladium tuum [e] in locum suum [d] in vaginã [e] Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. [d] Calicem quem de- art illi Iesus dit mihi pater non bibã illum? [e] An putas quia non possum rogare pa- † [e] Mitte trẽ meũ, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones angelo- ‖ [b] ait illis rum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? [b] Et ▷ † [e] dixit in illa hora [b] respondẽs, ‖ [l] Iesus † dixit' [e] turbis [&] [e] ad eos, qui venerat autem Iead se. principes sacerdotũ & magistratus templi & seniores: † [l] Tanquàm sus ad latronẽ existis cũ gladijs & ▷ fustibus' [e] cõprehendere me. Quoti- † [e] [e] Quadie [b] eram [e] apud vos [&] [e] sedebam [e] in templo docẽs, & [e] cùm quotidie si vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me [&] [e] nõ me ▷ [b] [e] tenuistis, [e] sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarũ [e] Hoc autẽ to- gnis tũ factum est. [e] [e] vt ‖ adimplerentur' scripturæ [e] Prophetarum. Tunc

discí-

discipuli [b] eius † [a] omnes relicto eo fugerunt. [b] Adolescens autem quidã sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta sindone nudus profugit ab eis.

[*] [b] sed [†] [a] simpliciter omnes [†] [a] relinquentes eũ omnes fugerunt.

Hæc cum dixisset Iesus, & hymno dicto egressus est, &c. Egressum illum dicit Ioannes: non quod mox illis dictis quæ proximè præcedunt exierit, quia ex Matthæo, & Marco patet ante egressum etiam dictum hymnum quendam, hoc est laudem quandam, & gratiarum actionem, quem pro perceptis Dei muneribus ex more dicere solitus fuit Dominus cum suis. Egressum autem dicunt omnes Euangelistæ, è domo scilicet in qua cœnauerat, tres verò primi locum explicuerunt in quem egressus est, nempe montem Oliuarum, qui est iuxta Ierusalem, vt dicitur Actor. 1. Horum duo priores peculiarem huius montis partem (varia enim in se loca complectebatur) in quem Christus sit egressus designauerunt, dicentes eum venisse in villam vt legimus in Matthæo, aut in prædium, vt in Marco, cui nomen Gethsemani, quod significat vallem olei, vel pinguem. Cæterum solus Lucas in hunc locum egressum dicit, *secundum consuetudinem*. Ioannes locum quendam medium cuius cæreri non meminerunt designat: dicens eum cũ suis egressum *trans torrentem Cedron*, quod ideo fecisse videtur, vt significaret iam instare tempus, quo mysticè torrentem diuersarum passionum, tanquam aquarum multarum esset transiturus, & impleretur illud Psal. De torrente in via bibit, &c. Significat enim hæc dictio Hebræis non Cedros, sed obscuritatem: quare mysterio Passionis, & rei de qua hic agitur bene conuenit, estque nomen hoc commune & torrenti, & valli, quæ erat inter Ierusalem, & montem Oliuarum, per quam fluit torrens. Loci etiã huius conditionem ab alijs tacitam expressit Ioannes.

Cedron quid Hebraïs.

Vbi, inquit, *erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius.* Siquidem Brocardus testatur loca circa torrentem amœnissima fuisse, viridariis, & hortis consita. In huncergo locum relicto conuiuij loco egressus est Dominus, non vt lateret, sed orationis causa; ob quam fere solitus fuit loca ab omni tumultu libera seligere. Ne tamen mortem fugere videri posset, adiecit Ioannes;

Sciebat autem & Iudas locum, &c. Omnino enim conueniebat Christo pro salute hominum passuro, vt non in loco conuiuij, sed in loco orationis caperetur.

Et cum peruenisset ad locum, dixit discipulis suis, sedete, &c. Oraturus Dominus non tantum deligit locum à ciuitatis tumultu semotum, sed etiam à suis separatur discipulis, in nostrum exemplum, & eruditionem. Primum ergo quia indiuisibiliter sibi adhærebant, omnibus in genere discipulis iubet vt in loco quopiam sederent tantisper, dum ipse suam ab eis abstractus profunderet ad

Patrem orationem. Verisimile est etiam omnibus præceptum fuisse vt vigilarent, & orarent contra tentationem, quia omnibus imminebat: etsi diligentius id inculcatum sit electis illis tribus. Monet ergo vt orent, *ne intrent in tentationem*, hoc est, ne à superuentura tentatione superentur, eiusque nexibus ligati teneãtur. Assumit autem ex omnibus tres illos, quos habebat præ cæteris magis familiares, eisque suam tristitiam declarare voluit: vt quos fecerat in monte suæ gloriæ spectatores, & testes, nunc haberet etiam spectatores, & testes imbecillitatis suæ humanæ, in qua hi ob conspectam prius gloriam & pleniorem de eo cognitionem, minus offendi poterant. His ergo assumptis cœpit *contristari, pauere, & mœstus esse*. Non prius cœpit contristari, quam illos assumpsisset, vt intelligamus tum hoc in eo cœpisse cum voluit, & proinde ipsum, non vt in nobis accidit, subitò, & præter voluntatem hæc esse passum. Nihil autem dubitandum est, quin causa huius tristitiæ Christi prima, & principalis fuerit mors imminens, quam humana infirmitate abhorruerit. Nec hoc diuinitati eius derogat magis quam ipsa mors, & aliæ pleræque infirmitates, quas cum humana natura nostri causa in se suscepit, quales sunt esuries, siris, & similes. Suscepit enim in se Dominus omnes nostros defectus qui in omnibus communiter inueniuntur ex peccato primi parentis, & non repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ. Quod autem apud Matthæum quidem legamus contristari & mœstus esse, apud Marcum vero pauere, & tædere pro mœstus esse, & tædere Græcis est eadem dictio ἀδημονεῖν, quæ nec propriè tædere, nec simpliciter mœrere significat: sed grauiter angi, pœneque exanimari, ac desperare præ mœrore. Pro pauere autem Græcis est ἐκθαμβεῖσθαι, quod propriè est etiam obstupescere, aut cum stupore quodam pauere. Intelligimus ergo Christum, ob instantem mortem, quæ ob oculos illius versabatur, & doluisse, & reformidasse non simpliciter, sed grauiter, ita vt dolor, ac metus molestiam magnam, ac stuporem adferret carni, quod non tantum externo carnis habitu, sed & verbis Dominus expressit, dum dixit:

Causa triplex tristitiæ Christi.

Euthymius.

Tristis est anima mea vsque ad mortem, hoc est, tanta tristitia, & dolor animam meam occupat, vt parum absit à morte, dolorem patitur anima mea dolori mortis simillimum, ac quasi in ipsa mortis constituta sic angitur. *Et ipse auulsus est ab eis, ac progressus paululũ, &c.* Cum dicit auulsum, significat egrè à suis recessisse propter mœroris magnitudinem rapientem ipsum ad aliquod refugium, nec sinentem ipsum diutius adhærere suis. Auulsus est autẽ *passillum*, vt habent Matthæus & Marcus, quod explicasse videtur Lucas dicens, *quantum iactus est lapidis*. Noluit enim longius discedere, quia suos voluit saltem à longe videre quid ageret. Digressus ergo à suis primum *positis in terram genibus*, vt habet Lucas,

deinde

Universidad de Deusto
Biblioteca

deinde etiam pronus *procedens super terram super faciem suam*, vt habent alij duo *orabat*, ipso tui corporis habitu declarans maximam cordis sui contritionem, & humiliationem. Orabat autem inquit Marcus, *vt si fieri posset, transiret ab ea hora*, hoc est supplicium imminens. Dicit autem Marcus eum dixisse, *Abba, Pater*, quod est vnius, eiusdemque duplicatio non inutilis, sed emphasis, aut etiam explicationis causa facta. Cæterum hæc oratio Christi fuit tanquam veri hominis, & naturaliter abhorrentis mortem professa, non ab ipso spiritu, sed à desiderio carnis, & partis inferioris: quo quidem desiderio caro in Christo non pugnabat cum spiritu, & Dei voluntate, primum quidem, quia non absolutè illud quod naturaliter desiderabat, postulauit, sed, si fieri posset, & si Deus Pater vellet. Secundo, quia etiam caro in Christo diuinam voluntatē suo proponitur desiderio, cum diceret.

Oratio Christi qualis.

Verūtamē nō mea voluntas sed tua fiat, hoc est nō meū desideriū (vo lūtas enim hic pro desiderio ponitur) fiat, sed volūtas tua. Adeo in Christo etiā inferior pars subdita fuit spiritui, & diuinæ volutati.

Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos, &c. Quanquam in magna esset Dominus animi angustia propter imminentia sibi mala, non tamen neglexit suorum curam agere, sed inuisit eos, vt videret an sicut ipsis iniunctum erat, vigilia, & oratione sese munirent contra periculum quod ipsos manere sciebat. Vt autem hac in parte suam pro Apostolis solicitudinem declarauit, ita similiter suam erga illos ineffabilem mansuetudinem, cum inueniens eos dormientes mansuete eos compellauit: tacite tantum notans eorum in promittendo infidelitatem, & modeste adhortans ad id quod saluti ipsorum conueniebat. Præ cæteris autē peculialiter Petrum alloquitur, vt qui præ cæteris maiora, & ardentius pollicitus erat; cuique tanquam aliorū capiti, & antesignano, magis vigilandum erat. Huic ergo dixit, *Symon dormis? Ita non potuisti vna hora vigilare mecum?* qui tamen paulo ante pollicitus es te mecum & in carcerem & in mortem iturum. Tale enim quid significat tacitè aduerbio sic. Et Matthæus item Petro Dominum locutum scribit, cum tamen pluraliter eum scribat dixisse, sic non potuistis, &c. Quia quanquam ad solum Petrum hæc diceret omnes tamen notare voluit, vt qui cum Petro eadem fuerant pollicti. Reprehensa autem eorum somnolentia, eos rursum ad vigiliam, & orationem prouocat non sui, sed ipsorummet causa, *Vt*, inquit, *nō intretis in tentationē*, &c. Addit causam, ob quā id merito facere debēāt, nec sibipsis nimiū cōfidere, *Quia*, inquit, *spiritus quidē prōptus est, caro autē infirma*, q d. Et ideo ne per carnis infirmitatē superetur prōptitudo spiritus à tētatione superuēturā, orādum vobis est, nec ob promptitudinē illā nimis confidendum.

Et iterū secundo abijt, & oranit eundem sermonem, dicens, &c. Nō semel

semel tantum, sed frequenter Dominus vnum idemque petit: carnis suæ infirmitatem, & maximum mortis, quod ad carnem attinet, horrorem, hac ratione efficacius astruens, & perseverantiam in oratione suo nos exemplo docens. Cum ergo sic assiduus, & perseverans esset in oratione erst non impetrabat mali imminentis translationem; non tamen caruit hæc eius oratio suo fructu, sed consecuta est diuinam consolationem: qua nunc indigebat humana eius natura sibi relicta, & non ab omni humano solatio solum, sed & à diuino, quod intrinsecus ab vnione diuinitatis prouenire poterat, destituta. Consortabat autem Angelus ea verisimiliter ratione quod suggereret quomodo Patris cælestis nomē per eius mortem esset illustrandum, quantusque fructus hinc & ipsi Christo, & toti humano generi ipsisque etiam Angelis prouenturus esset. Quod autem dixit Lucas Dominum factum in agonia *sum*, prolixius orasse: Matthæus & Marcus sua narratione expressius extulerunt. Prolixius enim orasse docent, quia ter eum orasse testantur factum in agonia; quia scribunt eum cepisse contristari, mœstum esse, pauere, & tædere, tristemque fuisse animam eius vsque ad mortem. Quibus verbis cum magnitudinē angoris Christi testari sint. Lucas eandem alia ratione magis etiam declarauit, cum subijcit sudorem eius factum sicut guttas sanguinis decurren tis in terram. Quibus verbis significat sudorem decurrisse sanguineis guttis, idque adeo copiose, vt in terram ab ipso defluerent, omnino causę, sed miraculo potius tribuendum videtur.

Angelus confortans quomodo.

Sudor Christi.

Et tūc venit tertio ad discipulos, & dixit illis: Dormite, &c. Tum secundo dormientes inuenit, non est tamen adhuc insectatus acriter, sed eorum infirmitatem patienter ferens, silens ab eis discessit verecundæ ipsorum cōsulens. In tertio vero reditu pro solita sua bonitate somnum primo eis prohibitum, & secundo toleratū iam etiam concedit, dicens: dormite iam, & requiescite. Quę verba non esse ironicè accipienda (vt quidam volunt) colligit valde probabiliter D. August. ex Marco, eo quod post illa verba subijcerat sufficit. Hinc enim colligit Dominum post illa verba siluisse aliquandiu, vt hoc fieret quod permiserat, & tunc intulisse, Ecce appropinquauit hora. Quanquam etiam secundum priorem sententiam accipi potest, verbo sufficit Dominum explicuisse ironiā, quę erat in præcedentibus verbis, hoc sensu; Si libet, dormite iam, & quiescite, at vt verum fatear sufficit hactenus etiam me prohibente somno vacasse, ecce enim adest tempus, quod vobis facile somnolentiam excutiet.

Sciebat autē & Iudas, qui tradebat eum locū, quia, &c. Locum in quem secesserat Dominus Iudę nō incognitum fuisse cōmemorat Lucas tum ob id, quod apud ipsum præcedit de secessu Domini, ne vi-

ne videri posset Dominũ latere voluisse, tum vt intelligatur quomodo factum sit, vt illuc veniret Iudas cum suis. Itaque subijcit Iudas ergo, hoc est, quia sciebat quod frequenter Iesus conuenerat illuc, ideo venit illuc, postquam, vt est verisimile, eum requisiuisset in loco cœnæ. Venit autem insigni hominum manu comitatus quam sibi opera Pontificum, & Seniorum comparauerat, partim ex militibus Romanis, qui per cohortem significantur, partim ex ministris Pontificum, & Pharisæorum. Nec tantum in hoc exercitu aderant milites, & serui, sed cum ipsis Romanis militibus aderat & Tribunus, vt patet ex Ioanne cum seruis Pontificum, & Pharisæorum; aderant etiam quidam principes sacerdotum, Magistratus templi, & Seniores, vt patet ex Luca. Præterea non solum tanta, talique multitudine instructus venit Iudas, sed eadem contra nocturnas tenebras, & insidias laternis, & facibus, contra apertos incursus, siue Apostolorũ, siue omnium fauentũ Iesu, armis vanijs, gladijs scilicet, & fustibus, vel lignis bene munita. Ceterum Iudæ facinus Euangelistæ sua narratione egregie exaggerant, describentes illud tanquam rem stupendam, & nouam. *Ecce enim*, inquiunt, *Iudas ille*, qui vnus fuit è selectioribus Christi discipulis, *venit cum turba multa*, dux factus, & antesignanus impietatis, qui electus fuerat in duce virtutis. Hic autem non se tantum manifestis hostilitatis indicijs armauit ad promissum facinus perpetrandum, sed etiã subdolo pacis signo. Ne enim per noctis tenebras decepti manus inijcerent in aliquem Apostolorum pro Christo, aut ne Christus seipsum transformando elaberetur è manibus Iudæorũ, quo ipsum agnoscere possint, signum pacis, quale maxime est osculum, dedit illis.

Orig. Hier.

Quemcunque, inquit, *osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Cumque hac conditione satisfacere posset factę à se promissioni, hostibus etiam sui magistri consuluit, quomodo iam captum possint captiuum detinere. *Et*, inquit, *ducite caute*, hoc est circumspectè, & prouidè. Cauerant enim Sacerdotes ne Iudæ numeraretur pecunia, ni Iesus esset in manibus; itaque metuebat, ne vt aliquando elaberetur. Et quidem Iudas sic venit contra Dominum instructus partim vi, partim fraude, Dominus autem nec fraudem eius, nec vim contra se quicquã valere declarauit: dum & fraudẽ eius sub osculo latentem detexit, & exercitũ eius in terram prostrauit. Iudas ergo omni timore, atque pudore propter auaritiam posthabito, Dominum, quem ob varia ab ipso accepta beneficia reuereri, quemque ob expertam in ipso omni scientiam timere debuerat, inuerecundè, & intrepidè accedens, amicitiam verbis, & facto simulauit dicens, *Aue Rabbi*; osculumque adijciens. Dominus autem necdum suam erga Iudam deponens benignitatem, curamque lucrifaciendi, & si illius non ignoraret versutiam, tamen

tamen & ad solitum admittit osculum & blandis compellat verbis, proprio ipsum non dedignatus nomine, & insuper amici tribuens appellationem, quẽ sciebat sibi capitalem inimicũ. *Amice*, inquit, *ad quid venisti?* Amicũ vocat, non quod ab ipso diligeretur, sed quod ipsum diligeret, eique benè vellet, & de eius perditione doleret. Dicit autem istud admiratiuè, potius quàm interrogatiue, q.d. Si venisti vt amicus amicitiæ signa amico exhiberes, sicut verbis, & osculo præ te fers, quorsum tecũ habes hostilem exercitum? Si venisti vt inimicus inimicis me traderes, quorsum amica hæc salutatio, & osculum pacis symbolum? Sic & quæ sequuntur. *Iuda osculo filium hominis tradis?* Sunt etiam admiratiuè, & cũ emphasi dicta, significatque Dominus his verbis non incognitam sibi fuisse Iudæ fraudem sub osculo latentem.

Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se processit, &c. Nempe obuiã hostibus suis & dixit eis. *Quẽ quæritis?* Vt data ab eis responsione conueniente haberet sese prodendi occasionem: & palam faceret illos multũ licet luminis secũ afferentes, tamen se etiã præsentem, cum ipsis loquentem, ne agnoscere quidẽ posse, multo minus comprehendere, nisi vellet agnosci, & comprehendi. Cum autem Christus se esse responderet, quem quærebant, & nominabant, veluti à vehementi vento ex aduerso flante, ita à voce Christi venientis ex aduerso retroacti ceciderunt in terram supini vna cum suo duce Iuda; quã re declarauit Dominus effugere posse si vellet, suorum hostium quantumuis multorum, & bene armatorum vim. Cum ergo eius permissione sese exeissent, iterum interrogauit eos quem quæterent, vt illis necdum ad præsentiam commotis, sed in maligno proposito perseuerantibus sese prodéret, & traderet; incorrigibili eorum malitia vsurus ad electorũ salutem. Adiecit autem quod rursum suam pro suis curam, & contra hostes potentiam declarauit, cum dixit:

Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Nõ quidem deprecatiuè id dicens, sed imperatiuè. Fuitque eius imperium adeo efficax, vt quamquam inimici essent, quibus imperabat, qui non statuerant ei in aliquo gratificari, & facinorosi soleãt simul cum suis sectatoribus comprehendi: illi tamen facerent, quod iussum erat, sinentes abire, quos ille illæsos abire voluit. Causam autem huius pro suis solicitudinis reddit Euangelista dicens; *Vt sermo impleretur quem dixit*, in oratione scilicet ad Patrem; *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam*: Quod nihil aliud est, quam sua culpa, & negligẽtia neminem illorum periisse. Quod & de perditione spirituali posissimũ, & de perditione corporis (ad quam Ioannes hic accommodat) accipi potest, in quam etiam Apostoli cecidissent, si cum Christo deprehensi fuissent.

At illi tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum. Potestate

Iudæis à Christo, facta, tum demum quod auidè concupierunt, adimpleuerũt. Discipuli autẽ, qui circa ipsum erant, & à parte ipsius erant, *Videntes quod futurum erat*, nempe quod etiam vincula Domino essent iniecturi, quodque vinctum abducturi erant ad supplicium, cum prius siluissent, Domino suam potestatem insigniter exerente, nunc Domino se illis permittente, zelo concitati ad vindictam, & defensionem dixerunt ei; *Domine, si percutimus in gladio*, hoc est, num vis vt percutiamus gladio? Petrus autem, vt & alias, præ cæteris ardentior, non expectato Domini responso, cum haberet gladium, educto illo mox percussit seruum Principis sacerdotum, quod scilicet is forte aut primus, aut ferocius manus iniecerat in Iesum, tãtoque eum ardore in hunc insurrexit Petrus, vt auriculam illi amputaret, quod manifestum erat indicium illũ quæsisse medium ei findere caput, atque illud euenturum fuisse, nisi diuinitus fuisset ictus moderatus. Dextram autem fuisse auré, quæ amputata fuit expresserunt Lucas, & Ioannes, idque ad maiorem historiæ certitudinẽ, ob quam Ioannes etiã nomen serui expressit. Dominus autẽ primum quidẽ respondet ad interrogationẽ discipulorum, reprimẽs eorũ conatum, ac dicens: *Sinite vsque huc.* D. Aug. existimans hæc verba à Domino dicta non post factum Petri, sed in ipso facto mox post interrogationem discipulorũ vult hunc esse sensum; permittite eos hucusque progredi, vt me apprehendant, & impleantur, quæ de me sunt scripta. Euthymius tamẽ sentit Dominum hæc dixisse post Petri percussionem. Sicut & nat ratio Lucæ videtur satis significare, vt sit sensus; vlterius desinite, in hoc cessate, nec vltra ad vindictam progrediamini. Et hæc quidem de horum verborum intelligentia, post quæ Dominus mox contingens resectam auriculam sanauit eum, nobis quidem relinquens exemplũ benefaciẽdi hostibus nostris, ac docẽs rursum per declaratã suam potentiã spontaneè se mortẽ adire, ipsis vero hostibus occasionẽ præbẽs, qua à proposito facinore auocari debuerãt. Cohibitis discipulis, sanatoq; læso ad Petrũ conuersus Dominus cũ ne progrederetur cõprimit, factũ eius triplici redarguẽs ratione, quod cõtra legẽ esset à Deo institutã, quod cõtra specialem Dei Patris ordinationẽ, quod huiusmodi defensione nõ indigeret. Quod ergo ad primũ attinet, postquã dixisset Petro: *Cõuerte gladiũ tuũ in locũ suũ*, subintulit pro ratione. *Omnes enim qui gladiũ acceperint, gladio peribũt*, cuius sententiæ satis cõstat hunc esse sensum: Omnes qui gladium acceperint, digni sunt, qui similiter gladio pereãt, merenturque gladio perire, intelliguntque de his, qui propria authoritate, & voluntate, ac quasi à seipsis illum accipiunt ad vindicandum. Secundo idem Petri factum reprobat, ostendens illud esse contra specialem Dei Patris ordinationem, cum dicit;

Calix

Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Quibus verbis significatur Petrum suo facto videri voluisse prohibere ne biberet Dominus calicem, quem ei Pater propinauerat, hũc autem se propter obedientiam Patri debitam libenter bibere velle, adeo vt absurdum iudicet, quod ab hac obedientia quisquã eum auocare vellet. Tertio denique, vt dictum est, Petri factũ reprehendit ob id, quod illius defensione, quæ sibi inutilis erat non indigeret, dicit enim; *An putas, quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Pro scilicet duodecim Apostolis, qui contra hanc tantam turbam hostium meo tuam nõ potestis sufficere, sicut illi sufficerent, ex quibus vel vnus sufficeret. Addit autem rationem quare illas non requireret, cum subdit;

Quomodo ergo implebuntur scripturæ? dicentes, scilicet, *quod sic oportet fieri?* Apertissime enim hoc dicit, præter alias Scripturas cap. 53. per totum.

Et in illa hora respondens Iesus, dixit turbis, & ad eos, &c. Postquã Petro verbis, & ratione ostendit se spontaneè capi, & mortem adire; idem nunc verbis, & ratione ostendit turbis, & his potissimũ, qui cum illis venerant, Principibus Sacerdotum, & Senioribus, quorum malitiæ insipientia militum, & ministrorum seruiebat; *Tanquam ad latronem*, inquit, *existis cum gladijs & fustibus, &c.* Quæ verba pronunciatiuè magis quem interrogatiuè sunt accipienda, vt sit sensus: Nũc quidem ad me cõprehendendum existis cum gladijs, & fustibus tanquã latronem cõprehensuri, at ego iã aliquot diebus semper, & per integros dies sui apud vos, docens sciens in publico loco, & tamen cum idem esset quimodo animus vester in me, non misistis tunc manus in me. Quare hoc? Quia sane nũc vobis nequaquã permissa fuit potestas in me, sed hæc esthora vestra, qua vobis permittitur in me quod libet agere, sed hæc potestas est tenebrarum, hoc est, malignorum spirituum, qui nunc eundem sumũtur quod diu concupierunt per vos perficere in me. Dicit autem Euangelista Matthæus, quod in alijs aliquot locis dicere est solitus;

Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ, &c. Quasi Marcus etiã testatur Dominũ dixisse ad turbas, *sed vt impleantur scripturæ*, subaudi, ideo nunc vobis permittitur, quod prius nõ permittebatur, aut aliud simile. His autem sic circa Dominum gestis, & ab eo dictis discipuli eius videntes illũ se spontè tradere suis hostibus, nec esse spẽ euasionis, *omnes* ad vnum vsque, *relicto eo fugerũt*, impletũq; est, quod dixerat Dominus, omnes scãdalizãdos esse in ipsa nocte. Omnibus autẽ discipulis fugiẽtibus, adolescẽs quidã, vt refert solus Marcus, sequebatur eũ, *amictus sindone*, hoc est, subtili lineo vestimẽto, *super nudo*, subaudi corpore. Cũ autẽ tã

Universidad de Deusto
Biblioteca

vatiè de eo sentiant veteres, parũ refert scire quis fuerit: fuerit videtur verò istud à Marco narratum, vt ostenderet quanta fuerit tũ circa Dominum trepidatio, & quam nemo sustinuerit apud ipsum consistere, vtque intelligeremus quomodo Apostolos tractassent hostes, nisi Domini iussu coacti fuissent sinere eos abire.

Iudicatur & illuditur in domo Caiphę. Mat. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

CAPVT CXXXVIII.

† ¤ COHORS autem & tribunus & ministri Iudæorum ▷ ¤ comprehenderunt Iesum ᵈ & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphe, qui erat pontifex anni illius. ᵇ Et ‖¹ duxerunt ᵉ Iesum ᵉ ad domum principis sacerdotum, ᵉ ad ᵃ Caiphan † ᵉ principem sacerdotum ᵉ ᵃ vbi scribæ & seniores conuenerant. ᵃ Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. ᵇ Et conuenerunt omnes sacerdotes, & scribæ, & seniores. † ▷ Sequebatur autem Iesum ᵈ Simon † Petrus ¹ à longè, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum ᵉ usque ᵇ intro ᵉ in atrium ▷ principis sacerdotũ. ᵉ Et ingressus intrò, ᵉ accenso ᵉ igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, ᵇ & ᵉ sedebat cum ministris ᵇ ad ignem, & calefaciebat se, ᵃ vt videret finẽ. ᵈ Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil, quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caiphan pontificem. † ᵉ Principes autem sacerdotum, & omne consilium quærebant ᵃ falsum ᵉ testimonium ▷ contra Iesum, vt eum morti traderent, ‖ & non inuenerunt: ᵉ cùm multi falsi testes accessissent. ᵇ Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. ᵃ Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, ᵇ & quidam surgentes falsum testimonium ferebant aduersus eum, † ᵉ & dixerunt: ᵉ Quoniam ᵃ hic dixit. ᵇ Nos audiuimus eum dicentem: ᵃ Possum destruere templum Dei, & post triduum ædificare illud. ᵇ Ego dissoluã templum hoc manufactũ, & post triduum aliud non manufactũ ædificabo. Et non erat conueniens testimonium

† ₁. At illi tenentes Iesum ▷ ᶜ. comprehendẽdentes autem eum ‖ ᵇ. adduxerunt † ᵇ. ᵒ. summum sacerdotẽ † ᶠ. Petrus autem sequebatur eum ᵇ. Petrus verò longè secutus est eũ ◁ ᵇ. ᵒ. summi sacerdotis * autem † ᵇ. ᵒ. sumi vero sacerbotes ◁ ᵇ. ᵒ. aduersus ‖ ᵇ. nec inuenebant † ₁. dicẽtes ◁ ᵃ. ᵒ. surgens primum illorum. ᵉ Et ▷ exurgens summus sacerdos ᵇ in medium interrogauit Iesum ‖ ᵉ dicens, illi: † ᵉ Non respondes quicquam ad ea ᵇ quæ tibi obijciuntur ab his, [&] ᵃ quæ isti aduersum te testificantur? ▷ ᵉ Iesus autem tacebat, ᵇ & nihil respondit. ᵃ Et ᵇ rursum ‖ ᵉ summus sacerdos interrogabat eum, & † ᵉ dixit ei: ᵇ Tu es Christus filius Dei benedicti? ᵃ Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei. † ᵉ Iesus autem dixit illi: ᵃ Tu dixisti, ᵇ Ego sum. ᵃ Verumtamẽ ‖ ᵃ. ᵒ prædico vobis: Amodò * ᵉ videbitis filium hominis sedentem ᵇ à dextris virtutis ᵃ Dei, ᵉ & venientem † in nubibus cœli. ▷ ᵃ Tunc ᵉ princeps sacerdotũ scidit vestimẽta sua, dicens: ᵃ Blasphemauit: ᵉ quid adhuc ‖ desideramus testes? ᵃ Ecce nunc ᵉ audistis blasphemiam, quid vobis videtur? † At illi ᵇ omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. [Et] ᵃ respondẽtes dixerunt: Reus est mortis. ᶜ Et ᵃ tunc ᶜ viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. ᵇ Et ◁ ᶜ expuerunt in faciem eius † ᵇ & velauerunt eum, ᶜ & colaphis eum ceciderunt. ᵈ alij autem palmas in faciem eius dederunt, ᶜ & percutiebant faciem eius & interrogabant eum ‖ ¹ dicentes ᵇ ei: ¹ prophetiza ᵃ nobis Christe, ᶠ quis est qui te percussit? ᶜ Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. ᵇ Et ministri alapis eum cædebant.

Cohors autem & tribunus & ministri Iudæorum, &c. Ioannes Iudæos & milites non solum mississe manus in Iesum testatur, sed etiam ligasse eum, quod maioris erat ignominiæ, & apertum indicium, quod tanquam ad latrocinium comprehendendum (vt supra dixit) exierint. Hæc est ergo secunda pars præcipua passionis Dominicæ, quam in septem præcipuas partes ostendemus commodè diuidi posse. Cæterum nihil est quod ex Euangelistis intelligamus factum ab Anna circa Dominum, nisi quod cum eum vidisset, miserit eum ad Caipham vt erat, ligatum: declarans hac ratione satisse illum non absoluere, sed tanquam nocentem & reũ transmittere, vt rectè intelligamus hunc fuisse primum Iudicem Christi, qui tamen ab alijs est pœrtermissus, quod nihil singulare gesserit circa Dominum.

Et duxerunt Iesum ad domum Principis sacerdotum, &c. Cum obijcerẽt, & intransitu Iesum, Annæ præsentassent, eiusdem iussu mox ipsum deduxerunt ad Caipham: apud quem tanquam summum eo tẽpore sacerdotem conuentus erat scribarũ & seniorum expectãtium Iesum. Hunc Caipham rursum dicit Ioannes consilium dedisse Iudæis, quod expediret vnum hominem mori pro populo, nimirum salutare illud dictum volens mentibus nostris infigere: & significare illum, qui suo consilio autor fuit capiendi Dominum, etiam omnium maximè consilij illius promouisse effectũ. Cæterum Petrus è fuga quam inierat cum alijs, tetactus amore quodam erga Dominum, non nihil adhuc fidens virtuti suæ, aut

ceps sacerdotum † ₁ ait † ₁ Nihil respondes ▷ ᵇ. ille ‖ ᵃ. ᵒ princeps sacerdotum † ₁ ait illi † ₁. Dicit illi Iesus * ᵇ. & † ᵇ. cum ▷ ᵇ. summus autẽ scindẽs vestimenta sua ait ‖ ᵃ. ᵒ egemus testibus † ᵇ. Qui ▷ ᵇ. cæperunt quidam conspuere eũ, & velare faciem eius & colaphis eũ cædere ‖ ᵇ. & dicere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

latere sperans, quo cognosceret euentum rei, sequebatur Iesum, sed à longe & cum eo alius quidam discipulus, qui communiter creditur fuisse ipse Ioannes hæc scribens, licet alij non improbabilibus argumentis aliter sentiant. Is quisquis fuerit (parum enim refert hoc scire) ausus est post Iesum & ministros ingredi vsque in atrium Pontificis. Petrus verò partim timore, partim verecundia prohibitus stetit ad ostium foris. Alius ergo discipulus intelligens Petrum præ verecundia foris manere, quem tamen sciebat cupidum cognoscendi exitus, regressus ex atrio, egit cum ancilla ostiaria, vt introduceret eum, quo facto Petrus etiam in atrium Pontificis ingressus est, ministris se permiscens. Hac narratione Ioannes ostendit quomodo factum sit, vt quod alij omnes tradiderunt Euangelistæ, Petrus in atrium peruenerit Pontificis.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis eius. Varijs modis Pontifex & qui cum eo erant, quæsierunt inuenire crimen aliquod, quod ei coram Iudice obijcerent hac in parte, sicut in alijs, longè deficientes ab æquitate sacerdotali. Imprimis ergo Caiphas, vt ex Christi responsis aliquid excerperet, quod illi criminis vici posset impingi, speciem præbens iudicij legitimi interrogauit Iesum de discipulis eius, & de doctrina ipsius. De discipulis quidem, quales scilicet essent, & quem ad vsum eos sibi adiunxisset, nimirum notare eum volens seditionis & affectati regni. De doctrina verò qualis esset, an cum lege Mosaica consentiens. Itaque cupiebat ostendere ipsum esse nouatorem, ac seditiosum, contrariumque tum Romanis, tum Deo. Iesus autem & si hæc omnia sciret; non tamen conuitijs fallacem est insectatus, sed summa cum prudentia Pontifici respondit fidenter quidem & fortiter, sed tam appositè, vt & ipsum taxaret ignauiæ ac malæ interrogationis, & se ab omni nouationis, ac seditionis studio alienum esse ostenderet. Et de discipulis quidem nihil tum apertè respondit, sed tantum de doctrina, siue quod causa discipulorum talis tum non fuerit, vt gloriosa de eis prædicaret, siue quod responsio de doctrina etiam ipsam de discipulis abunde expedit quæstionem. Dicit autem se semper docuisse in Synagoga & in templo, non quod alibi nunquam docuerit; sed quod ab initio prædicationis vsque ad illud tempus, nunquam declinauerit publica illa doctrinæ loca. Sic etiam quod sequitur est accipiendum;

Et in occulto locutus sum nihil. Quia nihil diuersum ab his quæ palam docuit. Hæc cum dixisset, *vnus ministrorum*, immemor declaratæ prius à Domino contra hostes suos potentiæ, quo rem gratam faceret Pontifici indignans quod liberè adeo respõderet, per adulationem, *dedit alapam Iesu*. Quæ ignominia vt in se est maxima, ita erat & iniustissima. Addidit autẽ conuitium, & se stulo, & magistro Pontifice dignum, *Sic* inquit, *respondes Pontifici?*

quasi vero Pontifici non sit liberè, & cum ratione respondendum. Porro Dominus cum verbo posset hunc impactorem alapæ cum suo perdere Pontifice: tamen insigne patientiæ, & mansuetudinis nobis exemplum relinquens, verbo, & ratione illum confutat, libere quidem, sed mansuetissimè.

Si, inquit, *male locutus sum, testimonium perhibe de malo.* Hoc est dicere, & ostende ratione quid male dixerim. *Si autem bene*, locutus sum, *cur me cædis?* q.d. Aut bene loquutus sum, aut male (est enim argumentum cornutum) Si male tuum non est mox vindicare, sed testari, & ostendere quod malè locutus sum: si autem bene, tantum abest, vt me cædere debueris, vt potius laudandus tibi sim, & admirandus.

Principes autem Sacerdotũ, & omne consiliũ quærebãt, &c. Cessantes ab ipsius interrogatione, interrogare incipiũt, sicut Dominus tulerat, eos qui ipsum audierãt: speciem quidem legitimi iudicij, & inquisitionis exhibentes, sed tamen veră iudicij formă non seruantes: tũ quia nocturnũ tempus iudicio non conueniebat, tum quia veris deficientibus falsa contra Dominum iudicia exquisierint. Quod insigniter ipsius declarauit innocentiam: cum non inuenerint testimoniũ etiam falsum, quale quærebant, quia vt Marcus ait:

Testimonia eorum non erant conuenientia, quia inter sese non consentiebant, sed ipsa sese refellebant. Post multa autem falsa testimonia, tandem surrexerunt duo, quorum falsum testimonium Euangelistæ commemorandum duxerunt, siue quod apertam contineret falsitatem, siue quod mysterium mortis Christi, de qua nunc agitur, in se complectatur. Hi ergo dixerunt se audisse eum dicentem se posse destruere templum Dei, & post triduum illud reædificare. Apud Marcum vero grauius, & inuidiosius asserunt quod id esset facturus, & rursum asserunt eum adiecisse de templo manufacto, & non manufacto. Huius mendacij occasionem sumpserant ex verbis Christi, qui dixerat: Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud; quæ verba malè intellecta refes illi deprauabãt. Non enim dixerat possum destruere, aut dissolutã. sed soluite vos, nec dixerat de templo manufacto, aut aliono manufacto, sed simpliciter de templo hoc, nec dixerat se reædificaturum, sed suscitaturũ, alludens ad corpus suum exanimandũ, & suscitãdum. Sed & hoc testimoniũ non est Pricipibus visum cõueniens vt refert Marcus, siue quia non eodem modo & concorditer referebãt, sed vnus forte sicut habet Matthæus, alter sicut habet Marcus, siue potius quia videbant illud nihil habiturũ ponderis apud Pilatũ, ad iudiciũ mortis proferendũ: Rursum ergo sumus Sacerdos veluti ex præsidentis in cõcilio authoritate, interrogare aggreditur Dãm, si forte ex eius verbis quicquã audire posset quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod contra eum proferrent. Non autem iam pro Iudicis modestia manet sedens, sed ira ipsum rapiente è solio excutitur, vesaniã mentis ipso corporis motu demonstrans, vnde dicitur:

Et surgens Princeps sacerdotum in medium interrogauit Iesum dicens. Nihil respondes ad ea, quæ isti aduersum te testificantur? Indicauit quidem apud se conuenientia non esse illorum testimonia, fortiter tamen illud dissimulauit, & velut vrgẽtia valde, atque metuenda, ita de his interrogat Dominum. *Dominus autem tacebat, & nihil respondit*. Et merito atque prudenter. Sciebat enim totum concilium ira, atque inuidia contra se commotum, magis responsione sua, quam silentio irritandum. Cæterum cum silentio Christi conatum suum Pontifex videret frustrari: noua iam ratione silentium illi conatur eripere, simulque extorquere de quo ipsum coram Iudice accusare possent. Adiurando enim eum per Deum pro Pontificis authoritate, exigit vt dicat si sit Christus filius Dei, nec ne: vt si quidem taceret, ostenderet se Pontificiam contemnere authoritatem, & reuerentiæ Deo debitæ non cædere, si vero cædens loqueretur, vtramuis quæstionis partem eligeret, accusationis præberet occasionem. Quid autem sit adiurare per Deum: dictum est in cap. Conc. circa illud Marci. Adjuro te ne me torqueas. Etsi autem hac contra Christum adiuratione abusus sit Caiphas, cum se frequenter satis Christum esse declarauerit. Dominus tamen quo se declararet Dei authoritati cædere, & Pontificis etiam sceleste authoritatem non contemnere, & vt Iudæis omnem suæ infidelitatis prætextum amputaret: respondit aperte quod alias rato fecit se esse Christum. *Tu*, inquit, *dixisti*, hoc est, vt habet Marcus, Ego sum. Non simpliciter autem asseruit se esse Christum, sed adiecit etiam efficacissimum argumẽtum, quo omnibus suo tempore declarandus sit esse Christus filius Dei, etiam his, qui tum illum agnoscere noluerũt, quando scilicet omnes eũ videbunt sedentẽ à dextris Dei, & venientem in nubibus cæli ad iudicandum viuos, & mortuos. Cum ergo & ex Marco & ex Luca satis constet Christum hæc adiecisse in argumentum eius quod se Christum esse dixerit: dictio veruntamen apud Matthæum videtur accipienda non aduersatiuè, sed pro imò, aut, & sanè, sicut sæpe accipitur in Psal. & hoc etiam significat dictio ἀλλὰ. Cum autem ad dicendam veritatem Pontifex per reuerentiã Deo debitam Dominum adegisset: tamen iã audita veritate indignationem non vulgarem ostendit, idque quasi zelo gloriæ diuinæ cõmotus, dum scidit vestimenta sua, exclamans eũ blasphemasse. Erat autẽ scissio vestimentorũ celebris mos apud Hebræos in signũ deplorãdæ alicuius rei. Cæterũ cũ hoc signo Pontifex indignationem suã declararet: tamẽ è cõtrario verbis satis significauit suum ob extortã confessionem eius, vnde illum accusare possent gaudium, cũ subiecit:

Num. 14. *Ios* 7.

Quid adhuc desideramus testes? Ecce nunc audistis blasphemiam. Illa enim vox est gaudentis se post longam expectationem iam voti sui compotem effectum. Vt autem impius hic Pontifex adiurando peccauit, quia maligno animo, & non discendæ veritatis studio Dominum adiurauit, vtque peccauit scindendo vestes suas, quia ficto pro Dei gloria zelo, & non vero dolore vestimenta sua scidit: ita tertio in suo ad præsentes sermone peccauit, quod tanquam iudex præsidens iudicis officium peruertit, accusatoris partes agens, dum dicit:

Blasphemauit, & ecce nunc audistis blasphemiam, & iudicis partes adstantibus defert dicens, *Quid vobis videtur?* Nec cunctantur illi mox post intentatum crimen sine omni discussione iudiciariam proferre sententiam, vno ore dicentes eum esse reum mortis, qua sententia sese Iudæi planè tunc condemnauerunt. Si enim Dominus ob blasphemiam secundum legem reus erat mortis: ergo lapidibus ab ipsis erat obruendus, quemadmodum fecerunt in Stephano.

Et tunc viri qui tenebant Iesum, illudebant, &c. Non enim vinctus tantum in concilio adstabat, sed multorum adhuc ministrorum manibus detinebatur, qui cœperunt ei, tanquam iure condẽnato variis modis illudere, & potissimum quinque iniuriarum species ex Euangelistis licet aduertere. Primò enim conspuerunt in faciem eius, secundo faciem eandem venerandam, & speciosam velauerunt, quo audacius, & inuerecundius omnes iniuriarum species ei inferrent. Tertiò iam velatam faciem percutiebant, & quidam, quidem colaphis, hoc est pugnis eum ceciderunt, clausis manibus eius faciem, aliasque corporis partes pulsantes, alij autẽ alapas hoc est palmas in eius faciem dederunt, apertis manibus eam ferientes, quæ res in vitis maximæ ducitur ignominiæ. Hæc ergo est quarta ignominiæ & iniuriæ species. Postremo duris verberibus durissima, & opprobrijs, conuitijsque plena addiderunt verba, dicentes.

Quinque iniuriarũ species Christo illatæ.

Prophetiza, id est, diuina nobis Christe, *quis est, qui te percussit?* Christum eum vocant conuitiosè, tanquam qui inanitet nomen illud sibi vendicauerit, Prophetæ etiam nomen conuitiosè ingerunt, quod talis à populo sit habitus. Nec hoc contenti conuitio *alia multa*, vt habet Lucas, *blasphemãtes*, hoc est conuitiãtes dicebant in eum. Horrore hæc omnia sunt plena, ita vt nulla mens capere, nulla facundia horrorem huius culpæ exprimere possit: quare hæc omnia pijs mentibus diligentius expendenda & considerãda relinquimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ter Petrus negat Dominum. Mat. 26. Marc. 14. Lucæ 22. Ioan. 18.

CAPVT CXXXIX.

PETRVS autẽ sedebat foris in atrio. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, accessit adeũ vna ancilla, ex ancillis summi sacerdotis, & cũ vidisset Petrũ calefacientẽ se [&] sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita dixit: Et hic cũ illo erat. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Et tu cum Iesu Nazareno eras. At ille negauit eum coram omnibus dicens: Non sum. Mulier nõ noui illum. Neque scio, neque noui quid dicas. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebãt se. Erat autem cũ eis & Petrus stans, & calefaciens se. Et exiit foris ante atriũ, & gallus cantauit. Exeũte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & vnus ex eis vidisset eum ancilla. cœpit dicere circumstantibus, his qui erant ibi: Quia & hic erat cũ Iesu Nazareno. Erat autẽ Simon Petrus stans, & calefaciens se. Et post pusillum alius videns eum dixit: Et tu de illis es. Dixerunt ergo ei nunquid & tu ex discipulis eius es? Petrus verò iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominẽ, & dixit: O homo non sum. Et post pusillũ rursus interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. [Et] accesserunt qui astabant & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es, nam & Galilæus es & loquela tua manifestum te facit. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nõne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit. & ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Ille autem tunc cœpit detestari, & iurare, quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim adhuc illo loquente, gallus iterum cantauit. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini Iesu, quod dixerat ei, Quia priusquàm gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foras Petrus, fleuit amarè.

*venit
Quẽ cum vidisset ancilla quædam
aspiciens illum
dicens
ait
Galilæus
dicit ille
Nescio quid dicis
autem
ait
ex illis est
ille
stabãt
dicebãt
anathematizare
nõ noui hominem
sentiũ
quod dixerat ei Iesus
sicut dixerat
cœpit flere*

Petrus autem sedebat foris in atrio, &c. Cum Dominus à Principibus Sacerdotum interrogaretur, & à ministris illuderetur; interea Petrus in atrio erat inter ministros sese calefacientes, cum quibus & ipse se calefaciebat, *quia frigus erat.* Atque hoc fuit principium negationũ ipsius, quod aulã Pontificis impij est ingressus, & impiorum consortio se immiscuerit. Inter hos ergo iam re ipsa se Christi dissimulans discipulum *sedebat Petrus*, vt habet Matthæus, *foris*

foris in atrio. Non discordat autem quod Ioannes hunc dicat ad prunas stetisse cum ministris. Intelligendum enim Petrum & ministros, vt fit, nunc sedisse, nunc stetisse. Et quod dicitur foris sedisse, non repugnat ei quod Matthæus, & Marcus dicunt eum ingressum intro in atrium summi Sacerdotis: quia non permansit ante fores domus, sed vsque in atrium, quæ prima magnarum domuum pars est, peruenit. Foris sedit in atrio, & vt habet Marcus, in atrio deorsum, respectu eius loci in quem ante Pontificem Christus deductus fuit. Non enim Pontifex cum concilio seniorum egit cũ Christo quæ dicta sunt in ipso atrio, vbi inter prætiscuam multitudinem ministrorum erat & Petrus: sed in atrio, aut cubiculo aliquo interiori, ad quod ex atrio primo fuerit per gradus aliquot ascensus, vt eius comparatione Petrus foris sedisse dicatur, & deorsum. Hic ergo sedente Petro, ancilla quædã domestica, quam ostiariam fuisse Ioannes insinuat, videns Petrum se calefacientem, & per lumen ignis, aut candelarum eum agnoscẽs, & vel admirans eius audaciam, vel petulantia quadam puellari ipso lescens, ne non responderet ingenio sui Domini, suorumque consortiorum; primum quidem astantibus dixit, quod habet Lucas; *Et hic cũ illo erat*, deinde vero etiam ipsum aggressa audacter Petrũ, dixit quod habet Ioãnes; *Nũquid et tu ex discipulis es hominis istius?* aut quod habent Matthæus & Marcus, *& tu cũ Iesu Galilæo, vel Nazareno eras*. Tum Petrus, qui tam gloriosè prius Domino promiserat se non negaturum, etiã si moriendum esset, ancillulæ vilis cõmotus voce mox negat se esse vnum ex discipulis, imò ne nosse quidem, aut scire se eum, qui nominabatur, asserebat. Cæterum Marcus sicut prius solus dixit Dominum prædixisse bis gallum cãtaturum: ita nunc solus dicit post primã negationẽ Petri gallum cecinisse, cum iã egressus esset foras, vt ostenderet veram fuisse Domini prædictionẽ, & vt significaret Petrum nec primo quidẽ gallicinio admonitum prædictionis Domini, vt eius memor resipiscere, cum tamen gallicinium illud audierit, eoque audito secedere commodè potuisset. Ad id enim significandum valet, quod antequam gallum cãtasse dicat, Petrum scribat exisse foras; vbi facilius quam in tumultu ministrorum gallicinium audire potuit. Non enim pœnitus è malorũ se nũc subduxit consortio, sicut post tertiã negationem cum dicitur egressus foras, &c. Proinde quod in Marco legimus exiit foras ante atriũ, Græcis est εἰς προαύλιον. i. in vestibulum atrij, sic & quod habet Matthæus. Exeunte illo ianuam, Græcè est εἰς πυλῶνα, hoc est in vestibulum; vt intelligamus Petrũ non exijsse domum, sed tantum in priorem atrij partem. Cum autem ille exire inciperet, & sese subducere pararet, *vidit eum alia*, vt habet Matthæus, *ancilla*, eaque respondens ingenio sui magistri, & ancillæ prioris, sicut prior etiam dixit circumstantibus,

Et hic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et hic erat cum Iesu Nazareno. Obseruauerat enim ipsum aliquoties in Christi sequela proximum ipsi adhærere. Post hanc ergo secundæ ancillæ suggestionem, non ita mox secuta est Petri negatio: quanquam eã Matthæus & Marcus statim subijciãt sed reuersus Petrus rursum stetit, vt habet Ioannes calefaciens se cum alijs. Ac cum non diu post primam negationem alius quidam, vt habet Lucas, commotus, vt est verisimile, suggestione ancillæ, cuius meminerunt Matthæus, & Marcus, videns eum iam reuersum dixit: *Et tu de illis es?* Ioannes autẽ dicit pluraliter; *Dixerũt ergo ei, Numquid et tu ex discipulis eius es*, verisimile est enim cum illo principali plures Petrum appellasse: nisi velimus esse synecdochen. Tũ ergo Petrus à pluribus iam interpellatus, non solum negauit, vt prius, sed iureiurando confirmauit se ne nosse quidem hominem, nec esse ex eius discipulis. Et verum quidem asseruit, & iurauit, quanquam præter eius intentionem. Neque enim satis nouit tum hominem illum, quem ob infirmitatem, non potuit iam credere verum esse Deum, neque ex discipulis iam eius erat, à quo defecerat. Tertia negationem pusillo post secundam tempore factam Matthæus, & Marcus commemorant, quod Lucas scribit fuisse quasi interuallum horæ vnius. Tum ergo, vt habet idem Lucas, alius quidam ab eo, de quo dixit in secunda negatione, dixit non quidẽ Petro, sed astãtibus ipsum esse ex discipulis Iesu: signo quopiam iam confirmans nimirum *quod Galilæus esset*, qualem cum esse ex vestitu, aut potius ex loquela animaduertit: non quod alia lingua loquerentur Galilæi, quam Iudæi, sed quod etiam in eodem idiomate singuli haberent linguæ proprietates, quibus dignosci poterant. Verbis eius, de quo Lucas, commoti astantes accesserunt, vt habent Matthæus & Marcus, & simul cum illo dixerunt Petro:

Verè et tu ex illis es, nam & Galilæus es; & loquela tua manifestũ te facit. Signo iam dicto, quo Petrus vrgebatur, accessit aliud, quo etiam magis vrgebatur, & in vehemens adducebatur periculum. Nam vt habet Ioannes;

Vnus ex seruis Pontificis cognatus eius cuius abscidit, &c. Huius igitur voce non solum venit in periculum, vt tecenti aliquo iudicio ex discipulis Christi esse agnosceretur: sed vt etiam pro iniuria cognato, & conseruo illata grauiter vindicaretur. Itaque cum iam non solum multitudine, sed etiam signis euidentibus præmeretur: magis etiam, vt par erat, sibi metuens, non solum cum iureiurando, vt in secunda negatione fecerat, negauit Dominum, sed etiam cum anathematisatione, hoc est, detestatione, & deuotione sui ipsius. Et hactenus quidem de Petri negationibus, ex quibus patet, quomodo inter se omnium Euangelistarum narrationes hac in parte satis variæ, optime inter se consentiant. Porro pœnitentiæ

nitentiæ eius principium fuit secundus galli cantus, qui accidit secundum Lucam, *adhuc illo loquente*, in maiorem confirmationem veridicæ prædictionis Christi. Nec tamen hoc signo Petrus ad se rediit, nec rediturus erat, nisi Dominus efficaci suo contuitu reddidisset illum sibi. Vnde subijcit Lucas;

Et conuersus Dominus respexit Petrum. Quod de spirituali & non de conuersione corporali intelligendum esse, aut respectu, patere potest ex præcedentibus, in quibus ostensum est Christum intro fuisse inter Sacerdotes, & Seniores, Petrum vero foris in attio inter ministros. Spirituali ergo Domini contuitu efficaciter commotus Petrus, post secundum Galli cantum, *recordatus est verbi Domini, quod ei prædixerat*, eiusque memor, tacito diuini respectus afflatu prouocatus ad pœnitentiam, *mox egressus est foras*, egressusque *fleuit* non leuiter sed *amare* nimirum se grauiter deliquisse agnoscens in Dominum suum. In quem quã magnam iã rursum habuerit fidem, ipse lachrymę testantur amaræ.

Ducitur ad Pilatum, & Iudas se laqueo suspendit. Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 22. & 23.

CAPVT CXL.

M[a]ANE autem facto[a], [b]consilium [&][a] consilium †[c]. Et vt inierunt omnes [c]principes sacerdotum, & seniores ▷ po- factus est puli', [c]& scribæ[c] aduersus Iesum, vt eum mŏrti tradedies. rent, [c]& duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si ▷[c]. ple tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non bis creditis mihi: si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis. Quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimoniũ? ipsi enim audiuimus de ore eius. [1] Et[b] confestim mane concilium facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis, & vniuerso concilio, [c]& surgens omnis multitudo eorum, [b]vinctentes Iesum [b]vinctum [1]adduxerunt [1]eum [c]ad Pilatum, [c]& tradiderunt [a]Pontio[c] Pilato[a] præsidi. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, Hacel dema, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletũ est, quod

est, quod dictum est per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt filij Israel, & dederunt eos in agrũ figuli, sicut cõstituit mihi Dominus.

Mane autem facto conuenerunt, & consilium inierunt omnes, &c. Cum factus esset dies, rursum conuenerunt plebis capita, & congregati rursum inter se consultauerunt contra Iesum, *vt eum morti* cuius iam reum eum condemnauerunt, *traderent*: quærentes scilicet, quid potissimum contra eum obijcerent coram Pilato, quem sciebant parum curaturum si tantum quæstiones quasdã, & querelas ad legem ipsorum pertinentes contra ipsum proponerent. Marcus dicit, *confestim eos mane consilium fecisse*. Feruidi enim erãt Iudæi de quibus dictum est, Veloces pedes eorum ad effundẽdum sanguinem. Igitur iam rursum congregati, & inter se consultãtes, duci rursum iubent Iesum in concilium suum dicentes vt habet Lucas; *Si tu es Christus, dic nobis*. Quam quæstionem diuersam esse ab ea, qua Matthæus, & Marcus dicunt Pontificem cum adiuratione requisisse num esset Christus, vt supra est habitum: ex eo satis patet, quod omnes tres Euangelistæ illusionem Christi describũt, quasi nocte factam, & eam factam postquam Dominus rogatus se Christum dixisset; patet tum ex eo quod Matthæus dicat: Tunc expuerunt in faciem eius, &c. Nimirum cum ob blasphemiã omnes condemnassent eum reum mortis, tum quod exprobrando illi obiecerint nomen Christi dicentes: Prophetiza nobis Christe, nẽpe quod illud sibi nomen mox vendicasset. Itaque cum nocturno tẽpore semel audissent eum confitentem se esse Christum, in matutina congregatione rursum de eodem rogant; vt si rursum nomẽ illud sibi vsurparet, confidentius ipsum tanquam pertinacem accusarent coram Pilato; si vero negaret, conuinceretur seipsum condemnare. Dominus autem prudenter respondens:

Si, inquit, *vobis dixero qui sim, nõ creditis mihi*, si autem etiam interrogauero vos de his per quæ ex scripturis me Christum esse agnoscere, & credere deberetis, non respondebitis mihi ex animo, nec me dimitteretis, licet nihil sitis habituri quod contra respondeatis. Ne autem quia hæc dixerat, videretur metu mortis veritatem reticere, quasi dicturus eam si speraret illos credituros, & se dimissuros: confitetur rursum se esse Christum, sed summa cum modestia, & prudentia.

Ex hoc, inquit, *tẽpore erit filius iste hominis*, hoc est, homo este, quẽ ob infirmitatẽ modo contẽnitis, *sedẽs à dextris virtutis Dei*, tanquã verus eius filius, cõsors gloriæ, & potẽtiæ ipsius. Scribæ ergo & Seniores qui cõuenerant quoniã persuasum habebãt, & bene de Messia dictũ esse illud Psalmi. Sede à dextris meis, intellexerunt Christum his verbis insinuare se esse Christum. Vnde intulerunt.

Tu ergo

Tu ergo es filius Dei? Respondit Dominus modo apertius, sed tamen solita modestia; *Vos dicitis, quia ego sum*. Hoc est vos dicitis, id quod est, quia re vera ego sum Christus filius Dei. Illi autem ipso opere declarantes, quo animo rogassent, audita Domini confessione dixerunt.

Quid adhuc desideramus testimonium. Contra ipsum de vendicato sibi nomine Messiæ, & filij Dei? Ipsi enim audiuimus, de ore eius, ita vt ipsi testes contra eum coram iudice esse possumus. Cum ergo idoneam se putassent reperisse causam accusationis, confestim surgentes cum tota sua multitudine vinctũ Iesum adduxerunt ad Pontium Pilatum præsidem tunc in Iudæa agentem, vt ab ipso morti crucis adiudicaretur. Ademerant enim Romani Iudæis potestatem mortis, potissimum quæ per crucem esset, inferendæ. Vinctum autem eum Pilato adduxerunt (pro vincientes enim Græcis est per preteritum ὅδησαν) tanquam insigniter facinorosum ipsa externa vinculorum specie eum demõstrantes. Nec puduit Euangelistas ea quæ viderunt probrosissima diligenter exponere, quod scirent gloriam nostram maximã esse, dominatorem orbis terrarum pro nobis talia sustinere. Hæc igitur legamus cõtinuẽ, hæc nostræ mẽti inscribamus, & in his glorietur.

Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, i. quod à Principibus Iudæorum Dominus morti adiectus esset, dum resi mortis eum pronunciassent, quodque certò iam statuissent non cessare priusquam à Pilato sententiam crucis extorsissent, tum de mum *pœnitentia ductus est*. Prius enim forte putauit Dominum *Iudæ pœnitentia.* sese è manibus eorum, vt alias fecerat, liberaturum, aut, vt iam pœnitentia duceretur ipse diabolus effecit, qui totum eum possederat. Solet enim eorum, quos ad varia perpetranda flagitia excæcauit tandem oculos aperire, vt scelerum suorum videant atrocitatem, vt ea considerata in desperationem præcipitentur, sicque æternæ damnationi fiant obnoxij. Sic Iudas sceleris sui magnitudinem expendens, *retulit triginta argẽteos*. Principibus Sacerdotum, & Senioribus, à quibus præcedenti nocte eos acceperat, dicens; *Peccaui, tradens*, hoc est, eo quod tradiderim sanguinem iustum. Illi vero nihil eius præsentia, & testimonio commoti, imprudenter respondẽt. Quid ad nos, id est, quid nostra refert, nocentem prodideris, an innocentem: cum tamen eiusdẽ essent sceleris cooperatores, imo, & autores & populi pastores. Sed his verbis significauerũt se nolle in seipsis suscipere cum reddita pecunia criminis si quod commissum esset reatum: vnde ipsis hoc recusantibus, Iudas conscientia non sinente vt iniustè pattam retineret mercedẽ (quod etiã auxit testimoniũ innocentiæ Christi) proiecit in tẽplo argenteos ante pedes Sacerdotũ & Seniorũ, eisque abiectis recessit; atque abundantiori tristitia absorptus, & cum

Cain

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cain dicens in corde suo: Maior est iniquitas mea, quã vt veniam mereat, *abiens laqueo se suspendit*, eo quod non ferret carnificinã cõscientiæ suæ; aut etiam quia recordans verborum Domini sui, quibus suã prædixerat passionẽ & resurrectionẽ, metuebat sibi mala futurum post illius resurrectionem.

Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt, &c. Pretium sanguinis in Corbonam, hoc est gazophilatium mittere religionis causa verentur hypocrite, qui nõ verebantur ipsum sanguinẽ effundere, quẽ reddito prætij declaruit esse innoxium. At diuina ita accidit dispositione, quo sic vel suo ipsorum condemnarentur facto & sermone. Si enim prætium sanguinis perinde atque prętium meretricis erat indignum corbona: malè ergo illud & accepit Iudas, & illi obtulerunt. Consilio ergo inito in alium pium vsum illud expenderunt, in commodum scilicet pauperum, ementes eo agrum pauperis cuiusdam figuli *in sepulturam peregrinorũ*, affatim Ierosolymam confluentium, nec habentium proprium sepulturæ locum sicut incolæ omnes proprium habebant. Cæterum dictio haceldemah (quæ non est in Græcis hoc loco) magis est Caldaïca, quam Hæbraïca. Nam Hebræi sanguinem Dam vocant, Chaldei Dema, vel Dama

Haceldemah.

Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetã. Dubiũ hic est, quomodo per Ieremiam illud dictum scribat Euangelista, cum in toto non reperiatur Ieremia, sed potius in Zacharia, apud quem etsi non ad verbum tamen secundum sensum istud reperitur, & variè quidem istud dissoluitur, sed simplicius est, & vero proximius si dicatur Scribarum culpa commutatum nomen Zachariæ in nomen Ieremiæ, aut quod magis placet, Euangelistam tantum scripsisse per Prophetam, omisso omni Prophetæ nomine, deinde vero quendam adiecisse in margine nomen Ieremiæ, quod postea in contextum sit redactum. Vt autem nomen Ieremiæ scriberetur, in causa facile esse potuit, quod apud eum cap. 32 de agro à se empto ex præcepto Domini legatur quod secundum Aug. mysticè in Domino impletum fuisse ostendere hic voluit Euangelista. Sed quidquid sit de nomine Ieremiæ, quod hic in omnibus penè libris reperitur, certum satis ex Zacharia præsens testimonium desumptum, vulgato tamen Euãgelistarum, & Apostolorum more, quo verborum ordine prætermisso, sensus tantum de veteri testamento proferunt exemplum. Itaque Dominus apud Prophtam pro variis in populum suum exhibitis beneficijs petit sibi dari ab eis mercedem suam, eamque tam vilem cõqueritur, vt triginta tantum argenteis illum emendum sibi iudicarint: vnde ironicè illud vocat decorum præciũ, quo ab eis fit appreciatus. Hos iubet vt Propheta proijciat ad statuarium, seu figulum quod & se fecisse Propheta testatur, adiungens se eos proiecisse

Origines

proiecisse Prophetæ testatur, adiungens se eos proiecisse in domo Domini. Hæc autem Domini iussionẽ, & Prophetæ executione, recepto apud Prophetas more, nihil aliud significatur quam Dei ordinatione certo id euentusum fuisse, vt triginta illi argentei quibus indignè nimis Dominus emptus fuit, proijcerentur à Iudæis in domo Domini, & pauperi figulo traderentur in emptionem agelli ipsius. Cum enim Dominus præcipit vt ipse Propheta proijciat, significatur Dominum præcipere, vt ipse proijciendos prædicat, & cum se dicit proiecisse, significat se quod prædicendũ erat prædixisse, aut quod prędictũ est, à suo populo aliquando implendũ. Matthæus ergo sensum Prophetæ obscurum malès explicare quã verba reddere, posuit, & acceperunt triginta argenteos & dederũt eos in agrũ figuli, pro eo quod Hebræis est, proijce eos ad figulũ, & tuli triginta argenteos, & proieci eos in domum Domini ad figulum. Vnde ex persona Prophetæ adiecit, sicut constituit mihi Dominus: quia scilicet Prophetæ præcipitur, vt proijciat ad figulum. Illud autem pratium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël: quod sic videtur ordinandum, vt illud à filijs Israël, cõiungatur cum participio appretiati hoc sensu, pretium Domini appretiati, hoc est æstimati à filijs Israël, quem æstimatum tam vili æstimauerunt, & appretiauerũt. Illud inquam respondet illis Prophetæ verbis; Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos; Et: Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.

Accusatur coram Pilato, & ab eo mittitur ad Herodem. Matthæi 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 18.

CAPVT CXLI.

[a] DVCVNT ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationẽ affertis aduersus hominẽ hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, nõ tibi tradidissemus eũ. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eũ vos, & secundũ legẽ vestrã iudicate eũ. Dixerũt ergo ei Iudæi: Nobis nõ licet interficere quenquã. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. [c] Cœperunt autẽ illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentẽ gentem nostram, & prohibẽtem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regẽ esse. [e] Introiuit ergo iterũ in prætoriũ Pilatus, & vocauit Iesum, & Iesus astitit ante præsidẽ, [f] & interrogauit eũ, præses [h] Pilatus, [n] & dixit [q]

† [c] Pilatus autẽ interrogauit eum [n] & [q] dicẽs

dixit' [d] illi : [p] Tu es rex Iudæorum? [d] Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? gens tua & pontifices tradiderunt te mihi; quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnū meū, ministri mei vtique decertarēt, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnū meū non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? [b] At ille [a] respondens ▷ [b] ait' [a] illi [e] Iesus: [p] Tu dicis [d] quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos. ‖ & [b] dicit' [e] Pilatus † ad principes sacerdotum, & turbas': [k] Ego ▷ nihil inuenio causæ in hoc homine'. [b] Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. [a] Et cùm accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. Tunc ‖ [e] Pilatus [b] rursum interrogauit eum, [a] dicens [e] illi: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? [b] Non respondes quicquam? vide in quantis te accusant. Iesus autem amplius, [a] nihil respondit [e] ei ad vllum verbum. [e] ita vt miraretur præses [a] vehementer. At illi inualescebant dicentes: Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolimis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valdè, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum, & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant adinuicem.

† [d], respondit ▷ [a] dicit

‖ [e], ait autem † [d], eis ▷ [d], Nullam inuenio in eo causam ‖ [e], dicit illi Pilatus † [a], & nō respondit

Quarta pars passionis Dominicæ.

Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Continetur hoc Capite quarta pars Dominicæ Passionis, complectens iniurias Christo irrogatas à Iudæis coram Pilato & Herode. Tertia enim pars ea complectitur, quæ Dominus iniustè passus est in domo Annæ, & Caiphæ. Cum ergo qui in domo Caiphæ conuenerant Iudæorum ptimores, satis se instructos putarent ad accusandum ipsum coram Pilato de criminibus, ob quæ tanquam reus læsæ maiestatis cruci adiudicaretur, *adducunt Iesum à Caipha*, hoc est, *à domo Caipha in prætorium*, id est, domum prætoris ac præsidis Pilati: *Erat autem*, inquit Ioannes, *mane* cum hoc agerent, quo significatum est admodum eos sanguinis Christi fuisse sitibundos. Metuebant sanè ne mora aliqua intercedente Dominus ipsis eriperetur, aut à populo tumultus aliquis contra

contra eos cōcitaretur. Metuebant ne non liceret sibi agnū paschalem quietā mente, & religiosè sumere, si ante illius esum nō esset satisfactum ipsorum voto. Eadem de causa, *ipsi non introierunt*, vt dicit Euang. *prætorium*, vtpote gentilis hominis domum, ne contaminarentur, & contaminati non possent edere Pascha, hoc est agnum Paschalem quem, vt supertius est dictum, Iudæi in vespera parasceues illo tempore erant comesturi. Mūdos autem esse oportebat eos qui illum comesturi erant, vt patet ex cap. Num. 9. Pilatus vero & si Gentilis, longe illis & æquior, & humanior, cum illorum morem contemptum sui interpretari potuisset, & ob id de signari exire ad illos; tamen illorum condescēdens religioni, *exiuit ad illos foras*, relicto intus in prætorio Iesu, in quod à militibus ipsum à Iudæis recipientibus deductus fuit. Cumque Iudæi Domi nū tanquam maleficum, sicut vincula præ se ferebant, mox condemnatum vellent: ille pro iudiciaria æquitate prius de intentatis scisciratur sceleribus, dicens:

Quam accusationem adfertis aduersus hominem hunc? Hic illi superbè nimis, & impiè suam prætendunt authoritatem & religionem, volentes per hæc iudiciariam premere inquisitionē. *Si*, inquiunt, *non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Qua responsione præterquam quod superbiam suam & impietatem satis declarauerunt; significauerunt etiam se in accusationibus iustis deficere, vt qui ad eas inuiti deuenirent. Superba eorū responsione nonnihil offensus, Pilatus respondit eis.

Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Quibus verbis videtur nonnihil insultare Iudæis, tāquam quibus adēpta esset per Romanos iudicandi secundum legem suam reos. Responsio autem à Iudæis subiecta;

Nobis non licet interficere quenquam. Dupliciter accipi potest; aut enim significant omnem mortis inferendæ potestatem absolutè sibi ademptam per Romanos, aut tantum significare volunt supplicium crucis, quali eum affici volebant ob maiorem ignominiam, sibi nequaquam permissum; quæ intelligentia probabilior est. Ex Luca autem patet quod cœperint illum accusare, quod intelligendum est accidisse post ea quæ habet Ioannes, cum scilicet viderent Pilatum nihil effecturum, nisi audita contra ipsum accusatione. De tribus autē Dominum accusant, idque his, quæ apud Ethnicū Iudicem, & Romanorum iura tuentem putabant habitu ea multum momenti.

Hunc, inquiunt, *inuenimus subuertentem gentem nostram*, prauā scilicet sua doctrina, & suggestione, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Hunc inquiunt inuenimus, quasi significare volētes se non odio, aut inuidia cōtra ipsum cōcitatos, sed rei cōperte veritate, neq; à Pilato curiosam de

obiectis criminibus inquisitionem faciendā, quòd ea ipsi nō temere proponerēt, sed ea in ipso deprehendissent post diligentem inuestigationem illi qui tales erant, vt meritò ipsis fuerit habenda fides. Pro his autem falsissimis simul, & impijssimis criminationibus, dignè iam & meritò eorum gens vere subuersa est, atque vbique sub tributo degunt, veroque suo Messia orbati frustra semper & vanè alium expectant. Cęterū cum Pilatus audisset has illorum accusationes, introiuit rursum in prætorium suum, vnde ad Iudæos foras exierat, vt Iesum intus existentem circa obiecta percontaretur. Itaque illum ad se vocatum, & adductum interrogauit, vt omnes concorditer narrant Euangelistæ nùm esset Rex Iudæorum, ille inquam, quem iamdudum, & tum expectauerant Iudęi. De hoc solo obiecto rogat reliquis prætermissis, quod istud esset omnium præcipuum, quo confesso reliqua facilè cognoscerentur esse vera. Dominus qui non audierat Iudæorū contra se criminationes, dissimulans se scire quid illi obiecissent, rogauit Pilatum vnde id rogaret, num à seipso id faceret, suspicione scilicet aliqua ab ipso ex quibusdā indicijs accepta, an id faceret ex aliorum suggestione. Pilatus autem significans se quidem nihil tale de eo suspicari, sed a Iudæis accepisse quod rogauit, dixit: *Numquid ego Iudæus sum? gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi*, & hi te huius accusant, *quid ergo fecisti?* Hæc quoniā Pilatus simpliciter scisicitabatur, vt veritatem indagaret, Dominus dignatus est ei veritatem aperire. Confitetur enim regnum suum non esse de hoc mundo, id est, non esse mundanum, & terrenum, constans humanis legibus, & præsidijs:

Si enim inquit, *ex hoc mundo esset regnum meum* haberem & ipse more cæterorum regum armatum satellitium, haberem stipatores, qui decertarent armis pro me, ne in manus traderer Iudæorum, nūc autem vel ex ipso modo quo me in hoc mundo gero cognoscere licet regnum meum non esse terrenum. Non dicit apertè vnde sit regnum suum, contentus nimirum criminis obiecti inuidiam, & suspicionem à se depellere, nolens autem se quis esset ostentare: significat tamen satis cæleste esse suum regnum. Nam si nō est de terra: necesse est vtique vt sit de cœlo. Pilatus ex Christi verbis regnum aliquod sibi arrogantis, colligens ipsum & si terrenum regnum sibi non vindicaret, tamen nihilominus regem esse dicebat:

Ergo rex es tu? Hic Iesus serio rogatus à Iudice, nū aliquo modo esset rex, modestè respondit: Tu dicis me esse regem: totidem verbis veritatem posse confitemare significans, quod rogabatur de ea mutata tantū pronūtiatione. Addit autem Dñs causam cur fateretur de se, quod glorioſum videbatur de se testari, nempe quod ad hoc natus esset, venisseteque in mundum, vt testimonium ver-

ret veritati: qui proinde contra suum ageret officium, si veritatem rogatus aut inficiaretur, aut subticeret. At quoniam electorum tantum est credere, ideo adiecit;

Omnis qui est ex veritate, hoc est, qui veritatē sectatur & amat, liber à cupiditatibus, & opinionibus mūdanis hominē obcæcantibus, *audit vocē meā*. Pilatus itaq; hoc sermone audito rogat *quid esset veritas* de qua loqueretur, & propter quam testificādam se dixit natum, missumque in mundum. At obiter nimis, & leuiter id rogat, vt fere facere solent Principes, cum de ea re sermo incidit, quæ ipsis cordi non est. Mox enim non expectato responso egressus est rursus ad Iudæos secum ducens Iesum, vt satis patet ex sequentibus: & quia ex verbis Domini & si non per omnia intellectis, satis intellexit ipsum nequaquam reum esse læsæ maiestatis imperatoriæ, cui ipse seruiebat, eius quoque innocentiam aduertens tum ex sermonis rationabilitate, atque modestia, tum ex vultus, totiusque habitus grauitate, innocentiæ eius perhibet ad Iudæos testimonium, volens hac ratione se ab eius iudicio absoluere, & Christum tanquam innoxium dimittere. Ego inquit post diligentem examinationem nihil causæ inuenio in hoc homine, ob quam scilicet à me sit condemnandus. Tum verò summi Sacerdotes, & seniores metuentes ne per conceptam à Pilato bonam de Iesu opinonem, Dominus Iesus eliberetur, *accusabant eū in multis*, vt habet Marcus, vt scilicet multitudine verborum iudicis animum inclinarent, & ex multis aliquod saltem esset, quod ipsum moueret, hac certè ratione satis declarantes causæ suæ infirmitatem, & iniquitatem. Dominus autem ad omnes illorum accusationes nihil respondit Pilato, licet vt responderet, requirente: qui sciebat ipsum facilè posse illorum diluere calumnias, si velet. Domino autem sic tacente, & neque sibi neque Iudæis respondente, Iudex admiratus est, idque vehementer, hinc enim intellexit non solum prius à se nunquam visam mansuetudinem, sed etiam insignem mortis contemptum. Cæterum cum Iudæi, & audirent, & viderent Pilatum bene propensum erga Iesum; ita vt illius nec offenderetur silentio, nec in suspicionem agnitionis criminum pertraheretur, cœperunt validioribus etiam vocibus, vt Lucas testatur Christi causam apud Iudicem grauare dicentes:

Commouit populum, hoc est, facit eum seditiosum (Græcis enim est præsens) idque sua doctrina, quam non in vna tantum spargit ciuitate, sed per vniuersam Iudæam, *incipiens, à Galilea*, & perueniens vsque huc, ita vt ne metropolim quidem Iudeæ & Galileæ vereatur sua seditiosa aspergere Doctrina. Nō simpliciter autē Galileę meminerūt, sed ad terrorē Pilato augendū, & seditionis suspicionē magis ingerendā, quod Galileæ frequētet seditiosi, & re- *Theophyl.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum nouatores reperti fuerint; Cæterum Pilatus audito nomine Galileæ, interrogauit num homo Galilæus esset; cumque cognouisset eum Galilæum esse, occasionem se inuenisse gaudens extricãdi se, vt sperabat, ab eius iudicio: misit eum ad Herodẽ Galileæ tetrarcham, tanquam ad eius ditionem pertinentem, qui etiam ipse Ierosolymis erat illis diebus ad celebrandam paschæ solemnitatẽ. Fuit autem hic Herodes tetrarcha Galileæ de quo Lucę tertio, qui Ioannẽ interemit, & Antipas dictus est, filius Herodis Ascalonitæ, qui Innocentes occidit.

Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde, non solum ob honorem sibi à Pilato delatum, sed etiam, & multò magis quod à multo tempore cupidus fuisset videndi eum, quem tam multa audiuit admiranda patrare, cum Ioannes nullum ædidisset miraculum. Sperabat ergo Christum siue in honorem sui, siue ob propriam liberationem, miraculum aliquod editurum, quod ipsius pasceret, & delectaret oculos. At Dominus non solum non est dignatus illũ vllo miraculo, sed nec aliquo responso, cum tamen ille varijs eum interrogaret sermonibus: idq; non solũ ne videretur ambire mortis euasionem, sed etiam ne videri posset regij honoris admirator: & quia ille tum miraculo, tum responso indignus esset, & quia eius crudelitas non merebatur audire, videreue diuina, & quia tantum ex curiositate signum quærebat, & responsum. Itaque ad omnia Dominus obticuit, etiam cum Principes Sacerdotum & Scribæ astarent, *constanter accusantes eum*. Quæ res silentium Christi magis reddidit admirandum: cum nec tanti Principis authoritas, nec aduersariorum tam constantes criminationes sermonem ab eo elicere potuerunt. Æquior tamen in illum Herodes, quam Pontifices, & Scribæ, nequaquam sic illorum criminationibus est persuasus, vt accusatum, & obmutescentẽ ad obiecta crimina morte damnaret: sed satis habuit contemnere eum, à quo videbatur contemni, eique illudere tanquam abiectissimo homini, cui nihil ineptiæ, quique fatua quadam simplicitate potius, quam superba audacia regum nomen sibi vendicasset: quare irridendam potius quam seuere vindicandam regij nominis vsurpationem insinuans, *indutum veste alba* (nam id erat Regum, ac Cæsarum) *remisit ad Pilatum*. Neque tamen putandum est Herodem Christo tantum illusisse per indumentum vestis albæ. Græca enim habent, καὶ ἱματισας αὐτὸν ἐσθῆτα λαμπρὰν, id est, & cum illusisset, induisset que eum vestem albam; vt intelligẽdum videatur prius varijs modis Herodem cum suis Domino illusisse, scommata scilicet in eum iaciendo, & talibus omnino ignominijs afficiendo eum, quibus affectus fuit apud Caiphan, ac nouissimè inter cætera vestem albam eum induisse, sicque Pilato remisisse. Notandum tamen dictionem Græcam non significare, pro-

re propriè albam, sed splendidam, & elegantem, qualis est diuitum, & Regum. Hac ergo dum per iocum, & irrisionem ab Herode induitur Christus; insinuatum est ipsum vere quidem Regem esse, sed talem quem mundus non agnoscat, sed rideat. Sequitur apud Lucam.

Et facti sunt amici Pilatus & Herodes in ipsa, id est, in eadem die. Nam antea inimici erant adinuicem, id est, inter se. Cum reconciliationis causa, vt hic significatur, fuerit quod Pilatus Herodi detulerit iudicium Christi, tanquam Galilæi: omnino verisimile est simultatis quæ inter eos intercesserat causam fuisse, quod Pilatus se ingesserit aliquibus negotijs ad cognitionem Herodis pertinentibus: & fortasse quod Galilæorum quorundam sanguinem miscuerit cum sacrificijs eorum, vt supra habitum est Lucæ 13.

Barabba dimisso, flagellatus & coronatus Christus, traditur crucifigendus. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioannis. 18. 19. CAPVT CXLII.

PILATVS autem conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coràm vobis interrogãs, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eũ accusastis, sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei eme. Emendatum ergo illũ dimittam. Per diem autem † solemnem ▷ consueuerat [&] necesse ★ habebat præsse ‖ populo dimittere vnum † ex vinctis, quemcunque petissent, habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Congregatis ergo illis, Pilatus ★ respondit eis, & dixit: Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in pascha. Vultis ergo dimittam vobis regẽ Iudæorum? Quem vultis? Dimittã vobis Barabbam, an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eũ vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eũ. Principes autem sacerdotũ, & seniores concitauerunt turbam [&] persuaserunt populis, vt magis ▷ peterent Barabbam, Iesum verò perderent. Respondens autem præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? ‖ At illi clamauerunt rursum omnes simul † dicentes: Non hũc sed tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui erat propter seditionẽ quandã factã in ciuitate, & homicidium missus in carcerẽ. Iterũ autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum. Pilatus au-

† b. festũ ▷ b. solebat c. autem ‖ b. dimittere illis † b. vinctum quẽ volebant. Erat autem b. autem. ▷ b. Barabbã dimitteret eis ‖ c. Exclamauit autem simul vniuersa turba dicens † b. dixerunt.

▷ a. dicit tẽ iterũ respõdens ▷ a ait illis: Quid ‖ ergo b vultis c faciã t de Iesu, ‖ b c. regi qui dicitur Christus? h At illi b iterum ▷ h succlamabant ‖ f dicen Iudæorum tes a omnes: Crucifigatur. c crucifige, h crucifige eum. † Pilatus verò a tertio ▷ i dixit ad illos: Quid enim mali fecit a iste? nullam causam ▷ b ela mortis inueniо in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam i At illi a in mauerũt ‖ e. dicunt stabãt vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur, & invalescebant voces eorum. [&] a nigte clamabant, e dicentes: Crucifigatur. d Tolle † c illi au tem ▷ a. ait il li præses b. dicebat il lis ‖ b. contiuo cant ▷ b. c. totam ‖ b. induunt eum purpura d. veste purpurea ‖ b impo nunt ei plectentes spineam coronam ▷ d. imposuerunt capiti eius ▷ a. dicẽtes † c. Et Pilatus ▷ b. & tradidit Iesum flagellis ca sum tolle, b crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regẽ vestrum crucifigã? d Tũc accepit ergo approbandũ Pilatus Iesum, & flagellauit. Et a tunc m milites e prasidis, suscipientes Iesum in prætorio, b duxerunt eũ in atriũ prætorij, & a congregauerunt e ad eum ▷ a vniuersam cohortẽ. & a exuẽtes eũ, ‖ m chlamyde coccineam circumdederunt ei. & † plectentes coronam de spinis ▷ posuerunt super caput eius, a & arundinem in dextra eius. d Et veniebãt ad eũ, a & genu flexo ante eũ illudebant ei, b & cœperũt salutare eũ † c & dicebant. m Aue rex Iudæorũ. b Et cõsputebant eũ a Et expuẽtes in eũ acceperunt arundinẽ, e & percutiebãt caput eius b arundine, d & dabant ei alapas, b & ponẽtes genua adorabant eũ. d Exiuit iterũ Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia in eo nullã inuenio causam. Exiuit ergo Iesus foras, portãs coronã spineã, & purpureũ vestimentũ. Et dicit eis: Ecce homo. Cũ ergo vidissent eũ põtifices, & ministri, clamabãt, dicẽtes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite, ego enim nõ inuenio in eo causam. Respõderũt ei Iudæi: Nos legẽ habemus, & secundũ legẽ debet mori, quia filiũ Dei se fecit. Cũ ergo audisset Pilatus hũc sermonẽ, magis timuit. Et ingressus est prætoriũ iterũ, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autẽ respõsum nõ dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi nõ loqueris, nescis quia potestatẽ habeo crucifigere te, & potestatẽ habeo dimittere te? Respondit Iesus: Nõ haberes potestatẽ adversum me vllã, nisi tibi datũ esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eũ. Iudæi autẽ clamabãt dicẽtes: Si hũc dimittis, nõ es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regẽ facit cõtradicit Cæsari. Pilatus autẽ cũ audisset hos sermones, adducit foras Iesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autẽ Gabbatha. Erat autẽ parasceue paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex vester. Illi autẽ clamabãt: Tolle, tolle crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regẽ vestrũ crucifigã? Respõderunt põtifices: Nõ habemus regẽ nisi Cæsarẽ. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptа aquа lauit manus coram populo, dicẽs: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respõdẽs vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros † b. Tũc Pilatus autẽ a illi b volẽs populo satisfacere, e adiudicauit fieri petitionẽ eorũ. l Dimisit e autẽ illis e eũ qui propter homicidiũ, & seditionẽ missus erat in carcerẽ quẽ petebant, e Barabbã ▷ l Iesum vero e flagellatũ l tradidit a eis c voluntati eorũ. d Tũc ergo tradidit eis illũ, m vt crucifigeretur.

Pilatus

Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, &c. Continuat hoc capite quinta Dominicæ Passionis pars quæ vt varia complectitur iniuriarum genera; ita & multa habet innocentiæ Dominicæ testimonia, sicut & alia omnia capita. Imprimis enim Pilatus reducto sibi Domino, & suo, & Herodis iudicio pronunciat innocentem esse, quem Iudei ad crucem petebant. Nam cum mittendo Dominum ad Herodem non liberaretur Pilatus sicut sperabat, ab eius iudicio: aliis vijs conatus est elabi à condemnatione innocentis. Et primum quidem ratione studet placare Iudæorum animos, dicens: *Quinta pars passionis Dominicæ.*

Obtulistis mihi hunc hominem quasi auertentẽ populum (id enim fuit præcipuum accusationis ipsorum, in quo reliqua continebantur) & ecce ego interrogans eũ etiã coram vobis, nullam causam mortis scilicet inuenio in eo. Sed neque Herodes. Nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est illi. q. d. tantum circà eum acta sunt, quæ arguunt hunc potius per ridendam peccasse imprudentiam, quam dignum morte crimen admisisse. Igitur & ego pro his quæ insipienter potius quam maligne egit, etiam castigans, sic eum dimittam. Dictio enim emendatum (vt ex Græco παιδεύσας patet) pro castigatum posita est. Cum ergo Pilatus proposuisset iam Dominum castigare, sicque placatis, vt sperabat Iudæorum animis, ipsum dimitteret priusquam id faceret, aliud ei venit in mentem, quo magis sperabat illum posse liberare. Pro recepta enim consuetudine necessariò debuit in die festo (quod de solennitate tantum Paschali intelligendum est) dimittere populo vnum ex vinctis, quemcunque petissent, siue simpliciter ob festi illius reuerentiam, & lætitiam, siue etiam in memoriam Ægyptiacæ liberationis, quæ ea festiuitate recolebatur. Cum ergo turba ascendisset, vt habet nostra lectio (nam Græcis est acclamasset) ad tribunal Pilati, pro more scilicet recepto seruando rogatura, vt vnus ex vinctis dimitteretur: tum Pilatus hanc occasionem rapuit pro liberatione innocentis; duos proponens populo, e quibus omnino sperabat alterum nequaquam à populo præponendum Iesu. Vnde apparet morem fuisse vt præses ex reis quosdam quos vellet, proponeret populo, ex quibus dimittere debebat quemcunque petisset populus; & non fuisse in potestate populi, vt ex omnibus omnino vinctis quemcunque voluisset, dimitteret præses. Habebat ergo inter alios multos vinctos, mortisque reos, vnum vinctum, qui dicebatur Barabbas, qui ob seditionem excitatam in ciuitate & homicidium in seditione commissum, cum suis complicibus missus fuit in carcerem: inter quos ipsum fuisse præcipuum & antesignanum indicat satis Matthæus dicens eum fuisse insignem, hoc est, insigniter malum, & notæ apud omnes improbitatis, quem etiam latronem ob commissum homicidium vocauit Ioan-

uit Ioannes. Hunc communem ciuitatis hostem, eorumque scelerum manifestum authorem, quæ maxime sunt Reipublicæ inimica, seditionis scilicet cruentæ, componens cum Iesu seditionis quidem etiam accusato, sed quæ nullo effectu comprobari potuit: petiit vtrum è duobus vellent dimitti; constringens eorum electionem ad alterum horum: nihil addubitans quin pro suo in Barabbam odio, & iusta ob accepta mala indignatione, illi præponerent Iesum, à quo nunquam læsi fuerant: & quem non patiebantur dimitti tanquam innocentem, saltem vt damnatum sinerent donari festo.

Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes: Vnde tanta diligentia laborauit ipsum absoluere. Cæterum hac ipsis optione proposita cum populus hæreret, & satis propenderet, vt est verisimile, ad electionem Iesu: Principes Sacerdotũ, & seniores agitauerunt turbam apud quam multum valebant, eique persuaserunt tandem, vt magis Barabbam peterent. Cum ergo hæc agerentur inter Principes Sacerdotum, & turbam, Præside interim expectante quid responsuri essent: tum, vt verisimile est, accesit etiam aliud innocentiæ Christi testimonium, quod scilicet perhibuit de Iesu vxor Pilati, in maiorem Iudæorum & Pilati ipsius condemnationem, maioremque Christi ac nostram gloriam. Dicit enim Matthæus:

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens, Nihil tibi, & Iusto illi, id est, nihil tibi sit cum illo Iusto: multa enim passa sum hodie, id est hac nocte, per visum, id est in somnijs propter illum. Quid viderit, quidue audierit cum Euangelista non exprimat; nihil certi de eo proferre possumus, nisi quod grauiter fuerit afflicta. Porro afflictionem hanc per ostensa, vt est verisimile, terriculamenta, non est putandum à dæmonibus profecta, sed à Deo potius; qui eam vxori potius quàm Pilato immisit: tum vt ab vtroque simul sexu suæ innocẽtiæ Christus haberet testimoniũ, tum quod non creditum fuisset Pilato, qui videri potuisset ad gratiam loqui. Cõuenienti autẽ epitheto coniunx Pilati Christum iustum vocat, sicut & postea Pilatus; & multo ante vtrumque Esaias cap. 53. Cum autem deliberationem suam inter sese Iudæi absoluissent, rursum eos rogauit Pilatus, vtrũ ex duobus propositis sibi vellent dimitti. At illi longe contra eius expectationẽ, vnà omnes voce postulauerunt non dimitti Iesum, sed eum tolli, & dimitti Barabbam. Non enim satis habebant Barabbam præponere Iesu, sed hunc neque cum Barabba volebant in gratiam festi dimitti. Quod cum præter Pilati expectationem accidisset, non tamen destitit opitulari Iesu. Vnde dixit;

Theophyl.

Quid ergo vultis faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Bene quidem in eo faciens, quod cuperet Iesum liberare, sed malè in eo, quod ob

quod ob gratiam Pontificum, & populi non strenuè se pro officio opponeret iniustitiæ persequentium iustum. Non autem propterea serè semper Christum Regem vocat Iudæorum, quod sic verè de eo sentiret, vt mihi quidem videtur, sed per ironiam, vt sic irritatos Iudæorum animos magis obstrictos redderet Cæsari, suũque contra innocentem iudicium iustitiæ quodam prætextu vestiret. Itaque illi non sustinentes illud nomen, vt clamauerunt prius in rogando Barabbam: ita nunc rursum clamauerunt postulantes Iesum crucifigi. Tum Pilatus tertiò testimonium innocentiæ Christi perhibuit, dicens se nullam causam mortedignam inuenire in eo, atque ob id, quod prius proposuerat, sed quod per oblatam occasionem, qua sperabat Christum liberandum, intermissum erat, rediens castigaturum se dicit eum, sicque dimissurum.

Euthymius.

Nouẽ iniuriarum generibus Christo illusum in aula Pontiana affectum fuisse à militibus, incertum an Pilati iussu, an vltrò

Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit, &c. Ioannes post Lucam scribens, opportunè post electum Barabbam indicat qualis fuerit illa correptio cuius Lucas meminit, commemorans Pilatum flagellasse Iesum, atque milites varijs ei illusisse modis, & per hæc Pilatum, conatum dimittere Iesum. Conuenientius ergo dixerimus cum D. Augustino, Matthæum, & Marcum per recapitulationem, vt alias sæpe, narrasse quod commemorant de militum illusione, eoldemque breuitati studentes flagellationis tantum obiter meminisse, quatenus secundum morem Romanorum præcedere solita fuit crucifixionem, cum etiam alia ratione, nempe ad satiandos, & placandos Iudæorum animos adhibita fuerit, vt Ioannes insinuat: Hæc inquam conuenientius dixerimus, quam quod alij putant Iesum bis à Pilati militibus flagellatum, & illusum imposita spinea corona, & circumiecta chlamide purpurea. Itaque Pilatus postquam semel, & iterum sua spe frustratus esset, videns sibi magnam imminere necessitatem crucifigendi Iesum; necdum tamen planè desperans se hanc necessitatem posse euadere: *apprehendit Iesum, & flagellauit*; partim quidem tanquam cui crux verisimiliter imminebat, partim vero vt hac castigatione placati Iudæorum animi, Iesum dimitti sinerent. Vnde coniectare licet non leuiter Pilatum flagellasse Iesum, sed tanta cum crudelitate, quantam putabat placare posse iam efferatos Iudæorum animos. Nec flagellatio hæc virgis simpliciter fiebat, vt apud nos φραγέλλιον enim (quod nos *iuriarum flagellum* dicimus) verber erat è funiculis, aut loris contextum, quo dorsa condemnatorum verberabant. Post hanc dictam, & ignominiosam Christi flagellationem; Euangelistæ cõmemorant nouem iniuriarum generibus Christum in aula Pontiana affectum fuisse à militibus, incertum an Pilati iussu, an vltrò

an vltro tam profusæ insaniæ licentiam sibi sumentibus, vt mo-
Theophyl. re sui Domini Iudæis gratificarentur. Primo totam conuocant co
hortem, tanquam ludicrum aliquod spectaculum, quo quisque
vel oculos suos pascat, vel se quoque actorem ingerat, foret exhi-
bendum. Secundò conflatis sannionibus & colophantis Christum
denudant tunica inconsutili, & stola: quæ deuestatio quantum do
Origenes. loris coram tanta multitudine attulerit Christo, pudici animi ho
mo apud seipsum facilè æstimauerit. Tertio induerunt eum chla-
mide coccinea, vt habet Matthæus, aut, vt habent Marcus, &
Ioannes, vestem purpuream. Purpura autem Christum indutum
dicunt Euangelistæ, licet vera non esset purpura, sed coccinea ve-
stis: qui in irrisionē vsurpati regij nominis ea veste Christum in-
duerunt. Purpura enim Regum & Principum erat indumentum.
Dan. 5. Cæterum Matthæus non tantum vestis colorem expressit, sed etiā
1. Macha. genus, dicens eum indutum chlamydem, quæ & paludamentum
10. 11. dicebatur apud Romanos, quo super armis induebantur impera-
tores, Reges & milites. Quarto etiam in ludibrium regij nominis
nectunt spineam coronam, eandemque capiti eius sacrosancto im
ponunt, non tantum ignominia iam illum afficientes, dum pro
auro lignum, pro gemmis spinas afferunt, sed etiam pœna, quam
infixè acutissimæ spinæ capiti inferebant tenero. Ne quis enim tā
tum leuiter superpositam existimet, Tertull. dicit tempora Chri-
sti spinis fœdata, & cancinata fuisse. Quinto arundinem ei itidem
ironicè tradiderunt in dextra tanquam sceptrum Regium. Sexto
ironicos etiam tanquam regi geniculantur, adorantes eum, voce
item ironica sacras vulnerant aures, dicentes: *Aue Rex Iudæorum*,
eodem docti spiritu, quo Iudæi dixerunt, Prophetisa nobis Chri-
ste. Septimo, faciem eam, qua cœli gaudent, sputorum, & saliua-
rum asperginibus deformarunt, vt & prius Idæi in sua fecerant il-
lusione. Octauò item vt illi alapis decentissimas eius malas diuer-
berauerunt: quod sæpissimè ab eis factum, ex multitudine mili-
tum colligere licet: vnde vel iam maxime impletum fuit in eo
Psalm. 53 illud Esaiæ: Non est species ei, neque decor, &c. Nono caput
eius instar vasis, quod vietores identidem pungunt, arundine è
manu eius accepta percusserunt; coronæ spinas sic capiti fortius
imprimentes.

Exiuit iterum Pilatus & dicit eis, ecce adduco, &c. Postquam mi-
lites variis modis Domino illusissent, quo per adhibitam castiga-
tionem Pilatus placaret Iudæos, exiuit è prætorio rursum ad eos,
secum deducens Iesum, & dixit eis; Ecce adduco eum ad vos foras
egregiè castigatum, vt cognoscatis me etiam post acrem exami-
nationem flagellis in contentam, nullam me inuenire in ipso
causam crucifigendi. Cumque his verbis Iudæorum animos præ-
pararet ad commiserationem, exiuit Iesus è prætorio miseranda

forma, portans spineam coronam scilicet, & purpureum vesti-
mentum, totoque corpore laniatus flagellis: vt per contemplatio-
nem miseriæ, & abiectionis eius, qui præsens astabat, illos iam ex-
citaret ad miserandū, & dicit eis; *Ecce homo*: hoc est videte hominē
hunc, videte eius castigationem, videte deiectionem, videte eum
nihil minus esse quam regem, nihil aliud esse, quam miserum ho-
minem, quare si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum vide-
tis. Sperabat ergo Pilatus Iudæorum odium hac hominis afflictio
ne placandum, sed tantum abfuit vt ad miserationem aliquam cō
mouerentur, vt etiam magis irritarentur, & instar canum, ac fera
rum, quæ gustata carne magis ad eam deuorandam anhelant, ex
conspecto eius sanguine amplius etiam sitirent sanguinis eius ef-
fusionē: Hi ergo succlamitant, vt cœperant; *Crucifige, crucifige eū*,
quasi dicant bene incœpisti, perge perge. Pilatus intelligens etiā
hunc suum frustratum conatum, & ex captata misericordia nihil
esse spei; metu tentat illorum coërcere furorem dicens cum in-
dignatione, & ira;

Accipite eum vos. Et si ita vobis videtur, & libet, crucifigite. Ego
enim non inuenio in eo causam crucifigendi; proinde cum secun
dum Romanas leges mihi non liceat crucifigere nisi facinorosos,
non possum ego eum crucifigere. Cum audirent Iudæi Pilatum
tanto studio patrocinantem Iesu; nec omnino committēdum du-
cerent, vt aliquo modo elaberetur è manibus: testimonio eius op
ponunt suam legem, quasi ex eius ignorantia procedat falsa Pilati
de Iesu existimatio. Nos, inquiunt, legem habemus, & secundum
legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit. Ad eam ergo
legem, quæ blasphemos iubet interfici, tandem necessitate com-
pulsi confugiunt, clamantes Iesum in eam peccasse; eòque hoc mo
do declarantes non tam odio personæ, quā zelo legis ipsum per-
sequi. Porro Pilatus hac noua accusatione perculsus est, magisque
cœpit timere sibi, metuens ne forte non solum in hominem inno
centem, sed & in Dei filium peccasset, ob idque Deos sibi iratos
sentiret. Ingressus ergo prætorium, vt cum Iesu seorsum loque-
retur, rogauit eum vnde esset; vt cognita eius origine sciret verum
ne an falsum esset, quod illi obijciebatur. Iesus autem rursum nul
lum dedit ei responsum, partim quidem quoniam supra satis suā
illi notam fecerat innocentiam, & quoniam etiam iam propositæ
quæstionis veritatem satis insinuauerat, dum dixit se venisse in
mundum, & regnū suum non esse de hoc mundo: sed multo ma-
gis ne videretur conatus vt elaberetur; & nolens mortem subijsse:
& quia sciebat secundum Dei dispositionem futurum vt omnibus
tentatis obstinato Iudæorum furori cederet Pilatus. Cum ergo il-
le nihil responderet, Pilatus indignatus suam & autoritatē, & di-
ligentiam contemni.

Mihi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mihi, inquit, *non loqueris?* An ignoras me habere potestatem crucifigendi te, & dimittendi te. Quibus verbis arroganter nimis prolatis sese planè Pilatus condemnauit. Si enim hanc habuit potestatem: cur quem toties est testatus innoxium non dimisit? Aut si pro suo arbitrio & potestate potuit aut crucifigere, aut dimittere: cur qui gratificare voluit Iudæis, non sine causæ examinatione Iesum crucifigendum tradidit in gratiam Iudæorum? Christus itaque qui ad omnes suas patienter siluit iniurias, hanc non ferens tam intollerandam arrogantiam, aperuit modo os suum, idque non solum quo ostenderet quam habeat odio omnem superbiam: sed etiam quia hæc arrogantia eleuabat gloriam, & causam passionis suæ; quæ non in Pilati arbitrio, sed in Dei pendebat dispositione, ordinantis eam ad hominum salutem. Dicit ergo;

Non haberes aduersum me vllam potestatem, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Quoniam enim Pilatus & arroganter de se contra Dominum locutus fuit, & magno perculsus timore per nouam Iudæorum accusationem; Dominus primum quidem eius reprimit arrogantiam, & deinde ad id respondet, quod illius cruciabat animum, & quæ illi fuit causa interrogandi vnde esset. Quod ergo ad primum attinet, dicit: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper, hoc est concessum esset, aut permissum cælitus: significare volens se moriturum, & pati ex dispositione diuina; non autem quia ille ex suo officio, aut authoritate potestatem in se haberet. Ex quo infert deinceps, quod ad cruciatum animi eius pertinebat, dicens: Propterea, hoc est, quia ex tuo officio, & authoritate qua fungeris, nullam habes in me potestatem, sed tantum ex diuina permissione: ideo etsi tu pecces, qui tanquam ex authoritate aduersum me potestatem exerces: tamen qui me tradidit tibi populus, maius peccatum habet quam tu, quia me immerentem, tuæque potestati nequaquam subditum tibi tradidit: author existens omnis quod in me committitur sceleris, teque vel inuitum cogens, vt quasi ex authoritate in me sæuias.

Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Græcè est ἐκ τούτου, id est, ex eo tempore magis quærebat omnibus modis absoluere Iesum. Cum enim moueretur obliquè sui peccati, & intelligeret Iesu modestiam, & innocentiam, Iudæorumque malitiam, & suam æquitatem non esse reo ignotam: fauens etiam ei, eo magis, quod videret ipsum mortis periculo non commoueri: tentabat iam magis quam prius vt omnibus modis eum dimitteret. Id sentientes Iudæi, quoniam videbant Præsidem negligere crimen iam-

iam intentatum ad prius crimen redeunt: non simpliciter iam illud proferentes, sed cum interminatione inimicitiæ Cæsaris, qua maximè sciebant commouendum Pilati animum. Si inquiunt hũc absoluis, declaras te non esse amicũ Cæsaris Romani.

Omnis enim qui se Regem facit, contrarium se ostendit Cæsari. Quæ cũ Pilatus audisset, mox mutato suo pro Iesu liberando stu dio, decreuit odio Iudæorum seruire, ne sua priuaretur functione.

Sedit ergo, inquit Ioannes, *pro tribunali.* Locum etiam designans suis nominibus: non tantum certitudinis historiæ causa, sed etiam quo intelligeremus, quam conuenienti loco Iesu condemnatio sit lata. Dicebatur autem is locus Græco nomine lithostrotus, Hebraice vero Gabbatha; non quod Gabbatha idem significet quod lithostrotus: sed quod idem locus in diuersis linguis diuersa haberet nomina alia & alia ratione. Lithostrotus enim dicebatur quod lapide stratus esset; Gabbatha vero quod æditus esset & altus. Hic ergo locus conueniebat condemnationi Iesu, vt ea solennis esset & publica, nec quenquam lateret eius innocentia. Tempus præterea expressit Ioannes dicens; *Lithostrotus Gabbatha.*

Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta. Dicebantur autem apud Iudæos Parasceue, non solũ is dies, qui Pascha proximè præcessit, in cuius videlicet vespera edebatur agnus Paschalis, sed etiã omnis feria sexta cuiusque hebdomadæ, eo quod ea die parabantur, quæ in die Sabbati ipsis essent ad esum necessaria. Quod verum esse patet ex eo quod postea dicit Marcus, quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum. Ex eo tamen quod hic dicit Ioannes. *Parasceue*

Erat autem parasceue Paschæ; Apparet etiam eam diem quę proximè præcessit Paschа dictam parasceuen à præparatione agni paschalis, quę tum fiebat: ita vt ea dies qua Dominus passus est, duplici ratione parasceue dicta sit, quia fuit parasceue Paschæ, & parasceue Sabbathi. Quod autem Ioannes ait fuisse ferme horam sextam, cum Pilatus sederet pro tribunali, satis indicat nondum fuisse horam sextam. Erit igitur adhuc tertia hora (vt ait Marcus) seu statio secunda, hoc est ea pars diei, quæ est inter horam tertiam & sextam. Iudæi enim diem diuidebant in quatuor horas, seu stationes, vt ex parabola Patris familias conducentis operarios in vineã constat. Cum autem Pilatus iam videret se necessitate constringi ad condemnandum Iesum, si saluam sibi veller populi, ac Cæsaris gratiam; sederet quę pro tribunali ad sententiam pronunciandam, producto foras Iesu dixit Iudæis; *Matt. 20.*

Ecce Rex vester. Quod plerique accipiunt eum dixisse irridendo eorum vanam accusationem, vel vt prius dictum est, voluit irrita re his verbis animos Iudæorum, vt abnegato rege se fortius obstringerẽt Cæsari, & vt ipsis cõstantius illum ad crucẽ petentibus magis à scelere videretur immunis. Illi ergo non ferentes eum

vocari

Universidad de Deusto
Biblioteca

vocati suum regẽ, iam tertiò secundum Ioannem valido clamore petiuerunt ipsum sustolli in crucem: quando & intelligendum est accidisse, quod Lucas scribit eos institisse vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur, & inualuisse voces eorum.

Tum Pilatus regem, inquit, vestrum crucifigam? siue irridens eos, siue ad negandum ipsum, & extorquendum inuisæ seruitutis publicam professionem prouocans. Itaque sicut ille ambiuit, sic & illi respondent. Pontifices enim, qui præ alijs pertinaci contra Iesum fuerant odio, quo Pilati animum in suas partes inclinarent, respondent:

Non habemus Regem nisi Cæsarem. Messiam suum, hoc est regem à Prophetis promissum multis seculis expectauerant, Cæsaris regnum, quo premebantur, misere oderant tamen odijs efferati, publicè Messiam suum abnegant, & Cæsarem Dominum profitentur. Tanta erat vlciscendi libido. His gestis cum Pilatus videret se per tam multa, & varia nihil proficere, sed quòd quo magis niteretur Iesum liberare, & populum placare, eo magis tumultus fieret in populo, satisfacturus eorum petitioni; prius tamen rursum aperto testimonio & signi, & verbi declarare voluit Christi totius testatam innocentiam, atque iniusti supplicij crimen, & vltionem à se in Iudæos deuoluere. Accepta enim aqua de manu ministri fundentis, abluit manus suas in cõspectu omnium, rationem sui facti indicans dicendo:

Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Hac voce non solum non sunt deterriti infœlices Iudæi, sed potius accensi. Vt enim animũ adderent timido præsidi, celeriusque perficeretur negotium, præ nimia cupiditate non aduertentes quid dicerent, aut agerent omnes vna voce clamabant.

Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Non negant iusti sanguinem esse de quo Pilatus loquebatur, sed simpliciter sanguinem eius, id est, vltionem sanguinis sibi, suisque imprecantur. Vnde & iusto Dei iudicio sicut Pilati gentilis deprecatione ablata est vltio sanguinis Christi à populo gentili: ita Iudæorum imprecatione recidit illa in populũ Iudaicum. Securitate ergo hac, & cautione à Iudeis accepta, Pilatus tandem Iesum, hoc est, saluatorem tradidit voluntati eorum. Quia narratione indicauit Euangelista non legitimè à iudice condemnatum Dominum, sed furori, ac gratiæ populari seruiisse.

Ducitur ad crucem, & crucifigitur. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

CAPVT CXLIII.

S[a] *uscepérunt*

[a] VSCEPERVNT autem Iesum, [c] & postquam il [t b] *purpuluserunt ei, exuerunt eũ* [t] *chlamyde*[m], & *induerunt eũ* [ra] *vestimentis* ▷ *eius* [m] & [||] *eduxerunt eum* [m] [c] *vt crucifi*- ▷ [b] [c]. *ferent* [b] *eum*. [d] Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, in [||a] [c]. *dicitur Caluariæ locum, Hebraicè Golgotha*. [a] Exe- *xerunt autem* [c] & cùm ducerent eum, [a] *inuenerunt*, [c] *apprehenderunt*, [b] *eum* [b] *edu- & angariauerunt* [b] *prætereuntem* [b] *quempiam* [a] *hominem* [||t] *Cyrene- cunt eum. um*, [a] *nomine* [t] *Symonẽ* [h] *venientẽ de villa*, [b] *Patrẽ Alexandri & Rufi*, [a t b] *Simonẽ hunc angariauerunt*, [c] *vt tolleret crucem eius*. [c] & *imposuerunt illi cru- Cyrenẽ* [a] *cem portare post Iesum. Sequebatur autem illum multa turba populi, Symonem.* & *mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus Cyrenẽsẽ.* autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, [t b]. & *da sed super vosipsas flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, bant ei bi-* in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super ▷ [d]. *vbi* [||] *nos: & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciũt, in arido* [a]. *crucifixẽ quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interfice- sunt cum rentur.* [b] Et perducunt illum, [a] & venerunt in locũ [a] *qui dicitur* [c] *Gol*[a] *o duo Lagotha, quod est* [b] *interpretatum Caluariæ locus, & dederunt ei vinum* [r] *rones* [t a]. *myrrhatũ* [a] *bibere* [c] *cum felle mistum. Et cùm gustasset noluit bibe- vnus, & re,* [b] *& non accepit.* [a] Et postquam venerunt in locum, qui vocatur vnus ▷ [b]. *Caluariæ,* ▷ [b] *ibi crucifixerunt eũ*. [c] & [a] *tunc* [||b] *crucifigunt* [m] *cum* [a] *alium* [a] [d] *alios* [m] *duos, latrones* [d] *hinc & hinc*, [t] [l] *vnum à dextris*. & ▷ [||a] *Erat au- alterum* [l] *à sinistris* [b] *eius*, [d] *medium autem Iesum*. [b] Et impleta est tem [c]. [a]. *scriptura quæ dicit: Et cũ iniquis reputatus est*. [d] Scripsit autẽ & titu- *superscrip- lum Pilatus, & posuit super crucem.* [a] Et imposuerunt super caput eius tio scripta causam ipsius scriptam. [||] [a] Et erat [h] *titulus* [b] *causæ eius* [a] *inscriptus* [c] [d]. *erat au- super eum literis græcis, & latinis, & hebraicis*: [c] *Hic est* [t] *Iesus* [d] *Na- tem scriptũ Nazarenus,* [r] *Rex Iudæorum*. [d] Hunc ergo titulum multi Iudæorum lege [t a] *postquã rũt, quia prope ciuitatẽ erat locus vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptũ autẽ cru- hebraicè, græcè, & latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: cifixerunt Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit Rex sum Iudæorum. eum* [b]. & *Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* [c] Iesus autem dicebat: Pater crucifigẽ- *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Milites ergò* [t m] *cùm cruci- tes eũ* [a] ▷ *fixissent eum* [d] *acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor par diuiserũt* *tes, vnicuique militi partem) & tunicam.* ▷ [l] *Dividentes verò vesti- vestimẽta* *ta eius miserũt sortes.* [b] *super eis, quis quid tolleret.* [d] Erat autẽ tunica eius, mit- *ex inconsutilis, desuper contexta per totũ. Dixerunt ergo ad inuicem: Nõ tẽtes sortẽ.* *scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.* [t s] *Vt scriptura impleretur* [a]. *impleta- tur, dicens* [a]. [a] *per Prophetam dicentem:* ▷ [s] *Partiti sunt vestimenta mea sibi, & [||in] vestem meam miserunt sortem*. [d] Et milites qui- *dictum est dem hæc fecerunt.* [a] Et sedentes seruabãt eum. [b] Erat autem desuper ter- ▷ [a]. [a] *ra. & crucifixerunt eum.* [t] [a] Prætereuntes autem, blasphemabant eũ, mouentes capita sua, & dicẽtes: Vah qui destruis templũ Dei, & in ▷ *sibi* [||]. *triduo super*

tribus diebus' [a] illud [b] reædificans: ‖ Saluum fac' temetipsum, [c] descendẽs de cruce, [d] si filius Dei es, descende de cruce. [e] Et stabat populus expectãs. Et deridebant eum principes cum eis. [f] Similiter [enim] & † principes sacerdotum' [g] illudentes ad alterutrum [h] cum scribis [i] & senioribus, ▷ dicebant: [k] Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. [l] Si [m] Christus [n] rex Israel [o] est, [p] descendat nunc de cruce, [q] vt videamus, & credamus. [r] & credimus ei: [s] se saluũ faciat, si hic est Christus Dei electus. [t] Confidit in Deo, liberet nunc eũ, si vult. Dixit enim, Quia filius Dei sum. [u] Illudebãt autẽ & milites accedẽtes, & acetũ offerẽtes ei, dicẽtes: Si tu es Rex Iudæorũ, saluũ te fac. [x] Idipsum autẽ [y] & [z] latrones [aa] qui crucifixi erãt cũ eo † improperabant' ei. [bb] Vnus ▷ [enim] de his qui pendebãt latronibus, blasphemabat eũ dicẽs: Si tu es Christus, saluũ fac teipsum, & nos. Respõdes autẽ alter, increpabat eũ, dicẽs. Neque tu times Deũ, quod in eadẽ dãnatione es? Et nos quidẽ iustè, nã digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei cùm veneris in regnũ tuũ. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, Hodie mecũ eris in Paradiso. [cc] Stabãt autẽ iuxta crucẽ Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus matrẽ & discipulum stantẽ quẽ diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eã discipulus in suã. [dd] Erat autẽ ferè hora sexta. ‖ & [ee] facta hora sexta', [ff] tenebræ factæ sunt † super vniuersam' terrã, vsque ▷ in horam nonã. [gg] Et obscuratus est Sol. [hh] Et ‖ circa horã nonã', † exclamauit' Iesus voce magna dicens: ▷ Eli, Eli lãma sabachthani, ‖ quod est', [ii] interpretatũ, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? † Quidam autẽ illic stantes, & [kk] audientes dicebãt: [ll] Ecce [mm] Eliã vocat [nn] iste. [oo] Postea sciens Iesus, quia omnia iã cõsummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat positũ aceto plenũ. Illi autẽ spongiã plenã aceto, hyssopo circũponentes, obtulerunt ori eius, † Continuò [enim] [pp] currens * vnus [qq] ex eis acceptam ▷ [rr] spongiã impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere', [ss] dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendũ eũ. [tt] Cæteri verò dicebãt: Sine, videamus an veniat Elias liberãs eũ. [uu] Cùm ergo accepisset Iesus acetũ, dixit: Cõsummatum est. ‖ [xx] Iesus autẽ [yy] iterũ [zz] clamans' voce magna, [aaa] emisit voce magna, [bbb] & inclinato capite † † tradidit spiritũ'. [ccc] Et [ddd] ecce [eee] velũ templi scissum est [fff] mediũ ▷ [ggg] in duas partes' à summo vsque deorsum, [hhh] & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumẽta aperta sunt, & multa corpora sanctorũ, qui dormierãt, surrexerũt. Et exeũtes de monumẽtis post resurrectionẽ eius, venerũt in sanctã ciuitatẽ, & apparuerũt multis. [iii] Videns ‖ autẽ Centurio' [kkk] qui ex aduerso [lll] stabat quod sic clamãs expirasset, [mmm] glorificauit Deũ † [nnn] dicẽs': [ooo] Verè hic homo iustus erat, [ppp] verè hic homo filius Dei erat. [qqq] Et qui cũ eo erãt custodientes Iesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerũt valdè, dicentes:

[a] & præteruntes [b] .*. tridduo ‖ [c] .*. saluã † [d] .*. sumi sacerdotes ▷ [e] dicẽtes † [f] .*. conuitiabantur ▷ autem ‖ [g] .*. A sexta autem hora † [h] per totam [i] .*. in vniuersam ▷ [k] .*. ad ‖ [l] .*. hora nona † [m] .*. clamauit ▷ [n] Eloi Eloi ‖ [o] .*. hoc est † [p] Et quidã de circunstantibus † [q] Et continuo *. autem ▷ [r] & implens spongiam aceto circũponẽs que calamo potũdabat [s] Et

dicentes: Verè filius Dei erat iste. [a] Et omnis turba eorum qui simul ade clamauerant ad spectaculũ istud, & videbãt quæ fiebant, percutientes pectora Iesus † [b] sua, reuertebantur. [c] Erant autẽ [d] ibi [e] & [f] mulieres [g] multæ [h] de longè emisit spiritũ. [i] aspicientes, [k] quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei, [l] inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi [m] minoris, [n] & Ioseph mater, & [o] mater filiorum Zebedæi, [p] Salome, & cùm esset in Ga ▷ [q] .*. in lilæa, sequebantur eum, & ministrabãt ei, & aliæ multæ quæ simul cũ duo ‖ [r] .*. Cẽ to ascendẽrant Hierosolymam. [s] Stabant autem omnes noti eius à longe, turba autẽ & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.

Susceperunt autẽ Iesum, & postquã illuserunt ei, &c. Continentur hoc capite duæ nouissimæ Passionis Christi partes. Sexta enim cũ plectitur ignominiosam eius ad crucẽ eductionem, crucis baiulationẽ, & præter alia myrrhati vini oblationem. Septima verò cæ- *Sexta & Septima pars passionis*

tera quæ cũ Pilatus adiudicasset fieri petitionem Iudæorum, milites ip- *Christi*
sius susceperunt Iesum tanquã sibi traditũ, & primũ quidẽ exuentes eũ chlamydẽ ad maiorẽ ignominiã induerunt eũ suis vestimentis, quo ab omnibus in via melius agnosceretur. Coronam capiti nõ dicuntur ademisse, vt intelligi possit eam ad maiorem item ignominiã relictam in capite quam verisimile est altius impressam fuisse, quã vt eximi cõmodè potuerit. Hinc sic indutum suis vestibus eduxerunt ad crucifigendũ. Ad augmentum non tantũ ignominiæ, sed etiam pœnæ eius fecit, quod ei ad crucifixionem exercendi propriam imposuerunt crucẽ; sicut hodie furibus suspendio, addictis funis, quo sunt suspendendi, circa collum injicitur. Itaque vt habet Ioannes, *baiulãs sibi crucẽ*, quã lubenter nostri causa in se suscepit, *exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum*. Quod autem alij res referunt Euangelistæ crucem impositam Simoni cuidam Cyrenensi portandam post Iesum: vtrumque intelligendum est factum succedisse. Nec dubitandum vter prior crucem portarit. Nã ex Euangelistarum narratione manifestè patet Dominum eam prius gestasse, ac deinde in via ipsam impositam Simoni. Ex quo- rum etiam verbis satis manifestum est Simonem non simul gestasse cum Christo, quemadmodum tamen nostri pictores frequenter exprimunt, quia dicitur. *Imposuerunt ei crucem, &c.* Vt autem hanc illi in via obiter inuento imponerent, in causa fuit verisimiliter, quod viderent Iesum iam debiliorem esse, quam vt ligni molem portare posset: maximè cum Iudæi vrgerent ad ac celerandam eius crucifixionem. Dicitur autem à Marco hic Simon Pater fuisse Alexandri, & Ruffi; non tantum ob certitudinem historiæ, sed multo magis ob gloriam horum filiorum, quos verisimile est fuisse discipulos Christi satis notos fidelibus. Sed & Patrem hunc verisimile est Christum saltem postea in domum suam per fidem recepisse, atque ob id in gloriam eius tam studiosè

Euangelistas nomen eius expressisse; cui violentia militum salutis, & gloriæ fuerat occasio.

Sequebatur autem Dominum multa turba populi, ac mulierum. Lamentantium non solum pro humano affectu (non enim dicuntur lamentatæ latrones duos, qui simul ducebantur cum Iesu) sed multo magis quod grato quodam affectu commoueretur hec turba tam lugubri spectaculo eius, cuius non tantum innocentiam, sed etiam beneficentiam toties erant expertit quod etiam fuit testimonium maximum innocentiæ Christi, ad maiorem principũ Iudæorum condemnationem.

Conuersus autem ad illas Iesus dixit: Nolite flere super me, &c. Nõ quod fletum eatum planè damnauerit, qui ex pio proficiscebatur affectu; cum & propriam matrem iuxta crucem ad fletum impulerit, cum iuxta Simeonis vaticinium gladius doloris animam eius pertransiuit: sed quod fletus ille ex ignorantia causæ passionis eius erat. Putabant enim eum cum esset innocens, pati ex infirmitate, & impotentia, nec sciebant illum voluntariè pro hominum salute mortem subire. Vult ergo illas super seipsas flere ob summã eis imminentem propter iniustam hanc necem, miseriam, quam effugere nequaquam possent, vnde dicit: Sed super vosipsas flete, & super filios vestros, super quos scilicet ventura est secundum vestram imprecationem sanguinis mei vltio. [Malè proinde ex hoc loco colligunt quidam mortem Christi non esse lugendam contra receptum ab Apostolorum temporibus morem: cum non absolute Dominus hanc mulierum super se deplorationem prohibuerit, sed causam maiorem super seipsas flendi illas habere significare tantum voluerit.]

Quia, inquit, *ecce venient dies*, in quibus non iam dicturi sint homines, maledictos ventres qui non genuerunt, sed beatas steriles, quæ nunquam genuerunt: siue quia tunc matres cocturæ sint per magnam inopiam filios suos, siue potius quia materna viscera grauius cruciantur in malis liberorum, quam in proprijs. Quo autem magnitudinem calamitatis Iudæis obuenturę significaret Dominus: subiecit ex Osea;

Tunc incipient dicere montibus cadite super nos, &c. Quo significatur Iudæos præ calamitatis magnitudine, ac ineuitabilitate, & quę futuros abditissima terræ loca, in quibus lateant, & desideraturos mortem, quæ ab eis fugiet.

Quia, inquit, *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vbi suppositum verbi faciunt, aut est simpliciter homines, aut milites Romani. Lignum viride, & humidum se vocat, quod diuina gratia plenus semper viteret, & fructum salutaris doctrinæ, bonorumque operum proferret. Lignum aridum Iudaicum vocat populũ, propterea quod diuina gratia destitutus, velut sterilis esset arbor & pal-

mes infœcundus. Sequuntur apud Euangelistas adhuc tria ad ignominiam & passionem Christi pertinentia, quæ ante crucifixionẽ ei sunt irrogata. Primum est quod vt habet Lucas, *ducebantur cũ eo etiam alij duo nequam, vt interficerẽtur.* Verisimile est autẽ morem fuisse, vt pridie paschæ, aut circa paschæ, aliasue solemnitates, cum multa ex omnibus locis confluxisset hominum multitudo, malefici insigniores in crucem subleuarentur (quod etiam apud nos fit) vt essent exempli causa multis spectaculo, quanquã etiam istud videri possit accidisse ex petitione Iudæorum, quibus gratificari iam statuerat Pilatus, vt nomen Iesu magis denigraretur, omniumque animi, magis ab eo alienarentur. Secũdum est, quod perductus sit Dominus crucifigiẽdus, in locũ maleficis crucifigendis deputatum, qui dictus est Hebraicè, id est, lingua qua tum Hebræi, hoc est Iudæi vtebantur Golgotha, quod significat craniũ, siue caluariam, ob eius volubilem rotunditatẽ à verbo Galal, quod voluere significat, & circuire. Locum ergo hunc suo nomine tam accurate expressêrunt Euangelistæ; vt intelligamus ignominiam, quam Iudæi etiam hac in parte Domino intulerunt, quamque nostri causa in se suscipere dignatus est; reputatus etiam hac parte cũ iniquis. Tertium ignominiæ genus Christo ante crucem illatum fuit, quod ei dederunt potandum vinum myrrhatum, vt habet Marcus, aut vt Matthæus vinum cum felle mixtum. D. August. dicit fieri potuisse vt vinum Christo oblatum & myrrha, & felle fuerit mixtum, quo esset amarius, aut Matthæum fel posuisse pro amaritudine, vt ob id myrrhatum vinum cum sit amarissimum, dici possit vinum felle mixtum, quam rationem probabiliorem ob id esse crediderim, quod videri possit Matthæũ fellis fecisse mẽtionẽ, quo significaret impletã prophetiã illã quæ fellis meminit, quam postea sumus explicaturi. Vinum ergo ei ex more obtulerunt, (qui mos etiam hodie seruatur) quo morituris vinum propinatur, vt animus illis addatur: sed ex insolentia militum, aut etiam ex malitia Iudæorum vinum hoc felle, hoc est amara myrrha mixtum fuit, & corruptum. Cum autem dicit Marcus, *& non accepit*, nihil aliud significare voluit, quam quod dicit Matthæus, noluit bibere; ne quis hinc colligat aliud fuisse vinum, de quo Marcus, ab eo de quo Matthæus loquitur, & hoc quidem Dominum gustasse, aliud vero non. Gustauit enim, sed non bibit, nec accepit sic, vt intra se illud mitteret.

Myrrhatũ vinũ.

Et postquam venerunt in locum qui vocatur Caluaria, &c. Sequitur iam septima, eaque nouissima, ac præcipua dominicæ passionis pars. Postquam ergo venerunt in Caluariæ locũ, ibi crucifixerunt eũ, manus scilicet, & pedes clauis affigentes ligno. Quod crucis supplicium non solum accommodissimum erat propter varias, & multiplices causas debitæ satisfactioni peragendæ, sed

etiam exemplo relinquendo nobis ad confirmandum nos Christo.

Tunc crucifigunt cum eo duos alios latrones, &c. Primum ad maiorem ignominiam Christi, crucifixi sunt cum eo duo illi latrones, qui cum eo educti fuerant, sic tamen vt medium Iesum inter illos penderent: quo non solum cum facinorosis reputaretur; sed inter eos maximè facinorosus haberetur. Verum contra intentionem, & voluntatem Iudæorum res hæc ad maiorem eius cessit gloriam; quia hac ratione impletum est, quod de eo dixit Isaias: Cum iniquis reputatus est; qua re meruit iniquos in se credentes ipsorum liberare iniquitate. Ita semper quod in Christo impijs est ignominia, pijs est mysterium & gloria. In hac cum patibuli specie monstratur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est fienda discretio. Sic etiam ludibrij causa videtur Pilatus titulum, hoc est, inscriptionem causæ, ob quam crucifixus erat, capiti eius affixisse: exprobrans scilicet ei affectationem regni apud Iudæos, atque significans illum ob hanc crucifixum à se. Qua re & Cæsaris erga se firmare ambiuit amicitiam, vt cuius imperium apud Iudæos contra vsurpatores tueretur, & Iudæorum vltus est contra se instantiam, & criminationem. Dum enim eum scripsit regem Iudæorum, nec scripturam hanc mutare voluit ad Pontificum preces; videri potest hoc nomine ignominia quadam Iudæos aspergere voluisse, qui hoc nomine ipsum ad innocentis cædem coëgerant. Ignominia enim Iudaici nominis erat Regem Iudeorũ pendere in cruce, quasi vana esset ipsorum de suo Rege prædicatio, & expectatio. Et hæc quidem videtur fuisse Pilati intentio: cæterũ hac ratione Deus etiã per impium veritati testimonium perhibuit, veramque causam insinuauit crucifixionis Iesu. Non enim ea erat causa, quam videri, & scribi volebant Iudæi, nempe quia ipse dixerat se Regem esse Iudæorum, cum verè non esset, sed quia, vt scripsit Pilatus, Rex erat Iudæorum. Quia enim is verè erat, ideo secundum scripturas mori debuit in cruce, vt hoste humani generis per mortem superato, regnare inciperet super eos qui verè sunt Iudei. Proinde bene, Deo ita disponẽte, cũ Iudæi instarent pro mutanda inscriptione respondit Pilatus: *Quod scripsi, scripsi*: hoc est scriptum haberi volo, nec immutabo. Scripsit autem hunc titulum Pilatus tribus linguis Hebraicè, Græcè, & Latinè: vt causa crucifixionis Iesu ab omnibus, qui tum in Ierusalem conuenerant posset agnosci; qua ratione significatum est omnium interesse vt cognoscant Iesum Nazarenum Regem Iudæorum crucifixum esse, ipsumque tanquam totius orbis Regem ab omnibus linguis prædicandum. Licet autem Euangelistæ inscriptionem tituli non eisdem commemorent verbis: Ioannem tamen qui postremus scripsit, & crucifixione Dominicæ interfuit ita

Leo.

ita scripsisse, sicut à Pilato scriptum fuit; Titulus ille ostendit, qui cum parte crucis Domini Romæ seruatur; vt dici possit alios illud tantum in quo cardo inscriptionis causæ consistit, nempe apellationem Regis Iudæorum exprimere voluisse.

Iesus autem dicebat, Pater dimitte illis; non sciunt enim, &c. Illi quidem ipsum crucifigebant, Iesus vero absolutissimum patientiæ & charitatis exemplar, pro crucifixoribus suis orauit: declarans se magis illorum causa dolere, quam sua, re ipsa nos iam docens orare pro inimicis. Pater inquit dimitte illis, causamque addit cur dimittere cõueniat; *non enim sciunt quid faciunt*. Nesciunt se crucifigere Dei filium, verumque Regem Iudæorum. Nesciebant etiam quid facerent, quia ignorantes Dei perfecerunt prædestinationem, hominumque cooperabantur saluti; cuiusmodi ignorantia cum fuerit crassa, & culpabilis, peccatum quidem illorum non in totum sustulit, sed tamẽ ex magna parte diminuit, & veniabile fecit: cum alioqui si scientes filium Dei crucifixissent, peccatum eorum, vtpote in Spiritum sanctum commissum irremissibile fuisset.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt, &c. Magna fuit ignominia vestibus omnibus detractis Dominum nudum pendere in cruce coram tanta multitudine, eundẽque coram videre vestes suas diuidi, atq; super eas mitti sortes, & à militibus vẽdicari, qua si nulla esset vlterioris vitæ reliqua spes. Porro cum Euangelistæ simpliciter, & indistincte factum hoc narrauerint, tantum dicentes quod vestimenta sint diuisa, quodque sortem miserint: Ioannes qui post alios scripsit, manifestius, & distinctius de hac re scripsit, quo scripturæ testimonium indicaret huic facto optime quadrare. Dicit ergo sic milites diuisisse vestimẽta, vt fecerint quatuor partes, vnicuique militi vnã assignantes partẽ, vnde intelligere primò licet quatuor fuisse milites qui Dominũ crucifixerunt. Intelligere licet secundo diuisionem vestimentorum non sic factam vt vnicuique militi vna sit data vestis; dicit enim Ioannes milites fecisse quatuor partes: vt intelligendũ sit vnam vestẽ in quatuor partes diuisam, cũ Iudæorũ vestes quatuor necessario habuerint partes, vt & nostræ ferè habent. Dicit præterea Ioannes tunicã quandam eos accepisse, quæ fuerit incõsutilis desuper contexta per totum. Vbi Græcis est ἐκ τῶν ἄνωθεν .i. ex summo, aut ex superioribus: vt significetur eã è superiori parte textilẽ fuisse per vniuersum vsque deorsum, hoc est, totã fuisse textã, nec aliqua ex parte fuisse cõsutã de hac ergo dicit milites dixisse; *Nõ scindamus eã sed sortiamur de illa cuius sit*, sicque impletũ apertè & distinctè ostẽdit quod dicitur; *Partiti sunt vestimẽta mea sibi, & in vestẽ meã miserunt sortẽ*: Priori militũ facto insinuans implerã priorẽ Prophetiæ partẽ, posteriori vero posteriorẽ. Ex Marco tamen apparet milites

Universidad de Deusto
Biblioteca

misisse etiam sortes super vestimentorum diuisorum partibus, vt per sortes agnoscerent quam quis partem tollere deberet. Porro Matthæus etiam aliud militum circa Dominum factum narrat, di cẽs eos sedentes seruasse Dominum, ne quis scilicet tolleret eum.

Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes, &c. Quartum deinceps describitur ignominiæ genus, quod crucifixo Domino sannis, & irrisionibus varijs est illatũ, quibus passio Domini iuxtè est aucta, & exacerbata, ac Iudęorũ impietas insigniter declarata. Pertulit autẽ hæc Dominus imprimis à Iudæis prætereũtibus, qui vt habent Euangelistæ, *blasphemabant eũ*, hoc est male dicebãt, & conuitiabantur ei, in signum lætitiæ & irrisionis, mouentes capita sua, & dicentes; Vah, qui destruis templum Dei, & in tribus diebus illiud reædificas, salua teipsum descendens de cruce. Si filius Dei es, descende de cruce. Verum maligna, & peruersa hæc erat suggestio, sicut illa; Si filius Dei es, mitte te deorsum. Nõ enim quia filius Dei erat descendere debuit de cruce, sed contra potius ob id in cruce manere vsque ad mortem, vt sua morte mortem nostram superaret. Nec descensu è cruce declarare debuit se filium esse Dei, sed ascensu è sepulchro, qui magis Dei conuenit filio, maioremque declarat potestatem. Cæterum Matthæus scribit eos dixisse;

Confidit in Deo, liberet nũc eum si vult. Eum addunt Græca sicut in Psalmo, cuius vaticinium his suis verbis nescij impleuerunt. Psal. 10. Verbum autem, velle, hoc loco phrasi Hebræa positum est pro diligere: alioqui conuitium non in Christum tantum, sed etiam in Deum videretur recidere; quasi exprobrare voluerint Deo impotentiam saluandi. Secundi generis irrisores fuerunt Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus, qui ad alterutrum, hoc est ad sese mutuo referuntur locuti de eo, qui impotentiam saluandi seipsum exprobrãt Domino nõ simpliciter, sed cũ cõparatione potentiæ ipsius in saluãdo alios. Maius enim vituperiũ est si qui alios saluauit, seipsum non possit saluum facere. Quibus tamen verbis seipsos egregie confutant. Si enim alios saluos fecit; non debuit ergo tanquam malefactor puniri, sed tanquam benefactor laudari. Si alios saluos fecit, potuit vtique & seipsum facere saluum, sed non fecit quomodo illi volebant; non quia non potuit, sed quia non voluit vt & se & alios vere saluos faceret. Adiiciunt & exprobrationem regalis nominis, in illius comprobationem, descensum è cruce postulantes, ac sic fidem se illi habituros promittentes:

Si, inquiunt, *Christus est, & rex Israel, descendat nunc de cruce*, vt videamus, & credamus ei. In quibus verbis rursum duplicitet inueniuntur reprehensione digni: Primũ enim nusquã didicerãt descensum è cruce ostẽdere Christũ & regẽ Israël; secundo falso

arguuntur

arguuntur fidem promittere descendenti de cruce, cum credere noluerint ei à morte resurgenti, quod longè erat maius, & filio Dei atque Messię conuenientius. Duplici exprobrationi prædictę, adijciunt tertiò exprobrationem fiduciæ in Deum: quasi illa vana fuerit, & præsumpta;

Confidit, inquiunt, *in Deo, liberet nunc eum, si diligit eum, quemadmodum ipse de se asserit*. Dixit enim filius Dei sum. In qua exprobratione rursum duplicitèr peccant, & quod illud reprehendunt, quod est maximè laudandum, & quod liberationem è malis volunt necessariò consequi rectam in Deum fiduciam, & Dei erga afflictos dilectionem, cum cõtra euenerit in plerisque iustis. Sequitur in Luca.

Et stabat populus expectans, aut vt potius legendum est spectans. Sic enim legendum docent Græca, quæ habent θεωρῶν, & Latina emendatiora antiqua. Tertij generis illusores fuerunt milites, qui & ipsi ad Titulum à Pilato scriptũ alludentes dixerunt, vt habet Lucas; *Si tu es Rex Iudæorũ, saluum te fac*, hoc est, si tu is es qui tanquã Rex Iudæos esses saluaturus, saluũ teipsum modo fac. Quod autem hos acetum Iesu per ludibrium obtulisse dicit: id reliqui Euangelistæ explicant qua ratione, & quando factum sit, nempe postquam dixisset Eli, Eli, & Sitio. Postremum etiam à latronibus, qui cum eo erant crucifixi Domino exprobratum testantur Matthæus, & Marcus, vbi pluralem numerum pro singulari per synecdochen accipiendum satis patet ex Luca qui singulariter vnum latronem blasphemasse dicit, atque alterum illum blasphematorẽ increpasse. Sicut & Lucas pluraliter dicit milites obtulisse acetũ: cum ex alijs constet, vnum ex eis id fecisse.

Vnus ergo de his qui pendebant Latronibus (qui creditur fuisse is, qui à sinistris erat) *blasphemabat eum*, id est, conuitiabatur ei dicens: *Si tu es Christus saluum fac teipsum, & nos*, improperans ei vanam vsurpationem Regij nominis. Alter vero, qui à dextris erat, non solum non prorupit in similem blasphemiam, aut tam multiplici exemplo prouocatus, aut pœnarum asperitate exacerbatus, sed etiam velut immemor factus suarum pœnarum, & magis læsus iniurijs Christi, quam proprijs pœnis, reliquis omnibus aut blasphemãtibus ipsum, aut tacentibus, solus ipsius defensor effici tur, & prædicator, quem videbat per nimiam mansuetudinem seipsum non defendere, non metuens ne sua prædicatione & defensione blasphemantium contra se prouocaret insaniam. Dicit ergo ad alterum latronem, nolens iam cum ipso, vt hactenus fecerat, socius esse criminis, sed ad pœnitentiam iam secum reuocare studens.

Neque, inquit, *tu times Deum, quia in eadem damnatione es?* Hoc est, vt non timeant Deum hi, qui nos circumstant Iudæi, an non

Universidad de Deusto
Biblioteca

saltem tu times Deum? qui quoniam in eadem es cum isto damnatione mortis, merito sic Deum timere deberes, vt tibi ab hac blasphemia temperares: tum quia supplicij societas te sentire facit miserandam potius, quam insectandam huius calamitatem, tum quia ipsum tuum supplicium mox te hinc rapiet ad tribunal Dei, vbi conuitij huius tui rationem reddere cogeris. Ne autem (quia dixit in eadem damnatione es) videretur Iesum etiam eodem inuoluere rea tu, subiunxit;

Et nos quidem iustè, subaudi, in hac sumus damnatione. *Nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali fecit*. Significans etiam ob aliam causam illum à blasphemia Iesu merito temperare debere, nempe ob ipsius innocentiam. Hac insigni defensione cum sibi viam parasset ad gratiam Christi obtinendam, conuersus ad illum clarius iam suæ virtutis, æddidit argumentum dicens;

Domine memento mei cũ veneris in regnum tuum. Mira certè fides latronis. Dominum vocat, quem vidit in cruce pendentem, atque hunc non dubitat regem agnoscere, salutemque ab eo velut à rege petere, quem in cruce morientem vidit, moriturus & ipse, cuiusque regnum ab omnibus audiuit irrideri circumstantibus. Declarat se credere aliam vitam esse post hanc vitam, eamque sibi magis esse curæ, quam hanc temporalem, agnoscit item regnum Iesu non esse de hoc mundo, insigniorem de Christo eiusque regno habens notitiam, quam Apostoli. Vt autem ad talem de Domino existimationem, & fidem verisimile est latronem hunc nõ nihil commotum per famam miraculorum, & innocentiæ eius, atque per inauditam ipsius tum in ferendis malis mansuetudinem, tum erga hostes suos benignitatẽ: ita magis fatendum opus istud fuisse Spiritus sancti, trahentis, & illuminantis cor eius. Nec fidei tantum magnitudo, sed etiam modestia peccatore digna in eo est admiranda. Non enim audet petere regni consortium, sed tantum inquit, memento mei, &c. Quoniam ergo tanta fuit eius virtus, vt similem non inuenerit Dominus in Israel, imò fortè nec in vniuerso orbe, si spectemus fidem: Dominus, qui mutus erat, ac surdus ad omnia conuitia, non fuit mutus ac surdus cum fiducia postulãti, sed vicissim tali cum dignum iudicauit promissione, quali necdum quenquam honorauerat; non simpliciter illi promittens, sed cum solita asseueratione.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradyso. Rogauit ille vt Christus memor esset aliquando sui, cum venisset in regnum suum: Dominus autem non post aliquot dies id se facturum pollicetur, sed hodie, inquit, nec memorem se dicit illius fore, sed quod maius est, illum vt erat secum in cruce, ita secum futurum in paradyso: hoc est, liberatum ab omnibus malis participem fore fœlicitatis suæ ac gloriæ.

Stabant

Stabant autem iuxta crucem Iesu, Mater eius, & soror, &c. Qui crucifigentium se curam gessit, & secum crucifixum latronem cõ solatus fuit merito deinde & matris suæ curam gessit, eamque cõ solatus est, quæ iam insigniter suam pietatem, atque præclarã de Iesu existimationem declarauit. Benè ergo stetisse eam dicit Euãgelista iuxta crucem: quoniam non solum corporaliter, sed etiam per fidei firmitatẽ & animi fortitudinẽ, nequaquam pericula metuentis, cruci astitit erecta. Quanquam autem non vacillaret in fide: tamen nihil dubium, quin pro eximia sua erga talem filiũ pietate, & charitate maximo cor eius repletum fuerit dolore: quem pium hominis cor potius assequatur, quam verba, aut scripta explicent. Nihil tamen indecorum illam per mœstitiam gessisse: satis insinuauit Euangelista, cum tantum stetisse dicit; cuius exemplo nos decet cruci Dominicæ astare, sic vt Christo patienti piè cõdoleamus. Christi improperiũ propter ipsum simul portemus, & ad exemplũ crucifixi Iesu carnem etiam nostrã crucifigamus cũ vitiis & concupiscentijs eius. Cęterum quod dicit Ioannes matrẽ Domini cum alijs mulieribus stetisse iuxta crucem Iesu non est contrarium ei, quod alij dicunt eas stetisse à longè. Intelligi enim potest eas aut in tanto fuisse interuallo, vt & iuxta dici possent, quia in cõ spectu eius aderant præstò, & à lõge propter turbam propinquius circunstantem cum Centutione, & militibus. Porro de muliere illa quam Ioannes vocat sororem matris Domini nomine Mariam Cleophæ: variè multum sentitur. At valde probabile, vt nõ dicam certum, est hanc esse eam, quam reliqui Euangelistæ vocant Mariam Iacobi: quemadmodum primùm ex eo colligi potest, quod sicut eam hic Ioannes coniungit cum Maria Magdalena: ita Mariam Iacobi reliqui Euangelistæ coniungunt cum illa circa crucem Iesu, & in accessu ad sepulchrum. Eadem ergo est mulier quę Maria Cleophæ dicitur (aut Clopæ, vt habent Græca) & Maria Iacobi; Cleophæ quidem, quia eius vxor, Iacobi vero quia eius mater. Mariam autem Iacobi fuisse sororem matris Iesu; ex eo patet quod Matth. 13. & Marc. 6. Iacobus, Ioseph, Iudas & Simon, qui fuerunt filij illius Mariæ, dicuntur fratres Iesu ob cognationem: vt hinc etiam colligere liceat Mariam Iacobi eandem esse, quam Ioannes Mariam Cleophæ appellat sororem matris Domini. Et quidem vulgari apud nos sententia receptum est eam verè, & propriè fuisse sororem Domini, ex eadem cum ipsa progenitam matre, Anna scilicet, sed alio Patre, quem volunt Cleophan dictum esse: sed probabilius asserunt veteres Mariam Cleophæ ideo dictam sororem deipare, quod Cleopas fuerit frater Ioseph mariti eius. Ergo, vt ad cõtextum reuertamur, imbecillior sexus, tunc firmior apparuit, quandoquidẽ fugientibus Apostolis mulieres pietæque quæ Dominum e Galilæa secutæ fuerant,

Augus.

Egesippus Eusebius. Euthymius.

circa

circa crucem inuentæ sunt. Cum eis tamen affuit vnus ex Apostolis, qui vt præ cæteris à Iesu singulariter dilectus erat, ita & ipse iam singularem suam erga Dominum dilectionem declarauit: cū iuxta crucem cum matre Domini astare nec erubuit, nec reformidauit.

Itaque cum vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat; Matris quidem pro filiali pietate curam egit, discipulum vero pro sua in illum, illiusque in se dilectione insigniter honorauit. Dixit enim matri suæ.

Mulier ecce filius tuus, Ioannem insinuans. q. d. Ecce tibi eum, qui post hac filij loco erit, tuique curam geret; ne te mei nimium cruciet carentia. Nec dixit mater, sed mulier, quod & alias fecit: siue quod maior multò esset, quam ipsa eum genuisset, siue quod iam Patris sui cælestis negotium agebat, siue etiam quod sciret appellatione matris materna viscera nimis commouenda. Post matrem etiam discipulum alloquitur dicens; *Ecce mater tua,* hoc est, ecce tibi eam, quam tibi pro me velut matrem tuam curæ esse volo, in quam te volo tuam erga me dilectionem transfundere, & declarare. Nec vilipendit hunc honorem Ioannes, nec contēpsit Domini sui, etsi iam tanquam infirmi pendentis in cruce, imperium, sed promptus ad obsequium, vnicumque illud amici testamentum exequens fidelissimè pro sua in illum dilectione, *mox ex illa hora accepit eam in sua, nō in suam,* cum Græcis sit εἰς τὰ ἴδια, id est, in propria vel sua, hoc est in ius suum. Suscepit ergo eā non in sua propria, ait Aug. quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propria dispensatione exequenda curabat.

Erat autem fere hora sexta; & facta hora sexta tenebræ, &c. Post varias iniurias, & contumelias Domino irrogatas secuta est multiplex eius glorificatio per miranda quædam eius nomine accidentia signa, quorum illud imprimis commemorant Euangelistæ, quod à sexta hora vsque ad nonam factæ sint contra naturam tenebræ super vniuersam terram, idque per obscurationem solis retrahentis in meridie radios suos, cum maximè lucet naturaliter. Quod ita diuinitus accidit in signum itæ Dei, in abominationem execrabilis sceleris Iudaïci, in testimonium gloriæ eius, quē agnoscere non voluerunt Iudæi, atque in signum cœcitatis Iudaïcæ. Tenebras has à sexta factas hora scribit Matthæus, vnde patet ante sextam Dominum aliquandiu in cruce pependisse, & plus quam tribus horis in cruce pependisse viuum, vt bene dixerit Marcus fuisse tertiam horam cum crucifigeretur Dominus. Nam ante tenebras omnino verisimile est accidisse omnia illa improperij genera, quæ Euangelistæ etiam commemorauerunt ante tenebras: quia non est verisimile Iudæos visis tenebris potuisse sic Christum contumeliosis insectari verbis. Quod autem Lucas dicit

cit fuisse fere horam sextam cum inciperent tenebræ, intelligendum est quia iam non diu sexta facta esset, ita vt circa eam dici posset. Nam Marcus facta sexta hora tenebras ortas dixit. Has tenebras non fuisse naturales, & tantum in vniuersa terra Iudaïca, sed per vniuersam terram, ex Dionysio Areopagita discere licet. Plura de his scribenti, quam Euangelistæ. *In exemplaria Pol. Scarpil.*

Et circa horam nonam exclamauit Iesus voce magna, dicens: A sexta hora, à qua cœperunt prædictæ tenebræ vsque circa nonam nihil dictum legimus aut à Domino in cruce pendente, aut à Iudæis cruci astantibus: sed hi quidem in istis trium horarum tenebris, vt est verisimile, stupefacti obstupuerunt; Dominus vero, vt est probabile, Patrem pro se, & nobis orauit, verum apud Deum Patrem pro nobis Sacerdotem agens. At cum iam instaret tempus quo spiritum suum traditurus esset, ne putaretur iam mortuus, sed agnosceretur adhuc viuus, exclamauit voce magna. Alia causa est quo & veritatem assumptæ à se infirmæ humanæ naturæ astrueret, & pœnarum acerbitatem à se susceptam declararet, voce magna in signum magni doloris iam morti vicinus exclamando conqueritur se à Deo derelictum. Sic enim hæc interrogatio intelligenda est. Hac ergo de causa Euangelistæ Dominum dixisse scribunt;

Eli, Eli lamma zabachani. Hebraïcè Christi verba referentes nūc necessario, quia alioqui non potuissent subijcere quod quidam illic stantes putauerunt Dominum inuocasse Eliam. Sunt autē hæc Domini verba principium Psalmi 21. quo principio benè iam vsus est Dominus, vt insinuaret Psalmum hunc totum de se dictum esse, in quo pleraque passionis eius apertissimè decantantur. In Marco legitur;

Eloi, Eloi, quod plerique putant vitio factum scriptorum; at ego magis crediderim singulare esse ab Elohim, quanquam singulare eius Eloi raro repetiatur. Nec est curiosè inquirendum vtrum dixerit Dominus (idem enim vtroque significatur) cum Euangelistis tantum curæ fuerit indicare ex Christi sermone occasionē sumptam à quibusdam existimandi illum inuocasse Eliam, quod etiam ex verbis voce accidere potuit. Derelictum autem se conqueritur Dominus, tum quod à Deo non erueretur malis, quibus affligebatur, tum quod diuinitas subtrahebat ab humanitate Christi consolationis riuulos, relinquens ea pati, quæ naturaliter erant afflictiua.

Quidam ergo illic stantes & audientes: Dicebant ipsum inuocare Eliam, cuius apud Iudæos magna erat fama, & existimatio. Hos Hieronymus arbitratur fuisse milites Romanos, qui quoniam nō intellexerunt Hebraici sermonis proprietatem eo quod dixit Eli, Eli, putabāt Eliā ab eo inuocatū. Si autē Iudæos potius hæc dixisse intel

intelligamus, putat idem Hieron. eos solito sibi more hoc fecisse, vt Dominum imbecillitatis infamarent, qui Eliæ auxilium deprecetur.

Postea sciens Iesus, quia omnia cōsummata sunt, vt consumma, &c. Significatur his verbis Dominum nihil temerè, sed omnia prouide & passum fuisse, & fecisse. Sciens, inquit, quod omnia, quæ scilicet ad passionem eius pertinebant, consummata essent, vt cum alijs etiam consummaretur scriptura, quæ adhuc restabat implenda, ea scilicet quæ dicit. In siti mea potauerunt me aceto dicit, Sitio. Et vere quidem secundum corpus sitiebat, nec mirum. Nam cum crucifixi soleant vehementer diseruciari siti tum ob nimium in tolerandis pœnis laborem, tum ob sanguinem per corporis vulnera exhaustum, accessit & hoc Christo, quod à cœna diei præcedentis, nullum liquorem biberit, varijsque afflictionibus, perpetua vigilia, & frequenti huc, illucque deductione attenuatus & exiccatus fuerit. Sed cum sitim hanc vt alia multa grauiora, dissimulare fortitet potuerit, voluit eam significare vt post alia omnia, etiā hoc impleretur quod scriptura prædixit eum in siti sua potandum aceto; & hac sua siti declararet humanæ naturæ, & supplicij non simulati veritatem.

Hieron. *Vas ergo erat positum aceto plenum*, idque ad hoc vt eo potarentur in sua siti crucifixi, quo sic citius morerentur. Itaque cum sitim suam testatus fuisset Dominus, mox currens *vnus ex astantibus*, vt habent Matthæus, & Marcus *acceptam spongiam implauit aceto, & imponens eam calamo*, sic dabat ei potum. Ioannes pluraliter dicit illos spongiam impletam aceto obtulisse ori eius, per synecdochen. Quod autem Matthæus quidem & Marcus dicant spongiam impositam arundini, vel calamo, Ioannes vero hyssopo: satis

Euthymius. patet Ioannem per dictionem hanc significasse genus calami cui spongiam imposuerunt: nempe quod fuerit calamus, hyssopi, quę ibi forte ad manum repererunt. Verisimile est enim hyssopi calamum in illis regionibus altiorem esse, & fortiorem quam apud nos: & alioqui non est putandum altitudinem crucis fuisse tantā, vt opus fuerit longa arundine. Cæterum quod Matthæus dicit cæteros ei, qui acetum obtulit, dixisse: Sine videamus, an veniat Elias liberans eum, Marcus vero eum qui obtulit dixisse scribat, Sinite, videamus, &c. Primo quidem cum Aug. & Euthymio dici potest vtrunque factum, & illos scilicet, & hunc vtrū que dixisse. Verum dum quædam diligenter perpendo facilè induci possem, vt credam locum hunc apud Marcum deprauatum. Cum enim historiam Dominicæ passionis non solum eodem cum Matthæo secuta to ordine, sed etiam eisdem pene semper verbis descripserit, verisimile est & hic idem ipsum fecisse.

Cum ergo accepisset Iesus acetum, vt significaret quare se sitire professus

professus esset, quodque non præter expectationem acetum accepisset, dixit sextum verbum;

Consummatum est, id scilicet, quod adhuc implendum restabat, & quod adhuc secundum Prophetiæ prædictionem sciui consummandum, ac quicquid ante mortem meam implendum fuit.

Iesus autem iterum clamans voce magna, ait Pater, &c. Quæ fuerit hæc vox aperuit Lucas, nimirum illud etiā ex Psalmis desumptum, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Cum enim vehementia passionis naturam humanam ad vitę periodum propemodum adigeret, & omnia impleta essent, quæ implenda erant, animam suam vltrò ponere voluit, sic vt eam se propediem resumpturum significaret. Est enim hic pro commendo, παρατίθεται quod sic commendare significat, veluti commendatur depositum seruandum, ac suo reddendum tempore, cum proprio significet apud aliquem pono. Itaque quod se facturum his verbis prædixit (nam Græcis est futurum tempus commendabo) id mox præstitit: cum his dictis *mox inclinato capite tradidit spiritum*, vt habet Ioannes, aut vt habet Matthæus, emisit spiritum. Quibus verbis etiam satis insinuauerunt Euangelistæ vltroneam Christi mortem. Nam in nobis fit contrarium, quia primum expiramus, Theophyl. & deinde inclinatur caput. Et cum de alijs dici soleat quod dormierint, vel obdormierint, de Christo dicitur quod tradiderit, & emiserit spiritum, vt cui id propriè conuenit. Tradimus enim & emittimus, quod in nostra est potestate, si modò propriè sit loquendum.

Et ecce velum templi scissum est medium in duas partes, &c. Post ignominiam mortis, secuta sunt varia, quæ crucifixi demonstrarunt virtutem, & dignitatem. Primum ergo miraculum est, quod velum templi scissum est medium in duas partes à summo vsque deorsum, quo præter alia significabatur reuelanda iam omnia legalia, quæ prius litera vt velamento quodam erant cooperta. Secundum prodigium est terræmotus, qui & ipse, sicut & quod sequitur de scissione petrarum insinuabat detestabile Iudæorum factum, & quod creaturæ Domino suo patienti condolerent, atque quodammodo indignarentur Iudæis. Quartum prodigium omnium maximum fuit, quod monumenta aperta sunt, atque ex eis multa corpora sanctorum, hoc est fidelium, qui dormierāt, surrexerūt. Et quidē monumēta ipsa aperta sunt in morte Domini, cæterum in ipsa primum resurrectione Domini videntur corpora illa sanctorum ex monumentis surrexisse. Non enim conueniebat vt ante Christū resurgerent, & apparerent, quia Christus primitiæ est dormientiū, & primogenitus ex mortuis. Dicūtur autē isti ex monumentis exeuntes venisse in sanctā ciuitatē, nempe Ierusalē: quia monumenta omnia apud Iudæos erant extra ciuitates.

Videns

Universidad de Deusto
Biblioteca

Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quod factum, &c. Impleri iam cœptum eſt, quod ſigna illa protendebant. Iam enim terra cordis hominum cœpit moueri, & lapidea corda hominum ſciſſa ſunt, & qui verè in anima mortui erant, ſurgere cœperunt per agnitionem ſceleris, & rectæ in Ieſum fidei confeſſionem. Centurio enim homo gentilis, qui è regione crucifixi ſtabat, ſeruans illum cum ſuis. Videns, inquit Lucas, quod factum fuerat, hoc eſt, videns vt habet Marcus, quod magna emiſſa voce expiraſſet, viſo etiam terræmotu, vt habet Matthæus, & aliis prodigijs, quæ tum fiebant, gloriam dedit Deo, veritatem confitendo, dicens vt habet Lucas; *Verè hic homo iuſtus erat*, & quod his ampliùs erat, dixit vt habet Marcus, *verè hic homo filius Dei erat*. Nec ipſe tantum, ſed & milites qui cum ipſo & ſub ipſo erant, cuſtodientes Ieſum, vt habet Matthæus. In his ergo præludium quoddam fuit ſecuturæ fidei gentium. Et tamen etiam in Iudæis hæc ſigna fuerè efficacia, quia vt refert Lucas; *Omnis turba eorum, qui aderant ſimul ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur*. Percutiebant autem pectora ſua dolentes de admiſſo ſcelere; partim quidem cum vera pœnitentia, & facti deteſtatione, partim verò ex metu vltionis alicuius grauis ſecuturæ. Fuit ergo hic Iudæorum dolor præludium veræ pœnitentiæ, quæ in die Pentecoſtes in plenitudine eſt perfecta. Cæterum præter duplex hoc hominum genus, vnde mortuus Dominus glorificatus eſt, qui ab vtroque pendens in cruce viuus fuerat blaſphematus: commemorant Euangeliſtæ tertium hominum genus circa crucem aſſiſtiſſe, quod & viuo, & mortuo ſemper bene fuit affectum, mulieres ſcilicet, quæ ipſum ſecutæ erant à Galilæa. Hæ vt prius ſingularem erga Dominum declarauerunt affectum, ſequendo illum aſſidue etiam Galilæam exeuntem, & miniſtrando illi ſuis obſequijs, & facultatibus: ita & nunc declarauerunt dum ſtigentibus Apoſtolis circa crucem non verentur aſtare: quamquam huic affectui metus aliquis coniunctus fuit, propter quem dicuntur ab Euangeliſtis ſtetiſſe à longe. Porro quod ea mulier, quam Matthæus vocat Matrem filiorum Zebedei, ipſa ſit quam Marcus vocat Salomone: ſupra oſtenſum eſt in cap. 104.

Aperitur eius latus, & ſepelitur honorificè. Matthæi 27. Marc. 15. Lucæ 25. Ioannis 19.

CAPVT CXLIIII.

IVDÆI

IVDÆI ergo (quoniam paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbatho (erat enim magnus dies ille ſabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorũ crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi qui de fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eũ iam mortuum, nõ fregerunt eius crura, ſed vnus militũ lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & verũ eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit, quia vera dicit, vt & vos credatis: facta ſunt enim hæc vt ſcriptura impleretur, Os non cõminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem tranſfixerunt. Poſt hæc autem † * cùm [b] iam * ſerò * factum eſſet (quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbathum) * & ecce * venit ▷ [f] homo' * quidam diues [l] ab Arima † [b]. Et, cũ thea * ciuitate Iudæa [l] nomine [l] Ioſeph, * qui erat [b] nobilis [b] decurio, * iam ſero vir bonus & iuſtus, * qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu, * hic non conſen- [a]. cũ autẽ ſerat conſilio, & actibus eorum, ||[b] qui expectabat & ipſe regnũ Dei, [l] ſero Hic [b] audacter † [l] introiuit' ad Pilatum, [d] & rogauit Pilatum Ioſeph ▷ *. vir ab Arimathea (eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autẽ propter me- ||[b]. & ipſum Iudæorum) [l] & petijt, [d] vt tolleret, corpus Ieſu. [b] Pilatus autẽ miſe erat ex rabatur, ſi iam obiiſſet. Et accerſito Centurione interrogauit eum ſi iã pectam mortuus eſſet. Et cùm cognouiſſet à Centurione, * tunc Pilatus [b] dona- † [f]. acceſſit uit corpus Ioſeph, [d] & permiſit Pilatus [&] * iuſſit reddi corpus. [b] Io ſeph autem mercatus ſindonẽ, [d] venit * & tulit corpus Ieſu, [l] & [b] de- * ergo ponens eum, * accepto corpore, Ioſeph [l] inuoluit * illud * depoſitum * in [l] † [b]. eum ſindone * munda, [l] & poſuit † illud' in monumento * ſuo nouo, ▷ [l] ▷ *. exciquod exciderat' * in petra, * in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. ſo [b] quod Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ſe- erat excimens mixturam myrrhæ, & aloës, quaſi libras centum. Acceperunt er- ſum de go corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autẽ in loco, vbi crucifixus eſt hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondũ quiſquã poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerũt Ieſum. * Et aduoluit [Ioſeph] ||[a] ſaxum' * magnum * ad oſtium monumen ||[b]. * lapi- dem. ti, * & abijt. Erant autẽ ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedẽ tes cõtra ſepulchrum. [b] Maria autem Magdalene, & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur. [c] Et dies erat paraſceues, & ſabbathum illuceſcebat: Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo veneranr de Galilæa, viderunt monumentum, & quẽadmodum poſitũ erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & ſabbatho quidẽ ſilueruntſecundum mandatum. * Altera autem die, quæ eſt poſt paraſceuẽ, conuenerunt principes ſacerdotum, & phariſæi ad Pilatũ, dicentes: Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium, ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit

Universidad de Deusto
Biblioteca

rexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus, Habetis custodiam ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus.

Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt nõ remanerent, &c. In hoc Capite tria commemorãtur quæ præter prædicta insigniter ad Christi fecerunt gloriã, lateris scilicet apertio, honorifica eius sepultura, atque solicita sepulchri munitio. Quod ergo ad primum attinet dicit Ioannes rogasse Pilatum, vt crucifixorum frangerentur cruta, quo sic citius mortui tolli possent à cruce quamdiu esset parasceue. Id autem eos fecisse dicit propter religionem, & honorem sabbathi instantis, vt ne in sabbatho, & tali sabbatho, quod ob incidentem simul paschæ solemnitatem iam duplex erat festum, remanerent in cruce corpora sceleratorum: quasi per ea festi celebritas dehonestanda esset. Qua in re videre licet rursum eorum præposteram: & simulatam religionem. Vt ergo non ex vero legis studio certum est eos, Pilatum rogasse corporum è cruce sublationem: ita probabile est metu potius, ac pudore ad hoc petendum commotos fuisse: nimirum quia prodigijs apparentibus conturbati sibi malè metuerent à populo, & in conscientia sua pudefacti non pertulerunt corpus Iesu hominum oculis diuitius esse conspicum. Itaque cum Pilatus Iudæorum annuisset petitioni, milites ex præcepto eius venerunt parati ad omnem inclementiã, *& primi quidem fregerunt crura & alterius, qui crucifixus est cum illo; Ad Iesum autem cũ venissent*, & vidissent eum iam mortuum, non fregerunt eius cruta, sed vnus militum insolentia quadam militari, *lancea latus eius aperuit*, quo scilicet certior esset mors Iesu; & ecce statim è latere profluxit aqua, & sanguis, Deo militarem petulantiam conuertente in grande miraculum, & insigne mysterium. Quo autem Euangelista Ioannes, qui solus hæc scripsit firmius confirmaret & lateris apertionem pro ossifragio, ad ostendendum scripturas quasdam in Christo completas, & miraculum aquæ cum sanguine fluentis è corpore mortuo ad commendandum fidelibus Sacramentorum mysteria subijcit: *Et qui vidit, testimonium perhibuit*; vnde nequaquam fallax est testimonium eius, sed verum, atque firmum. Et hîc ipse testis scit se vera dicere, vt qui ea tunc coram videtit, quod ob id nunc dicit, vt & vos testi oculato fidem habentes, credatis in Iesum; nempe quoniam hæc non acciderunt temerè, & casu, sed propter scripturas quasdam, quas in his cernere licet impletas.

Facta sunt enim hæc, inquit, *vt scriptura impleretur.* Tria autem narrauit circa Iesum facta, nempe quod non fregerunt eius crura, quod lancea latus eius apertum est, quod effluxit sanguis, & aqua.

In primo

In primo impletum dicit illud Exodi, Os nõ comminuetis ex eo. Quod cum ad literam dictum sit de agno paschali, & nunc Euangelista in Iesu impletum dicit: significat illum verum fuisse agnũ paschalem, & per legalem illum prefiguratũ, nec de legali illud præceptum fuisse, nisi propter Christum cuius erat vmbra. In eo quod secundo loco dixit lancea latus dominicum apertum, dicit impletam scripturam, quæ est Zachariæ cap. 12. Videbũt in quem transfixerunt. Septuaginta autem hoc loco apud Zachariam habent, Aspicient ad me pro eo quod insultauerunt. Itaque Ioannes neque respexit quid vertissent Septuaginta, sed Hebræa secutus est, neque ad verbum hebreum veritatem curauit citare (nos enim legimus illo loco, Aspicient ad me quem confixerũt) sed sensum satis habuit appendere, vt & alias fere semper Apostoli. Quanquam autem istud intelligi possit de visione fidei, vt iam impletum sit illud in multis Iudæis: tamen idem Ioannes in Apoc. significat illud implendum in Iudæis infidelibus, quando in nouissimo die omnibus veniet Dominus Iesus conspicuus. Vnde hinc certò intelligi datur Dominum venturum ad iudicium cum vulnerum, quæ in cruce accepit signis, ad maiorem confusionem & condemnationem impiorum. Quod autem Ioannes tertio loco dixit è latere Christi aperto effluxisse aquam, & sanguinem: quatenus erat miraculum satis fuit illud oculari testimonio comprobasse; quatenus vero erat mysterium, non erat explicandum in Euangelijs quæ passim fidelibus, & infidelibus legenda proponebantur: cum mysteriorum ratio tantum fidelibus viua voce tradenda sit. *Cap. 1.*

Post hæc autem, cum iam sero factum esset, &c. Continet hæc pars honorificam Christi sepulturam, iuxta illud Isaiæ vatcinium. Et erit sepulchrum eius gloriosum. Sepulturæ enim traditus est Dominus & ab honorificis magnisque personis, & sumptu, modoq; honorifico. Prior persona fepeliens fuit Ioseph ab Arimathea, qui ad magnum à Deo vocatus officium, præclarorum virorum sortitus est & nomen, & ciuitatẽ. Huius viri conditiones multas describunt Euangelistæ, quarum prior est, quod diues fuerit, quodque vt habet Lucas fuerat nobilis Decurio, vbique Græcis est βουλευτὴς, hoc est consiliarius, aut senator: vt hoc nomen hoc loco non sit officij militaris, sed dignitatis municipalis. Qui enim Romæ dicebatur senator, in municipijs dicebatur Decurio: vt hinc colligere liceat hunc Ioseph senatorem fuisse vrbis Ierusalem. Per diuitias ergo, & nobilitatem potentiæ seculiaris, idoneus fuit, qui petere posset, & impetrare corpus Iesu à Pilato. Aliæ conditiones sunt, quod vt habet Lucas, *vir bonus fuerit & iustus, quodque vt habet Matt. Et ipse discipulus*, id est, auditor erat Iesu, *licet occultus propter metũ Iudeorum.* *Cap. 11.* *Sepultura Christi honorifica* βουλευτὴς

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt habet Ioannes. Quod non diuersum est ab eo quod Marcus & Lucas dicunt etiam eum expectasse regnum Dei. Quia enim discipulus erat Iesu, expectabat regnum Dei, quod Iesus prædicabat appropinquasse. Huius generis etiam est, quod Lucas dicit hunc non consensisse consilio, & actibus eorum. Per iustitiam ergo meritorum, regnique cælestis expectationem, atque innocentiam dignus fuit, qui dominicum corpus sepeliret. Qui ergo prius metu Iudæorum discipulum Christi se esse dissimulabat, nunc omni postposito metu, & pudore (quod virtutem crucifixi declarat, & gloriam).

Audaciter accessit ad Pilatum petens sibi donari corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur, si iam obiisset. Quod multis aliquando nō solum horis, sed etiam diebus, crucifixi soleant in cruce viuere. Cæterum vbi ex Centurione cui custodiendos crucifixos commiserat intellexisset mortem Iesu: tum demum donauit corpus Iesu ipsi Ioseph. Deo ita negotium disponente, vt omnibus constaret mors Iesu: quo clarior esset & certior resurrectionis gloria. Ioseph ergo donato sibi corpore, primo quidem illud, *deposuit de cruce*, quam alij Iudæi tanquam execratam ne tangere quidem voluissent; nec putauit se à tali mortifero polluendum, ita vt non posset edere agnum paschalem, sed potius sanctificandum: Deinde depositū inuoluit non quouis velamento, sed sindone, eaque munda, quam ad hoc mercatus fuerat; tum illud sic inuolutum posuit in monumento, quod sibi ipsi recenter parauerat, idque magno sumptu, nimirum, quod excisum fuerat ex petra. Adiunctus est Ioseph teste Ioanne & alter, similibus cum Ioseph præditus conditionibus. Nicodemus scilicet, cuius conditiones supra insinuauit Ioannes. Nam Principem eum vocauit Iudæorum, vt intelligere liceat eum non solum etiam fuisse diuitem, sed & decurionem, hoc est senatorem, aut consiliarium. Non consensisse etiā ipsum actibus & consilio Iudæorū, satis indicauit cap. 7. Vbi illius pro Christo contra Phariſæos defensionē recenset. Discipulū etiam fuisse Iesu occultū licet propter metum Iudæorū, & expectasse regnū Dei satis insinuauit; cū tertio capcōmemorat illū Iesum adijsse nocte, vt ab eo disceret mysteria regni Dei. Itaque planè dignus consortio Iosephi, venit & ipse ad sepeliendum Iesum: similia cum Ioseph pietatis officia exhibens. vt enim ille sindonem, ita hic attulit *mixturā myrrhæ & aloës*, unguentum scilicet magni pretij, idque ita multō pondere, ad libras scilicet ferme centum: vt intelligere hinc liceat corpus Domini nō leuiter perunctum fuisse vnguento, sed in illo fuisse sepultum, penitusque immersum. Accipiens autem & ipse corpus Domini, ac linteis illud ligans cum suis aromatibus pro more Iudaico (quē verisimile est eos retinuisse ob spem resurrectionis) posuit sic ligatum

Nicodemi conditiones.

gatum, & vnctum in sepulchro cum Ioseph.

Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, &c. Cum Ioseph & Nicodemus in funebri cura sepeliendi corporis Dominici occupati essent; mulieres illæ, quæ à cruce anelli non potuerunt (plures autē fuisse quā duas ex Luca satis cōstat) etiam ipsi sepulturæ interfuerūt, & subsecutæ ipsos viros, cū sese illis immiscere verentur, *sedentes è regione sepulchri*, aspiciebant, vbi ponetur ab eis corpus Dominicum: vt suo tempore reuersæ vnctionis officium, illi solicitè impenderent, quod iam ob Sabbathi instantis religionem impendere prohibebantur. Aspiciebant item quomodo positum erat corpus eius, non quod ipsum ingressæ essent monumentum, cuius ostiū iam clauserat Ioseph aduoluto lapide grandi: sed quod e loco vbi sedebant, viderent quomodo corpus Domini lapidis obiectu munitum esset. Significare autem vult Lucas tempus quo hæc gesta sunt, & quare non & ipsæ mulieres tunc Dominum vngere festinauerint.

Dies, inquit, *erat parasceues, & Sabbathum illucescebat.* Vbi quod dicitur, Sabbathum illucescebat, videtur nouo modo positum pro eo quod est, Sabbathi dies incipiebat adesse, quæ cū à vespera Iudeis incœperit, & dies aliqua illucescere dicatur cum illa incipiat: Sabbathum illucescere dicebant cum inciperet, quanquam non à luce, sed à tenebris inciperet. Itaque postquā dixisset dies erat parasceues, subiecit Lucas & Sabbathum illucescebat: vt significaret Sabbathi diem tum aduenisse, eamque fuisse causam, quod non & ipsæ mulieres vnxerint tum Dominum. *Reuertentes enim parauerunt aromata & vnguenta*, quandiu adhuc illud agere licebat: at ab vngendo, *siluerunt*, ἡσύχασαν, hoc est quieuerunt ipso Sabbatho, propter legem omne opus vetantem in Sabbatho. *Leuit. 23.*

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt, &c. Irrequieta res, & meticulosa semper est ipsa malitia. Qui enim prius putabant voto suo satisfactum iri, si quem persequebantur, ad mortem crucis perducere possent: voti huius sui compotes iam effecti, necdum tamen quiescunt; sed magis etiam sibi metuentes soliciti sunt, quomodo & resurrectionis eius gloriam supprimant: Deo mirabiliter etiam nunc eorum conatibus vanis vtente in suam Christique sui gloriam, ac Iudæorum confutationem. Conueniunt ergo ad Pilatum dicentes; *Domine recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc viuens, &c.* Seductorem vocant pro venenato suo in illum corde: cum tamen verus ad veram salutē dux & magister semper extitisset. Quod autē asserunt se intellexisse de resurrectione post tres dies, id est, die tertia futura; cū tamen Dominus aperte solis duodecim Apostolis dixerit, Post tres dies resurgam: verisimile est eos accepisse ex eo, quod Scribis, & Phariſæis signum quærentibus Dominus

dixerit: Sicut fuit Ionas in vētre cœti, ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Nisi forte Iudas nō tantū Magistri sui fuit proditor, sed & secretorū eius, quæ seorsum ab eo de morte, & resurrectione audiuit, ita vt ea Pontificibus & Pharisęis detexerit. Cū autē dicūt: *Erit nouissimus error peior priore*: errorem vocant opinionē de Iesu, quod Christus esset, & filius Dei. Hanc opinionē iam in nouissimo dicunt futurā peiorē, quā erat prius: quia firmior futura erat, & credibilior, atque ob id sibi, atque Romanis putabant fore pernicioſiorem, & periculoſiorem. Pilatus, vt prius, ita & modo obsecundans postulationi Iudæorum. *Habetis*, inquit, (aut vt Græca forte conuenientius verti possunt, habete, id est, accipite) *custodiam, ite, & custodite sicut scitis.* Accipitur autem hic dictio custodia, pro grege, ac turba custodum: qua dictione latina, Euangelista etiam in Græco textu vsus est. Iudæi ergo facultate à Præside obtenta, sine qua custodibus illis imperare non potuissent, *abeuntes munierunt sepulchrum* duobus, modis. Nam & adhibuerunt circa illud custodes, & lapidem, qui claudebat os sepulchri obsignauerūt, & sigillauerunt; ne quid fraudis esse posset, vel in ipsis custodibus. Ita dum resurrecturo conantur exitum occludere, auxerunt miraculum, & fidem resurrectionis.

Custodie

Resurgit Christus, & angeli apparent mulieribus. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Ioannis 20.

CAPVT CXLV.

† [b] *Et valde mane una sabbathorū* [d] *Vna autem sabbathi Maria Magdalene venit mane* † [d] *vidit* ▷ [d] *sublatum*

[a] VESPERE autem sabbathi, quæ lucescit in prima sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. [b] Et cum transisset sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. † [c] Vna autem sabbathi valde diluculo, [d] cùm adhuc tenebræ essent, [e] venerunt ad monumentum, [b] orto iam sole, [c] portantes quæ parauerant aromata. [a] Et ecce terræ motus factus est magnus, angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedēs reuoluit lapidē, & sedebat super eū. Erat autē aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. [b] Et dicebāt ad inuicē: Quis reuoluet nobis lapidē ab ostio monumenti? [c] Et [b] respicientes † [c] viderūt, [c] & inuenerunt [e] lapidem ▷ reuolutum [b] à monumēto, [b] erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentē in dextris cooperturn stola cādida, & obstupuerunt. [a] Respondens autem

[a] angelus

[a] angelus dixit [b] illis [a] mulieribus: [a] Nolite † expauescere [a] vos: scio [a] [b] quid [b] enim quod ▷ [a] Iesum [b] Nazarenum, [c] qui crucifixus est, quærit: nō est hic † [a] sicut surrexit [a] enim, sicut dixit: venite, & [a] videte locum, vbi positus erat Dominus. [b] Sed ite [a] & cito euntes [a] dicite discipulis eius, [b] & Petro, † quod [a] surrexit, & ecce [a] præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis [b] sicut dixit vobis. [a] Ecce prædixi vobis. [c] Et ingressa non inuenerūt corpus Domini Iesu. Et factum est, dum mente consternata essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerēt crucifixæ, autem, & declinarent vultum in terram, dixerūt ad illas: Quid quæ surrexit, mitā viuentem cum mortuis? Non est hic, sed surrexit, recordamini qua nō est hic loquutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicēs: Quia oportet [a] [b] ecce filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & die tertia eius vbi posurgere. Et recordata sunt verborum eius. [b] At illæ † [c] exeuntes [a] cito fugerunt [a] de monumento [a] cum timore, & gaudio magno, curren- † [a]. quia tes nuntiare discipulis eius. [b] Inuaserat enim eas tremor, & pauor, & † [a]. Et exnemini quicquam dixerunt, timebant enim. [c] Et regressæ à monumento iarunt. nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Erat autē Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & cætera quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentū verba ista, & nō crediderunt illis. [d] Cucurrit ergo [Maria Magdalene] & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominū de monumento, & nescimus vbi posuerunt eū. [e] Petrus autē surgens cucurrit ad monumētū. [d] Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumētū. Currebāt autē duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, videt posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequēs eum, & introiuit in monumentum, [b] & [e] procumbens [b] vidit linteamina [c] sola [b] posita, [d] & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumētum, & vidit, & credidit, nondū enim sciebant scripturā, quia oportet eū à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos, [c] & abiit [Petrus] secum mirans quod factum fuerat. [d] Maria autem stabat ad monumētum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentū, & vidit duos angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominū meum, & nescio vbi posuerūt eū. Hæc cum dixisset, cōuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantē, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? quē quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum? & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur, magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad

di ad patrem meum. Vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.
[b] *Surgens autem [Iesus] mane prima sabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalene de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens, & ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illa autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galileam, ibi me videbunt. Quæ cùm abijssent, ecce quidem de custodibus venerunt in ciuitatẽ, & nuntiauerũt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et cõgregati cũ senioribus, consilio accepto, pecuniã copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerũt. & furati sunt eũ, nobis dormiẽtibus. Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerũt sicut erant edocti. Et diuulgatũ est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diẽ.* [a] *Venit Maria Magdalene* † [1] *annũtians* [b] *his qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus* [a] *discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* [b] *Et illi audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.*

† [b]. Nũtiauit.

Vespere autem Sabbathi, qua lucescit in prima Sabbathi, &c. Cũ in hac postrema Euangelicæ historiæ parte, quæ Christi resurrectionem, eiusque in cœlos ascensionem continet, perfecta demum fides in Christum iita sit: tamen vix quicquam Christi aliud visi sunt Euangelistæ magis vatiè narrare: Deo ita disponente ad exercendam nostram tum fidẽ, tum diligentiam. Imprimis ergo tractandus Matthæi locus, qui multos non immerito toffit.

Vespere, inquit, *Sabbathi, qua lucescit in prima Sabbathi*; Vbi per vesperam Sabbathi, aut Sabbathorum omnino videtur intelligenda extrema ipsius Sabbathi pars, quæ initium fuit noctis sequentis; quando iam Sabbatho transacto operari Iudæis licebat. Hanc dicit lucescere in prima, seu vt Græca habent in primã Sabbathi vocabulo lucescere accepto, sicut prius diximus accipi cum Lucas dixit Sabbathum illucescebat. Nam & hic eadem est dictio. Sicut enim Sabbathum illuxisse dicitur cum dies Sabbathi incepit, quãquam à nocte, aut à vespera incepit: ita vespera vnius diei illuxisse dicitur in alium diem; quia scilicet alterius diei sequentis erat initium: quomodo si apud nos receptum esset dicere tunc diescere, quando dies aliqua incipit; quæ apud nos incipit de medio noctis, cum adhuc profundæ sunt tenebræ. Vesperam autem Sabbathi Matthæus dicit venisse mulieres ad videndum sepulchrum: quod Marcus post Matthæum scribens, ita explicauit apertius.

Et cum trẽsissent Sabbathũ, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salomone emerẽt aromata, vt venientes vngerẽt Iesum. In vespera ergo Sab-

Sabbathi conuenerunt mulieres ad id perficiendum, quod per religionem prohibitæ fuerant facere in Sabbatho, emeruntque aromata, & ea nocte illa parauerunt, vt quamprimum illud liceret, summo scilicet diluculo egrederentur ad vngendum Dominum. Ex Matthæo ergo, & Marco discimus quando mulieres conuenerint, seseque parauerint ad vngendum Dominum. Quo autem tẽpore exierint ad monumentum; concorditer expresserunt Marcus Lucas. & Ioannes Marcus enim dicit.

Valde mane, Lucas valde diluculo. Ioannes mane, cum adhuc tenebræ essent. Quæ omnia satis manifestè idem significant. Nam quod Marcus subijcit, *orto iam sole*, non sic est accipiendum quasi sol iã visus esset super terram: sed quod radios suos, & splendorem suũ in terram spargere cœperit. Diluculum enim non fit nisi aduentiẽ tis solis fulgore, nam eius fulgor est, qui aurorę nomine vocari solet. At cum diluculum adhuc est, & profundum diluculum (vt est in Luca apud Græcos) quanquam solis splendor mitri cœperit in terram, tamen adhuc tenebræ aliquæ licet non profundæ sunt super terram: vt verum sit & quod Marcus dicit ortum solem fuisse, & quod Lucas, fuisse valde diluculum, & quod Ioannes dicit adhuc tenebras fuisse. Itaque his verbis Euangelistæ significare voluerunt mulierum sedulitatem, & ardorẽ, ad vngendum Dominum eas intempestiuè satis vrgentem. Marcus verò dicens *orto iã sole*, significauit non incommodum fuisse tempus eundi ad sepulchrum. Cæterum diem quo hæc gesta sunt, omnes Euangelistæ vocauerunt *vnam Sabbathi*, aut vt Græcis est vnã Sabbathorum. Vbi vnum phrasi Hebraïca positum est pro primo, sicut & Gen. 1. Factum est vespere, & mane dies vnus. Est autem perinde siue dicatur prima Sabbathi, vel Sabbathorum: nisi quod cum singulariter dicitur vna Sabbathi, dictio Sabbathum accipitur pro hebdomada, cum vero pluraliter, Sabbatha dicuntur omnes hebdomadæ dies, vt sit sensus, prima dies inter Sabbatha septem. Cum autem dicitur apud Matthæum singulariter, & absolutè vespera Sabbathi: dictio Sabbathum propriè accipitur pro septima hebdomadæ die. [Incertum est autẽ quo præcisè tempore Dominus resurrexerit: omnium tamen sententia est Dominum surrexisse post mediam noctem, & ante lucem; quod sane tempus resurgenti maxime conueniebat. Sicut enim sole iam vrgente ad occasum, mortuus est tanquam verus sol: ita solem ad ortum properante surrexit è sepulchro verus iustitiæ sol; nouum sua resurrectione lumen mœstis Apostolis, totique mundo adferens, fugatis procul mœroris, & ignorantiæ tenebris.] *Hier. Greg. Euthymius.*

Et ecce terremotus factus est magnus. Quod hic terremotus propter Angeli è cælis descensum factus sit satis significauit Euangelista, subijciens per coniunctionem causalem: *Angelus enim Domini*

nimi descendit de cælo, & addit hinc perturbatos fuisse custodes: vt intelligendum satis relinquatur ob metum custodibus iniiciendū, factum diuinitus hunc terræmotum; *Et accedens reuoluit lapidem*, non vt egressuro Domino iamiam pandaret; sed vt egressus eius iam facti hominibus præberet indicium, aditumque in sepulchrū mulieribus aperiret. Sedit autem super lapidem, velut expectans mulieres, seseque ostendens autorem fuisse reuoluti lapidis; paratumque exhibens ad resistendum custodibus, si quid contra auderent.

Erat enim, inquit Matthæus, *aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix*. Quod enim talis apparuit ob timorem custodibus incutiendum patet ex eo, quod sequitur: *timore autem eius exterriti fuat custodes, & facti sunt velut mortui*: quanquam & aliæ item sint rationes, ob quas talitèr illum apparere conueniebat; nempe ad commendandam cælestem eius dignitatem, & originem, atque ob resurrectionis Christi, cuius venerat testimonium perhibitatus, gloriam, & claritatem. Hic ergo Angelus suo facto pias fœminas liberauit ab ea, qua torquebantur solicitudine. Siquidem in via iam existentibus subijt memoria lapidis aduoluti ad ostium monumenti; cuius prius non meminerant præ ingenti desiderio Domini, & intentione animi pœnitus absorpta circa emptionem & præparationem aromatum. Non torquebantur timore custodum, quia verisimile est eas nescisse de custodia sepulchro adhibita, & sigillo affixo; vt quæ se domi in silentio continuerunt ipso Sabbatho. Dicebant ergo ad inuicem: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? erat enim magnus valde* ita vt fœmineis viribus amoueri non posset facile. At, vt versus monumentum respexerunt;

Viderunt lapidem reuolutū. Ita Dominus semper eos, qui sibi inseruire desiderant, iuuat, bonumque propositum promouet.

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem, &c. Omnino videtur hic iuuenis fuisse Angelus ille, quem Matthæus è cælo dicit descendisse, & sedisse super lapidem à se reuolutum. Quod autem Marcus hic dicit mulieres ingressas vidisse iuuenē sedentem in dextris: dicendum cum Theophylacto Angelum illum prius sedisse suprà lapidem extra monumentū veluti expectātem mulieres: deinde vero ante illàs intrasse, ibique ipsum ab illis iam ingressis visum. & cum eis locutum. Satis enim fuit Marco quouis modo significare mulieres ab Angelis auditu didicisse Christum resurrexisse, & ingressàs monumentum oculis vidisse sepulchrum vacuum. In iuuenili autem ætate apparuit Angelus ob floridam, & nunquam marcescentem immortalitatem Angelicæ naturæ, & Christi, cuius resurrectionem ad vitam immortalē iam venerat testificaturus. Sedit autem à dextris monumenti, nō solùm

solum quia Angelica natura ab omnibus malis libera, summa fruatur fœlicitate: sed etiam quia per resurrectionem suam Christus è malis huius vitæ translatus esset ad fœlicis vitæ immortalitatem. Sicut autem custodes ad inopinatum Angeli fulgentis aspectū terrore repleti sunt, & facti velut mortui: *ita & mulieres præ nimio terrore obstupuerunt*. Non enim potest fulgorem diuinum sine horrore, & stupore humana natura excipere. Sed illos quidem à suo timore non liberauit Angelus, ad quos perterrefaciendos missus fuerat, has vero mox à metu liberare studuit, dicens:

Nolite expauescere vos. q.d. Merito examinantur hi custodes, qui gloriam resurrectionis Domini mei conantur supprimere: vos autem nolite timere, quæ pio officio vestram cupitis erga Dominū meum declarare dilectionem.

Scio enim quod Iesum Nazarenum iam crucifixum quæritis ad vltimum eum Iesum Nazarenum dicit ad distinctionem aliorum, nec confunditur Dominum suum dicere crucifixum, quia crux huic erat maxima gloria, vt per quam & charitas eius erga homines, & potestas contra dæmones & mortē est declarata. *Non est hic surrexit enim sicut dixit*. Resurrectionē eius dupliciter eis comprobat; primo à prædictione eius, dicens, surrexit sicut dixit, secundo ostensione vacui sepulchri, dicens: *Venite, & videte locū vbi positus erat Dominus*. Angelos autem resurrectionis Domini primos esse testes conueniebat: non solum ob gloriam Christi, & vitæ ad quam resurrexit immortalitatem: sed etiam quia illius resurrectio, vtpote planè diuina captum excederet humanum. Mulieribus autem primum hæc est annunciata: quòd hoc ille sua pia sedulitate meruerant, sicque factum est vt sicut per fœmineum sexum mors peruenit ad virum: ita per eundem viris nunciaretur vita resurgens. Vnde sequitur;

Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, &c. Petrum speciatim nominant, tum ob inter Apostolos eminentiam, tum ne ob negationem Petrus se reiectum existimaret. Addit præterea Angelus promissionem, qua & mulierum & discipulorum fidem confirmet: promittens illum ipsis videndum, idque eo loco, quo idipsum Dominus prius discipulis prædixerat futurum. Dixerat enim Dominus:

Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæā. Quibus verbis iubetur, vt discipuli in Galilæam suam regionem redeant, visuri ibi Dominum (quāuis ante ab eis videndus esset in Iudea) quod ibi ab omni Iudæorū metu liberi, securè Dominū videre possent, quodque patriam suam honorare vellet, & potissimum, quod in Galilæa plures haberet discipulos, à quibus in magna multitudine ibi visus est, vt post dicetur.

Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu. Cum angelus de

quo

quo Matthæus, & Marcus, mulieres vocasset, ad ingrediendum, & videndum vbi positus fuerat Dominus: illæ ingressæ sunt, vt habet Lucas, nec inuenerunt corpus Domini Iesu; quod vt melius intelligatur, sciendum aliam fuisse rationem, & modum monumentorum apud Iudæos quam est apud nos, vt annotauimus eis ea cap. Concord. 31. Erant enim monumenta apud eos speluncæ, quæ multos homines etiam stantes capere possunt. Vnde descriptionem sepulchri Dominici, vt à se visa est, apud Brocardum & Bedam. Cum ergo ob non inuentum corpus Iesu *animo essent consternata*, admirantes quid de corpore factum esset, quod necdum credidissent surrexisse: ecce tum duo Angeli in specie virili steterunt iuxta illas *in veste fulgenti*; vt qui vnius non credidissent testimonio, duorum commouerentur. Cumque mulieres nouo miraculo expauefactæ, vultum & oculos declinarent in terram non audentes contra tueri maiestatem visionis humana natura sublimioris, aut quicquã ab Angelis astãtibus interrogare: illi eas alloquuntur, blande quidem satis: sed tamen paulo durius, quam fecerat primus Angelus, quod ei non credidissent.

Memorãtã Iudeorum qualia.

Libr. 5. Hist. Angli. ca 17.

Quid, inquiunt, *quæritis viuentem cum mortuis?* Hoc est, quid quæritis inter mortuos, & in sepulchris mortuorum eum, qui viuit? *Non est hic, quem quæritis, sed surrexit*. Atque vt id credant, in memoriam eis reuocant verba Domini, quibus olim in Galilæa, prædixit suam mortem, & resurrectionem: vt sicut viderant prædictam accidisse mortem, ita crederent prædictam iam resurrectionem completam. Itaque quæ prius per mœrorem, & animi perturbationem, in obliuionem verborum Domini venerant: iã ex admonitione Angelica recordatæ sunt verborum eius, & timore pariter, & gaudio correptæ properè egressæ sunt è monumento, ad nunciandum Apostolis hæc. Vterque enim hic affectus nempe timoris, & gaudij fœmineum concitabat gradũ, vt habet Matthæus, alter vero, nempe timoris, silentium etiam eis imposuit, vt habet Marcus, ita vt nemini in via occurrentium quicquã dicerẽt. Sic enim intelligendũ quod dixit, *nemini quicquam dixerunt*: ne sit contrarium ei, quod dicit Lucas illas nunciasse hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Nemini autem in via occurrentium quicquam dixerunt, quia timebant Iudæos nè ipsas occiderent, audito quod Christi prædicarent resurrectionem. Non est autem quod quis putet ideo diuersos Euangelistas de diuersis locutas mulieribus, aut de earundem diuersis accessibus, quia non omnes æquè multas nominant. Non enim aut Ioannes vnam tãtum, aut Matthæus duas tantum, aut Marcus tres tantum fuisse scribit: sed ille quidem omnium præcipuam solam commemorauit, de qua narrare instituit, quomodo sola primo Dominum videre promeruit, alij vero vnam, aut alteram ex præcipuis ei coniunxerũt, omissis

omissis reliquis, quę eis adhærebãt: omnes autẽ satis insinuauerũt Christi resurrectionẽ, primo quidẽ ab Angelis nunciatã mulieribus, deinde vero à mulieribus nunciatã Apostolis. His autẽ teste Luca, *Visa sunt verba mulierũ sicut deliramentũ*. Putabant enim sexum muliebrem infirmiorem deceptum vanis aliquibus spectris. Quos sicut & mulieres ideo Dominus passus est tardiores esse ad credendum, vt pluribus argumentis confirmaretur Dominicæ resurrectionis fides: sicque eorum infirmitas nostra facta est firmitas. Sic etiam nec ob id putandum Ioannem contraria, aut diuersa à Luca commemorare, quod Mariam Magdalenam venisse dicat ad Petrum, & dilectum discipulum: cum Lucas dicat eam cum alijs venisse ad vndecim, eisque narrasse quæ audierant, & viderant. Sicut enim non sola venit ad Apostolos Magdalena, quanquam hanc solam Ioannes nominet, quod inter omnes esset præcipua: sic non solũ ad duos venit Apostolos, quanquã hos solos exprimat, quod his præcipuè locuta sit, quodque hi pro singulari suo erga Dominum affectu auidius audierunt, & diligentius scrutati sunt mulierum sermones. Rursum nec diuersa narrare putandi sunt Lucas, & Ioannes, quod ille solum Petrum narret cucurrisse ad monumentum, hic verò simul cum Petro etiam Ioannem; cum nulla in eo contrarietas sit, quod vnus plus dicat quã alius, supplens quod ab alio minus est dictum. Hic tamen videri possit aliquid esse contrarietatis inter Ioannem, & Lucam, quod Ioannes scribat Mariam tantum dixisse, quod abstulerint Dominum de monumento, cum dicat Lucas mulieres dixisse Apostolis, quæ viderant, & audierant. Si enim dixerunt se vidisse Angelos, qui dicerent Dominum viuere, quomodo Magdalena dicit: Tulerunt Dominum meum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eũ. Sed facilè intelligendum relinquitur mulieres etiam post visionem Angelorum necdum credidisse firmiter Dominum surrexisse, & ob id nunc narrasse, quæ audierant ab Angelis, nunc suam dixisse sententiam, qua putauerunt ab illis, quos in monumento reperierant, aut ab alijs Domini corpus alio translatum. Itaque quoniam de prima apparitione Angelorum à tribus Euangelistis satis perfecta nihil commemorauit Ioannes, ea tantum Magdalenæ verba descripsit, quibus suam explicauit sententiam.

Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus. Currebant simul, qui simili erant ardore præditi, at discipulus ille Iesu dilectus (sic enim Ioannes seipsum designat) vicit Petrum cursu, vt erat illo agilior per ætatem, & venit prior ad monumentum. Et inclinato corpore prospiciens per ostium in monumentum, *vidit posita linteamina, quibus corpus fuerat inuolutum*, & proinde intellexit ibi nõ esse corpus, *non tamen introiuit*; siue quod quodam timore cohiberetur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur, quoniam audierat à mulieribus ibi apparuisse Angelos, siue, quod seniori, & digniori se vellet primatum intritus deferre. Venit ergo mox posteum Petrus, qui & ipse, vt habet Lucas, cum se inclinasset, vidit per ostium linteamina posita sola, hoc est, sine corpore. Verum non contentus prospexisse in monumentum, sed vt erat in cursu superatus à Ioanne, ita vicissim eum superans audacia, & vestigandi curiositate etiam ingressus, non tantum vidit posita linteamina, sed etiam sudarium, quod fuerat super caput eius, *non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum* in vnum locum. Hunc ergo consecutus est, & alteralle discipulus, qui solus, aut primus noluit ingredi, & ipse quoque vidit quod Petrus. Propterea autem à Domino sic linteamina erant posita, & sudarium seorsum inuolutum, vt discerent quod cũ authoritate, omniq; securitate surrexerat. Non tamen ex his signis licet certissimis credebant eum surrexisse, sed tãtum id credebant esse verum, quod dixerat Maria, corpus sublatũ à monumento. De ea enim fide intelligendum, quod dicit de se Ioannes, *vidit & credidit*, non autem de fide resurrectionis, quia sequitur. Nondum enim sciebant scripturã, quia oporteret eum à mortuis resurgere.

Maria autem stabat ad monumentum foris, &c. Post ea quæ dicta sunt, *discipuli abierunt ad semetipsos*, id est ad suum diuersorium. Reliquis ergo & viris & mulieribus à sepulchro recedentibus, sola ab illo diuelli non potuit Magdalena, præ amoris magnitudine. Stabat autem ad monumentum foris, aut quod superfluum indicaret ingredi in quod & ipsa prius, & postea Apostoli corpus non esse deprehenderunt, aut quod religione quadam, & metu, ab ingressu reuocaretur, eo quod illinc prius ex Angelorum visione cõturbata recesserat. *Plorabat*, quod nec memoria sui magistri remãserat, quodque nec mortuo vllum pietatis posset officium impendere. Dum ergo fleret inclinato corpore prospexit in monumentum, circumspectans siqua spes affulgeret inueniendi corporis: pro more eorum, qui quod impense diligunt, quærunt etiam ibi, vbi prius illud non inuenerunt. Itaque ob hoc tam magnum erga Iesum desiderium, maiorem meretur visionem quam discipuli. Imprimis enim vidit duos Angelos albis vestitos, *sedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes, &c.* Qui videntur sua apparitione declarare voluisse illam frustra quærere ibi mortuum vbi tantùm inuenirentur viui, aut certè vt primam domini apparitionem cohonestarent, atque ad illam præpararent Magdalenam. Cũ enim illa prior alloqui Angelos vereretur *dicunt ei illi, Mulier quid ploras*; non quod ignorarent ploratus causam, sed vt eam aperiens Magdalena conuenienti deinde ordine se illi ostenderet Dominus. Cũ enim illa causam fletus, æstumq; animi sui aperuisset, *mox*

mox conuersa retrorsum, siue quia ex Angelorum vultibus, aut ex strepitu intellexit aliquem astare à tergo, siue quia vt anxia erat in quæreudo corpus Domini, continuò respectabat, non expectato Angelorum responsio; *vidit Iesum stantem, non tamen cognouit, quod Iesus esset.* Necdum enim sic se Dominus illi exhibuit, vt ab ea agnosci posset, qui in manu sua habebat, se cum voluit, oculis hominum subtrahere, & sicut voluit oculis hominum se insinuare. Existimans ergo illum esse hortulanum, hoc est, horti eius in quo erat monumentum, cultorem & custodem, Domino similiter cum Angelis interrogante cur ploraret, & quẽ quæreret respondit; *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam.* Putabat enim ab hortulano forte transpositum corpus in tutiorem aliquem locum, ne etiam in mortuum corpus sæuirent Iudæi. Dominum vocat quem hortulanum putabat more vulgari tantùm reuerentiæ causa. Itaque Iesus delectatus tanto mulieris desiderio, quantum hæc ejus verba præ se ferebant, diutius se illi non putauit celandum, sed voce nota, & familiari eam compellando se illi voluit innotescere. Itaque dixit ei; *Maria.* q. d. Recognosce eum, à quo recognosceris. Ad hanc vocem notam subito conuersa mulier (iam enim se reflexerat ad Angelos, adeo subitis affectibus huc illuc impellebatur) subitoque gaudio rapta, solito titulo vicissim compellat discipula præceptorem dicens: *Rabboni*, quod Syris dicitur: Magister mi. Hæc autem dicens cum solito more, Dominum complecti vellet, dixit ei Iesus:

Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Fortasse enim Magdalena, non vt postea mulieres, tenere tantum & osculari pedes Domini voluit, sed etiam præ nimio amore, & gaudio amplecti: quemadmodum videri potest ex caruncula illa, quæ in fronte capitis Magdalenæ apud Massilienses conspici dicitur: atque ex contactu immortalis manus Domini eam à suo cõtactu repellentis, relicta creditur. Quod verò ad subiunctam à Domino rationẽ prohibiti cõtactus sui attinet: simplicius fuerit eã cum Chrys. sic intelligere, Noli me tangere secundum pristinam corporalem consuetudinem. Iam enim excellentioris sum conditionis, quam olim. Nam quanquam necdum ascenderim ad Patrẽ meũ, sed ad huc in terris degam: tamen iamiam sum ascensurus ad illum, id quod te volo fratribus meis renunciare: vt per suam ascensionem, immortalitatem ad quam resurrexit, Magdalenę insinuerit. Etsi autem glorioſior iã factus esset, non tamen cõtemptius habuit suos discipulos, sed humilius sese deiecit, seque illis accommodauit fratres suos iam dicens, quos prius amicos dixerat, vt ne nimis eos resurrectionis claritas, & ascensionis mentio conturbaret. Ob eiusdem confidentiæ augmentũ, & ad ipsorum consolationem

solationem maiorem ad illud quod dicit ad Patrem meum, & Deum meum, adiecit, & Patrem vestrum, & Deum vestrum; significans iam verè illos sibi esse fratres, vt qui secum vnum haberent communem Patrem atque Deum, & spem ipsis daret aliquando etiam illuc eos ascensuros, sicut prius illis promiserat.

Surgens autem Iesus mane primo Sabbathi. Illud mane prima Sabbathi, non est coniungendum cum participio surgens, sed cum verbo sequenti, apparuit. Quod si tamen cum participio præcedenti iungatur, vt magis videtur iungendum, non tamen sequetur resurrectionem Christi factam matutino tempore, & nō ante, quia Græcis est ἀναστὰς, id est cum surrexisset, & nihil aliud significare voluit Euangelista, quam Dominum tunc resurrexisse, cū ad eius sepulchrum venirent mulieres. Bene autem ad commendandam Christi gratiam, adiecit Marcus; *De qua eiecerat septem demonia.* Sic enim factum est, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & grātia. [Et si autem pietas non parum suadet vt credamus Dominum prius apparuisse dilectissimæ suæ matri, licet eam præterierint Euangelistæ, quod ad confirmandam filij resurrectionē inefficax esset matris testimonium: tamen videri etiam possit Dominum ideo non apparuisse subitò matri, quod illam in fide resurrectionis sciret non vacillare: propter quod non ita cum alijs sepulchrum adijt, sicut cum alijs astitit cruci.

Et ecce Iesus occurrit illis dicens, Auete. Cum Magdalena viso Domino iuxta sepulchrum cucurrisset ad nunciandam Dominicam apparitionem discipulis, atque mulieres reliquas, quæ præcesserant, assequuta, de Dominica apparitione cum illis loqueretur: Dominus de se loquentibus sese videndum obtulit *occurrens illis, priorq; illas allocutus est dicens: Auete,* aut gaudete χαίρετε. Bene gaudium illis imprecatur, & annunciat: quia iam victa morte, & omni sublato passionis dolore, per suam resurrectionem spem nobis dedit immortalitatis. Mulieres autem viso & agnito Domino *accesserunt,* & quoniam ex verbis Magdalenæ dictis intellexerant ipsum vulgari, & solito more non amplexandum: summa cum reuerentia procidentes in terram, eumque adorantes amplexatæ sunt pedes eius. Rursum ergo Iesus, quo omnem eis pauorem adimeret, ait illis eadem, quæ ad illas Angelus prius locutus fuerat, vt ex concordi sermone magis firmarentur in fide, intelligerentque illius fuisse Angelos, & ab illo missos, quos prius viderant, & audierant.

Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus. hoc est quidam ipsius custodiæ, illi scilicet qui relicti erant custodes sepulchri, vel qui ex eis erant insigniores. Euthymius.

Venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant; Quomodo scilicet in terremotu Angelus è

lus è cælo descenderit, lapidemque obsignatum reuoluerit, ac mulieribus ostenderit vacuum sepulchrum, dicens Iesum crucifixum surrexisse secundum quod prædixerat. Quorum testimonium cū plane esset irrefragabile, & ab omni suspicione alienum; non tamen ab eo sunt superati Principes Iudæorum: sed pro sua contra Christum inuidia, & proprij nominis gloria, veritatem contra suam conscientiam non solum occultare, sed etiam peruertere; idque cum magno pecuniarū dispendio, & omnis periculi in se susceptione studuerūt. Accepto enim consilio cum senioribus, *pecuniam copiosam dederunt militibus,* vt dicerent ipsis dormientibus discipulos corpus Iesu surripuisse nocte. Itaque sui semper similes, qui vitam Iesu pecuniam emerant sibi tradendam, resurrectionem quoque eius pecunia emerunt silendam, & peruertendam. Quantumuis autem absurdus esset mendacij sermo: obtinuit tamē apud Iudæos pleroſque fidem; nimirum quod traditi essent in reprobum sensum exæcante eos malitia eorum.

Venit Maria Magdalene annuncians his qui cum, &c. Quoniam iussa fuerat, nunciare Apostolis, quæ audisset, & vidisset: illa ex duplici Domini visione gaudio plena, venit cum alijs quæ etiam semel Dominum viderant, nuncians his, qui cum Domino olim fuerant conuersati, nempe discipulis iam lugentibus, & flentibus, ob Domini & magistri sui charissimi mortē. At illi vt prius, nōcte diderūt Angelos ab ea visos, ita nec modo crediderūt visum ab ea Dominum, non sine magno fidei nostræ profectu, quæ per Apostolorum tarditatem multis est argumentis confirmata, & constabilita.

Apparuit Dominus duobus discipulis euntibus in Emaus. Marci 16. Lucæ 24.

CAPVT. CXLVI.

POST hæc autē duobus ex his ambulātibus ostēsus est in alia effigie, eūtibus in villā, & illi eūtes, nūtiauerūt caterīs. Et ecce duo ex illis ibāt ipsa die in castellū, quod erat in spatio stadiorū sexaginta ab Hierusalē nomine Emaus, & ipsi loquebātur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dū fabularentur, & secū tractarent, & ipse Iesus appropinquans ibat cū illis, oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei. Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta,

Universidad de Deusto
Biblioteca

potẽs in opere & sermone coram Deo, & omni populo. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationẽ mortis, & crucifixerunt eum, nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel, & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuenta corpore eius, venerũt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriam suã? Et incipiens à Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse se finxit longius ire. Et cõgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iã dies. Et intrauit cũ illis. Et factũ est, dũ recumberet cũ eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorũ, & cognouerunt eũ, & ipse euanuit ex oculis eorum, & dixerũt adinuicem: Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Hierusalẽ, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cũ illis erant, dicẽtes: Quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis, & illi eum testimoniauerunt cæteris, nec illis crediderunt.

Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus, est in illa effigie, euntibus in villam, aut vt habent Græca in agrum. Lucas clarius habet eos iisse in castellum, hoc est in pagum, aut vicum. Est enim hic rursum κώμη. Itaque cum discipuli isti duo in hunc locum pergerent ipsa die resurrectionis Dominicæ; ipsi loquebantur adinuicem die his omnibus, quæ proxime acciderant circa Iesum. Hæc enim animos eorum pœnitus occupauerunt, vt de alijs rebus loqui non liberet. Amabant enim Iesum vt virum insignem, ac beneficum, & quanquam magnifica illa spes de restituendo regno Israëlitico propemodum exciderat, tamen iuuabat etiamnum defuncti memoriam confabulatione minua refricare. Illis ergo multa inter sese de Iesu comnentantibus, ecce Iesus tanquam viator eos à tergo assecutus adiunxit se illis, & itineris socium præbuit, sed sic vt ab eis non agnosceretur. Quod D. Augustin. non incongruenter accipi posse putat à Satana factum fuisse, sed nihil vetat quin & à Deo factum dicatur. Imo nec necesse est dicere (quod etiam sensit Aug.) quod oculi eorum exteriores tenebantur per impedimentum in eis factum: sed conuenientius dici potest id factum per subtractionem immutationis

tionis oculorum secundum omnem dispositionem corporis Christi, sicut idem corpus glorioſum non immutauit oculos corporeos discipulorum quatenus erat lucidum. Siue autem Deo faciente, siue permittente oculi eorum tenebantur sic, vt eũ non agnoscerent; imprimis quidem id ita factum est quia sic eorum interior dispositio mala promeruit, deinde, vt ambiguam suam sententiam reuelarent, & vlcus suum detegentes pharmacum susciperent. *Caiet. Iansen. 7. Quæst. 1. Greg. Theophyl.*

Et ait ad illos; Qui sunt hi sermones quos confertis, &c. Sicut ob causas prædictas in alia specie (quod secundum August. intelligendum est de alia effigie secundum discipulorum existimationem, non secundum rei veritatem) se Dominus discipulis exhibuit: ita ob easdem velut ignorantem se exhibet, rogans quid inter sese colloquerentur: vt commoda oportunitate accepta mederetur illorum incredulitati, nostramque fidem confirmaret. Habet autem hoc humanus affectus, vt quod cuique valde est cordi, putet nemini ignotum esse, & nemini non esse curæ. Ex hoc affectu respondit vnus è discipulis cui nomen Cleophas;

Tu solus peregrinus es in Ierusalem. Græcum παροικεῖς aduenam esse, aut simpliciter alicubi inhabitare significat: Sensus ergo est, Res de qua loquimur, omnibus est notissima quæcunque versantur Ierosolymis, ex à ciuitate eum tu quoque venias sicut & nos, qui fieri potest vt tu solus veluti nouus hospes hæc ignores, quæ nullus etiam peregrinus, & aduena ignorat. Hebraïca enim phrasi dictum est, tu solus diuersaris in Ierusalem, & non cognouisti, pro eo quod est, Tu solus inhabitas in Ierusalẽ, non cognoscens, &c. Cæterum cũ nonnihil haberet amaritudinis & increpationis, hæc interrogatio: Dominus tamen nihil offensus, mãsuete rursum rogat, quæ illa essent quæ facta essent, quæque inter se conferrent ambulantes: non quidem negans se illa nosce, sed dissimulans se scire. Illi itaque simpliciter velut hospiti, & rerum gestarum ignaro summam negotij exponunt, declarantes quod non sentirent de Iesu, prout dignum erat eius maiestate, quanquam magnifice de illo sentirent; quodque resurrectionis fidem & spem omnem penè abiecissent.

De Iesu, inquiunt, *Nazareno*, commentabamur qui fuit vir eximius, scilicet Propheta, nec vulgaris Propheta, sed potens opere simul, & sermone coram Deo & omni populo. Hujc commendationi Christi subijciunt, quid illi contra suum meritum accidetit à summis Sacerdotibus, & Principibus Iudæorum, siue tamen (quæ illorum fuit modestia) graui ordinis illius insectatione & inquiunt, narrabamus quomodo eum summi Sacerdotes, & Principes nostri tradiderunt in damnationem mortis,

& crucifixerunt eum, suis scilicet accusationibus, & clamoribus à præside Pilato eius damnationem & crucifixionem extorquentes. Per ea vero quæ subijciunt, declarant conceptam olim de Iesu spem depositam esse ob inopinatam eius mortem, & expectatę resurrectionis dilationem. *Nos autem*, inquiunt, *sperabamus, quod ipse esset redempturus populum Israeliticum*. Persuasi hunc esse Messiam à Prophetis olim promissum: sed mors certa, & ignominiosa hanc spem nobis ademit. Quin erat & spes nonnulla iniecta, futurum vt reuiuisceret post triduum, sed posteaquam damnatus est, crucifixus, ac sepultus hic hodie dies illuxit tertius, ex quo hæc contigerunt, neque quicquam affulget certioris spei, nisi quod mulieres quædam è nostro sodalitio, nos nouo & inaudito nuntio attonitos reddiderunt, quę ante lucem profectę ad monumentum negant se inuenisse corpus, addentes sibi apparuisse Angelos, qui dicerent eum viuere. Itaque hoc nuntio commoti quidam ex nostris abierunt ad monumentum periculum facturi, quid veri haberet mulierculārum narratio, qui comperterunt ita rem se habere. Repererunt enim apertum, ac vacuum monumentum, linteamina, reliquasque cadaueris exuuias in monumento repositas. Cæterum ipsum non inuenerunt; nec viderunt, vt ob id non habeamus quid de illo sentiamus: qui si surrexisset, vtique vt prius, & videretur, & agnosceretur à suis.

Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde, &c. Durius eis loquitur, vt sic magis ad ea quæ dicturus erat cum ratione attentos faceret. Non patitur se agnosci etiam ob id præter prædictas causas, vt magis apud eos fidem haberent, quæ de seipso erat demonstraturus ex scripturis, nec inter enarrandum scripturas mentem eorum aut ab attentione distraheret agniti Domini amor, aut à fide auocaret ipsius de se testificantis enarratio. Stultos eos vocat, aut, vt est Græcis, ἀνοήτους, id est, insensatos, quod parum dociles essent ad intelligendas scripturas, tardos quod difficiles essent ad credendū in omnibus, id est, omnia vel omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Facilè enim adducebantur, vt crederent his, quæ de gloria, & maiestate Messiæ prædixerunt Prophetæ, difficiles autem erant, & insipientes ad credendum, & intelligendum, quæ de eius prædixerunt humilitate & passione. Subijcit autem causam quare eos sic redarguat:

Nonne, inquit, *hæc quæ modo dixistis* Iesum passum, oportuit secūdum Prophetarum vaticinia pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, hoc est, gloriam, quæ ei propria est, & debetur secundum Prophetarū prædictionem, & Dei Patris prædestinationē. Postquam autē huiusmodi obiurgatiuncula Dominus reddidisset animos eorum attentiores, eorum incredulitati volens mederi, Scrip-

scripturas de quibus locutus fuit, coepit eis latissimè & planissimè explicare. Itaque à scripturarum exordio incipiens à Moyse scilicet, hoc est, Mosaicis libris, ac deinde omnes percurrēs Prophetas, interpretabatur illis in omnibus scripturis, illa quę de ipso erant. Itaque iucunda, & salutari hac confabulatione iter suum absoluentes.

Appropinquauerūt castello, quo ibant, Iesus autē finxit se longius ire. Quod factum quomodo Christo conuenerit, qui ipsa veritas est, videndum est. Itaque sicut non est mendacium nec fallacia, cum quis quid dicit, quod in sensu quem concipit verum est, falsum tamen est in sensu, quem alius concipit, modo ambigua illa verba non proferat intentione fallendi alium, sed tantum causa occultandi ei vtiliter veritatem aliquam: ita fictio, & simulatio illa in factis vitiosa non est, sed vtilis & salutaris, qua quis aliquid facit ex quo alium falsaro existimationem conceptum nouit, modo non faciat hoc ad ingerendam eiusmodi existimationem, sed propter alium vtilem finem. Verbi gratia, Paulus simulauit quodammodo se legis obseruatorem cum Timotheum circuncidit, cum factus est Iudæis, tanquam Iudæus, & ijs qui sub lege erant, tanquam sub lege esset, & vtique sciuit seruando legalia Iudæos existimaturos ipsum legi subditum esse: non tamen eos fefellit, quia non ea de causa legalia seruauit, sed vt suam illis ad tempus occultans sententiam Iudæos lucraretur, & à Christo non alienaret. Ita & modo Dominus finxit se longius ire componendo motus & gestus suos tanquam itutus longius, quo facto sciuit discipulos existimaturos ipsum longius ire statuisse: at hac de causa non sic composuit gestus suos, sed vt excitaret discipulorum erga se amorem, & hospitalitatis virtutem, atque tali merito apti fierent, & digni quorum oculi aperirentur ad cognoscendum ipsum. Porro cum Dominus præ se ferret (sic enim honestius, & conuenientius Græcum verbum προσποιεῖν, hoc loco verti posset) quasi vellet longius proficisci: discipuli nequaquam indignantes quod ab ignoto arguerentur tarditatis, & docerentur; sed propter veritatis studium eius sermonibus delectati, rogant, obsecrant, obtestantur, denique precibus improbis, & iniecta pallio, manu recusantem compellunt, vt eam noctem apud ipsos diuersaretur, rationem assignantes hospitalitati conuenientem.

Fictio est quando salutaris

προσποιεῖν.

Mane, inquiunt, *nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*, hoc est, vrgit ad occasum (Si enim appellauerunt Dominum, licet hæc dictio non sit neque in Græcis, neque in latinis codicibus emendatioribus) non id fecerunt, quod cognoscerent ipsum esse Iesum, neque solum vulgari more apud Iudæos recepto, sed quod ex admirabili confabulatione satis conijcerent

Universidad de Deusto
Biblioteca

illum non esse vulgarem viatorem. Et quidem verisimile est aliquot adhuc horas ab fuisse ab occasu solis, vt qui eadem vespera post agnitum Iesum ad hùc reuersi sunt in Ierusalem per sexaginta stadia: & tamen quia longè erat supra meridiem, & quia valde cupidi erant retinendi Iesum, causam manendi adferunt ipsam aduenientem vesperam. Itaque eorum desiderio delectatus Dominus ingressus est cum eis, nec grauatus est illorum vti hospitio, qui amat rogari, vt id faciat, quod facit lubenter, vt det promerentibus, & dignis. Cum autem recumberet cum eis, ipse pro more sibi familiari & proprio, acceptum panem benedixit, fregit, ac porrigebat illi. Cumque id fieret, oculi eorum, qui tenebantur in aspectu eius, & auditione sermonum eius iam sunt aperti, ita vt cognoscerent eum, siue quia sciebant hunc morem Christo esse familiarem, vt accepto in manibus pane gratias ageret Patri, fuisque manibus fractum partiretur in discipulos; siue ad commendandum fidelibus Eucharistiæ mysterium, quia Christus iam permisit, ac voluit vt ex more hoc sibi proprio discipuli ipsum agnoscerent; idque duabus potissimum de causis: primum ad demonstrandum hospitalitatis meritum; secundo, ad commendandum fidelibus Eucharistiæ mysterium, quod in panis benedictione, & fractione consistit. Sunt quidem qui existimant Dominum hic iam discipulis his duobus sub specie panis suum porrexisse corpus: sed ea sententia non est certa, imo nec multum verisimilis; quia discipuli isti qui dicuntur simpliciter in fractione panis Dominum agnouisse, non interfuerunt vltimæ cœnæ: vt illa singularis fractio, qua instituta erat in cœna vltima, non potuerit discipulis hic esse cognita. Cæterum quod dicitur aperti sunt oculi eorum, si de oculis internis intelligatur, hoc est de mente, facilem habet sensum. Illi enim oculi aperiri dicuntur, dum agnoscere incipit homo, quod prius ignorauit. Si vero de oculis externis, de quibus omnino videtur accipiendum, quod prius dictum est, oculi eorum tenebantur, &c. hùc intelligendum est oculos illos fuisse apertos non simpliciter, sed quo ad visionem veræ figuræ Christi, ex qua eum agnoscere potuerunt; idque per remotionem impedimenti, quod prius fuit in oculis illis, quemadmodum intelligit D. August. aut per integralem diffusionem dispositionis Christi in oculos discipulorum. Porro cum agnito Iesu, subitus quidam stupor corripuit, vt par erat, animos discipulorum: *Iesus mox euanuit*, ex illorum conspectu. Parcè enim sui corporis copiam fecit à morte, vel quod imbecillitas humana non ferret rediuiui corporis maiestatem, vel vt sensim assuescerent carere corporis conspectu, quod mox esset abducendum, atque amare illum discerent

rent iuxta spiritum.

Et dixerunt ad inuicem, Nonne cor nostrum ardens, &c. Post mirabilem Iesu discessum non desinuit inter sese confabulari de Iesu. Talis enim esse solet oratio Iesu his qui simpliciter audiebant. Pungebat, afficiebat, rapiebat, inflammabat, relinquebat scintillas & aculeos quosdam in animis eorum, & omninò experiebantur quòd secundum Prophetam, ignitum esset eloquium eius vehementer. Cum ergo vterque alteri fassus esset se pariter affectũ fuisse, nec iam dubitarent, quin ille esset Iesus à morte rediuus: non in alterum diem distulerunt reditum, sed præ nimio gaudio, cuius quoque reliquos discipulos reddere cupiebant participes, continuo eadem hora surgentes reliquerunt Emauntem, tametsi iam vergente die magnáque celeritate redierunt Ierosolymam, breuissimo tempore sexaginta stadiorum spatium, hoc est septem miliaria cum dimidio percurrentes. Vbi ventum est eò, offenderunt vndecim Apostolos (iam enim Iudas exciderat numero duodecim, & licet ex Ioanne constet etiam Thomam non adfuisse: tamen societas, & collegium Apostolorum hoc numero per synecdochen nuncupabatur, antequam Matthias in locum Iudæ surrogaretur) congregatos, aderant autem & alij complures Discipuli, qui non expectata narratione duorum, vltrò gaudio gestientes indicabant illis, quod post incertam spem, quam mulieres omnium primæ fecerant de Domini resurrectione, compertũ esset eũ vere resurrexisse eo quod apparuisset Simoni Petro; cui omniũ virorum primo tum ex hoc loco, tum ex Paulo apparuisse videtur Dominus, primò ob Petri inter omnes excellentiam, deinde quod sciret ob ipsius apud alios authoritatem, testimonium ipsius apud alios multum habiturum ponderis, sicuti patuit hoc loco. Læti ergo Apostolorum nuntio Discipuli, vicissim & ipsi narrauerunt, quæ gesta erant in via, & *quomodo cognouerunt eum in fractione panis*, hoc est, per fractionem, aut ex fractione panis, aut inter frangendum panem. Sic Dominus cupit sua munera propagari inter homines: vt mutuis officijs & gliscat inter eos charitas, & crescant merita, quæ remuneretur Deus. 1. Cor. 15.

Bis aparet Dominus congregatis in domo discipulis. Marci 16. Luc. 24. Ioan. 20.

CAPVT CXLVII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a autem

NOVISSIME autem [a] dum [a] hæc loquuntur [b] recumbentibus illis undecim apparuit Iesus. [d] Cùm ergo serò esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus, & [b] stetit [a] Iesus [b] in medio [a] eorum, [b] & dicit eis: Pax vobis, [c] ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. [b] Et cũ [a] hoc dixisset, ostendit eis manus, [c] & pedes. [d] & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. [c] Adhuc autẽ illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod mãducetur? At illi obtulerunt ei partẽ piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram illis, sumens reliquias, dedit eis: [b] Et exprobrauit incredulitatẽ eorũ, & duritiẽ cordis, quia his qui viderãt eum resurrexisse, non crediderunt. [d] Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Thomas autem vnus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.

Nouissimè autem dum hæc loquuntur, recumbentibus illis, &c. Nouissimè hic pro tandem positũ est, cum Græco sit ὑστερον, quod deinde, siue postea significat: quomodo si vertisset Interpres, nemo facile ad diem ascensionis dominicæ hanc Marci narrationem retulisset. Itaque cum discipuli sanctis de Dominica resurrectione colloquijs se vicissim consolarentur, & exhilararent, & quibusdam credentibus quidam non crederent, vt ex Marco patet; subito adfuit Dominus in medio cõfabulantium de se, omnibus modis, & rationibus resurrectionẽ suam illis approbans. Ingressus est autẽ foribus clausis, quo sua potẽtiam, & resurrectionis

gloriam declararet, atque insinuaret quomodo è clauso prodire potuerit sepulchro. Nec visus est aduenire, sed subito substitit inter eos; ad eũ modum eis præsens factus, quomodo apparere solent Angeli: qui dum volunt sunt conspicui, rursum subito dum libet euanescunt; quare hac ratione declaratum est ipsum ad spiritualẽ, & diuinam reuixisse vitam. Ne tamen propterea Spiritus, aut spectrum esse putaretur primùm se eum esse, qui prius fuerat, solita pacis imprecatione, deinde vocali asseueratione suę præsentiæ declarauit, dicendo: *Pax vobis ego sum, nolite timere.* Et benè quidem hunc eis pacem imprecatur, vt qui tum morte Domini sui, tum metu Iudæorum erant perculsi, & turbati, illius recrearentur resurrectione, & præsentia; sciretque nunc demum veram hominibus pacem per illius mortem & resurrectionem esse redditam. Cum autem hac ratione non satis in fide animi eorum confirmarentur, sed propter inopinatum eius nocturno tempore aduentum, & ingressum sine ostij apertione conturbarentur; existimantes se videre spiritum aliquem, & non verum corpus: alia tum ratione Dominus eorum turbationem sedare, & fidem erigere studuit, ditiorisque indicia præbendo dum cogitationum se declarat agnitorem, & corporis quoque veri certa exhibendo argumenta: dum illud videndum, palpandum, & ex certis signis agnoscendum obtulit, dicens:

Quid turbati estis? & ex turbatione cogitationes variæ ascendunt in corda vestra, dubitantes an Spiritum videatis, an verũ corpus? Conspicitis formam vobis notam, auditis vocem vobis familiarem. Sed quoniam his rationibus vobis non satisfit: *Videte manus meas & pedes*, atque ex vulnerũ cicatricibus cognoscite, quod ego ipse sum, nec videte tantum, sed etiam contrectate me, & cognoscite quia spiritus carnem & ossa vera non habet sicut me videtis habere. His verbis cum Iesus illis ademisset pauorem, & animos addidisset, exhibuit eis inspiciendas, & palpandas manus, pedes, & latus. Vulnerum enim, quæ in cruce pendens accepit vestigia seruauit Dominus per dispensationem quandam, vt his argumentis apud suos assereret assumpti corporis veritatem, atque nũc sedens in dextra Patris pijs fiduciæ maioris præberet occasionem, simulque olim in extremo die Iudæorum confutaret impietatẽ. Cæterum quanquam discipuli viso Domino gauderent: tamẽ quoniam adhuc erant, qui nondum planè credederent esse idem corpus, quod viderant mortuum (timemus enim nonnunquam credere, quod miserè optamus esse verum) non dedignatus est Iesus etiam tertia ratione eorum fidem confirmare. Itaque cibum sibi petit exhiberi. Nullum enim certius argumentum hominis viui, quam cibum capere; nec potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus, immortalibus scilicet, auferetur. Cum ergo cibum sibi

Augus.

exhiberi petisset, discipuli quod habuerunt, obtulerunt, partem scilicet piscis assi, & fauum mellis: cibum scilicet humilem, & discipulorum paupertatem, & frugalitatem, nõ sine mysterio aliquo, testantem. Veritate corporis sui constituta, & comprobata variis modis, tum verisimile est accidisse, quod refert Marcus, nempe quod exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiã cordis; quod fecit vt mẽtibus eorum firmius resurrectionis fidem infigeret. Verisimile item ipsum deinceps iuxta eam quæ apud Lucam sequitur, narrationem ad scripturarum venisse explanationẽ; vt & hac ratione tum fidem maiorem suę resurrectionis faceret discipulis. Quod autem dicit Marcus, his qui viderant eum resurrexisse, de iis est intelligendum, qui cum prius scirent mortuum, viderunt eum postea suscitatum.

Dixit ergo eis iterum; Pax vobis, sicut misit me, &c. Postquã Dominus variis modis cõfirmasset suis veritatem suę resurrectionis: suam deinde illis functionem, & officium, quod post se iam abiturum ad Patrem obituri erant tradidit, sed ante illis rursum pacem imprecatur, vt ad ea quæ dicturus erat attentos illos faceret. Quibus verbis sicut suam insinuat Dominus diuinitatem, & autoritatem, dum se Patri æquat in mittendo: ita & Apostolorum indicat excellentiam dum illos in delegato sibi officio pares facit, & vicarios traditæ olim sibi functionis. Quam functionem non simpliciter eis iam tradidit, sed cum plena sibique propria potestate, quæ ad illam functionem Christi nomine obeundam erat necessaria: potestate scilicet remittendi & retinendi peccata: perinde atque Reges legatis suis plenam potestatem committere solent. Sed quoniam hæc potestas hominibus competere non potest, nisi ex dono Spiritus sancti, cum sit spiritualis potestas, & gratia: priusquam hanc donet, Spiritum sanctum illis impertitur, idque sensibili signo Spiritui conueniente, nempe insufflatione, & inspiratione: quo illos huiusmodi signo certiores faceret aduenientis Spiritus, velutique Arrabonem daret promissionis implendæ post ascensionem, quando cum sonitu aduenientis Spiritus vehementis datus est Spiritus sanctus multò adhuc abundantius & efficacius quam nunc, quando illis tantum datus est quo ad gratiam quandam spiritualem, remittendi scilicet, & retinendi peccata. Dixerat quidem & ante passionem Dominus: Quæcunq; ligaueritis super terram, &c. Sed locus ille maxime pertinet ad forum Ecclesiasticum exterius, vt ibi dictum est, hic vero magis pertinet ad forum interius, quod est forum conscientiæ, quia non de vinculo excommunicationis aut injiciendo, aut soluendo hic agitur, sed de peccati reatu tollendo, aut retinendo, vnde cum illo loco fundetur Ecclesiastica excommunicatio, hic fundatur maximè confessio Sacramentalis Sacerdoti facienda. Quomodo autẽ vera sit hæc

Matt. 18.

sit hæc sententia in Sacerdotibus quibus in ordinatione ab Episcopo eisdem verbis dicitur:

Quorum remiseritis, &c. Cum tamen verè non remittant nisi præterea etiam illis tradatur potestas iurisdictionis: sciẽdum Christum ante hæc verba præmisisse: Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos: quibus verbis Apostoli constituuntur legati ad omnes gẽtes, daturque eis potestas iurisdictionis in omnes; vnde cum sequitur: Quorum remiseritis, sensus est, inter eos, ad quos vos mitto, quorum remiseritis, &c. Sacerdotibus autem non dicuntur ea verba. Et ego mitto vos: vnde quæ sequuntur, etsi eodem sensu ad eos pertineant, quo ad Apostolos: tamen eorum verborum vi iure non possunt absoluere nisi cum missi fuerint, hoc est aliquibus Christi ouibus præfecti.

Thomas autem vnus ex duodecim, &c. Aliam iam occasionem apparitionis Christi pergit commemorare Ioannes. Itaque cum ex Apostolorum numero per aliquam occasionẽ abesset Thomas (qui Græco nomine idem significante, quod nomen Hebræum Thomas, dicebatur Didymus, hoc est Latinè geminus) quando se Dominus primum videndum Apostolis exhibuit: cæteri discipuli gaudio gestientes renunciant illi iam reuerso quod viderant Dominum. Ille autem, vt & alias, ita & modo suam tarditatem declarauit reprehensibilem, & nomini suo correspondentem. Fide enim digni erant discipuli, tum ob eorum numerum, tum quod rem, de qua testimonium perhibebãt, variis modis se compertam habere narrabant (nam verisimile est eos non simpliciter dixisse se vidisse Dominum, sed etiã manus eius perforatas, & latus apertũ, & expertos ipsum manducasse) tum quod eorum synceritas ipsi probè erat cognita. Tam multis tamen, talibusque testibus non credidit, sed suspicans illos ludificatos aliquo phantasmate fuisse, negauit se creditурum, nisi oculis suis & Dominum, & vestigia clauorum, quæ se illi vidisse commemorabant, ipse quoque videret. Neque hic substitit curiositas, sed & mittere quærit digitum in loca clauorum, & manum totam in latus, ne forte phantasma esset. Itaque Dominus, ne vnius quidem salutem negligens, cuius incredulitas etsi ob prædictas causas reprehensibilis esset, tamen non ex malitia profecta erat, sicut Phariſæorum, sed ex infirmitate humana: post octo dies cum rursum præsente etiam Thoma congregati essent simul discipuli, venit; vt suorum vulnerum ostensione, vulnus infidelitatis in Thoma sanaret. Non autem statim ei apparuit postquam prædicta requisiuit, sed post dies octo; tum vt interea à condiscipulis instructus, facilius ad fidem posset induci, tum vt magis Domini clementia patesceret, qui talem in discipulo tanto tempore pertulit incredulitatem: quæ quo maior erat, & diuturnior, eo magis,

subitò

Universidad de Deusto
Biblioteca

subito in magnam mutata fidem, resurrectionis in nobis confirmat credulitatem. Decorata item hac ratione est prima dies Sabbatorum, quæ à resurrectione Christi suam accipiens celebritatem & nomenclaturam Dominica dies vocari cœpta est, & instituta ab Apostolis. Venit ergo Iesus, sed planè vt prius, ianuis clausis scilicet, & stans in medio, ac pro more pacem eis imprecans, eadem scilicet omnia faciens, quæ absente Thoma fecerat: deinde insinuans ob quam causam venisset maximè, ac Thomæ declarans nihil se latere, sed quod præsens fuerat, & audierat quæcunque ille prius dixisset: anticipat eius sermonem, eisdem iam vtens verbis, quibus ille prius vsus fuerat, *Infer*, inquit, *digitum tuum huc*, in vestigia clauorum scilicet, & vide manus meas, & affer manum tuam, mittens eam in latus meum, & voti tui cõpos effectus noli deinceps *esse incredulus, sed fidelis*. Hic iam credi potest Thomam etsi à Domino admonitum, vt id faceret quod desiderauerat, à contrectando tamen ipsum, & loca vulnerum abstinuisse quod agnita Domini facies, & vox ei satisfacerent, & præreuetentia non auderet illum tangere: quia Dominus postea tantum dicit: Quia vidisti me Thoma credidisti, non autem, quia tetigisti, &c. Cæterum siue Thomas tantum viderit Dominum, siue etiam contrectauerit: mirabile certè est, quod mox tantam fidē conceperit, quantam protestatus est dicens: *Dominus meus & Deus meus*. Quēadmodum enim ad credendum fuerat difficilior: ita nemo clarius eius diuinitatem professus est. Duo autem profitetur, quorum alterum ex aspectu & contactu intellexit, alterum ex eius omnipotentia, & omni scientia. Porro quanquam magnifica esset fides & confessio Thomæ, non tamen ipsum ob eā beatificat sicut olim Petrum beatum pronunciauit, profitentem ipsum esse Christum filium Dei viui. Ob tarditatem enim fidei, & experimentum sensuum, non ita modo beatificari dignus fuit: sed in comparatione eius magis beatificantur, qui sine experiētia sensuum crediderunt, aut credunt; idque ad magnam posterorum confirmationem, & consolationem.

Dominica dies instituio.

Euthymius.

Multa quidem & alia signa fecit Iesus, &c. Verisimile est Ioannem loqui & de his quæ ante resurrectionem, & de his, quæ post facta sunt. Omnino enim apparet hæc ipsum subiecisse, tanquam finem descripti à se Euangelij; postea vero etiam addidisse, quæ vltimo sui Euangelij habentur capite: quod inter multa à se, & ab alijs prætermissa ea memoriæ postea occurrerēt, indicaretque operepretium ea posteritati literis tradere, non tantum ob confirmandā fidem resurrectionis Christi, sed multò magis ob historiam quæ est de Petro, de quo cōueniebat omnes scire omnium Christi generalem curam ei commissam esse. Dicit autē quæ non sunt scripta in libro hoc, quod quędā alia signa descripta essent

essent ab alijs Euangelistis, quædam vero etiam ab omnibus prætermissa. Deinde subiungit & causam quare hæc scripserit, non scilicet ob ambitionem, & Magistri gloriam tantum, *sed vt*, inquit, *credatis, quia Iesus est Christus filius Dei*, ad quod credendum præcedentia sufficere possunt. Et vt sciant lectores ipsum hanc ab eis desiderare fidem, non propter proprium commodum & gloriā, subijcit: *Et vt credentes, vitam habeatis in nomine eius*, hoc est, per nomen eius.

Apparet discipulis Dominus ad mare Galilææ.

Ioannis 21. CAPVT CXLVIII.

POSTEA *manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem sic. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto, stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli, quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Respónderunt ei: Nō. Dixit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cū audisset, quia Dominus est, tunicā succinxit (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt [non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis] trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositū, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hic iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis cùm resurrexisset à mortuis. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas me? Cōtristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me, & dixit ei: Domine tu omnia scis, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, Cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus*

Discentiū

Universidad de Deusto
Biblioteca

caturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, Non moritur, sed, Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius.

Postea manifestauit se iterum Iesus, &c. Cum iam peracta Paschali festiuitate, quæ septem durabat dies. Apostoli ex iussu Christi redijssent in Galilæam patriam suam, ante solennem illam & promissam à Domino manifestationem, quæ in monte Galileæ, coram magna hominum frequentia facta est; manifestauit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis multis discipulis simul congregatis. Hæc manifestatio in hunc accidit modum. Quodam tempore cum septem essent simul discipuli, Petro piscari volenti, reliqui se comites obtulerunt. Quoniam enim cum eis Saluator non semper erat, nec adhuc promissus aduenerat paracletus, neque adhuc perfectè eis commissa erat prædicatio cum nihil esset quod agerent, & neminem grauare vellent, piscationi vacare visum est, vt priorem exercentes attem iustissimam, otium fugerent, & suæ aliorumque penuriæ subuenirent. Nec propterea videri debent retro respexisse: cum non ex desperatione aliqua id fecerint, aut ex pœnitudine cœptæ vitæ: sed vt & tempus bene collocarent, & suæ consulerent inopiæ per artem licitam; sicut & Paulus manibus laborabat, etiam cum iam prædicationi intentus erat. Exierunt ergo ad piscandum Apostoli nocturno licet tempore, quod piscationi magis est accommodum, & illa tota nocte nihil prendiderunt Deo ita negotium disponente, tum quo locus daretur miraculo, tum ob mysterium significandum. Vbi vero deluxisset, Iesus qui lubenter adest, & succurrit laborantibus, *stetit in littore*, non tamen agnouerunt eum discipuli, partim ob interuallum longius, partim ob lucem adhuc ancipitem; sed omnium maximè quia noluit statim agnosci Dominus, quo per miraculum ad sui cognitionem illos adduceret. Dominus ergo velut ignotus, & quasi volens aliquid ab eis emere, eos è littore alloquutus est, dicens; *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* Motis erat (ait Euthymius) sic operarios appellare, obillotum robur, ac strenuitatem ad labores. Pulmentarium autem hic pro obsonio positum est, eoque quod pani additur. Cum autem

autem illi nec voce agnoscerent Dominum, sed suspicarentur aliũ quempiam esse, qui venisset ad lacum mercaturus pisces, respondêrunt se nihil habere. Tum Iesus vt paulatim declararet quis esset. Mittite, inquit, rete in dexteram nauigij, & inuenietis, quod hactenus non potuistis. Ad certam nauigij partem præcipit expresse iacere rete, ne fortuita videretur captura. Dexteram autem elegit, quia illa fœlicitati, & euẽtus, & status immortalitatis eius conueniebat. Quanquam autem illum necdum noscent, tamen aut quia arbitrabantur signo quopiam illum nosce pisces aliquos ibi natare, aut simpliciter quia tedium sumpti laboris, & auiditas capiendi spem addebant, paruerunt iubenti. Itaque quia tam simpliciter nihil obmurmurantes, obtemperauerunt, diuina voluntate tanta iam piscium multitudo concluſa est, vt præ nimietate trahere vix possent ad scapham. Ex nouitate rei, & prospero euentu secuto ad vocem iubentis, discipulus ille quem diligebat Iesus (sic enim frequenter seipsum Ioannes designat) factus attentior, submonet Petrum, qui verisimiliter totus erat in attrahendo reti, quod Dominus esset is, qui è littore stans iussisset rete mitti. Petrus vero sui non dissimilis cum tantum audisset Dominum esse, mox id credens, & hoc eo facilius, quod memor fortè esset primæ piscationis, proiectis ijs, quæ in manibus erant, oblitusque retis, & piscium, aliud non cogitabat, quàm celeriter Domino coniungi. Itaque primum præ reuerentia erga Dominum *tunicam succinxit se*, hoc est, indumentum quoddam sibi superiniecit & induit, quoniam antea nudus erat, vt ad piscationem expeditior esset, deinde impatiens more, nec sustinens vt nauigio ad eum perueniret, sese in mare coniecit, vt ad Dominum citius accederet. Quod autem hic dicitur nudus fuisse Petrus, intelligendum est pro more piscãtium in multis nudus, simplicique piscantium vestimento indutus, vtvt autem est Petrus honestè, & decenter, quantum tempus, & locus patiebantur, se componens per aquas siue natando, siue pedibus proprijs transtradando, quia erant prope terram primus peruenit ad Iesum. Cæteri vero nauigio venerunt, trahentes secum rete piscium. Non enim longè aberant à terra, sed circiter ducentis cubitis, hoc est, pedibus trecentis, aut passibus sexaginta. Vt ergo descenderunt è naui in terram: ecce tum aliud non solum potentiæ, sed & benignitatis Iesu indicium eis oblatum est. Videbant enim prunas positas, piscemque eis superpositum, videbant & panem seorsum positum, quæ Dominus ad hoc parauerat, tum vt pro sua erga eos beneuolentia per cibum illos à labore refocillaret, tum vt suam ostenderet potentiam, qua ex his quæ non erant, illa parauerat, & creauerat, sicque etiam declararet se non ob indigentiam de obsonio quæsisse, aut præcepisse, vt in dexteram nauigij iacerent

rete

rete, suaque voluntate factum, vt rete tota nocte frustratum impleretur piscibus. Hæc cum parata haberet, iubet tamen etiam adferri de piscibus, quos comprehenderant: tum vt ostenderet non esse phantasma, quod factum erat, tum vt videntes piscium magnitudinem ac multitudinem, & quod non esset scissum rete, magis etiam admirarentur. Itaque Petrus vbique primus, & cæteris seruentior, & tanquam artis piscatoriæ peritior, ascendit in nauim, traxitque in terram rete plenum piscibus & magnis, & multis, vtpote numero centum quinquaginta tribus. Et quod his accedit tertium miraculum, cum tanti essent, hoc est tam multi & tam magni, non est tamen scissum rete; non ob fortitudinem retis, sed quod Dominus etiam illud fortificaret. His gestis cum à labore ad prandium paratum suos Dominus vocaret, vt & nunc, sicut alias, manducando cum eis, veritatem sui corporis eis comprobaret; nullus exquirebat, neque audebat interrogare quisnam esset. Videbant quidem speciem Domini angustiorem, vultumque non parum immutatum, voluissentque de figura hac aliena nonnihil interrogare: sed quia maiestas corporis iam immortalis, & ratitas consuetudinis ademerat eis solitam loquendi, & interrogandi fiduciam, & potissimum quia ex triplici præcedente miraculo scirent ipsum esse Dominum, nec quicquam dubitarenti non audebant interrogare quis esset. Itaque nihil hæsitantes accedunt ad paratum prandium, venitque Iesus, & pro suo more acceptum panem, & piscem frangens suis manibus, distribuit discumbentibus, solitam eis non dedignatus exhibere familiaritatē, licet ad meliorem translatus vitæ statum. Legimus quidem in nostris libris: Et nemo audebat discumbentium, sed discentium legendum esse docent Græca, & correctiora pleraque biblia. Cæterum quod dicit Ioannes, hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, intelligendum est quod iam tertiò plurib⁹ discipulis simul collectis sit manifestatus. Quidam tamen illud tertio referunt non ad vices, seu numerum manifestationum, sed ad numerum dierum quibus per interualla se Dominus manifestauit discipulis.

μαθητῶν Euthymius.

Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus. Postquam Petrus in mystica illa piscatione primum se & præcipuum gessisset: & Dominus fructum, ac mercedem laboris Apostolici ipso facto declarasset: figuram præcedentem ipsa etiam re explicans, Petrum vniuerso suo gregi præficit, atque in piscatione spirituali primum facit. Cum enim cap. superiori in prima appatitione Apostolis omnibus parem contulisset potestatem, dicens: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c. Nunc ad tollendum schisma, & vt Ecclesia vna monstraretur, vnus omnibus præficitur, impletque Dominus in Petro quod ante resurrectionem ei promiserat dicēs: Tibi

Tibi dabo claues regni cælorū, &c. Quibus verbis promittebatur Petro summa in ecclesiia potestas & authoritas, quæ hic illi traditur: cum ei peculiariter regimē & cura pastoralis ouium Christi committitur. Prius tamen ab eo rogat num se diligat, & plus diligat quam cæteri qui aderant Apostoli; non tanquam ignorās, sed vt petro confitente suum ergo Dominum amotem, occasionem haberet opportunam committendi illi suarum curam ouium: omnesque doceret, & eximiū suum erga suas oues amotem, & Petro peculiariter hanc curam commissam ob peculiarem eius erga se amorem: ac proinde neminem idoneum esse, qui gregis Dominici curam suscipiat, nisi qui singularem aliquam erga Christum gerat dilectionem, & ex hac illam suscipiat curam. Nec tātum rogat num se diligeret, sed etiam num plus cæteris diligeret: non solum vt intelligamus eximiam, & singularem dilectionē requiri in præficiendo ouibus Christi: sed etiam vt hinc intelligamus ad solum Petrum pertinere, quod ei dictum est, pasce oues meas. Sicut enim non est ei dictum omnium nomine (vt quidam tamē volunt) Diligis me plus his, nec omnium nomine dixit: Tu scis quia amore: ita etiam non est ei omnium nomine dictum, pasce oues meas; quanquam etiam omnibus aliās cum Petro eadem cura commissa fuit, & post sequenti capite committetur. Etsi autem Dominus Petrum rogaret, num se diligeret plus quam alij: tamen præ modestia respondet tantum se diligere Dominum, eiusque dilectionis Dominum ipsum testem facit; nec se iam audet alijs præferre, vt prius fecerat. Itaque de aliorum amore nihil dicens, quorum animos exploratos non habebat, de sua tantum conscientia respondet dicens; *Etiam Domine*, hoc est, vere Domine ego te diligo: nec ignarus interrogas, tu enim scis, quod amem te. Tum Iesus;

Pasce, inquit. *agnos meos*. Cum ergo amorem profitenti Dominus curam pastoralem ouium suarum iniungit, significauit profecto quanti illas faciat, vt in quas tanquam sibi vnicè dilectas, & propria vita chariores cupiat transfundi omnem, quæ erga se habetur dilectionem, hanc suam erga oues suas curam, & dilectionem magis adhuc declarauit Dominus, cum non semel tantum, sed terna etiam vice Petrum interrogauit, idemque ei inssit: quā quam alia eius rei possit esse ratio, nimirum vt Petrus trina confessione trinam negationem recompensaret. In secunda tamen & tertia interrogatione, non quærit Dominus num se plus diligeret Petrus quam cæteri, sed simpliciter num se diligeret: quod videret Petrum præ modestia aliis se nolle præferre. Proprio autem nomine eum semper compellat vocando eū Simonē filium Ioannis, ob familiaritatis & amoris indicium, & quia ad ipsum propriè sermo dirigebatur. Cæterum in verbo (pascendi) includitur

hic omnia veri, bonique Pastoris officia ouibus debita, qualia sunt prouidere eis de cibo, defendere eos à lupis, errãtes reducere, quod infirmum est consolidare, & cætera quæ innuuntur Ezech. 34. In genere autem dicit oues meas: vt intelligamus Petrum constitutum Pastorem omnium ouium Christi, & proinde etiam discipulorum, & Apostolorum.

Amen, amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, &c. Cum iam Petrus ter confessus esset suum erga Dominum amorem, & Dominus ei ter oues pascendas commisisset: opportunè iam ei prædicit mortis genus, quod ad imitationem Domini subiturus esset pro ouibus sibi cõmissis, & quo verè declaraturus erat suum amorem, quem iam cõfessus fuerat. Verè, verè inquit dico tibi Petre, cum esses iunior, & iuxta corporis vires malorũ tolerantior, mollius habebaris. Nam ipse tibi cingulum tuo arbitratu soluebas, aut addebas, ac liber ambulabas, quocunque esset libitum. Verum vbi senueris, iam iuxta corporis vires factus imbecillior, & quando pro ætate liberior esse deberes, durius tractaberis. *Extendes*, enim manus tuas, & alius te cinget, ducturus quo naturali volũtate nolis. His autem inquit Ioannes, significauit Dominus tectè, *qua morte clarificaturus*) honesta nomenclatura mortem illam condecorans) *esset Deum*, nempe morte crucis quam iam pro ouibus suis Pastor ille bonus, in cuius locum successit Petrus subierat.

Et cum hoc dixisset, dicit ei: sequere me. Cũ Dominus verbo cõmendasset Petro ouium rationalium curam, eique verbo tecte, & parabolicè prædixisset mortis, quæ eum manebat, genus: nunc eadem hæc ipso facto etiam tectè & parabolicè agit. Itaque surgens à conuiuij loco, & ad eundum, aut ambulandum se præparans: inuitat Petrum ad sequendum se corporaliter: ipsa corporali sequela monere illum volens ad sequendum se in his, quæ dixit, nempe in cura ouium pastorali, & supplicio crucis perferendo. Cum ergo Petrus post Iesum ambulare pergens respexisset, & vidisset discipulum, quem diligebat Iesus etiam sequentem, etiam non iussum: rogauit Dominum quid is facturus esset, aut passurus pro ipso. Iam enim ex familiari Christi colloquio audacior factus, partim ex amore, quo Ioannem prosequebatur, quem modestiæ causa iudicauit de se non ausum rogare, cum alioqui ipsa sequela satis indicaret se cupidum rogandi de se: partim ex curiositate ad quam amor eum pertraxit, de Ioanne rogat dicens:

Domine, hic autem quid? supple facturus est, aut passurus? Hanc autem superuacuam Petri pro Ioanne curam & interrogationem (ad quam suscipiendam videri possit commotus Petrus etiam ex illius eximio erga Christum amore ob idque Ioannem huius

huius sui amoris hoc loco insignia signa commemorasse) corrigens Dominus, & ad id, quod ad se pertinebat cõsiderandum excitans respondit:

Si eum volo manere donec veniam, quid ad te, tu me sequere. Legẽdum enim esse Si, & non sic, vt multi tamen libri corruptè legũt, merito adeo certum esse debet, vt de eo contendere proterui videantur, qui inueteratum errorem nolit agnoscere, aut agnitum corrigere. Sic enim habẽt Græci codices omnes, & Græcorum Interpretes; sic etiam inuenitur scriptum in codicibus nonnullis antiquissimis manu descriptis: & ipse denique sermonis contextus omnino ita legendum arguit. Cum enim retulisset Ioannes occasione horum verborũ Domini exijsse sermonẽ inter fratres, quod discipulus ille non moreretur, tanquam corrigere volens hanc ex verbis Domini conceptam opinionem, subiecit: Et non dixit ei Iesus non moritur, &c. Si autem legatur, Sic eum volo manere, planè dixit eum nõ moriturũ, quod Ioannes negat à Domino dictũ. Omnino ergo credendũ Ioannẽ ideo scripsisse, nõ dixisse Dominum non moritur, ne illis verbis quæ dixerat, hoc voluisse intelligi putaretur, sed putaretur & ipse potius iuxta commune debitum naturæ humanæ mortem subiturus: quam iam eum subijsse, vniuersa per orbem Ecclesia satis se declarat credere? dum per singulos annos depositionis eius diem celebrat. Quod autẽ reliquiæ corporis eius neque in sepulchro neque alibi vnquam sunt repertæ: piè creditur post mortem, sicut & Mariam, ob singulare priuilegium charitatis, ipsum mox resuscitatum corpore immortali translatum in cælos; vt ad instar dilecti Benjamin duplicè præ ceteris acceperit portionem. Restat igitur vt ea lectione mutata, quæ nullum aut verum, aut conuenientem habet sensum, (quod ex commentarijs quorundam veterum colligi potest) eam potius recipiamus, quam certum est omnes concorditer habere Græcos codices, quamque valde verisimile est etiam Interpretem nostrum primo fideliter Latinis reddidisse, sicut in Latinis plerisque semper incorrupta est inuenta. Quod si quis pertinaciter velit legere (Sic) quo originalis, & genuinæ lectionis sensum retineat: intelligat illud; Sic eum volo manere, &c. Dictum non omnino affirmatiuè, sed concessiuè hoc sensu; Sit sic, quod sic eum velim manere donec veniam, & vt hoc tibi dem; quid iam ad te? Non ob id tua prædicta liberaberis morte, nec eo minus tibi curandum, vt quod tibi iniunctum est exequaris. *Aug.* *Ambr.* *Bed.*

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, &c. Videri posset hæc sententia subscripta à maioribus Ecclesiæ: nihil tamen obest, quo minus credamus etiã ipsum Ioannẽ hæc de seipso scripsisse; quo cõclusurus iã suũ Euangeliũ indicaret quis is esset, quẽ totics

toties eſſe deſignauit, & autoritatem dat et ſcriptis à ſe, per ſuam autoritatem vbique tam à fidelibus receptam. Bene autem dicit:

Scimus quia verum eſt teſtimonium eius, Quia vt dicit in prima ſua rum Epiſtolarū, Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt, annunciamus vobis. Pluraliter dicit ſcimus, modeſtiæ cauſa, & quia multi alij ſecum hoc intelligebant, in quorum perſona iſtud dicit.

Apparet Dominus diſcipulis in monte Galilææ Matt. 28. Mar. 16.

CAPVT CXLIX.

VNDECIM autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi conſtituerat illis Ieſus. Et videntes eū adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Et [a] *accedēs Ieſus locutus eſt* [a] *eis, & dicens*: [b] *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* [c] *Euntes* [c] *ergo* [b] *in mundum vniuerſum* [c] *docete omnes gentes,* [&] [b] *prædicate euangelium omni creaturæ:* [c] *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.* [b] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Et ſi mortiferū quid biberint, nō eis nocebit. Super ægros manus imponēt, & bene habebunt.* [c] *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

[a] dixit eis

Vndecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam. Hæc apparitio nō improbabiliter creditur eſſe ea de qua dicit Paulus; viſus eſt pluſ-
1. Cor. 15. quam quingentis fratribus ſimul: quanquam Matthæus vndecim tantum diſcipulorum hic meminerit, quod illi præcipui fuerint, & ad illos propriè pertineant, quæ Dominus nunc dixiſſe memorat. Etſi enim in Ieruſalem non erant diſcipuli ſupra centum & viginti collecti cum Apoſtolis: multi tamen alij erant in Galilæa, & alijs locis, quibus ſimul collectis Chriſtus potuit ante ſuam apparere aſcenſionem. Sicut enim hic dicuntur abijſſe in montem, quem conſtituit illis Ieſus, quanquam prius non legamus Dominum illis conſtituiſſe de monte: nimirum quia Euangeliſtæ plurima prætermiſerunt à Domino dicta: ita fieri poteſt, vt illis conſtituerit Ieſus colligere omnes credentes in ſe, & ſi id à Domino Euangeliſtæ non narrauerint iuſſum, nec conſtitutum. Mons autem iſte creditur fuiſſe is in quo antea transfiguratus fuit Do-
2. Pet. 1. minus, nempe Thabor, quem Petrus vocat montem ſanctum ob gloriam

gloriam Chriſti in transfiguratione ibi oſtenſam, aliasque facras eius actiones ibi geſtas. Porro quod ſequitur apud Matthæum.

Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt. Dubitatio hæc referri debet non ad tempus, quo in Galileæ monte apparuit Dominus, ſed ad tempus, quo primò illis apparuit in Ieruſalem. Aut quidam illi quos dicit dubitaſſe; non fuerunt ex vndecim, ſed ex quingentis illis fratribus collectis per illos, vndecim. Quamquam nihil vetat credere Apoſtolos quoſdam & ſi tum non dubitarent quin Dominus ipſorum reſurrexiſſet, dubitaſſe tamen an ipſe eſſet, qui tunc eis apparebat. Vnde ſequitur:

Et accedens locutus eſt eis. Quaſi ſignificetur, quod ad omnē dubitationem tollendam Dominus non tantum ſe à longe conſpiciendum præbuit, ſed ſe etiam vicinum illis obtulerit, notaque voce locutus ſit. Cæterum ea Dominum Apoſtolis locutum commemorat Matthæus, quæ maxime noſtra intererat ſcire, & primū quidem commemorat præceptum, & poteſtatem eis datam prædicandi Euangelium toti mundo; ante cuius præcepti, & poteſtatis traditionem commodè præmittit Dominus de plenaria, & omnimoda poteſtate ſibi data in cælo, & in terra: vt de hac poteſtate confiſi delegatam ſibi functionem incunctanter, & fideliter aggrederentur, quæ ex illa poteſtate ſuam accepit originem & cauſam.

Data eſt, inquit, *mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Nunc ſcilicet poſtquam de morte reſurgendo triumphaui. Habebat quidem prius tanquam Deus datam ſibi poteſtatem ab æterno: verum iam reſuſcitato data eſt etiam tanquam homini omnium rerum poteſtas; quoniam humanitas eius iam immortalitate donata, noua ratione conſors facta eſt gloriæ & poteſtatis diuinæ, & diabolo ſuperato, ac electo è ſuo dominio, dominium accepit, & ius in totum humanum genus, quod ſibi redemit. Hanc ergo datam poteſtatem pro fundamento iniungendæ Apoſtolis functionis aſſumens Dominus ſubijcit:

Euntes ergo, docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Tria iniunguntur Apoſtolis, quæ euntes in mundum facere debeant, & habēt inter ſe hæc connexionem, & ordinem conuenientiſſimum. Primum eſt vt doceant omnes gentes, ea ſcilicet, quæ credere debeant de Deo vno, & trino, deque diſpenſatione aſſumptæ à filio Dei humanitatis, & reliquis quæ ad fidē pertinent. 2. Traditionē dogmatum. Vnde Marcus habet pro docete, prædicate Euangelium, & ſubiungit, qui crederit, qui vero non crediderit. Pro eo autem quod Matthæus dicit omnes gentes, Marcus habet, omni creaturæ: qua varietate vterque alterum explauat. Quod enim apud Marcum per omnem creaturam, omnis natio gentium de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

brat intelligi ; patet ex Matthæo : & quod apud Matthæum sub nomine gentium etiam Iudæi debeant accipi, patet ex Marco. Secundum est, vt post doctrinam fidei, si eam receperint, baptizent eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Nō quod verba hęc Christi ex se significent baptismum cum huiusmodi verborum prolatione conferendum: Qui enim iubet aliquid fieri in nomine huius vel illius: non significat illum debere hoc facere cum certa verborū prolatione.) Sed quod Apostoli ex doctrina Spiritus intellexerunt hanc fuisse Domini in prędictis verbis intētionem proinde falluntur qui contra formam baptizandi hic à Domino secūdum Ecclesiæ intellectum præscriptam ; putant aliquando in primitiua Ecclesia inter baptizandum solum Christi nomen expressum. Tertium est vt post doctrinam fidei, & baptismum doceant fideles seruare omnia, quæ ipsis præcepta erant Apostolis: quod quidem pertinet ad vitæ conuersationem, quæ sequi debet fidei, baptismique susceptionem.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Vt ex ista sententia quidam suos errores confirmare sunt ausi: ita ex eadem Ecclesia catholica refellit assertionem eorum, qui fidei soli omnem hominis iustificationem tribuentes, nullam Sacramentis virtutem tribuunt iustificandi. Dicitur enim hic: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Salus ergo hominis non soli fidei, sed fidei, & baptismo simul est tribuenda.

Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. Post promissionem salutis, quæ ad futuram pertinet vitam, promittitur fidelibus etiam gloriosa miraculorum operatio pertinens ad vitam præsentem, ad fidei confirmationem & propagationem. Non vult autem Dominus, hæc quæ subijcit fore signa, quibus credentes à non credentibus possent dignosci: sed signa dicit miracula, & prodigia, quæ secutura dicit credentes, quia illa per fidem essent operaturi ; non quidem omnes semper, & vbique, sed vbi res ipsa & profectus Euangelij exposceret miraculum ; Vnde hæc promissio secundum literam ad Ecclesiam maximè pertinet primitiuam, quando fides nutrienda, & promouenda erat miraculis.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad, &c. Post iniunctā docendi omnes gētes prouinciā oportunè istud Dominus subiecit. Quoniam enim tanquam abiturus corpore eam prouinciā Apostolis iniunxit, iussitque eos etiam ab inuicem separatos spargi per vniuersum mundum prædicationis gratia, & mundus hoc illis agentibus cōtra eos exoriturus erat consolatur eos promissio nē suæ præsentiæ continuæ: vt abitum eius corporalem, ac suam abinuicem separationē æquius ferrent, eiusque præsentia in omnibus malis scirent se fore tutos. Cum autem Apostolis promittit suam

tit suam præsentiam, in ipsis Apostolis loquitur omnibus fidelibus, quemadmodum ostendit illud, vsque ad consummationem seculi. Non enim Apostoli vsque ad seculi cōsummationem permansuri erant in mundo, sed mediantibus illis, qui tunc erant, etiam illis, qui postmodum futuri essent hanc promisit gratiam, tanquam vni corpori fidelibus loquens omnibus. Cum his semper est, eritque Dominus secundum suam diuinitatem non quomodo cum omnibus est, qui vbique est, sed speciali modo per gratiam scilicet suam, & Spiritum suum, quem apud Ioannem Dominus promittit cum fidelibus permansurum in æternum, ad consolandum, docendum, dirigendum, adiuuandum, & liberandum eos in omnibus. Est & alius modus, quo fidelibus semper adest, & aderit Dominus, nempe per veritatem corporis, & sanguinis in Sacramento inuisibiliter licet subsistentis.

Pomittit spiritum sanctum, & ascendit in cælum. Marci 16. Lucæ 24. Ioan 21.

CAPVT CL.

[E]T dixit ad eos: *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est implere omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum patris mei in vos. vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam. [h] Et [b] Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, [c] eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & † [h] ferebatur' in cælum. [b] & sedit à dextris Dei. [c] Et ipsi adorantes regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno. & erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen. [h] Illi autem profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. [d] Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*

† [h] assumptus est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad eos, &c. Ex collatione Euangelistarum adinuicem, constat Dominum primum suis apparuisse in Ierusalem, deinde illi secundū eius iussionem secedentibus in Galilæam, & apertius, & pluribus apparuisse: vbi & verisimile est etiam post resurrectionem diutius cum suis conuersatum: postea vero patet ex hoc cap. Apostolos rursum iussos è Galilæa redire in Ierusalem, atque ibi, & in Bethania. ab eis rursum Dominum visum ipso ascensionis die. Hanc nouissimam Domini in Iudæa ante ascensionē apparitionem, continet caput istud Concordiæ nouissimum, quam tamen in duas apparitiones secat D. Augustinus (Siue ergo hæc ascensionis die, siue alia quauis, Dominus, quo minus mirarentur Apostoli ea, quæ facta fuerant, suggerit eis omnia quæ acciderant se prius prædixisse de seipso: nec se tantum, sed & omnem scripturam, duplici hac ratione ad fidem eos informans. *Hæc sunt*, inquit, verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, familiariter scilicet in mortali carne conuersans vobiscum. Cùm autem iam in memoriam suis Dominus reduxisset dictum aliquando à se, quod necesse esset impleri omnia quæ de se scripta essent: conueniens erat vt post illorum ex magna parte impletionem, iam scripturas, quę de se erant adduceret, & explicaret: verum quoniam eas nemo intelligere potest, nisi ipse mentem hominum aperiat ad eas intelligendas, ideo præmittitur:

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Nisi enim ad eas intelligendas mentem eorū Dominus aperuisset sua gratia, ne quaquam earum intelligentiam capere valuissent. Cum ergo iam aperuisset illorum mentem, tū adduxit eis scripturas, quibus ostendit ex Dei ordinatione necesse fuisse pati Christum sic, nempe per Crucem, & resurgere à mortuis tertia die, & deinde prædicari non solum apud Iudæos, sed apud omnes gētes in nomine Christi pœnitentiam, & per pœnitentiam in nomine eius factam remissionem peccatorum, Apostolis prædicationem incipientibus ab Ieroſolyma.

Vos autem testes estis horum. Postquam ostendit ex scripturis, quid fieri debuit, & prædicari, designat iam illorum testes, & prædicatores. Vos inquit, qui meam vidistis passionem, & resurrectionem, testes estis, hoc est, eritis horum scilicet Passionis & resurrectionis meæ quæ sunt fundamenta prædicationis pœnitentiæ, & remissionis peccatorum in nomine meo. Cæterum ne rubarentur intra se Apostoli, & cogitarent quomodo testificabimur hæc, qui priuati sumus homines, idiotæ, & imbecilles; ideo subijcit Dominus;

Et ego mitto, vel mittam in vos promissum. i. promissionē Patris mei, quam scilicet fecit olim per Ioëlem dicens; Effundam de spiritu

spiritu meo super omnem carnem, &c. Vt scilicet hæc promissio ne impleta in vobis possitis apti & idonei esse horum testes. Proinde antequam testimonium vestrum de me auspicemini *sedete*, hoc est, quieti degatis in ciuitate Ierusalem, vnde prædicatio est exordienda. quoadusque ex excelso cælorum induamini per acceptum spiritum virtute, hoc est, fortitudine, qua fiat vt & nullas timeatis mundi minas, aut vim, & fortes sitis ad resistendum omni sapientiæ mundanæ. Verbo autem induamini significat eos vndique & omnino virtute spiritus implendos, eaque velut spiritali armatura contra omnes Euangelij hostes muniendos.

Eduxit autem eos foras in Bethaniam, &c. Vt vnde pertexit ad passionem inde & pergeret ad Patrem. Hinc ergo ascensurus ad Patrem benedixit suis, hoc est, benè illis præcatus est, idque *eleuatis manibus suis*, vt eo signo benedictionis verba pœnitus discipulorum cordibus insiderent, ac benedictionis gratia ipsis velut impartiretur, & infunderetur. Porro interea dum bene præcaretur suis, *subitò recessit ab eis*, & in conspectu omnium *ferebatur in cælum*, & vt habet Marcus, *assumptus est*, non ab externo aliquo ministerio sicut Elias curru igneo; sed ab vnita secum diuinitate: Vnde in actis dicuntur Discipuli eum vidisse euntem in cælum, non ethereum, sicut Elias, sed in ipsa veri cæli penetralia, imo supra omnes cælos vt habet Paulus, quod & significat satis Marcus dicens:

Et sedet à dexteris Dei; quo significat ipsum æqualis cum Patre honoris, gloriæ, & potentiæ consortem effectum.

Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio. Participium præsentis temporis adorantes, hic positum est pro præterito. Non enim adorando regressi sunt, sed postquam adorassent, & inclinassent se in terram. Cum ergo tum ex Christi ascensione, tum ex Angelorum sermone (verisimile enim est ante eiusmodi adorationem accidisse; quod Lucas narrat in actis duos viros in vestibus albis astitisse iuxta Apostolos) intelligerent Christi maiestatem adorauerunt eum iam sublimem, & in dextera Patris considentem: auspicantes iam eam venerationem, quæ Christum sublimatum consecutura erat ex Patris ordinatione. Facta adoratione regressi sunt à monte Oliueti in Ierusalem, non cum mœrore, & tristitia, *sed cum gaudio magno*: tum quia congratulabantur gloriæ suæ; quę amabant Dominum tum quia iam firmius intellexerunt certitudinem suæ de Iesu fidei, & promissionum sibi factarum de Paracleto, & alijs. Nec transitorium, aut momentaneum fuit hoc gaudium, sed præ gaudij magnitudine erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum quod intelligendum est omni die, & temporibus die oportunis,

προσκυνήσαντες. Actor. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quomodo & Paulus iuber semper orare. Marcus paucis etiam commemorans Domini ascensionem, claudit suum Euangelium conuenienter clausula, qua breuiter complexus est Apostolorum vitam extra Ierusalem post digressionem, & dispersionem ipsorum.

Illi autem, inquit, *profecti* vt scilicet iussi erant, *prædicauerunt vbique*, hoc est non in Iudæa tãtum, sed & in Samaria, & in omnibus Gentibus, omnibusque locis, nullum locum declinantes, sed sine exceptione vbiuis gentium prædicantes. Sic enim est istud intelligendum: cum alioqui eorum prædicatio tunc necdum ad omnia peruenisset loca: sed vbique prædicauerunt, qui in omnibus præcipuis, & tunc notis mundi partibus prædicauerunt, nec aliquem locum studiose declinauerunt. Vt autem sic vbique prædicarent, non illorum virtute factum est, sed per cooperationem Domini, quia vbique eis aperuit ostium sermonis, & dedit eis os, & sapientiam cui non poterant efficaciter resistere omnes Euangelij hostes. & denique sermonem eorum hoc est, prædicationem confirmauit per signa sequentia, quæ per eos, sicut promiserat, operabatur. Cæterum Ioannes tali suum concluſit Euangelium sententia, quæ non sui tantum Euangelij, sed & omnium aliorum rerum, post quos scripsit, conueniens & aptus est finis. Semel enim protestatus, multa alia esse quæ fecit Iesus, nec scripta essent in suo libro: nunc quam sint illa multa, & inenarrabilia insinuans subijcit concludendo Euangelicam historiam.

Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula; nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros. Quam sententiam per hyperbolem accipiendam omnes constanter testantur Græci interpretes, & Augustinus. Certe hyperbolice se loqui insinuauit hic Euangelista cum interposuit arbitror. Eo enim suadibile fecit, quod incredibile videbatur, significans quod ob maximam eorum multitudinem, & inenarrabilitatem ita dixerit pro recepto loquentium, & scribentium more, quando rei alicuius magnitudinem ostendere decreuerunt. Hac autem conclusione Ioannes resecauit quorundam curiositatem; qui cum post alios tres Euangelistas scripserit, & ea fere scripserit, quæ alij prætermiserunt: ne vel quis existimaret omnia supplesse, vel quis post ipsum tentaret omnia supplere, opportunè hanc subiecit concludendo sententiam.

Chryſ. Cyril. Theoph. Euthym.

FINIS.

SVMMARIA OMNIVM CAPITVM CONCORDIÆ QVIBVS BREuiter ordine comprehenditur tota, quæ de Christo est, Euangelica historia.

Cap.		
I	Verbum Dei æternum, vita & lux caro factum est.	d.1.
II	Annuntiatur Ioannis conceptio Zacharia, & concipitur ab Elizabet.	c.1.
III	Nuntiatur Maria, Christi incarnatio	c.1.
IIII	Visitatur à Maria Elizabet	c.1.
V	Nascitur Ioannes, & Zacharias recepta loquela benedicit Deum	c.1.
VI	Texitur à Matthæo genealogia Christi	a.1.
VII	Angelus Ioſepho nuntiat sacrum virginis conceptum	a.1.
VIII	Natus in Bethlehem Dominus pastoribus nuntiatur, & circumciditur	c.2.
IX	Magi stella duce inuentum Christum adorant	a.2.
	Oblatus in templo Christus à Simeone & Anna agnoscitur	c.2.
	Angeli monitu fugit in Ægyptum, & redit Ioſeph	a.2.
	Quæsitus à parentibus Iesus inuenitur in templo	c.2.
	Prædicat & baptizat Ioannes Baptista	a.3.b.1.c.3.
	Baptizatur à Ioanne Christus, eiusq; à Luca genealogia in Deum reducitur	a.3.b.1.c.3.
	Ieiunat, & tentatur in deserto Christus	a.4.b.1.c.4.
	Ioannes testificatur de Christo	d.1.
	Demonstratum à Ioanne Christum quinque discipuli agnoscere & sequi incipiunt	d.1.
	Mutatur aqua in vinum in nuptiis	d.2.
	In pascate ejecit Dominus vendentes & ementes in templo, mortem & resurrectionem suam Iudæis insinuans.	d.2.
	Nicodemus docetur mysteria fidei	d.3.
	Baptizat per discipulos Christus in Iudæa	d.3.
	Ioannes ab Herode ob reprehensum adulterium recluditur in carcerem	a.14.b.6. c.3.
	Ioanne tradito Christus rediens in Galilæam per Samariã mulieri Samaritanæ innotescit	a.4.b.1. c.4.d.4.
	Sanatur à febri filius reguli	d.4.
	Prædicat in Galilæa Christus, & fama eius vbique spargitur	a.4.b.1.c.4.
	Vocati è naui quatuor discipuli sequuntur Christum	a.4.b.1 c.5.
	Sanatur in synagoga dæmoniacus	b.1.c.4.

Curatur

Universidad de Deusto
Biblioteca

xxviij Curatur à febri socrus Simonis, & agroti multi a.8.b.1.c.4.
xxix Reprehenduntur à Christo tres volentes ipsum sequi a.8.c.9.
XXX Mavis tempestas iussu Christi sedatur a.8.b.4.c.8.
xxxi Sanatis in regione Gerasanorum duobus damoniacis, damo- a.8.b.5.c.8.
nes porcos progressi precipitant in mare
xxxij Sanatur paralyticus per tegulas demissus a.9.b.2.c.5.
xxxiij Vocatur Matthaus, & de ieiunio disputatur cum discipulis a.9.b.2.c.5.
Ioannis & phariseorum
xxxiiij Suscitatur filia archisynagogi, & curatur Emorrhoissa a.9.b.5.c.8.
xxxv Duo cæci curantur & unus damoniacus a.9.
xxxvj Sanato in sabbatho homine qui laborauerat 38. annos, dis- d.5.
putabat cum Iudæis Dominus
xxxvij Phariseos, ob confricatas à discipulis spicas in sabbatho, of- a.12.b.3.c.6.
fensos, confutat Dominus
xxxviij Phariseos ob sanatam in sabbatho manum aridam, offen- a.12.
sos, rursum confutat Dominus
xxxix Electis 12. Apostolis, differit Dominus in quibus sita sit bea a 5.b.3.c.6.
titudo
XL Præcipitur abundantior iustitia quam sit phariseorum a 5.c.6.
xlj Docet quomodo facienda eleemosyna, quomodo item ora- a.6.
dum, & ieiunandum
xlij Docet abijciendam curam rerum terrenarum a.6.
xliij Docet temere nec iudicandum nec docendum: adhortatur ad a.7 c.6.
orationem, & vt vitatis pseudoprophetis, huic doctrinæ
inhæreatur
xliiij Curatur leprosus a.8.b.1.c.8
xlv Sanatur seruus Centurionis a.8.c.7.
xlvj Resuscitatur filius viduæ c.7.
xlvij Miltis Ioannes è carcere discipulos a.11.c.7.
xlviij Mulieri peccatrici remittuntur peccata a 7.
xlix Curato damoniaco cæco & muto, confutantur phariseι a.12.b.3.c.11.
L Matri & fratribus carnalibus præferuntur verbi Dei ob- a.12.b.3. c.13
seruatores & 8.
li Proponitur parabola seminantis a.13.b.4.c.8.
lij Parabola zizaniorum, seminis crescentis, grani sinapi, & a.13.
fermenti b.4.
liij Parabola thesauri, margaritæ, & sagenæ a.13.
liiij Docens in Nazareth Dominus, incredulitatis eam con- a.13.b.6.c.4.
demnat a.9.10.
lv Mittuntur ad prædicandum 12 Apostoli b 6.c.8.9.
lvj Describitur Ioannis decollatio, & fama Iesu apud He- a.14.b.6.c.9.
rodem
lvij Quinque panibus pascuntur quinque millia hominum a.14.b.6.
lviij Ambulat Iesus super mare & Petrus c.9.d.6.

Differit a.14.b.6.c.

lix Differit de manducando pane cœlesti d.6.
LX Reprehenduntur pharisæi discipulos calumniantes quod il- a.15.b.7.
lotis manducarent manibus
lxj Sanatur filia Cananæa a.15.b.7.
lxij Sanatur surdus & mutus b.7.
lxiij Septem panibus pascuntur quinque millia a.15.b.8.
lxiiij Pharisæi signum quærentes reijciuntur, eorumq; fermentum a.16 b 8.
cauendum docetur
lxv Cæcus sanatur in Bethsaida b.8.
lxvj Petrus Christum confitens commendatur a.16.b.8.c.9
lxvij Transfiguratur Dominus a.17.c.9.
lxviij Ejicitur damonium quod non potuerant ejicere discipuli a 17.c.9.
lxix Statere in ore piscis inuento soluitur didrachma, ac mors a.17.b.9.c.9.
prædicitur
LXX Contendentibus discipulis pro primatu, humilitas do- a 18.b.9.c.9.
cetur
lxxj Scandalum pusillorum cauendum docetur a.18.b 9.
lxxij Condonandum fratri in nos peccanti docetur a.18.
lxxiij Dominus relicta Galilæa venit in Iudæam, nec recipitur a a.19.b.10.
Samaritis c.9.d.7.
lxxiiij In itinere curat decem leprosos c.17.
lxxv Docet in templo in festo scenopegia d.7.
lxxvj Adulteram mulierem absoluit d.8.
lxxvij Rursum docet in templo, & lapidantium se manibus eripit d.8.
lxxviij Cæco nato restituitur visus d.9.
lxxix Differit Dominus de vero pastore & ouibus d.10.
LXXX Mittuntur septuaginta discipuli & redeunt c.10.
lxxxj Proponitur parabola de Samaritano c.10.
lxxxij Martha Dominum suscipit hospitio c.10.
lxxxiij Docet orationis & modum & vim c.11.
lxxxiiij Reprehendit præpostcram pharisæorum munditiam c.11.
lxxxv Docet non timendam mortem corporis c.12.
lxxxvj Docet abiciendam diuitiarum solicitudinem c.12.
lxxxvij Docet officium fidelis serui erga venturum Dominum c.12.
lxxxviij Docet pœnitentiam agendam ob Dei patientiam c.13.
lxxxix Sanatur mulier contracta c.13.
XC Docet angustam esse viam regni cœlorum c.13.
xcj Sanatur hydropicus in sabbatho c.14.
xcij Docet omnibus renuntiandum c.14.
xciij In festo encæniorum eripit se lapidantium manibus d.10.
xciiij Proponuntur parabola de ouc, drachma, & filio per- c.15.
ditis
xcv Parabola de villico iniquo c.16.
xcvj Differit de matrimonij indissolubilitate a.19.b.10.c.16

Para-

xcvii Parabola de diuite epulone proponitur c.16
xcviii Docet scandalum vitandum, & fidei virtutem c.17
xcix Proponitur parabola de phariseo & publicano c.16
C Paruulis manum imponit, & adolescentem diuitē ad perfectionem inuitat a.19.b.10. c.16
ci Proponitur parabola de operarijs in vineam conductis a. 20
cii Lazarus resuscitatur d.11
ciii Consultant Pharisæi de perdendo Domino d 11
ciiii Mortem suam prædicit, & Zebedæi filijs primatum petitū denegat a.20.b.10 c.19
cv Sanatur cæcus ante ingressum Iericho c.18
cvi Zacheus publicanus Christum suscipit c.19
cvii Parabola proponitur de 10 minis c.19
cviii Duo cæci sanantur post egressum è Iericho a.20.c.10
cix Cœna in Bethania facta Maria Dominum perfudit vnguento a 26.b.14.c.12
CX Insidens asino intrat Dominus gloriosè in Hierusalem a.21.b.11.c.19 d.12
cxi Cæci & claudi curantur à Christo, & gentiles ipsum videre desiderant a.21.d.12
cxii Maledicitur ficulneæ, & ejiciuntur ementes & vendentes è templo a.21.b.11 c.19 a.21.b.11
cxiii Proponitur quæstio de baptismo Ioannis, & parabola de duobus filijs c.19.20
cxiiii Notantur pharisæi parabola de locata vinea a 21 b.12 c.20
cxv Parabola proponitur de nuptijs filij a.22
cxvi Soluitur quæstio de tributo Cæsari dando a.22 b 12 c.20
cxvii Soluitur Sadducæorum quæstio contra resurrectionem a.22.b.12 c.20
cxviii Soluitur quæstio phariseorum de maximo mandato a 22.b.12
cxix Quæstio proponitur de Christo cuius filius sit a.22.b.12 c.20
CXX Docet audiendos & cauendos scribas a.23 b.12 c.20
cxxi Præfertur oblatio viduæ a.12.b 21
cxxii Prædicitur exersio templi & Hierusalem a.24 b.13.c.21
cxxiii Prædicitur aduentus filij hominis, & signa eius a.24.b.13 c.17. & 21
cxxiiii Docet quomodo ad aduentum suum nos præparare debeamus a.24.b.13 c.17.18.21
cxxv Parabola de decem virginibus a.25
cxxvi Parabola de distributis talentis a.25
cxxvii Modum aperit iudicandi in nouissimo iudicio a.25
cxxviii Pacisciter Iudas cum Iudeis a.26 b.14 c.22
cxxix Paratur agnus paschalis a.26 b.14 c.22
CXXX Lauantur apostolorum pedes d.13
cxxxi Instituitur eucharistia a.26 b. 14
cxxxii Prædicitur traditio a discipulo fienda a.26 b 14 c.22 c.22.d.13

Conten-

cxxxiii Contentio discipulorum pro primatu sedatur, & prædicitur eorum abnegatio a.26.b. 14 c.22.d.13
cxxxiiii Seruo Domini petit cœnam d 14
cxxxv Continuatio sermonis d.15.16
cxxxvi Oratio Iesu ad patrem d 17
cxxxvii Ter orans deprecatur mortem, & capitur a.22.b.14 c.22 .d.18
cxxxviii Iudicatur & illuditur in domo Caiphæ a.26.b.14 c 22.d.18
cxxxix Ter Petrus negat Dominum a.26
B 14. C 22. D 18.
CXL Ducitur ad Pilatū, & Iudæ se laqueo suspēdit a.26.b 15 c.22.23
cxli Accusatur corā Pilato & ab eo mittitur ad Herodē a.27 b.15c.23.d.18
cxlii Barrabba dimisso flagellatus & coronatus Christus traditur crucifigendus a.27
cxliii Ducitur ad crucem, & crucifigitur a 27
cxliiii Aperitur eius latus, & sepelitur honorificè a.27
cxlv Resurgens Christus & angeli apparent mulieribus a.28
cxlvi Apparuit Dominus duobus discipulis euntibus in Emaus c.16
cxlvii Bis apparet Dominus congregatis in domo discipulis b.16
cxlviii Apparet discipulis Dominus ad mare Galilææ d.21
cxlix Apparet Dominus discipulis in monte Galilææ a 28
CL Promittit Spiritum sanctum & ascendit in cælum b.16

Summariorum.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX QVO SINGVLORVM EVANgeliſtarum capita, ordine, quo ab eis ſunt ſcripta, in ſubſequenti Concordia reperiri poſſint.

CAPITA MATTHÆI.

Caput primum.

Liber generationis Ieſu Chriſti, vſque ad illud: Chriſti generatio ſic erat, continetur — in cap. Con. 6
Chriſti autem generatio, vſque ad finem — in cap. Con. 7

Caput ſecundum.

Cum ergo natus eſſet Ieſus, vſque ad: Qui cùm receſſiſſent. — in cap. 9
Verba illa: Qui cùm receſſ. ſunt in principio — in cap. 10
Quod ſequitur: Ecce angelus Domini, vſque ad finem. — in cap. 11

Caput tertium.

In diebus autem illis, vſque ad: tunc venit Ieſus. — in cap. 13
Tunc venit Ieſus, vſque ad finem capitis. — in cap. 14

Caput quartum.

Tunc Ieſus ductus eſt, vſque: Cùm autem audiſſet Ieſus. — in cap. 15.
Hæc verba: Cum autem audiſſet Ieſus quod Ioannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam. — in cap. 23
Quod ſequitur: Et relicta ciuitate Nazareth, vſq; : Ambulans autem Ieſus. — in cap. 25
Ambulans autem Ieſus, vſque: Et circuibat Ieſus. — in cap. 26
Et circuibat Ieſus, vſque ad finem. — in cap. 25

Caput quintum.

Videns autem Ieſus turbas, vſque: Dico autem vobis, Quia niſi abundauerit. — in cap 40
Dico autem vobis, vſque ad finem. — in cap. 39

Caput ſextum.

Attendite ne iuſtitiã veſtrã faciatis, vſque. Nolite theſaurizare — in cap 41
Nolite theſaurizare vſque ad finem. — in cap. 42

Caput ſeptimum.

Nolite iudicare, vſque ad finem. — in cap. 43

Caput octauum.

Cum autem deſcendiſſet de monte, vſque: Cùm autem introiſſet Capharnaum. — in cap. 44
Cum autem introiſſet, vſque. Et cum veniſſet Ieſus. — in cap. 45
Et cũ veniſſet Ieſus, vſq; : Videſ autẽ Ieſus turbas multas circum ſe. — in cap. 28
Videns autem Ieſus turbas, vſque: Et aſcendente eo in nauiculam. — in cap. 29
Et aſcendente eo, vſque Et cum veniſſet Ieſus trans fretum. — in cap 30
Et cum veniſſet Ieſus trans fretum, vſque ad finem. — in cap. 31

Caput nonum.

Et aſcendens in nauiculam, transfretauit. — in cap. 31

Quod

Quod ſequitur: Et venit in ciuitatẽ ſuã, vſque Et cũ trãſiret inde — in cap. 32
Et cùm tranſiret, vſque, Hæc illo loquente (Ieſus. — in cap. 33
Hæc illo loquente, vſque. Et tranſeunte inde Ieſu. — in cap. 34
Et tranſeunte inde Ieſu, vſque, Et circuibat Ieſus. — in cap. 35
Et circuibat Ieſus, vſque ad finem. — in cap. 55

Caput decimum.

Et conuocatis duodecim, vſque ad finem. — in cap. 55

Caput vndecimum.

Et factum eſt, cum conſummaſſet, vſque Ioannes autem. — in cap. 55
Ioannes autem cùm audiſſet, vſque ad finem. — in cap. 47

Caput duodecimum.

In illo tempore abijt Ieſus, vſque, Et cùm inde tranſiſſet. — in cap. 37
Et cùm inde tranſiſſet, vſque, Tunc oblatus eſt. — in cap. 38
Tunc oblatus eſt, vſque, Adhuc eo loquente. — in cap. 49
Adhuc eo loquente, vſque ad finem. — in cap. 50

Caput decimumtertium.

In illo die exiens Ieſus, vſque. Aliam parabolam propoſuit eis, dicẽs: Simile factum eſt regnum cœlorum homini. — in cap. 51
Aliam parabolam, vſque Simile eſt regnum cœlorum theſauro. — in cap. 52
Simile eſt regnũ cœlorũ theſauro, vſque Et factũ eſt, cũ cõſummaſ — in cap. 53
Et factum eſt, cùm conſummaſſet, vſque ad finem. (ſet. — in cap. 54

Caput decimumquartum.

In illo tẽpore audiuit Herodes, vſque Herodes enim tenuit Ioannẽ. — in cap. 56.
Herodes enim tenuit, vſque die autem natalis. — in cap. 22
Die autem natalis, vſque Quod cùm audiſſet Ieſus. — in cap. 56
Quod cùm audiſſet Ieſus, vſque Et ſtatim compulit Ieſus. — in cap. 57
Et ſtatim compulit Ieſus, vſque ad finem. — in cap. 58

Caput XV.

Tunc acceſſerunt ad eum, vſque Et egreſſus inde Ieſus. — in cap. 60
Et egreſſus inde Ieſus, vſque Et cùm tranſiſſet inde Ieſus. — in cap. 61
Et cum tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilæa. — in cap. 62
Quod ſequitur: Et aſcendens in montem, vſque ad finem. — in cap. 63

Caput XVI.

Et acceſſerunt ad eum, vſque Venit autem Ieſus in partes. — in cap. 64.
Venit autem Ieſus, vſque ad finem. — in cap. 66

Caput XVII.

Et poſt dies ſex, vſque Et cum veniſſet ad turbam. — in cap. 67
Et cùm veniſſet ad turbã, vſque Conuerſantibus autẽ eis in Galilæa. — in cap. 68
Conuerſantibus autẽ eis, vſque ad finem. — in cap. 69

Caput XVIII

In illa hora acceſſerunt, vſque Qui autem ſcandalizauerit. — in cap. 70
Qui autem ſcandalizauerit, vſque Si autem peccauerit in te. — in cap. 71
Si autem peccauerit, vſque ad finem. — in cap. 72

Caput XIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et factum est, cum consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa. in cap. 78
Quod sequitur. Et venit in fines Iudæ trans Iordanem & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. in cap. 93
Quod sequitur. Et accesserũt ad eũ, vsq; Tũc oblati sunt ei paruuli. in cap. 96
Tunc oblati sunt ei vsque ad finem. in cap. 100

Caput XX.

Simile est regnum cœlorum, vsque Et ascendens Iesus Hierosolymã. in cap. 101
Et ascendens Iesus, vsque Et egredientibus illis ab Hiericho. in cap. 104
Et egredientibus illis, vsque ad finem. in cap. 108

Caput XXI.

Et cum appropinquasset Hierosolymis, vsque Et intrauit Iesus in templum Dei. in cap. 110
Et intrauit Iesus in templum Dei. in cap. 111
Quod sequitur: Et ejiciebat omnes vendentes, vsque Et accesserunt in cap. 112 ad eum cæci.
Et accesserunt ad eum cæci, vsque Et relictis illis. in cap. 111
Et relictis illis, vsque Et cùm venisset in templum. in cap. 112
Et cùm venisset in templum, vsque Aliam parabolam audite. in cap. 113
Aliam parabolam audite, vsque ad finem. in cap. 114

Caput XXII.

Et respondens Iesus, vsque Tunc abeuntes pharisæi. in cap. 115
Tunc abeuntes pharisæi, vsque In illo die accesserunt. in cap. 116
In illo die accesserunt, vsque Pharisæi autem audientes. in cap. 117
Pharisæi autem audientes, vsque Congregatis autem pharisæis. in cap. 118
Congregatis autem pharisæis, vsque in finem. in cap. 119

Caput XXIII.

Tunc Iesus locutus est, vsque ad finem. in cap 120

Caput XXIIII.

Et egressus Iesus de templo, vsque Tunc si quis vobis dixerit. in cap. 122
Tunc si quis vobis dixerit, vsque Sicut autem in diebus Noë. in cap 123
Sicut autem in diebus Noe, vsque in finem. in cap. 124

Caput XXV.

Tunc simile erit regnum cælorum, vsque Sicut enim homo. in cap. 125
Sicut enim homo, vsque Cùm autem venerit. in cap 126
Cùm autem venerit, vsque ad finem. in cap. 127

Caput XXVI.

Et factũ est, cũ consummasset, vsq; Cũ autẽ Iesus esset in Bethania. in cap. 128
Cùm autem Iesus, vsque Tunc abijt vnus. in cap. 129
Tunc abijt vnus, vsque Prima autem die. in cap. 128
Prima autem die, vsque Et edentibus illis. in cap. 129
Et edentibus illis, vsque Cœnantibus autem eis. in cap. 132
Cœnantibus autem eis, vsque Et hymno dicto. in cap. 131
Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti. in cap. 137

Quod

Quod sequitur: Tunc dicit illis Iesus, vsque Tũc venit Iesus eũ illis in cap. 137.
Tunc venit Iesus cum illis, vsque At illi tenentes Iesum. in cap. 137
At illi tenentes, vsque Petrus verò sedebat. in cap. 138
Petrus verò sedebat, vsque ad finem. in cap. 139

Caput XXVII.

Mane autem facto, vsque Iesus autem stetit. in cap. 140
Iesus autem stetit, vsque Per diem autem solennem. in cap. 141
Per diem autem solennem, vsque Et postquàm illuserunt ei. in cap. 142
Et postquam illuserunt ei, vsque Cùm serò esset. in cap 143
Cùm autem serò esset, vsque in finem. in cap. 144

Caput XXVIII.

Vesperè autem sabbathi, vsque Vndecim autem discipuli. in cap. 145
Vndecim autem discipuli, vsque in finem. in cap. 149

CAPITA MARCI.

Caput primum.

Initium euangelij, vsque Et factum est, in diebus illis. in cap. 13
Et factum est, vsque Et statim spiritus. in cap. 14
Est statim spiritus, vsque Postquam autem traditus. in cap. 15
Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam. in cap. 23
Quod sequitur: Predicans euangelium, vsque Et prætereins. in cap. 25
Et prætereins, vsque Et ingrediuntur Capharnaum. in cap. 26
Et ingrediuntur Capharnaum, vsque Et protinus egredientes. in cap. 27
Et protinus egredientes, vsque Et venit ad eum leprosus. in cap. 28
Et venit ad eum leprosus, vsque in finem. in cap. 44

Caput secundum.

Et iterum intrauit, vsque Et egressus est rursus. in cap. 32
Et egressus est rursus, vsque Et factum est iterum. in cap. 33
Et factum est iterum, vsque ad finem. in cap. 37

Caput tertium.

Et introiuit iterum, vsque Et ascendens in montem. in cap. 38
Et ascendens in montem, vsque Et veniunt ad domum. in cap. 39
Et veniunt ad domum, vsque Et veniunt mater eius. in cap. 49
Et veniunt mater eius, vsque ad finem. Caput IIII. in cap. 50
Et iterum cœpit docere, vsque Et dicebat, Sic est regnum. in cap. 51
Et dicebat, Sic est regnum, vsque Et ait illis in illa die. in cap. 52
Et ait illis in illa die, vsque ad finem. Caput V. in cap. 30
Et venerunt transfretum, vsque Et cum transcendisset. in cap. 31
Et cum transcendisset Iesus in naui rursum transfretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. in cap. 32
Quod sequitur. Et venit quidam, vsque ad finem. Caput VI. in cap. 34
Et egressus inde, vsque Et circuibat castella. in cap. 54
Et circuibat castella, vsque Et audiuit rex. in cap. 55
Et audiuit rex vsque ipse enim Herodes. in cap. 56
Ipse enim Herodes, vsque Et cum dies opportunus. in cap. 22

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et cum dies oportunus, vsque Et conuenientes Apostoli. in cap.56
Et conuenientes Apostoli, vsque Et statim coëgit. in cap.57
Et statim coëgit, vsque ad finem. in cap.58

Caput septimum.

Et conueniunt ad eum, vsque Et inde surgens. in cap.605
Et inde surgens, vsque Et iterum exiens. in cap.61
Et iterum exiens, vsque ad finem. in cap.62

Caput octauum.

In diebus illis iterum, vsque Et exierunt pharisæi. in cap.63
Et exierunt pharisæi, vsque Et veniunt Betsaidam. in cap.64
Et veniunt Betsaidam, vsque Et egressus est Iesus. in cap.65
Et egressus est Iesus, vsque ad finem. in cap.66

Caput nonum.

Et dicebat illis, vsque Et post dies sex. in cap.66
Et post dies sex, vsque Et veniens ad discipulos. in cap.67
Et veniens ad discipulos, vsque Et inde profecti. in cap.68
Et inde profecti, vsque Qui cùm domi esset. in cap.69
Qui cum domi esset, vsque Et quisquis scandalizauerit. in cap.70
Et quisquis scandalizauerit, vsque ad finem. in cap.71

Caput decimum.

Et inde exurgens. in cap.73
Venit in fines Iudæ vltra Iordanem, & conueniunt iterum turba ad eum, & sicut consueuerat, iterum docebat eos. in cap.93
Et accedentes pharisæi, vsque Et offerebant illi paruulos. in cap.96
Et offerebant illi paruulos, vsque Erant autem in via. in cap.100
Erant autem in via, vsque Et veniunt Hiericho. in cap.104
Et veniunt Hiericho. in cap.105
Et proficiscente eo de Hiericho, vsque ad finem. in cap.108

Caput vndecimum.

Et cum appropinquarent, vsque Et circumspectis omnibus. in cap.110
Et circumspectis omnibus, vsque Et veniunt rursum Hierosolymã. in cap.112
Et veniunt rursus Hierosolymam, vsque ad finem. in cap.113

Caput XII.

Et cœpit illis in parabolis loqui. in cap.113
Vineam plantauit homo, vsque Et relicto eo abierunt. in cap.114
Et relicto eo abierunt, vsque Et venerunt ad eum. in cap.116
Et venerunt ad eum, vsque Et accessit vnus de scribis. in cap.117
Et accessit vnus de scribis, vsque Et respondens Iesus dicebat. in cap.118
Et respondens Iesus, vsque Et dicebat eis. in cap.119
Et dicebat eis, vsque Et sedens Iesus. in cap.120
Et sedens Iesus, vsque ad finem. in cap.121

Caput XIII.

Et cum egrederetur, vsque Et tunc si quis vobis dixerit. in cap.122
Et tunc si quis vobis dixerit, vsque Videte, vigilate. in cap.123

Videte

Videte, vigilate, vsque ad finem. in cap.124

Caput XIIII.

Erat autẽ pascha, vsque Et cum esset Bethaniæ. in cap.125
Et cum esset Bethaniæ, vsque Et Iudas Iscariotes. in cap.108
Et Iudas Iscariotes, vsque Et primo die azymorum. in cap.128
Et primo die azymorum, vsque Et discumbentibus eis. in cap.129
Et discumbentibus eis, vsque Et manducantibus illis. in cap.132
Et manducantibus illis, vsque Et hymno dicto. in cap.131
Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. in cap.137
Et ait eis Iesus, vsque Et veniunt in prædium. in cap.133
Et veniunt in prædium, vsque Et adduxerunt Iesum. in cap.137
Et adduxerunt Iesum vsque Et cum esset Petrus. in cap.138
Et cum esset Petrus, vsque ad finem. in cap.139

Caput XV.

Et confestim mane, vsque Et interrogauit eum Pilatus. in cap.140
Et interrogauit eum Pilatus, vsque Per diem autem festum. in cap.141
Per diem autem festum, vsque Et educunt illum. in cap.142
Et educunt illum, vsque Et cum iam sero esset. in cap.143
Et cum iam serò esset, vsque ad finem. in cap.144

Caput XVI.

Et cum transisset sabbathum, vsque Post hæc autem duobus. in cap.145
Post hæc autem duobus, vsque Nouissimè autem. in cap.146
Nouissimè autem, vsque Et dixit eis. in cap.147
Et dixit eis, vsque Et Dominus quidem Iesus. in cap.149
Et Dominus quidem Iesus, vsque ad finem. in cap.150

CAPITA LVCÆ.

Caput Primum.

QVoniam quidem multi, vsque Fuit in diebus Herodis. Procemium.
Fuit in diebus Herodis, vsque In mense autem sexto. in cap.2
In mense autem sexto, vsque Exurgens autem Maria. in cap.3
Exurgens autem Maria, vsque Elizabeth autem impletum. in cap.4
Elizabeth autem impletum, vsque ad finem. in cap.5

Caput secundum.

Factum est autem, vsque Et postquam impleti sunt dies. in cap.8
Et postquam impleti sunt dies, vsque Et vt perfecerunt. in cap.10
Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini. in cap.11
Reuersi sunt in Galilæam, vsque ad finem. in cap.17

Caput tertium.

Anno autem quintodecimo, vsque Herodes autem. in cap.18
Herodes autem, vsque Factum est autem. in cap.22.
Factum est autem, vsque ad finem. in cap.14

Caput quartum.

Iesus autem plenus, vsque Et regressus est Iesus. in cap.15.
Et regressus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam. in cap.33

Et fama

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et fama exiit, vsque Et venit Nazareth. in cap. 25
Et venit Nazaret, vsque Et descendit in Capharnaum. in cap. 54
Et descendit in Capharnaum, vsque Surgens autem Iesus. in cap. 27
Surgens autem Iesus, vsque ad finem. in cap. 28.

Caput quintum.

Factum est autem, cum turba, vsque Et factum est cum esset. in cap. 28
Et factum est, cum esset, vsque Et factum est in vna dierum. in cap. 44
Et factum est in vna dierum, vsque Et post hac exiit. in cap. 32
Et post hac exiit, vsque ad finem. in cap. 33

Caput sextum.

Factum est autem in Sabbatho, vsque Factū est autem & in alio. in cap. 37
Factum est autem & in alio, vsque Factum est autem in illis. in cap. 38
Factum est autem in illis diebus, vsque Sed vobis dico. in cap. 39
Sed vobis dico, vsque Nolite iudicare. in cap. 40
Nolite iudicare, vsque ad finem. in cap. 43

Caput septimum.

Cùm autem implesset omnia verba sua in aures plebis. in cap. 44
Intrauit Capharnaum, vsque Et factum est deinceps. in cap. 45
Et factum est deinceps, vsque Et nuntiauerunt Ioanni. in cap. 46
Et nuntiauerunt Ioanni, vsque Rogabat autem illum. in cap. 47
Rogabat autem illum, vsque ad finem. in cap. 48

Caput octauum.

Et factum est deinceps, vsque Cum autem turba. in cap. 55
Cum autem turba, vsque Venerunt autem ad illum. in cap. 51
Venerunt autem ad illum, vsque Factum est autem in vna dierum. in cap. 50
Factum est autem in vna dierum, vsque Et nauigauerunt. in cap. 30
Et nauigauerunt, vsque Factum est autem cum rediisset. in cap. 31
Factum est autem, cum rediisset Iesus, excepit eum turba, erant autem omnes expectantes eum. in cap. 32
Et ecce venit vir, vsque ad finem. in cap. 34

Caput nonum.

Conuocatis autem Iesus, vsque Audiuit autem Herodes. in cap. 55
Audiuit autem Herodes, vsque Et reuersi Apostoli. in cap. 56
Et reuersi Apostoli, vsque Et factum est cum solus esset. in cap. 57
Et factum est cum solus esset, vsque factum est autem post hac. in cap. 66
Factum est autem post hac, vsque Factum est autē in sequenti die. in cap. 67
Factum est autem in sequenti die, vsque Omnibusque mirantibus. in cap. 68
Omnib[illegible]sque mirantibus, vsque Intrauit autem. in cap. 69
Intrauit autem, vsque Factum est autem dum complerentur. in cap. 70
Factū est aute[illegible]dū complerētur, vsque Factū est autē ambulantibus. in cap. 75
Factum est aute[illegible] ambulantibus, vsque ad finem. in cap. 29

Caput decimum.

Post hac autem designau[illegible], vsque Et ecce quidam legisperitus. in cap. 80
Et ecce quidam legisperitus, vsque factum est autem dum irent. in cap. 81

Factum

Factum est autem dum irent, vsque ad finem. in cap. 82

Caput XI.

Et factum est, cum esset vsque, Et erat eiciens. in cap. 83
Et erat eiciens vsque Factum est autem, cum hæc diceret. in cap. 49
Factum est autem, vsque Turbis autem concurrentibus in cap. 50
Turbis autem concurrentibus, vsque Et cum loqueretur. in cap. 49
Et cum loqueretur, vsque ad finem. in cap. 84

Caput XII.

Multis autem turbis, vsque Ait autem ei quidam. in cap. 85
Ait autem ei quidam, vsque Sint lumbi vestri. in cap. 86
Sint lumbi vestri, vsque ad finem. in cap. 87

Caput XIII.

Aderant autem quidam vsque Erat autem docens. in cap. 88
Erat autem docens vsque Et ibat per ciuitates. in cap. 89
Et ibat per ciuitates, vsque ad finem. in cap. 90

Caput XIIII.

Et factum est, cum introisset, vsque Ibant autem turbæ. in cap. 91
Ibant autem turbæ, vsque ad finem. in cap. 92

Caput XV.

Erant autem appropinquantes, vsque ad finem. in cap. 94

Caput XVI.

Dicebat autem & ad discipulos, vsque Omnis qui dimittit. in cap. 95
Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur. in cap. 96
Homo quidam erat diues, vsque ad finem. in cap. 97

Caput decimumseptimum.

Et ait ad discipulos suos, vsque Et factum est dum iret. in cap. 98
Et factum est dum iret, vsque Interrogatus autem. in cap. 74
Interrogatus autem, vsque Et ait ad discipulos. in cap. 98
Et ait ad discipulos, vsque Et sicut factum est. in cap. 123
Et sicut factum est, vsque ad finem. in cap. 124

Caput decimumoctauum.

Dicebat autem & parabolā, vsque Dicebat autem & ad quosdam. in cap. 124
Dicebat autem & ad quosdam, vsque Afferebant autem. in cap. 99
Afferebant autem, vsque Assumpsit autem Iesus. in cap. 100
Assumpsit autem Iesus vsque Factum est autē cum appropinquaret. in cap. 104
Factum est autem cum appropinquaret, vsque ad finem. in cap. 105.

Caput decimumnonum.

Et ingressus perambulabat, vsque Hæc illis audientibus. in cap. 106
Hæc illis audientibus, vsque Et factum est cum appropinquasset. in cap. 107
Et factum est, vsque Et ingressus in templum. in cap. 110
Et ingressus in templum, vsque. Et erat docens in cap. 112
Et erat docens vsque in finem. Caput XX. in cap. 113.
Et factum est in vna dierum, vsque Cœpit autem dicere. in cap. 113

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cœpit autẽ dicere, vsque Et obseruantes miserunt. in cap. 114
Et obseruantes miserunt, vsque Accesserunt autem quidam. in cap. 116
Accesserunt autem quidam, vsque Dixit autem ad illos. in cap. 117
Dixit autem ad illos, vsque Audiente autem omni populo. in cap. 119
Audiente autem omni populo, vsque ad finem. in cap. 120

Caput vigesimumprimum.

Respiciens autem vidit, vsque Et quibusdam dicentibus. in cap. 121
Et quibusdam dicentibus, vsque Et erunt signa. in cap. 122
Et erunt signa, vsque Attendite autem vobis. in cap. 123
Attendite autem vobis, vsque Erat autem diebus docens. in cap. 124
Erat autem diebus docens, vsque ad finem. in cap. 127

Caput Vigesimumsecundum.

Appropinquabat autem, vsque Venit autem dies. in cap. 128
Venit autem dies, vsque Et ait illis, Desiderio. in cap. 129
Et ait illis, Desiderio, vsque Veruntamen ecce. in cap. 131
Veruntamen ecce, vsque Facta est autem & contentio. in cap. 132
Facta est autem & contentio, vsque Et egressus ibat. in cap. 133
Et egressus ibat, vsque Comprehendentes autem. in cap. 137
Comprehendentes autem, vsque Quem cum vidisset. in cap. 138
Quem cum vidisset, vsque Et viri qui tenebant. in cap. 139
Et viri qui tenebant, vsque Et vt factus est dies. in cap. 138
Et vt factus est dies, vsque ad finem. in cap. 140

Caput Vigesimumtertium.

Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. in cap. 140
Cœperunt autem illum accusare, vsque Pilatus autem conuocatis. in cap. 141
Pilatus autem conuocatis, vsque Et cum ducerent eum. in cap. 142
Et cùm ducerent eum, vsque Et ecce vir nomine. in cap. 143
Et ecce vir nomine Ioseph vsque in finem. in cap. 144

Caput XXIIII.

Vna autem sabbathi, vsque Et ecce duo ex illis. in cap. 145
Et ecce duo ex illis, vsque Dum autem haec loquuntur. in cap. 146
Dum autem haec loquuntur, vsque Et dixit ad eos. in cap. 147
Et dixit ad eos, vsque ad finem. in cap. 150

CAPITA IOANNIS.

Caput Primum.

IN principio erat verbum, vsque Ioannes testimonium perhibet. in cap. 1
Ioannes testimonium perhibet, vsque Altera die iterum. in cap. 16
Altera die iterum, vsque ad finem. in cap. 17

Caput secundum.

Et die tertia, vsque Post hac descendit Capharnaum in cap. 18
Post hac descendit, vsque ad finem. in cap. 19

Caput tertium.

Erat autem homo, vsque Post hac venit Iesus in cap. 20
Post hac venit Iesus, vsque ad finem. in cap. 21

Caput

Caput quartum.

Vt ergo cognouit Iesus, vsque Venit ergo iterum in cap. 23
Venit ergo iterum, vsque ad finem. in cap. 24

Caput quintum.

Post hac erat dies festus, vsque ad finem. in cap. 36

Caput sextum.

Post hac abijt, vsque Iesus ergo cum cognouisset in cap. 57
Iesus ergo cum cognouisset, vsque Altera die turba in cap. 58
Altera die turba, vsque ad finem. in cap. 59

Caput septimum.

Post hac autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudea ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere in cap. 60
Erat autem in proximo, vsque Iam autem die festo in cap 73
Iam autem die festo, vsque ad finem. in cap. 75

Caput octauum.

Iesus autem perrexit, vsque Iterum ergo locutus in cap. 76
Iterum ergo locutus, vsque ad finem. in cap. 77

Caput nonum.

Et præteriens Iesus, vsque ad finem. in cap. 78

Caput decimum.

Amen amen dico vobis, vsque Facta sunt autem encænia in cap. 79
Facta sunt autem encænia, vsque ad finem. in cap. 93

Caput vndecimum

Erat autem quidam Languens, vsque Collegerunt ergo in cap. 102
Collegerunt ergo, vsque ad finem. in cap. 103

Caput duodecimum.

Iesus ergo ante sex dies, vsque In crastinum autem in cap. 109
In crastinum autem, vsque Erant autem quidam gentiles in cap. 110
Erant autem quidam gentiles, vsque ad finem. in cap. 111

Caput XIII.

Ante diem festum paschæ, vsque Cùm hæc dixisset Iesus in cap. 130
Cùm hæc dixisset Iesus, vsque Filioli adhuc modicum in cap. 132
Filioli adhuc modicum, vsque ad finem. in cap. 133

Caput XIIII.

Et ait discipulis suis, vsque ad finem. in cap 134

Caput XV. & XVI.

Virumque totum est simul. in cap. 135

Caput XVII.

Hæc locutus est Iesus, vsque ad finem. in cap. 136

Caput XVIII.

Hæc cùm dixisset Iesus, vsque Cohors autem in cap. 137
Cohors autem, vsque Dixit ergo Petro ancillæ in cap. 138
Dixit ergo Petro, vsque Pontifex ergo interrogauit in cap. 139
Pontifex ergo, vsque Erat autem Simon Petrus in cap. 138

Universidad de Deusto
Biblioteca

Erat autem Simon, vsque Adduxerunt ergo Iesum *in cap.139*
Adduxerunt ergo, vsque Est autem consuetudo *in cap.141*
Est autem consuetudo, vsque ad finem. *in cap.142*

Caput XIX.

Tunc ergo apprehendit, vsque Susceperunt autem *in cap.142*
Susceperunt autem, vsque Iudæi ergo *in cap.143*
Iudæi ergo, vsque ad finem. *in cap.144*

Caput XX.

Vna autem sabbathi, vsque Cùm ergo serò esset *in cap.145*
Cùm ergo serò esset, vsque ad finem. *in cap.147*

Caput XXI.

Postea manifestauit, vsque Sunt autem & alia *in cap.148*
Sunt autem & alia, vsque ad finem. *in cap.150*

INDEX EVANGELIORVM.

Quæ Dominicis, & Festis diebus per totum annum in Templis legantur iuxta consuetudinem Gallicanæ & Romanæ Ecclesiæ. In quo animaduerte R. Literam (quæ vsum Romanum ex decreto Sacrosancti Concilij Tridentini vestientum significat) præpositam esse quando non conueniunt.

Dominica prima Aduentus.

CVm appropinquasset Iesus, vsque Et cum intrasset Matt.21 in c.Co. 119 fol.711

R. Erunt signa in sole, vsque Attendite vobis Luc. 21 in cap. Con.123 fol.785

Dominica secunda Aduentus.

Erunt signa in sole, vsque Attendite autem vobis Luc.21 Conc.123 fol.785

R. Cum audisset Ioannes, vsque Amen dico vobis Matt.11 Concor.47 fol.287

Dominica tertia Aduentus.

Cum audisset Ioannes, vsque Amen dico vobis Matt.11 Con.47 f.291

R. Miserunt Iudæi ab Hierosolymis, vsque Altera die vidit Ioannes Ioan.1. Con.16 f.199

Feria quarta quatuor temporum.

R. Missus est angelus Gabriel, vsq; Exurgens autem Luc.1 Conc 3 fol.27

Feria sexta quatuor temporum.

Exurgens autem Maria, vsque Quia respexit Luc. 1 Con.2 fol.14

Sabbatho quatuor temporum.

Anno quintodecimo Imperij, vsq; Dicebat ergo ad turbas Lu.3 Con.13 fol. 83

Dominica quarta Aduentus.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis, vsque Altera die vidit Ioannes Io.1 Cō.16 f.109

R. Anno quintodecimo Imperij, vsque Dicebat ad turbas Lu.3 Con. 13 fol.85

In die Natiuitatis ad Gallicanum.

Exijt edictum, vsque Et factum est Lu. 2 Con.8 fol.54

In Aurora.

Pastores loquebantur adinuicē, vsq; Et postquā cōsummati Lu.62 Cō.8 fol.57

Ad summam missam.

In principio erat verbum, vsque Ioānes testimonium Ioan.1 Con.1 fol.2

In die S. Stephani.

Ecce ego mitto ad vos, vsque ad finem Matt.21 Con.120 fol.767

In die S. Ioannis Euangelistæ.

Dicit Iesus Petro sequere me, vsq; Sūt autem Ioan.21 Con.148 fol.958

In die S. Innocentium.

Angelus Domini apparuit, vsq; Defuncto autem Matt.2 Con.11 f.75

Dominica infra Natiuitatē.

Erāt Pater eius, & mater mirātes, vsque Et ibant parentes Luc 2.Con.10. f.67

In die Circumcisionis Domini.

Et postquā consummati sunt dies octo, vsque ad finem capitis Luc. 2 Conc. 8 fol.53

In vigilia Epiphaniæ.

Defuncto Herode, vsque ad finem capitis Matt. 2 Con 11 fol 75

In die Epiphaniæ Domini.

Cum ergo natus esset Iesus, vsque Qui cum recessissent Matt.2 Con.9 fol.61

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

Et cum factus esset, vsque ad finem capitis Luc. 2 Con.12 fol.80

Dominica 2. post Epiphaniam.

Et die tertia nuptiæ, vsque Post hæc descendit Ioan.2 Con.18 fol.120

Dominica 3. post Epiphaniæ.

Cum autem descendisset, vsque Et cum venisset Matt.8 Con.44 fol.278

Dominica 4. post Epiphaniæ.

Et ascendente eo in naviculam, vsque Et cum venisset Matt. 8 Con. 50 f. 162

Dominica 5. post Epiphaniæ.

Simile est regnum cælorum, vsque Et factum est cum consummasset Matth.13 Conc.52 fol.336

Dominica 8. post Epiphaniæ.

Simile est regnum cælorum grano sinapis Matt.13 Con.32 fol.320

Dominica in Septuagesima.

Simile est regnum cælorum Patrifamilias, vsque Et ascendens Matt. 20 Con col.191 fol.664

Dominica in Sexagesima.

Cum autem turba multa conueniret, vsque Nemo autem lucernam Luc.8 Cōcor.51 fol.327

Dominica in Quinquagesima.

Assumpsit autem Iesus duodecim, vsque ad finem cap. Luc.18 Con. 104 fol.614

Feria quarta in capite ieiunij.

Cum autem ieiunatis, vsque lucerna corporis tui Matth 6 Concor.41 & 42 fol.246

Feria quinta in capite Ieiunij.

Cum autem introisset Capharnaum, vsque Et cum venisset Matt.8 Concor.45 fol.261

Feria sexta in capite Ieiunij.

Audistis quia dictum est Diliges proximum, vsque Et cum oratis Matt.5 Co. 40 fol.225

Sabbatho in capite Ieiunij.

Et cum sero factum esset, vsque ad finē capitis Mat.6 Con.58 fol.382

Dominica prima Quadragesimæ.

Tunc Iesus ductus est, vsque Cum autē audisset Matt.4 Con.15 fol.102

Feria secunda.

Cum autem venerit filius hominis, vsque ad finem capitis Matt.25 Con.122 fol 505

Feria tertia.

Et cum intrasset Iesus Hierosolymam, vsque Mane autem reuertens Matt. 21 Con.110 fol.712

Feria quarta.

Tunc respondentes ei quidam de Scribis, vsque ad finem capitis Matth. 12 Con.49 fol.312

Feria quinta.

Et egressus inde Iesus, vsque Et cū trāsisset inde Matt.15 Con. 61 fol.401

Feria sexta.

Post hæc erat dies festus, vsque Propter ea persequebantur Ioā.5 Con. 36 f.286

Sabbatho.

Et post dies sex assumpsit, vsque Et interrogauerunt Mat.17 Con.67 fol.457

Dominica 2. Quadragesimæ.

Euangelium, vt in feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ

R. Et post dies sex assumpsit, vsque Et interrogauerunt Matt 17 Conc.67 f.457

Feria secunda.

Ego vado, & quæretis me, vsque Hæc illo loquente Ioan. 8 Concord. 771. fol.502

Feria tertia.

Tunc Iesus locutus est, vsque Væ vobis Scribæ Matth 23 Concord.1206 fol.786

Feria quarta.

Et ascendens Iesus Ierosolymam, vsque Et egredientibus illis Matth 20 Conc.104 fol.614

Feria quinta.

Homo quidam erat diues, vsque ad finē capitis Luc.16 Con.97 fol.639

Feria sexta.

Homo

Homo quidam erat paterfamilias, vsq; ad finē capitis Mat.21.Cōc.114.f.744
Sabbatho.
Homo quidam habuit duos filios, vsque ad finem capitis Luc.15.Cō.94.fol.615
Dominica 3. Quadragesimæ.
Et erat ejiciens dæmonium, vsque turbis autem concurrentibus Lu.11.Cōc. 49.fol 311
Feria secunda.
Vtiq; dicetis mihi hāc similitudinem, vsque Et descenditCapharnaum Luc.4. Conc.14.fol.147
Feria tertia.
Si autem peccauerit in te, vsque Ideo assimilarum est regnum Matth.18. Conc.72.fol.470
Feria quarta.
Tunc accesserunt ad eum, vsque Et egressus inde Matt.15 Conc 60.fol.403
Feria quinta.
Surgens autem Iesus, vsque ad finem capitis Luc.4 Conc 21.fol.157
Feria sexta.
Venit ergo in ciuitatē Samariæ, vsque Post duos autem dies Ioan.4. Conc. 21.fol.139
Sabbatho.
Iesus autem perrexit in montem Oliueti, vsque Iterum ergo locutus Ioan.8. Conc.76.fol.498
Dominica 4. Quadragesimæ.
Post hæc abijt Iesus, vsque Iesus ergo cū cognouisset Ioan.6.Conc.57.fol.377
Feria secunda.
Et prope erat Pascha, vsque ad finem capitis Ioan.2.Conc.19.fol.123
Feria tertia.
Iam autem die festo mediante, vsque Christus cū venerit Ioan.7.Conc.75. fol.485
Feria quarta.
Et prætereins Iesus, vsque ad finem capitis Ioan.9.Conc.78.fol.521
Feria quinta.
Et factum est deinceps ibat Iesus, vsque ad finem capitis Luc.7.Con.46. f.285
Feria sexta.
Erat autem quidam languens, vsque Collegerunt ergo Ioan.11. Conc.192 fol.668
Sabbatho.
Ego sum lux mundi, vsque Dixit ergo iterum eis Ioan.8 Conc.77.fol.501
Dominica in Passione.
Quis ex vobis arguet me de peccato, vsque ad finē capitis Ioā.8 Cō.77. f.502
Feria secunda.
Audierunt Pharisæi turbam, vsque Nōdum enim erat spiritus Ioā.7. Conc. 75.fol.485
Feria tertia.
Post hæc autē ambulabat, vsque Iam autem die festo mediante Ioan.7.Cōc. 60.fol.403
Feria quarta.
Facta sunt autem encænia, vsque in finē capitis Ioan.10.Conc.93. fol.608
Feria quinta.
Rogabat autē illum quidā de Phariseis, vsque ad finē capitis Luc.7. Conc.42. fol.303
Feria sexta.
Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi, vsque ad finem capitis Ioann.11. Con.101.fol.680
Sabbatho ante Palmarum.
Hæc locutus est Iesus, vsque ad finem capitis Ioan.17.Conc.136.fol. 866
R. Cogitauerūt Principes Sacerdotū, & Pharisæi, vt & Lazarum, vsque Cū autem tot signa Ioā.12.Conc. 109 f.707
Dominica Palmarum.
Ad benedictionem palmarum.
Et cum appropinquassent, vsque Et cū intrauit Matt.21.Con.110. fol.712
Feria secunda.
Iesus ergo ante sex dies Paschæ, vsque In crastinum autem Ioan.12. Cō. 109. fol.706
Feria tertia.
Passio Domini Marc.14 Con.137.f. 874
Feria quarta.
Passio Domini Luc.22.23.Con.137.f.874
Feria quinta.
Ante diem festum Paschæ, vsque Amen amen dico vobis Ioan.13. Conc. 130. fol.814
Feria sexta.
Passio Domini Ioan.18.Con.137.f 874
Sabbatho.
Vespere autē Sabbathi, vsque vndecim autem

autem discipuli Matth.28.Concor.145. fol.939
In die Paschæ.
Et cum transisset Sabbathum, vsque At illæ exeuntes Marc.16.Con.143.f.934
Feria secunda.
Et ecce duo ex illis, vsque Dum autem hæc loquuntur Luc.24.Con.146.f.945
Feria tertia.
Dum autem hæc loquuntur, vsque vos autem testes estis Luc.24.Cō.147 f.952
Feria quarta.
Postea manifestauit se, vsque Cum ergo prandissent Ioan.21.Conc.142. f.957
Dominica prima post Paschā.
Cum ergo sero esset, vsque ad finem capitis Ioan.20.Con.147.fol.952
Dominica 2. post Paschā.
Ego sum Pastor bonus, vsque Propterea me diligit Ioan.10.Conc.79.fol.532
Dominica 3. post Paschā.
Modicum & iam non videbitis, vsque Et in illo die Ioan.16.Conc.135.f.849
Dominica 4. post Paschā.
Et nunc vado ad eum, vsq; Omnia quæcunque Ioan.16.Con.135.fol.849
Dominica 5. post Paschā.
Amen amen dico vobis, vsque Respondit eis Iesus Ioan.16.Con.135.fol. 850
Feria secunda in Rogationibus.
Quis vestrum habebit amicum, vsque Et erat ejiciens dæmonium Luc.11. Con. 83.fol.355
Feria tertia in Rogationibus.
Nolite iudicare, & non iudicemini, vsque Omnia ergo quæcunque Matth.7 Conc.43 f.266
R. Qui habebit Amicū vestrū, vsque Et erat ejiciens dæmonium Luc.11. Con cord.83 Fol.355
In vigilia Ascensionis Domini.
Hæc locutus est Iesus, & subleuatis oculis, vsque Pater sancte Ioan.17. Conc. 136 fol.866
In die Ascensionis Domini.
Nouissime autem recumbentibus illis, vsq; Et dixit eis Mar.16.Cō.147 .f.952
Dominica infra Ascensionis.
Cum autem venerit paracletus, vsque Hæc autem vobis Ioan.15.Conc.135. fol.849
In die Pentecostes.
Si quis diligit me, vsque Surgite eamus hinc Ioan.14.Conc.134 fol.838
Feria secunda.
Sic enim Deus dilexit mundum, vsque Post hæc Ioan.3 Con.20.fol.127
Feria tertia.
Amen amen dico vobis, qui, vsque Ego sum Pastor bonus Ioan.10.Conc.79 fol.531
Feria quarta.
Nemo potest venire ad me, vsque Litigabant Ioan.6.Con.59 fol.387
Feria sexta.
Et factum est in vna dierum, vsque Et post hæc abiit Luc.5 Conc 32 fol.161
Sabbatho.
Surgens autem Iesus de Synagoga, vsque ad finem cap.Luc.4.Conc.25.f.155
Dominica in die S. Trinitatis.
Cum autem venerit Paracletus, vsque Hæc autem vobis Ioan.15. Conc. 135 fol.849
R. Data est mihi omnis potestas, vsq; in finem capitis Matt.28. Con.149.f.958
R. Eadem Dominica Estote misericordes, vsque Non est enim. Luc.6. Conc 40.fol.226
In die venerabilis Sacramenti.
Caro mea vere est cibus, vsque hæc dixit in Synagoga Ioan.6.Con.59. fol.387
Dominica prima post Trinitatis.
Homo quidam erat diues, vsque ad finem capitis Luc 16.Conc.97.fol.639
R. Homo quidam fecit cœnam magnam vsque Ibant autem turbæ Luc.14.Conc 91.fol.596
Dominica 2. post Trinitatis.
Homo quidam fecit cœnam, vsque Ibant autem turbæ Luc.14.Con.91.fol.596
R. Erant autem appropinquantes, vsque Aut quæ mulier Luc.15.Con.94.f.603
Dominica 3. post Trinitatis.
Erant autem appropinquantes, vsque Aut quæ mulier Luc.15.Con.94.f.603
R. Factum est autem cum turbæ, vsque factum est cum esset Luc. 5. Conc. 2 fol. 152
Dominica 4. post Trinitatis.
Estote ergo misericordes, vsque Nō enim Luc.6.Con.40.fol.226

R. Dic

Universidad de Deusto
Biblioteca

R. Dico autē vobis, Quia nisi abundauerit, vsq; Esto cōsentiēs Mat. 5 Cō. 40 f. 225
Dominica 5. post Trinitatis.
R. Factū est cū turba, vsque Factum est cum esset Luc. 5 Con. 26 fol. 152
In diebus illis, vsque Et exierunt Pharisæi Mar. 2 Con. 63 fol. 417
Dominica 6. post Trinitatis.
Dico autē vobis, Quia nisi abundauerit, vsq; Esto cōsentiēs Matt. 5. Cō. 40 f. 225
R. Attēdite à falsis Prophetis, vsq; Multi dicent mihi Matt. 7 Con. 40 f. 266
Dominica 7. post Trinitatis.
In diebus illis, vsque Et exierunt Pharisæi Mar. 2 Conc. 63 f. 417
R. Homo quidā erat dives, vsque Qui fidelis est In minimo Luc. 16. Cō. 95 f. 625
Dominica 8. post Trinitatis.
Attēdite à falsis Prophetis, vsque Multi dicēt mihi Matt. 7 Con. 40 fol. 266
R. Et factū est cū appropinquasset, vsq; Principes autem Luc. 19 Con. 110 f. 712
Dominica 9. post Trinitatis.
Homo quidā erat dives, vsque Qui fidelis est In minimo Luc. 16 Con. 95 f. 623
R. Duo homines ascendebant, vsq; Afferebantur autem Luc. 18 Con. 99 fo 649
Dominica 10. post Trinitatis.
Et factū est cū appropinquasset, vsque Principes autem Lu. 19 Con. 110 f. 712
R. Et iterum exiens de finibus vsque ad finem capitis Mar. 7 Con. 62 f. 415
Dominica 11. post Trinitatis.
Duo homines ascendebant, vsque Assebant autem Luc. 18 Conc. 99 f. 649
R. Beati oculi vident, vsque Factum est autem Luc 10 Con. 50 f. 542
Dominica 12 post Trinitatis.
Et iterum exiens de finibus, vsque ad finem capitis Mar. 7 Con. 62 f. 415
R. Et factum est dum iret in Ierusalem, vsq; Interrogatus Lu. 17 Con. 74 f. 482
Dominica 13 post Trinitatis
Beati oculi qui vident, vsque factum est autem Luc. 10 Con. 50 fol. 542
R. Nemo potest duobus Dominis servire, vsque Nolite ergo soliciti Matth. 6 Conc. 42 fol. 258
Dominica 14. post Trinitatis.
Et factū est dū irent in Ierusalem, vsq; Interrogatus Luc. 17 Con. 74 f. 482
R. Et factum est deinceps, vsque Et exiit Luc. 7 Conc. 46 fol. 285
Dominica 15. post Trinitatis.
Nemo potest duobus Dominis seruire vsq; Nolite ergo soliciti Mat. 6 Con. 42 fol. 258
R. Et factū est cū intraret, vsque Dicebat autem Luc. 14 Conc. 91 fol. 596
Dominica 16 post Trinitatis.
Et factum est deinceps, vsque Et exiit Luc. 7 Con. 46 fol. 285
R. Pharisæi autem audientes, vsque Tūc Iesus locutus est Matt. 22 Cō. 118 f. 762
Dominica 17. post Trinitatis.
Et factum est cum intraret, vsque Dicebat autem Luc. 14 Con. 91 fol. 285
R. Et ascendens in nauiculā, vsque Et cum transiret Matt. 9 Con. 32 fol. 169
Feria quarta quatuor temporum.
Et respondens vnus de turba, vsque Et inde profecti Mat. 9 Con. 61 f. 445
Feria sexta quatuor temporum.
Rogabat autem vnus de Pharisæis, vsque ad finem capitis Lu. 7. Cō. 48 f. 303
Sabbatho quatuor temporum.
Dicebat autem hanc similitudinem, vsque Dicebat ergo Luc 15 Con. 82 f. 514
Dominica 18 post Trinitatis.
Pharisæi autem audientes, vsq; Tūc Iesus locutus est Matt. 22 Con. 118 f. 762
R. Simile factum est regnū cælorū, vsq; Tunc abeuntes Matt. 22 Con. 115 f. 749
Dominica 19 post Trinitatis.
Et ascendens in nauiculam, vsque Et cū transiret Matt. 9 Con 32 fol. 169
R. Et erat quidam Regulus, vsque Hoc iterum Ioan. 4 Con. 24 fol. 147
Dominica 20. post Trinitatis.
Simile factum est regnū cælorum, vsq; Tunc abeuntes Matt. 22 Con. 111 f. 749
R. Ideo assimilatum est regnū cælorū, vsque ad finem c. Mat. 18. Cō. 72 f. 470
Dominica 21. post Trinitatis.
Et erat quidem Regulus, vsque Hoc iterum Ioan. 4 Con. 24 fol. 147
R. Tunc abeuntes Pharisæi consiliū, vsque ad finē capitis Mat. 22 Cō. 116 f. 754
Dominica 22. post Trinitatis.
Ideo assimilatum est Regnum cælorū, vsque ad finem capitis Matth. 18 Con. 72 fol. 470

R. Hæc illo loquente ad eos, vsque Et transeunte inde Mat. 9 Con. 34 fol. 178
Dominica 23 post Trinitatis
Tunc abeuntes Pharisæi consiliū, vsque ad finem cap. Matt. 22 Con 116 fol. 754
R. Cum videritis abominationē, vsque De die autem Matt. 24 Con. 122 f. 776
Dominica 24. post Trinitatis
Hæc illo loquente ad eos, vsque Et transeunte inde Matt. 9 Con. 34 fol. 178
Dominica 25 post Trinitatis.
Cum subleuasset ergo oculos Iesus, vsque Iesus ergo Ioan. 6 Con. 37 fol. 377
In dedicatione Ecclesiæ.
Et ingressus perambulabat, vsque ad finem cap. Luc 19 Con 106 fol. 654
PROPRIVM SANCTORVM
In die sancti Andreæ.
AMbulans autē Iesus, vsque Et circuibat Matt 4 Conc 26 fol. 152
In die S. Barbaræ.
Tūc similē erit regnū cælorū decē virginibus, vsque Sicut enim homo Mat. 25 Cōn. 129 fol 800
In die S. Nicolai.
Sint lumbi vestri præcincti, vsque Hoc autem scitote Luc. 12 Con. 87 fol. 573
R. Homo quidam peregrē, vsque Accedens Matt. 25 Con 126 fol. 800
In die Conceptionis Mariæ.
Liber generationis, vsque Omnes itaque Matth. 1 Con. 6 fol. 47
In die S. Thomæ.
Thomas enim vnus ex duodecim, vsque Multa quidem Ioan. 20 Con 147 f. 952
In die Conuersionis S. Pauli.
Tunc respondens Petrus, vsque ad finē capitis Matth. 19 Con. 100 fol. 653
In die Purificationis S. Mariæ.
Et postquam impleti sunt, vsque Et erat Pater eius Luc. 2 Con. 10 fol. 67
In die cathedræ Petri.
Venit autē Iesus in partes Cęsareę, vsq; Tūc Iesus dixit Matt. 16 Cōc. 66 fo. 425
In die S. Matthiæ.
Confiteor tibi Pater, vsque ad finem capitis Matt. 11 Con. 47 fol. 288
In die Annunciationis B. Mariæ.
In mense autem sexto, vsque Et discessit Luc. 1 Conc. 3 fol. 27
In die S. Georgij.
Ego sum vitis vera, vsque hoc est præceptum Ioan. 15 Con. 135 fol. 442
In die S. Marci.
Post hæc autē designauit, vsque In quācunque autem Luc. 10 Con. 50 fol. 542
In die SS. Philippi & Iacobi.
Non turbetur cor vestrū, vsque Si quid petieritis Ioan. 14 Conc 134 fol. 817
In die Inuentionis S. Crucis.
Erat homo ex Pharisæis, vsque Sic Deus dilexit mundum Ioan. 3 Con. 20 f. 127
In die Natiuitatis Ioannis Baptistæ.
Fuit in diebus Herodis, vsque Et dixit Zacharias Luc. 1 Conc. 2 fol. 28
In die S. Petri & Pauli.
Venit autem Iesus in partes Cæsareæ, vsque Tunc præcepit Matth. 16 Conc. 60 fol 423
In die S. Mariæ Magdalenæ.
Rogabat autē illū quidam ex Pharisæis, vsque ad finem cap. Luc. 7. Cō. 54 f. 353
In die S. Iacobi.
Tunc accessit ad eum, vsque Et egrediēs Matt. 20 Con 104 fol. 824
In die S. Petri ad vincula.
Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, vsque Tunc præcepit Matt. 16 Conc. 66 fol. 425
In die S. Laurentij.
Amen amen dico vobis, vsque Nunc anima Ioan. 12 Con. 111 fol. 723
In die Assumptionis B. Mariæ.
Factum est autem dum iret, vsque ad finem cap. Luc. 10 Conc. 52 fol. 552
In die S. Bartholomæi.
Intrauit autem cogitatio in eos, vsque Respondens autem Lu. 9. Cōc. 50 f. 458
R. Exiit in montem orare Luc. 6. Conc. 39 fol. 229
In die decollationis S. Ioannis Baptistæ.
Ipse enim Herodes, vsque Et cum dies opportunus Mar. 6 Con. 22 fol. 138
In die Nativitatis B. Mariæ.
In mense autem sexto, vsque Et discessit Luc. 1 Con 3
R. Liber generationis, vsque Omnes itaque Matth. 1. Con. 6. fol 47
In die S. Matthæi.
Et ascendens Iesus in naviculam vsque ad finem capitis Matth 9. Con. 31 f. 165
In die S. Michaelis.

In illa hora accesserunt, vsque Venit enim filius Matth.18.Con.70.Fol.452
In die S. Bauonis Confessoris Patroni Gandauensium.
Iam venit ad me, vsque bonũ est sal Luc.14.Conc.92.fol.604
In die S. Dionysij & Sociorum eius.
Et descendens cum illis, vsque ad finem capitis Luc.6 Conc.39.fol.210
In die S. Lucæ.
Post hæc autem designauit, vsque Et ecce quidam legisperitus Luc.10. Cõ.80 fol.542
In die S. Symonis & Iudæ.
Hoc est præceptum meum, vsque hæc mãdo vobis. Ioan.15.Conc.115.Fol.142.
R. Hæc mando vobis vt diligatis, vsque Cum autem venerit Ioan.15.Con.115 fol.142*.
In die omnium Sanctorum.
Videns autem Iesus turbas, vsque Sic enimpersecuti Matt.5.Con.39.Fo.210
In die omnium fidelium defunctorum.
Cum autem venerit Filius hominis, vsque ad finem capitis Matt.25.Cõc.127 fol.205
R. Amen dico vobis quia venit hora, vsque Non possum ego. Ioan.5.Conc.36 fol.187
In die S. Lauini Episcopi & Martyris.
Nolite arbitrari quia pacem veni mittere, vsque ad finem cap. Matth.10.Con.35. fol.254
In die S. Martini Episcopi & Confessoris.
Nemo accendit lucernam, vsque Et cũ loqueretur Luc.11.Con.49.fol.312
In die S. Catharinæ.
Tunc erit simile regnum cælorum decẽ virginibus, vsque Sicut enim Matt.25 Con.125.fol.200

FINIS.

Hæc Commentariorum Rmi Dni Cornelij Iansenij in sũam Concordiam ac totam historiam Euangelicam Epitome, à R. P. Matthæo à Castro non minori diligentia quam iudicio collecta & composita, pari ratione, qua ipsum Commentariorum volumen, à quo nihil diuersum continet, imprimi poterit, idq; adeo percommodè ad vsum eorum quos à totis commentarijs siue legendis deterret prolixitas, siue comparandis inopia prohibet.

Ita censeo ego Guilielmus Estius,
Sacræ Theol. Doct. & Professor.

Hæc Epitomæ in gratiam maximè studiosorum Sacræ Theologiæ vtiliter admodum committetur prælo & in lucem emittetur, quod attestor infra scriptus. Datum Antuerpiæ die 2. Ianuarij 1593.

Ita attestor Michael Hetsroy
Breugelius censor librorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca